UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.D. Iacobi Marchantii Vitis Florigera

Marchantius, Jacobus

Coloniae Agrippinae, 1661

[Vitis Florigera]

urn:nbn:de:hbz:466:1-56381

Visual Library

VITIS FLORIGERA
PRO FESTO S. ANDREÆ.

LECT. I. tripartii.

Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum, &c. Matth. 4.

PARS. I. *Quomodo Christus S. Andreã initialiter vocaverit.* *Ioan.* 1. *Luc.* 1.

EX Evangelico textu clarum est, S. Andream fuisse unum ex discipulis S. Joannis Baptistæ, ab ipsoque ad Christum transivisse ipsius Joannis impulsu & instructione, dum conspecto Christo de illo testimonium perhiberet coram discipulis dicens: *Ecce Agnus Dei.* Nimirum ad id venerat Joannes, non ut sibi, sed ut Christo *pararet plebem perfectam*, discipulosque præ instituerat ad eum mittendos, sicque non sibi fructificaret, sed illi cujus erat paranymphus & præcursor, cujus unicè gloriam adamabat, omnique studio procurabat. Fuit ergo præcursor, non solum conceptione admirabili & vita, sed etiam prædicatione & baptismo, martyrio quoque & morte, denique & ad limbum descensu; in quibus omnibus Christum antecessit, & quodammodo ei viam præparavit. Fuit quoque præcursor discipulorum quorumdam congregatione, quos in Christi instruebat notitia & fide; testimonium enim perhibuit, quia *hic est qui baptisat in Spiritu Sancto*, quia hic est *Agnus*, quia hic est *qui tollit peccatum mundi*, quia hic est *Filius Dei* Sicque illos transmisit à se ad Christum, tamquam à lucerna umbrosa ad claram veritatis lucem, ab aurora ad Solem, à milite ad Ducem à vexillifero ad Imperatorem, à conservo ad Dominum, à discipulo ad supremum Præceptorem, à paranympho ad Sponsum, denique à voce ad Verbum, à lege ad Evangelium. *Chrysost. & alii.* Andreas ergo mox ut audivit à Joanne *hic est Agnus & Filius Dei*, exarsit in desiderium doctrinæ & colloquii ipsius; unde secutus est eum cum altero discipulo, qui existimatur fuisse Joannes Evangelista, sed ex humilitate nomen suum reticuisse. Conversus autem Jesus, & videns eos sequentes se, hilari excipit vultu, & dicit eis: *Quid quæritis?* Sciebat quid quærerent, sed eorum vult desiderium excitare & exacuere. Mox enim se avidos esse doctrinæ ejus aperiunt, & discipulos profitentur, dum eum vocant *Magistrum*, & dicunt: *Ubi habitas?* Quasi dicerent: Magister optamus scire ubi hospiteris, ut possimus te convenire, nec semel dumtaxat aut in transitu, sed sæpius te audire, & moram tecum trahere, ut nostro satisfacere valeamus desiderio.

S. Andr. circa quam horam vocatus. Notant nonnulli quod hora dicatur quasi decima fuisse, ut memoria refricetur signi Ezechiæ dati pro adventu Salvatoris, cum Sol regressus est decem lineis quasi decem horis. Aderat ergo ille qui tunc promittebatur, & hujus audiendi cupiditate flagrabant. Sed quam suaviter se cum illis gerat Dominus, quamque respondeat desiderio eorum benignè & gratiosè, attende ex ejus verbis: *Venite*, inquit, *& videte.* Non recusat introducere in diversorium suum (nec enim propriâ usus est domo) non suspendit ambiguos, non remittit in crastinum, cum tamen jam Sol ad occasum tenderet, & non nisi duæ essent horæ residuæ diei. Erat enim *hora decima*, Judæi autem in duodecim horas partiebantur diem, quæ brevio- *S. Andr hora 10 vocatus* res erant tempore hyberno, longiores æstivo, Nempe alia tempus habent, sed conversioni ad *Omne tempus* Deum omne tempus opportunum est, nec mora trahenda, aut differendum est, cum cœlestis do- *conversionis* ctrinæ impertiendæ occasio occurrit. Ideo ergo *modum.* eis confestim dicit Dominus: *Venite, & videte.* Quasi dicat cum Psalmista: *Accedite & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.* Aut quasi invitet cum Ecclesiastico: *Appropiate ad me indoctus, & congregate vos in domum disciplinæ. Quid adhuc tardatis? Anima vestra sitiunt vehementer.* Aut quasi pronunciet illud Sapientis: *Beatus qui audit me, & vigilat ad fores meas quotidie. Qui me invenerit inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Blandè ergo præveniuntur à Domino per interrogationem qua se ad eos primò convertit, & dixit. *Quid quæritis?* Benignissimè excipiuntur per responsum suave: *Venite, & videte.* Sic & adimpletur illud, quod de Sapientia dicitur: *Facilè videtur ab his qui diligunt eam, & invenitur ab his qui quærunt illam. Præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. Dignos seipsa circuit quærens, & in viis ostendit se illis hilariter. Initium illius verissima est disciplinæ concupiscentia.*

Venit ergo Andreas sic invitatus cum alio discipulo Joannis, & viderunt ubi maneret Jesus, ejusque fruiti sunt alloquio divino. *Quàm beatum diem duxerunt, quam beatam noctem? Quis est qui nobis dicat quæ audierunt illi à Domino? Ædificemus & nosmetipsi in corde nostro, ædificemus domum in quam ipse veniat & doceat nos: Lumen ostiorum ejus exterat pes tuus, surge ad illum venire assiduè, & erudire præceptu ejus.* Si Samaritana solum in transcursu adeo est recreata ejus alloquio, ut eum cum gaudio mox cuilibet de civitate annunciaret? quid putas factum cum *Andrea*, qui illius quo accessit

S. Aug. in Ioan. c. 1. *S. Andr. fruitur Alloquio Christi.* *Ioan.* 4. *Sap.* 6. *Prov.* 8. *Eccli.* 51.

acceſſit diei partem, noctisque quantum voluit, cũ Domino colloquendo continuavit? An non verè potuit dicere cum Psalte: *Nox illuminatio mea in deliciis meis*? Proximus fonti non potuit non hausisse cum gaudio ubertim aquam vitæ. Quapropter subsequeare die hoc gaudium mox effundere gestit in sinum eorum quos obviam habuit, ut & illius gaudii consortes forent, luminisque ac gratiæ eã nocte perceptæ. Unde cùm invenisset primùm fratrem suum *Simonem* dixit: *Invenimus Messiam*, sive Christum, & adduxit eum ad *Iesum*. Totus nimirum inflammatus ex Christi colloquio, totus gaudii plenus, thesaurum quem invenit. Non enim sic est in spirituali thesauro sicut in temporali, quò enim in plures dispergitur, eò minus ad quẽq; redit; at spiritualis, si pluribus communicatur, augetur. Inventio Messiæ, thesauri erat pretiosissimi inventio, qui jam diu desiderabatur, quærebatur, cum suspirijs & gemitu invocabatur ab iis qui exspectabant redemptionem Israel. Unde nihil preciosus *Andreas* nunciare poterat, quàm hanc liberationem advenare, inventō Messiã & Liberatore. Idemque videtur potuisse dicere quod olim leprosi, qui cum liberatam invenissent Samariam ab insidione (fugatis hostibus & castris desertis) dixerunt invicem: *Hac dies boni nuncio est; sitacuerimus, scelerũ arguemur*. Sic non potuit S. *Andreas* fratrem suum sibi obvium non lætificare felici nuncio, & ad Christum adducere, ut frater fieret non solum sanguine, sed & spiritu; non solum carne, sed & fide; non solum natura, sed & gratiã. Iam adimplet illud quod longè postea dicit S. Ioannes. *Spiritus & Sponsa dicunt, Veni, & qui audit, dicat, Veni. Et qui sitit veniat & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis*. Spiritus Domini præveniens gratiã suã *Andream*, dicebat ei interius, *Veni*, imò & exterius, *Veni & Vide*. Et Sponsa, quam jam incipiebat sibi Christus Sponsus novus jungere, idem censebatur eius interiori, auri insonare, sed & paranymphus Sponsi Ioannes ad idipsum hortabatur, ut iret ad Sponsum futurus amicus Sponsi. Discipulusque primus. Mox verò ipse obediens, dicit quoque fratri suo, *Veni*, & adducit eum. Et quia uterque sitiebat ad fontem vitæ, uterque venit ut hauriret & acciperet aquam vitæ gratis.

Hæc est ergo prima vocatio *Andreæ*, & per illum vocatio Petri, ita ut fuerint ipsi quodammodò ex tunc primitiæ Discipulorum Agni. Neque tamen tam fuisse dicenda est vocatio absoluta & perfecta, quàm præparatio ad alteram vocationem, & sequelã perfectam, quæ postea secuta est. Nam adhuc extunc non adhæserunt Christo individuè, sed ejus permissu ad suã rediverunt retia & tuguria, quamvis jam ejus amicitiã & familiaritate decorari cœperint. Nec exiguæ gloriæ est, quod *Andreæ* in illa prima vocatione primas obtinuerit, quodq; fratrem suum converterit, & ad Christum adduxerit, Principem postmodum futurum totius cœtus Apostolici, per quem tot coruscarunt miracula, tot hominum millia sunt conversa. Sic fratri suo *Andreæ* ex parte decet Petrus primam suam vocationem, quæ radix fuit omnium postea subsequentium donorum, & prærogativarum cœlestium. Nam cum adduxisset eum Andreas extunc speciali intuitu respexit eum Christus, tamquam futurum fundamentum ædificii quod moliebatur. Quapropter sic dicit S. Ioannes: *Intuitus autem eum Iesus, dixit, Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas*, quod interpretatur *Petrus*. Sive ergo hoc dixerit ei, extunc nomen istud imponendo, ut existimat S. Augustinus, Beda, & nunnulli alii Interpretes, sive prænunciando illud nomen postmodum imponendum, quod factum fuit in monte, dum elegit Apostolos, ubi dicitur: *Imposuit Simoni nomen Petrus*. Certum interim est, intuitum illum Domini, quo respexit Petrum, & quo eum sic alloquutus est, amoris fuisse plenum, & gratiæ præ-nuncium.

Psal. 139

Ioan. 1.

4 Reg. 7.

Per S. Andream S. Petrus vocatus

Apoc. 22.

S. Petrus & Andr. primitiæ vocationis Christi.

Ioan. 1.

Marc. 3.

PARS II.

ALtera vocatio ad perfectam sequelam discipulatum, & adhæsionem firmissimam, fuit illa, de qua in præsenti Evangelio, quando scilicet Iesus ambulans circa mare vidit hos duos fratres mittentes retia, & dixit eis: *Venite post me, faciã vos fieri piscatores hominum*. Tunc enim *relictis retibus, & patre secuti sunt eum*. In qua quidem vocatione & sequela plurima occurrunt consideratione digna.

De vocatione S. Andreæ ad Apostolatum.

Marc. 1.

Primo quidem, quid est quod Dominus sublimis sapientiæ discipulos congregaturus, qui in universum orbem doctrinæ copiam postmodum suo refusuri erant, ad mare procedit? Cur non potius ad Gymnasia Sapientum accedit, & ad Academias eruditorum, ut inde seligeret ingenia politissima? An talia deerant Athenis, ubi nominatissimum Philosophiæ erat Lyceum? An non Romæ diligentissimè erat collectum, quicquid alibi fuerat institutum? Cur Romanam ergo fastidit eloquentiam, adeo aptam Orbis conversioni adquidlibet persuadendum? Cur non adit Academiam Palæstinæ, nomine Cariatsepher, id est, *Urbis litterarum*. Cur non Theman, quæ fuit Academia Idumææ, aut Thecuam, quæ erat Academia Chananææ, ideoque vocatur *Mater in Israel*, Cur non Memphim, aut Heliopolim, aut Alexandriam, quæ erant Academiæ Aegypti? Sed si extraneos respuit discipulos cur saltem Hierosolymam non ingreditur vitæ sapientiæ cultam professentem in Gymnasiis suis, ubi tot legis Doctores famosi considebant? Verum hos omnes tumidos despexit, & humiles respexit; quia licet omnes isti in Academiis eruditi sapientiam venditarent, à vera sapientia longe aberant. Vide de illis dicitur: *Dereliquerunt fontem sapientiæ, & viam disciplinæ ignoraverunt, neque intellexerunt semitas ejus, neq; filii eorum susceperunt eam: à facie eorum longè facta est, nõ est audita in terra Chanaan, neq; visa est Theman*

Cur Christus universum orbem doctrinæ copiam postmodum suo refusuri erant, ad mare procedit? Cur non potius ad Gymnasia Sapientum accedit, & ad Academias eruditorum, ut inde seligeret ingenia politissima? An talia deerant Athenis, ubi nominatissimum Philosophiæ erat Lyceum? An non Romæ diligentissimè erat collectum, quicquid alibi fuerat institutum? Cur Romanam ergo fastidit eloquentiam, adeo aptam Orbis conversioni adquidlibet persuadendum? Cur non adit Academiam Palæstinæ, nomine Cariatsepher, id est, Urbis litterarum. Cur non Theman, quæ fuit Academia Idumææ, aut Thecuam, quæ erat Academia Chananææ, ideoque vocatur Mater in Israel, Cur non Memphim, aut Heliopolim, aut Alexandriam, quæ erant Academiæ Aegypti? Sed si extraneos respuit discipulos cur saltem Hierosolymam non ingreditur vitæ sapientiæ cultam professentem in Gymnasiis suis, ubi tot legis Doctores famosi considebant? Verum hos omnes tumidos despexit, & humiles respexit; quia licet omnes isti in Academiis eruditi sapientiam venditarent, à vera sapientia longe aberant. Vide de illis dicitur: Dereliquerunt fontem sapientiæ, & viam disciplinæ ignoraverunt, neque intellexerunt semitas ejus, neq; filii eorum susceperunt eam: à facie eorum longè facta est, nõ est audita in terra Chanaan, neq; visa est Theman

Theman Filii quoque Agar, qui exquirunt prudentiam quæ de terra est, viam sapientiæ nescierunt. Non hos elegit Dominus. Ambulat ergo circa mare, ut ibi piscatores, humiles, pauperes, illiteratos, rudes ignobiles & obscuros eligat, totius orbis futuros Doctores. Quid ita? Ut ostenderet se mundum convertere non sapientia hominum, aut potentia, sed sua virtute & gratia; sicque hac ratione vult confundere fortitudinem arrogantem, sapientiam subtilem; nobilitatem mundi tumidam, per ignorantiam, simplicitatem, debilitatem. Cui Samson confudit Philistæos per asini mandibulam, cū potuisset alia arma eligere, quibus de illis triumpharet? Ut victoria non tam instrumento, ad bellum parum apto, quam fortitudini bellantis adscriberetur. Similiter dicendum Christum mundum sibi subjicientem illiteratos & impotentes elegisse, ut non haberent ipsi unde gloriarentur; mundus autem haberet unde confunderetur.

Nr. I. *Vt humiles eligat.*

Iudic. 15.

1. Cor. 1.

Hæc est ratio ipsius Apostoli dicentis: *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, ut non glorietur omnis caro.* Hanc eandem rationem frequenter inculcant SS. Patres inter quos S. Augustinus *Sciebat, inquiens, si eligeret Senatorem, dicet Senator, dignitas mea electa est. Si divitem, diceret, opulentia mea; si Regem potestas mea; si Oratorem aut Philosophum, eloquentia & sapientia mea electa est. Dicit ergo Dominus: Relinquantur superbi isti, multum tument. Veni tu pauper, nihil habes nihil nosti, sequere me, tam largo fonti vas mane admovendum est.* Vides quomodo nihil hic habeat homo unde glorietur, sed divinæ habeat adscribere virtuti, quicquid in opere salutis per Apostolos electos peractum est? Propterea subdit: *Dimisit retia piscator; accepit gratiam, & factus est divinus Orator, Leguntur nunc verba piscatorum, & subduntur colla Oratorum.* Et alibi rursus eadem de re sic loquitur. *Volens Christus arrogantiam superborum frangere, non quæsivit per Oratorem piscatorem, sed de piscatore lucratus est Imperatorem. Cœleste ergo fuit consilium non eligere sapientes, aut divites, aut nobiles, ne traduxisse prudentiā, ne redemisse divitiis, ne potentia nobilitatis, aut auctoritate aliquos ad suam gratiam traxisse videretur, ut loquitur.*

Ser. 9. de Verbis Domini.

S. Ambr. lib. 5. in Luc.

Christus piscatus piscatores

Itaque Dominus ambulat circa mare, ut piscatores ipsos suis ipse retibus ad se trahat. O rete potens verbum istud; *Venite post me!* Trahit verò eos, ut per eos alios postmodum expiscari valeat. *Faciam* inquit, *vos fieri piscatores.* Quasi dicat. Ego ipse id muneris vobis dare possum, idque exequi possum per vos quod ad spiritualem piscationem opus fuerit. Ne quæratis quomodo fieri possit, ut vos simplices & idiotæ, homines sæculo & peccatis immersos piscari, & ad salutem attrahere valeatis: ego ipse id faciam, ego eligo vos, ego omnia ita dirigam, ut efficiatis, id vobis solum curæ sit, ut me sequamini & obsequentes sitis. Offerte promptam voluntatem, supplebo omnia in vobis: *Ego enim vos elegi ut eatis, & fructum afferatis & fructus vester maneat.* Ego vos elegi, ut laxetis retia vestra in capturam non sine fructu eximio. Quapropter de his piscatoribus eleganter dicit Sanctus Ambrosius: *Vide quid piscator ipse profecerit. Dum in mari lucrum sum quærit, vitam invenit omnium. Lembum deseruit. Deum repetit Scalmum reliquit, verbum invenit. Lina laxavit, fidem vinxit. Plicavit retia, homines elevavit. Mare sprevit, cœlum acquisivit. Hic ergo piscator dum ipse turbato agitur salo, mobili mentes stratione mutantes fundavit in petra.*

Joan. 15.

Lib. 3. de Virg.

Rursus, ideo ambulavit Dominus circa mare, ut sicut è mari ascendunt nubes pluviâ terram aridam irrigantes & fœcundantes; ita & ipse mysticas illas nubes è mari vocavit & eduxit, de quibus illud: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* Apostoli enim nubes volantes dicuntur, quia imbrem doctrinæ gratiæ circumtulerunt ad irriganda corda arida, *Pluviam voluntariam quam segregarat Deus hæreditati suæ.* Quasi nubes fœcundæ pluebant verbis coruscabant miraculis, ad cœlum volabant elevatione mentis, & modo in unam, modo in alteram terram ferebantur, prout spiritus directio impellebat. *Educens nubes ab extremo terræ fulgura in pluviam fecit*, quod etiam de Apostolis verum est. Eduxit enim eos Dominus de humilitatis humo, & de mari hujus sæculi, ut spiritu suo huc illuc eos impelleret. Et sicut nubium vox est tonitru, sic & illorum vox, instar tonitrui, fuit Evangelicæ prædicationis vox efficacissima. Hæc improbos percellebant, & quasi fulmine fulguriente, eos cœlestis lucis coruscatione perstringebant, intimos mentis & cordis recessus penetrantes. Adde, quod sicut nubes in Scriptura dicuntur. *Currus Dei gloriosus*, ita & hæ nubes rectè Currus Dei titulo insigniuntur, quando quidem ejus nomen & gloriam, ejus majestatem & magnificentiam toto invexerint orbe, ita ut de illis verum iterum sit illud Psalmi: *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo super Israel, magnificentia & virtus ejus in nubibus.*

Nr. II. *Vt mysticas nubes è mari vocaret.*

Isai. 60.

Psal. 67.

Psal. 134.

Psal. 67.

Denique Dominus Apostolos vocaturus ambulabat circa aquas, ut sicut olim initio sæculi fundaturus Orbem, spiritus ejus ferebatur super aquas; ita & modò Orbem novum instituturus, vel veterem reformaturus, spiritus ejus feratur super aquas, tum ut insiliat in Piscatores, & efficiat hujus novi Orbis secum Fundatores, tum ut ipsis jam aquis incubet, quæ generare debent novos homines Atque etiam sicut olim Moysen eduxit ex aquis, ut populi sui Ducem postmodum eum constitueret (hinc enim dictus est *Moyses*, quia de aqua sublatus) sic & primos Duces populi sui novi ex aquis sustulit, ut postmodum educerent eum de Ægypto & potestate dæmonis. Non ergo sine mysterio Dominus circa mare obambulat, non sine mysterio de mari & piscatione novos evocat Piscatores, sicut olim *de post fœtantes* Davidem eduxit Pastorem, qui pasceret gregem suum; & de stiva

Nr. III. *Vt spiritus ejus feratur super aquas, &c*

Exod. 2.

Psal. 77.

abáratro eduxit *Eliseum* in agro suo araturum, postquam Eliæ tetigisset pallium. Et de sycomoro fructus vellentem evocavit Amos armentarium, & unxit Prophetam, & Ducem, qui stimularet boves strenuos in agro suo laborantes, vel torpidos excitaret, fructusque alios caperet. O igitur magna Domini providentia & potentia, in variæ hominum vocatione consideranda & adoranda.

3 Reg. 19
Amos 7.

Cur 2. fratres Christus vocarit.

Secundo considerandum est in vocatione *Andreæ & Petri*, quod Dominus fratres duos vocarit, & postmodum alios adhuc duos *Iacobum & Ioannem*. Nempe sicut olim ex Aegyptiaca servitute volens populum suum educere, vocavit Fratres *Moysen & Aaron*, tamquam Duces; sic dum vult Ecclesiam suam è captivitate peccati educere, fratres accersivit tamquam Duces. Simul etiam per hoc docet eos qui populum Christianum ducere debent, fratres esse debere, dilectione & pace, concordiâ gratiæ, & doctrinæ unitate; ut idipsum sentiant & dicant, ejusdem spiritus participes effecti. Sicut enim olim Moysen eligens, ac postmodum septuaginta sub eo Iudices populi ejusdem eos fecit spiritus participes, auferens de spiritu Moysi, & tradens eis ut sustentarent onus populi cum illo. Ita suos Discipulos & Apostolos Christus eodem spiritu replevit, ut gubernarent Ecclesiam spiritus & doctrinæ concordia atque unione, fraternaque dilectione. Voluit quoque duorum paria fratrum ad discipulatum vocando adumbrare, quod omnes Christiani, tamquam Christi discipuli, fraternitatem debebant colere, in qua fundavit Christianismum, Apostolatū, Ecclesiam. Hæc est interpretatio SS. Patrum, inter quos sic loquitur Ven Beda: *Cum Christus carnu fratres elegit, ostēdit quod qui discipulatui ejus volumus adhærere fratres esse debemus, non carne, sed spiritu; non genealogia, sed charitate; quia unum Patrem habemus Deum, & mater nostra Ecclesia est.* Audi & *Chrysost.* *Sicut in ædificio lapis ad lapidem cæmento constringitur, sic in ædificio Ecclesiæ Christianus ad Christianum charitate connectitur. Ideo super fraternitatem charitatis Ecclesia composuit fundamenta, ut radicibus charitatis exuberans quasi humor ascendat in ramos. Et hoc super amorem naturalem, ut non solum per gratiam, sed etiam per naturam ipse amor firmior habeatur. Sic enim fecit Deus in veteri Testamento, ædificaturus populum per legē, supra Moysen & Aaron fratres posuit ædificationis initium. Quoniam autem abundantior gratia erat futura novi Testamenti quàm veteris; ideo populum illum ædificavit secundum unam fraternitatem, hunc autem secundum duas.* Hæc ipse. Quam eandem rationem affert *S. Thom in Matth: cap. 4.*

Num. 11.

Ex. II.

Ex. III.

Homil. 7. in Oper. imperf.

S. Andreæ obedientia invocationi Christi.

Tertio, consideratione digna est post hanc vocationem Andreæ prompta obedientia. *Illi autem statim relictis retibus & patre secuti sunt eum. Relicto patre Zebedæo in navi cum mercenariis secuti sunt eū.* Nempe non mercenario affectu sed promptâ obedientiâ & filiali affectu Dominum jam novum Patrem secuti sunt solo verbo invitantem, nec mercedis ullam mentionem facientem. Secuti ergo sunt, non tam pedum incessu, quàm obedientiâ & affectu; nec ullam interposuêre moram, aut excusationem, sed mox reliquerunt retia omnia. Non solùm navis retia quibus lucrum captabant, sed etiam retia omnia quibus poterant retineri, hoc est omnem affectum, sive ad patrem, sive ad domum propriam, sive ad quælibet alia caduca, quæ sunt retia multos irretientia, ne ad Christum liberè convolent, & illi firmiter adhæreant. Sanè de nonnullis in Evangelio fit mentio, vocatis ad sequelam Domini, sed rete invenientibus, ideoque tergiversantibus, aut dilationem expetentibus. Sic dicit quidam vocatus à Domino: *Dimitte me primum ire & sepelire patrem meum.* Hoc erat rete: quod ut disrumperet, respondit Dominus: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Sic & alius invenit rete involvens pedes suos, qui dicit: *Sequar te Domine, sed permitte mihi primùm renunciare eu qui domi sunt.* Hoc quoque rete ut dissolveret Christus, dixit: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciēs retro, aptus est regnoDei.* Denique, ille quoque rete infelix invenit, nec disrupit, qui, postquam audivit à Domino: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me,* abiit tristis, nec secutus est, Nempe rete fallax divitiarum cor ejus continuò involvebat, nec ei libertatem dabat protinus convolandi ad Dominum vocantem. Non sic in *S. Andrea*, qui perfectæ obedientiæ formam mox adimplevit, & nobis tradidit imitandam; ut cùm à Domino vocatione interiore, vel ad vitæ emendationem, vel ad majorem perfectionem vocamur, non obturdescamus, nec differamus, sed inconcunctanter obediamus, properantes *instar fulguris coruscantis*, scientes quia *nescitis tarda molimina Spiritus Sancti gratia*, quodque vocem Dei corvinam odit, quæ *Cras cras* insonat & gemitum columbinum adamat maturatum. Illicò igitur vocatus *Andreas*, potuit illud Jobi obediendo dicere: *Vestigia ejus Iob. 23.* *secutus est pes meus, viam ejus custodivi, & non declinavi ex ea.*

Matth. 8.

Luc. 9.

Matt. 19.

Exech. S. Ambr.

TErtia vocatio S. *Andreæ* fuit non solùm ad fa- Pars. III.
miliaritatem, aut notitiā Christi, aut ad ejus *De voca-*
sequelam & Apostolatum, sed etiam ad martyriū, *tione S.*
sive ad mortem sibi similem; per crucem scilicet, *Andreæ*
ad quam etiam vocavit Petrum fratrem Andreæ. *ad cru-*
Unde de Andrea & Petro, eorumque prærogativis *cem,*
agens B. P. Damiani. *Cum divina dispensatio Petrū & Andream consummare per crucis supplicium voluit, inter cæteros Apostolos conspicuos eos fecit. Crux enim, quæ Regem præmisit ad sceptrum, eadem utrūque militem evexit ad præmiū. O beata germanitas, quam sicut mundo una consanguinitas edidit, sic eadē triumphalis mors victores ad astra transmisit; & quos in hac vita unius generis protulit natura consortes, in illam beatitudinem æternæ lucis parturivit æquales! ejusdem*

Ejusdem nobilitatis in terra eandem prosapia celsitudinem sortiuntur in cælo. Qui enim hic sunt filij Ioannis, illic sunt filij crucis.

Hanc vocationem ad martyrium crucis etiam insinuatam fuisse à Domino his verbis: *Venite post me* nonnulli interpretes autumant. Nam & cum Petro post resurrectionem Dominus dixit. *Tu me sequere*, illis verbis significavit qua morte esset moriturus, quodque ad Crucem Dominum esset secuturus. Idipsum ergo potest emphaticè intelligi, in illis verbis ad Petrum & Andream directis: *Venite post me.* Non solum scilicet ad Apostolatum, sed etiam ad crucis martyrium invitare eos censendus est, quos sui imitatores & perfectos sectatores tam in vita, quam in morte voluit esse; quandoquidem eos vocarit, & dedicârit Patri tamquam primitias, prima hac lectione & vocatione eos alijs præferens. Itaque vestigia Christi secuti sunt perfectè, hoc est non solum ejus humilitatem, mansuetudinem, charitatem, patientiam in laboribus, sed etiam obedientiam usque ad mortem, mortem autem crucis. Christus crucifixus fuit capite inclinato versus terram, respiciens illam pro qua moriebatur, quamque impiatam olim sanguine Abelis innocentis expiabat proprio suo cruore, ut vocem ulterius non exereret Abelis ad Deum pro vindicta clamantis. Respiciebat quoque Calvariam Adæ suis ibi substratam pedibus, in eoque loco sepultam & infossam, ut tradunt SS. Patres. Petrus autem crucifixus fuit inverso modo, ut respiceret cœlum, cujus claves sibi commissæ erant, & ad quod jamiam citer parabatur rectum & securum. Andreas verò crucifigitur transversus; partim ut respiciat Christum tamquam Redemptorem suum & primum Ducem; partim ut respiciat Petrum tamquam subChristo Apostolorum Coriphæum. Sive ut quidam ex antiquis loquitur, *ut manum dextram porrigeret ad Christum, petens auxilium ascendendi in cœlum, sinistram ad Petrum petens aperiri sibi ejus claves regnum cœlorum.*

Joann. 21.

Cur S. Andreas transversum crucifixus.

Quia ergo Andreæ dictum erat à Domino. *Veni post me*, ideo ei tantus adhæsit amor crucis in qua debebat hæc sequela Christi perfecta manifestari & consummationem accipere. Quapropter licet populus concurrens inclamaret: *Innocens ejus sanguis sine causa damnatur*, vellet q; eum eripere, rogavit obnixè ne istud crucis martyrium impedirent. Imino & cum Aegæas Proconsul clamore populi impulsus eum de cruce deponi juberet dicebat: *Iam regem meum video, cujus vestigia sequi debeo; hunc adoro, hujus conspectui præsens assisto.* Tunc quoq; ad Dominum conversus cum lacrymis rogabat. *Tu me Christe suscipe ne q; famulũ tuum propter te in cruce pendentem solvi permitte ut te perfecte sequi valeat, & post te venire.* Cumque lictor brachia ejus contingeret, ut è cruce solveret, mox brachium lictoris exarescens torpidum & inutile redditum est. Demque cæleste lumen mirum splendorem circumfudit, ita ut nullus astantium Apostolum in cruce posset intueri, dimidiamque circiter post horam abeunte splendore illo, spiritum in cruce reddidit suum, secutus mox Redemptorem ad gloriam.

Amavit itaq; *S. Andreas* crucem magis quam ullus procus unquam adamasse legatur suam amasiam. Illam sibi paratam, quanto affectu, quam ardenter, quantis verborum blandicijs, quanta cordis teneritudine amplectitur, exosculatur, salutat? quot elogijs deprædicat? *O bona Crux, quæ decoratæ ex membris Domini jam cepisti, diu desiderata sollicitè amata, sine intermissione quæsita, & aliquando cupienti animo præparata, accipe me ab hominibus, & redde me magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit.* Quæ verba considerans S. Bern. è corde ipsius tamquam è fornace exæstuante exsilientia, sic ait: *Fratres mei ignea vibrans est & non lingua loquens; & si lingua est, ignea planè est, carbones sunt verba ejus, & ignea, quem de excelso misit Christus in ossibus ejus.* Amor certè crucis adeo tener, adeo fervens, adeo inseparabilis & insuperabilis in S. Andrea fuit, ut videatur in hoc quadam ratione superasse fratrem suum Petrum, cui cum Christus Dominus mortem per crucis patibulum prænunciaret, dixit: *Cum esses junior, cingebas te, & ambulabas quo volebas. Cum autem senueris, alius cinget te & ducet quo tu non vis.* Quid est *quo tu non vis?* Nempe voluntas sensitivæ partis quadam resistentia difficultatem expertura erat in Petro, quamvis & eam rationalis pars erat fortiter superatura. At de S. Andrea quomodo dicere possumus: *Ducet te alius quo tu non vis*, cum ipse maximo cum gaudio ad crucem procederet tamquam ad thalamum optatissimum, in quo cum Christo quietem sit repertus & vitam? Equidem & Christus in cruce invenit amaritudinem, inde angitur & orat calicem transferri; Andreas vero ibi invenit suavitatem, invenit lætitiam, invenit unctionem. Quid ita? Quia Christus ideo in crucem est actus, ut inveniens ibi mortem amaram, efficeret eam *lignum vitæ omnibus apprehendentibus eam cum amore* Bibens ergo calicem passionis, abstulit quicquid erat amaritudinis, & inde transtulit in eos qui verè discipuli fuissent, ut audacter illi biberent hunc calicem salutaris, nomen Domini invocando. Hoc attendens S. Bernardus de melliflua cruce sic mellifluè loquitur. *Certe & Crux speciosa est, & Crux amari potest & Crux habet exultationem. Ita est fratres, si fuerit qui colligat, semper lignum Crucis vitam germinat, fructificat jucunditatem, oleum lætitiæ stillat, balsamum Judæ spiritualium charismatum. Nõ est sine vestru arbor, lignum est vitæ apprehendentibus illam, arbor fructifera, arbor salutifera est, alioqui quomodo Dominicam occuparet terram?*

Ardens amor crucis in S. Andr.

Bern. ser. de S. And.

Ioann. 21.

Serm. de S. Andr.

Deniq; concludendo dicamus quod S. Andreas crucem adamarit, tamquam Magistri sui (suamque post ipsum) cathedram sublimis sapientiæ. Neque enim ei satis fuit orbem peragrando salu-

Crux S. Andr. cathedra doctrinæ ejus.

taris doctrinæ monita dedisse, pro conversione animarum maximos subeundo labores; sed etiam in cruce non cessavit à prædicatione, ita ut verè
Rom. 10. potuerit dicere illud: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contra dicentem mihi.* Neque solum tribus horis in cruce monita dedit, sicut Christus Dominus septem sua mystica edens verba tamquam sigilla postrema libri Agni, sed biduo pendens continuò verba vitæ promebat astantibus. Multosque ex eâ cathedra convertisse haud dubium esse potest; quandoquidem multi inclamarent: *Innocens ejus sanguis sine causa damnatur.* Et quia multi convertebantur ejus verbis, ideo voluit eum Aegæas de cruce deponere, nec tamen id cœlitus est permissum. Hic ergo patet, quam verum sit illud S. Chrysostomi: *Doctorem si vinxeris, doctrinam vincire non vales; lingua, non manu scitur verbum, quod nullo subjacet vinculo,* dicente Paulo. *Verbum Dei non est alligatum,* cum ipse alligatus & vinctus detineretur. Prædicavit ergo Andreas in cathedra crucis usque ad ultimum spiritum, in quare mirè ejus eluxit zelus & ardens charitas. Quando enim quispiam gravi aliquo dolore conficitur, vix loqui potest, quantus vero dolor est in homine cruci affixo? Sed eo non obstante Andreas, cum solam linguam liberam haberet, omnibus membris vinctus & excruciatus, illam in salutem proximi impendere non desijt, quamdiu halitus superfuit. Sic de ipso dicere possumus, quod S. Aug. *Vicina corporis morte, non moriebatur in animo Pastoris vi-*
Ser. de S. Cypria. *gilantia pastoralis, & cura tuendi gregis. Non excutiebat ab animo diligentiam fidelissimi dispensatoris manus cruenti carnificis. Ita se Martyrem cogitabat, ut esse non oblivisceretur Episcopum. Amabat quippe eum, qui Petro dixerat. Amas me? Pasce oves meas. Pascebat oves ejus, pro quibus sanguinem fundere illum imitans properabat.* Neque verò desijt moriens è cruce Andreas prædicare, quandoquidem adhuc modo dum eum pendentem cernimus, sensentur cordi nostro inferere verbum vitæ, cupiens nos crucis amatores efficere, docensq; quod in Christo & ejus amore ad extremum usq; spiritum oporteat non perseverare, crucemq; nostram tollere & Christum sequi crucifixum.

Conclusio. FAc, Domine, ut audiamus vocem tuam invitantem nos cum S. Andrea ad notitiam & familiaritatem tuam; sicque ingrediamur avidi domum tuam, à te instruendi & docendi, & sciamus ubi pascas, ubi cubes in æternitatis meridie, nec oberrantes vagari nos contingat, & abire post vestigia hædorum fœtentium. Vota quoque nos ad perfectam sequelam, disruptis omnibus retibus involventibus, & à perfecto amore tui ac vestigijs, quæ prefixti, nos retardantibus. Dic no-
Cant. 1. bis: *Vente post me,* & da manum, ut veniamus; trahe nos post te, ut curramus in odorem unguentorum tuorum, ut perfectè insistamus vestigijs humilitatis tuæ, charitatis, patientiæ, sanctimoniæ. Tandemque effice, ut possimus illud Apostoli dicere: *Christo confixus sum cruci,* & cum eodem
Galat. 2. pronunciare: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini*
Galat. 6. *nostri Iesu Christi.* Ibi ipsum & te audiamus tamquam è cathedra continuò nos docentem in fine usque sæculi; ibi enim non solum cubas, sed & pascis in meridie, in amoris scilicet æstu & fervore; & cupis ibidem nos vivere & mori saltem desiderio & moderatione. Hoc ergo nobis concede, Apostoli tui tecum crucifixi imitatione & intercessione.

IN FESTO S. BARBARÆ VIRGIN. ET MART.

LECT. 8. bipartita

Inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum Patris tui, &c.
Psalm. 44.

PARS I. Quo S. Barbara inclinarit aurem suam Deo

COnqueritur merito Rex & Propheta de hominibus hujus sæculi, quod relictis rebus veris & solidis, ad quas creati sunt, inhæreant rebus vanis & fallacibus; quodque cor ad terram & terrena deprimant, cum illud creatum sit ad cœlum & cœlestia. Inspice cordis originem & figuram. Deorsum strictum est & angustum. Sursum amplum est & angustum; quasi Solo clausum Cælo apertum. Monet ut æterna suspiciamus, caduca despiciamus. Quapropter ut vecordes ad meliora impellat, jure eos his verbis compellat: *Filii hominum, usquequo gravi corde, ut quid*
Psal. 4. *diligitis vanitatem, & quaritis mendacium?* Quasi dicat: Quid vobis cum cæno, qui estis de cœlo? Quid vobis cum infimis, qui estis conscripti hæredes in supernis? Quid decipimini per vanitatem, quibus convenit sectari veritatem? Cur vos geritis ut filios hominum, nec memores estis vos filios Dei?

Quod si hæc querimonia generaliter concernit filios Adæ & Evæ, quia dicuntur filij hominum: Quid de filiabus hujus sæculi, filiabusque hominum specialiter poterimus edicere? Dicamus de illis: *Filij hominum, usquequo levi corde? Ut quid adoratis vanitatem, circumornatæ ut similitudo Templi? Ut quid quaritis mendacem fucum deturpantes imaginem Dei?* Certe mira est vanitas in mulibri sexu, ad procurandum exteriorem ornatum, & corporis formam ac speciem. Non minor ei cultus, quam idolo adhibetur à plerisque. Quapropter minatur Dominus per Prophetam:
Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & crinem earum nudabit. Pro eo quod elevatæ sunt, & mulebria ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum i- Sexus mulebris mira vanitas.
bant, & plaudebant ambulabant pedibus suis, & cō- nitas.
posito gradu incedebant, In illa die auferet Dens Isaiæ 3.
ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoriola & in-

& in aures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specula, & sindones, & vittas, & theristra. Attē-de, quot enumeret vanitatis ornamenta, quibus utebantur mulieres & puellæ ex superbia, procaciq; libidine: ex his immundus ille muliebris mundus, quasi ex suis constat elementis. Sed attende quoque, quod sequitur in pœnam & vindictam. *Erit pro suavi odore fœtor, & pro zona funiculus, pro crispantis crine calvitium, & pro fascia pectorali cilicium.*

An non obstante comminatione Prophetæ, adhuc hocce tempore similia superbæ vanitatis, vanæque superbiæ ornamenta, libidinis incentiva, in sexu muliebri cernuntur, non sine Dei injuria. Quinimò conspicere licet in communi plebe proletaria puellas vix domi habentes cibarium panem sufficienter ad sustentationem, nihilominus vano ornatui sic incumbere, ut parentes familiam ære alieno prægravare cogantur, ob sumptus in vestes superfluas, quibus hominibus placeant & mundo, Deo displicentes. Væ illis, væ & eorum parentibus.

Filia Dei interiori student ornatui.

E contra Filiæ Dei, suam impendunt sollicitudinem, non ad procurandam exteriorem corporis speciem, quæ caduca est & corruptioni obnoxia: sed ad conciliandam sibi animæ pulchritudinem, quæ solida est & perennans. Norunt illud Sapientis: *Fallax gratia & vana est pulchritudo, mulier timens Dominum ipsa laudabitur.* Utique fallax & transitoria, quæ cito deficit in miseriam, floris instar flacescentis S. Gregorius Naziaz, *Pulchritudo est temporis & morbis ludibrium*; quia triduanæ febris igniculo potest dissolvi; aut certe dissolvet illam tempus. Quæ floret mane, marcessit vespere; flos est juventæ, defloresens in senectute. Unde & illud Poëtæ.

Prov. 31.

S. Gregor. Nazian. orat. 31.

Pulchritudo fallax & vana.

Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos:
Fit minor, & spatio carpitur ipsa suo.

Fallax quoque & vana est, quæ multos sua fefellit vanitate, & causa vis fuit ruinæ. Tum quia frequēter vel in superbiam extollit, vel in libidinem impellit:

Fastus inest pulchris, sequitur & superbia formam
Lux est cum forma magna pudicitia.

Gen. 34.

Tum quia alios suo conspectu provocat ad ruinam. Sic pulchritudo Dinæ causa fuit ei illatæ violentiæ ab Hemor Principe, sicut & pulchri-

2. Reg. 13.

tudo Thamar causa violentiæ sibi illatæ ab Ammon fratre. Sic & Samsonem fefellit pulchri-

Iudic. 16.

tudo Dalilæ, & Absalomi laqueus fuit suæ pulchritudo cæsariei. *Pulchritudo est velum oculis,*

Francisc. Patriar.

laqueus pedibus, viscus alis, ut non facile verax discernat, nec virtutem sequatur, nec in altum anima evolet.

Ex altera vero parte norunt quoque Filiæ Dei illud: *Omnis gloria Filiæ Regis ab intus*: quia vera & gloriosa pulchritudo in anima consistit, in

Psal. 44.

Vera pulchritudo in quibus consistit.

virtutibus & donis internis sita est. Illa est, quæ rapit oculos Regis æterni & Angelorum ejus; huic ergo conservandæ & augendæ omnem vovent sollicitudinem suam. Cætera omnia contemnunt, quæ favorem sæculi conciliant, ut Deo soli placeant.

Inter filias Dei celebris est S. Barbara.

Inter has celebris est S. Barbara, quæ ex parentibus quidem nobilibus, sed infidelitatis errore depravatis traxit originem, ut quasi lux è tenebris, flos sentina, rosa de spinis, tanto amplius reluceret in mundo, rutilaret in cœlo. Hoc enim non parum admirabile est, quod è parentibus infidelitate occæcatis, mente saucijs, corpore corruptis tale decus virginum, atque è spinis & sentibus æterno incendio addictis Martyr inclyta fuit profecta. Audi vero particularius, quomodo pulchritudinem & florem ætatis, & quæcunque in hoc sæculo fulgida sunt & speciosa, contempsit, ut interiori vacaret decori, quem Rex cœli concupisceret.

O pulchritudinem à parente Tuæ inscitur eluditur ne ad matrimonium sollicitetur.

Pater ejus Dioscorus, in illa tanquam unica sibi filia, spem omnem defixerat. Cum vero esset vultu admodum formosa, & eximia rutilans pulchritudine voluit eam conservare integram, & nulla labe pollutam. Ideò turri inclusit sublimi, ne forsan incauta aliqua conversione implicari posset, vel etiam sollicitari ad matrimonium ab aliquo sibi parum grato. Sic factum est, ut nullus ad Virginem accessus foret, nec vir ullus eam vel oculis posset attingere. Timebat namque illud, quod quidam Sapiens dixit: *Pulchritudo acutius telo vulnerat, & per oculos in animam descendit.* Certe Pareus ille, licet infidelis, curam magis gerebat filiæ, quam nonnulli Parentes Christiani, qui filiabus suis indiscreto amore quidlibet indulgentes, exponunt earum pudicitiam sæpe nonnullis periculis. Inter adolescentum greges conversari, ludere, choreas ducere, colloquia etiam nocturno tempore miscere, ridere, impuras narrationes audire, & pleraque similia (quæ in tenebris sæpe pariunt tenebrosa accidentia) videmus passim permitti puellis, nimia Parentum indulgentia. Hi tamen attendere debent illud Ecclesiastici: *Filiæ tibi sunt, serva corpus illarum, nec semper hilarem ostendas faciem ad eas.* Sapiens illis verbis duo filiabus vult impendi. Primo, quia sexus ille lubricus est, & simplex, multorumque insidijs expositus monetur Pater, ut diligenter custodiat corpus filiarum, non permittendi nimiam evagandi libertatem, aut ut conventiculis intersint parum honestis, aut publicis spectaculis, ne periclitetur pudicitia. *Ad exemplum Dinæ quam Dei providentia fœdari permisit, ut cunctis Fidelium filiabus daret in exemplum.* Aut etiam ne periclitetur fama pudoris illarum, & de lubricitate suspectæ habeantur. Secundo, requirat, ne Pater quam corde erga eas gerit benevolentiam nimis declaret hilaritate vultus; sed potius graviori

Inter filias Dei celebris est S. Barbara.

Ant in Melissa. Nimiapa rentum quorundā in filias indulgentia reprehendenda.

Eccli. 7.

Duo sunt filiabus impendenda.

Cor. Iansc. in illu loc.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& severiori vultu, servato tamen moderamine, se illis exhibeat: tum ne ex significatione benevolentiæ fiduciam & audaciam peccandi arripiant, sed Patrem semper timeant; tum ne ex Patris erga se blanditijs discant viris affici, & erga eos liberiores & inverecundiores fieri.

Non ergo reprehendendus fuisset Dioscorus, si lætati & lexui, formositatiq; Filiæ suæ cum moderamine consuluisset & cavisset; sed ejus arguitur nimia hac in re austeritas & imperiosa severitas.

Nimia etiam in Filias austeritas vitanda. Lib. 4. de consid. capit. 6.

Quapropter S. Bernardus illud ipsum Ecclesiastici explicans: *Filiæ tibi sunt, noli facies tuam hilarem ad eas ostendere. Nec austeritatem tamen suadeo tibi sed gravitatem, illa infirmiores fugat, hac reprimat leviores; illa si aufert, odibilem; hac si desit, contemptibilem reddit: in omnibus tamen modus melior. Ergo nec severius velim, nec dissolutius. Quid hac mediocritate gratius, ut non de severitate fastidium, nec de familiaritate contemptus?*

Interim severitatem & austeritatem Dioscori Deus in filiæ suæ grande bonum, & in gloriæ suæ ordinavit incrementum. Illa enim in hac solitudine divina & cœlestia didicit contemplari, & ab humilium caducarumque rerum cogitatione sese abducere. Sponsumque ibi quæsivit, non mortalem & terrenum, sed immortalem & cœlestem, cujus oculis placeret in abdito, In illa namque turri Spiritus sancti gratia latentes ejus oculos latenter attingens, & verum Deum ei notum fecit admirabiliter, & luce divinæ cognitionis eam illustravit eminenter. Fabricam mundi sæpe intento ibi animo considerabat, ejusque pulchritudinem & magnitudinem, ac perpetuam constantiam, certum rerum ordinem, cœli, solis, stellarum splendorem, terræ ornatum & fœcunditatem, aquæ superfusæ limpiditatem, cæteraque elementa contemplans, tanti operis laudem fortunæ aut falsis idolis non esse tribuendam mox agnovit. Sed à Creaturis ad Creatorem, à factura ad Opificem ascendebat, & scalam sibi faciebat, qua pertingeret ad Illum qui summa potentia hæc operatus est, suaque regit sapientia, & conservat providentia. Quid nempe aliud est visibilis creatura, nisi scala quædam, per quam ad Dei ascendimus cognitionem? Quot creaturæ, tot sunt gradus hujus scalæ. Quid rursus hujus mundi moles aliud est, quam liber expansus & omnium oculis propositus, in quo Dei excellentiam, potentiam, sapientiam omnes legere possunt? Quot stellæ & sidera, quotque elementa, tot sunt grandes characteres ex hoc libro notitiam Dei indicantes. Quapropter in hoc libro legebat ipsa diligenter; & agnoscebat verum Deum, conspiciens idola patris sui, tamquam opera manuum hominum. Hinc sensim spiritus luce de sublimioribus mysterijs est illustrata, ut turrim longe altiorem sua hac turri sibi ædificaret supra fundamentum solidum fidei; quam nulla postmodum tempestas,

S. Barbaræ meditationes in Turri.

A Creaturis ad Creatorẽ ascendit.

aut persecutionis procella valeret elidere. Idolorum itaque nefarium detestata cultum, contemplabatur cœlestia serio mysteria, & differebat meditabaturque secum de immortalitate animæ, de cœlestibus præmijs, de supplicijs perversorum, de mysterio Trinitatis & Incarnationis; ideo de his cœlitus edocta, quia Deus facientibus quod in se est, numquam deest. Ibi igitur percepit & illam vocem. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuum, & obliviscere populum tuum, & domum Patris tui; & concupiscet Rex decorem tuum.*

Idola detestatur.

Deus animam alloquens, quandoque Filium vocat, quandoque Sororem; quandoque Sponsam & Amicam, denique & Columbam immaculatam. Filia est propter adoptionem, Soror ob incarnationem, Sponsa ob amorem & unionem, Columba ob vocem gementem & simplicitatem, Immaculata ob puritatem & sanguinis lotionẽ. Huic autem dicit: *AVDI ET VIDE.* Sed ubinam ejus vocem audire poterit? Secedat paululum à tumultu, à turbidis cogitationibus sese secernat, à sollicitudinibus & curis sæculi strepentibus se subducat, & convertatur ad cordis sui solitudinem, ibi audiet vocem ejus, & lac suave ex ipsius percipiet ore. Sic enim promisit per Prophetam: *Ducam eam in solitudinem, ibi loquar ad cor ejus.* Vox ipsius delicata est & lenis, non perstrepens, sed suavis: *Vocem quasi aurę lenu audivi. A me dictum est verbum absconditum & quasi furtive susceptit auris mea venas susurrę ejus*, dicebat Job. Non ergo admittit strepitum alienæ vocis vox talis: secreta est, non auditor in foro, non resonat in publico, non vult testes, solus loquitur ad cor suum in silentio. Ideo Sponsa in Canticis, ut Sponsum alloquatur, *Vox Dei* transit ad Montes, Colles, Hortos, Convalles, ad Montem myrrhæ, ad Collem thuris, ad Hortum conclusum ad Convallem liliorum. Quæ omnia significant, vocem Dei de salute & arcanis cœlestibus animam alloquentis non facile percipi, in mediis negotijs, in turbidis cogitationibus, in tumultuantibus ibi sollicitudinibus.

Anima rum plasmatrix, vitituli. In Cant. Canticorum.

Vox Dei vocantis. in mundi negotijs vix percipitur.

Hoc ipsum ostensum fuit in Elia post fugam à Jezabele, in caverna montis Oreb. Dictum est tunc ei: *Egredere, sta in Monte coram Domino.* Cur ita? 3. Reg. 19. Ut audias scilicet vocem ejus. Quid deinde? *Ecce Dominus transit, & spiritus grandis & fortis subvertens montes, & conterens petras ante Dominum; non in spiritu Dominus. & post spiritum commotio, non in commotione Dominus, & post commotionem ignis: non in igne Dominus, & post ignem sibilus aurę tenuis.* Quod cum audisset Elias, operuit vultum suum pallio, & egressus stetit in ostio speluncæ, & ecce vox ad eum dicens: *Quid hic agis, Elia?* Per ventum, terræ motum, ignem, designari possunt variæ passiones, & tumultuosæ crepitantesque cogitationes, quæ debent recedere ab animo, ut ei Dominus loquatur,

loquatur, quia loquitur levi quodam spiritu, quasi auræ tenuis, animæ tranquillæ, strepitum fugienti, & silentium adamanti.

Cur non tantum, Audi, sed & Vide dicatur,

Tali porro animæ non solum dicitur AVDI, sed VIDÆ, quia vox Dei conjunctam habet lucem candorem scilicet lucis æternæ, radios interius spargentem, quibus oculos tersos decet aperire. Licet etenim Elias vultum suum exteriorem operiat pallio, comparens coram Domino, præ reverentia scil. & humilitate; auferet tamen velum omne & pallium ab auribus & oculis cordis, ut agnoscat non solum sonum vocis, sed & radium lucis intus loquentis & promicantis. Sic & tu, filia, *audi & vide*, nec sis rebellis lumini, considera diligenter ea quæ audis, nec leviter pertransire sinas. *Inclina aurem*, in signum obedientiæ, ut humiliter voci & luci obtemperes, possisque dicere cum Propheta: *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abii.*

Isa 50.

S. Barbara solitudinis adamatæ occasionem in paterna illa turri nacta, audiebat & videbat quid in se loqueretur Dominus: oculos & aures fidei aperiebat, nec erat rebellis luci. Susurrum & sibilū auræ lenis percipiebat, & verbum absconditum suscipiebat, quasi furtivè, inscio Patre terreno, conscio Patre cœlesti, qui eam ibi lactabat suavi cœlestis doctrinæ lacte, & loquebatur ad cor ejus verba sapientiæ æternæ, instruens ipsam de *Verbo abbreviato super terram*, & mysteriis ejus allatis de cœlo. His inclinabat aurem suam, quia jam inaures acceperat aureas, instar Rebeccæ, à Sponso suo; ut nonnisi illius verbis & nunciis aures haberet apertas. Hoc admirum est primum monile Sponsæ, primum donum Sponsi, donum Fidei & obedientiæ.

Rom. 9.

PARS II.

Quomodo S. Barbara obtinuerit populum suum, & domum patris sui

INterim Dioscorus sollicitatus pro filia jam nubili, cujus de pulchritudine & opulentia rumor nonnullos allexerat ad eam in matrimonium expetendam, ejus explorabat voluntatem & consensum. At ipsa se mortali Sponso promissa nulla posse dare negat, utpote immortali Deo per castitatis votum jam pridem dicata. Insuper cum Patre disserit disertis verbis de Deo vero, de mysteriis Fidei Christianæ, de cultu relinquendo falsorum Deorum, & idolorum; quibus mirè addictus erat. Conatur eum ab hoc superstitioso cultu ad veram fidem traducere, & ad sæcularium voluptatum contemptum, cœlestia ei proponens promissa. Quibus quidem promissis ipsa tota in solitudine inhiabat, aspernans quæcumque fallax mundus proponit, & propinat, ad alliciendum & inescandum incautas mentes.

S. Barbara patrē suum ad fidem traducere conatur.

Quid sit populum & domū patris sui obliviſci.

Nempe audiverat & illud in interiori conclavi animæ suæ, à Sponso suo pronunciatum: *Obliviscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum.* Quid est, *obliviscere populum tuum, & domum patris tui*, nisi obliviscere mundum, & quæ in mundo sunt, mundanam conversationem, & vanitatem? Hæc est domus veteris Adæ patris nostri post peccatum, domus, inquam, lutea, compacta *ex concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, ac superbia vitæ.* tamquam ex suis parietibus & lignis; quam domum semper homo secum trahit velut Domiporta, seu Cochlea. Qui tamen adspirant ad *domum non manu factam, æternam in cœlo*, conantur veterem hanc domum destruere, & illius oblivisci: conantur amorem: pervertum hujus sæculi radicitus à se avellere, & totum affectum ad æternam illam domum, & populum transferre, ubi agit cœlestis Pater, animarum Sponsus. Quapropter toto animi gaudio illud consonant: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* An non oblita est S. Barbara populum suum, & domum patris sui, dum omnia adversata est idola falsosque Deos, quos populus suus, & domus patris sui colebat; dumque se transtulit ad cultum Dei veri? An non rursus oblita est populum suum & domum patris sui, dum mundum & omnia quæ in mundo sunt, contempsit, à conversatione omni sequestrata, & Deo soli vacans? Denique, an non oblita est populum suum, & domum patris sui, dum nec populum augere prolis in matrimonio susceptione, nec domui patris vult hæredem relinquere, sed opes, & honores, & voluptates *arbitratur ut stercora*, cœlesti Sponso solum placere contendens? In ejus ergo promissis conquiescebat, in ejus præceptis meditabatur die ac nocte. Sic certè factum est, ut meritò ipse concupisceret decorem ejus, Rex & Dominus ejus, amoris moneta amorem compensans & plenè exsolvens. Felix ergo oblivio, quæ decorem à Rege cœlesti concupiscendum parit, ejusque amorem sibi vendicat.

1. Ioan. 2.

2. Cor. 5.

Psal. 121.

Philipp. 3

Sed pater terrenus furenter in filiam exarsit, quando agnovit in ea alienam à sua fidem, nullisq; vel minis vel blanditiis flectere se posse ejus animum & voluntatem. Auxit quoque patris furorem, quòd illa eo inscio & absente tres fieri in lavacro novo fenestras jussisset, & labri pavimentum crucibus consignasset, ad gloriam Trinitatis, & confessionem fidei suæ in JESUM Christum crucifixū. Atque ipse quidem stricto ense eam aggredi parabat, patrem se esse oblitus, parricidæ animum induens. Sed divinâ protectione & directione impetum evadens, fugâ sibi salutem quæsivit, ad loca montana contendens, ut inter rupes sese absconderet à furore parricidali. Res planè admiratione digna: Grandis rupes mirabiliter se patefecit, ut fugienti viam aperiret, & suo complexu virginem tueretur à patre insequente, atque ad majorem victoriam, nobiliorem que triumphum reservaret. Nempe omnis creatura in favorem electorum Deo & Creatori suo defert obedientiam.

Dioscorus in filiam S. Barbarā sævit.

Miraculum in fuga S. Barbaræ & aliorum Sanctorum.

Sic aquæ maris rubri, rupesque inaccessæ, dant transitum in gratiam filiorum Israel.

Sic S. Felici Nolano Presbytero, in angusto duorum parietum intervallo contexuerunt araneæ re-

centem subitò latebram, ne ab insequentibus raperetur ad supplicium.

3. Sic & S. Athanasio, ne in manus impiorum incideret, navicula sese sponte in adversam fluminis partem convertit, & occurrit sine noxa suis persecutoribus.

Sic & Afra meretrix & pagana, Sanctum Narcissum Episcopum Christianorum Augustæ Vindelicorum sub lino custodivit, scrutantibus latebras omnes Tyrannorum satellitibus. Non absimilis Raab meretrici, exploratores Jericho etiam sub lino abscondenti.

4. *Surius 5. Aug. fol. 2.*

Denique, & de petra miraculosè sese aperiente ad protectionem, habemus exemplum luculentum ex Actis S. Mariæ Virg. & Martyris, de qua antiqua Martyrologia, & Vincent. in Spec. histor. lib. 11. cap. 86. Illa ancillabatur cuidam Tertullo, viro primario; Christo autem magis serviebat in jejuniis & pietate. Quod cùm Herus & Domina deprehendissent, Præsidi eam præsentarunt puniendam. Cumque ungulis eam lacerasset, miseratio populi tanta fuit, ut unanimi voce contra Judicem inclamantes, eam relaxari fecerit. Interim non defuerunt qui abeuntem & fugientem insequerentur. Illa ubi vidit se circumdatam à persequentibus, cum lachrymis oravit ad Dominum ne traderetur in manus impiorum. Mox verò petra ante oculos ejus jacens, patefacta, rimâ perfugii qua virgo susciperetur ostendit, & ad instar dulcissimæ nutricis, vel charæ matris, motu quodam anxiam amplexans se præbuit, moxque susceptâ virgine, latera ante aperta conclusit. Hoc cũ carnifices perviderent, omnia loca scrutati sunt, sicubi fortè erepta præda latitaret. Ibi adhærentes exuviarum reliquias, & affixa saxo vestium frusta deprehendunt, & incredibili stupore confusi. Præsidi gesta commemorant. Mittit ipse innumeram multitudinem, ut manum saxo injicerent; sed mox fragor & tonitru è cœlo exortum est, & terra concussa, ita ut omnes corruerent, & in æternam mortem multorum oculi clauderentur. Qui evaserant, fugientes ad profana sua templa & simulacra, ibidem ceciderunt; nam missus è cœlo ignis & populum exussit & templum; sic percussi, vel incensi fuere bis mille septingenti. Crediderunt autem tria millia, toto itinere resonantia: *Magnus Deus Mariæ: Magnus Deus Christianorum* Vide Surium 1. Novemb. *Vide Sur. 2. Novẽ.*

Dioscorus miraculo non fuit commotus.

Sed, ut ad S. Barbaram redeamus, Pater, petrâ durior & obcæcatior, nec hoc fuit miraculo commotus. Sed cùm illa per saxum & rupem patefactam in sublime consendisset, & in quadam speculo sese occultasset, à quodam pastore ovium demonstratus est Patri quaquaversùm in vestiganti locus in quo illa lateret. Statim verò sceleris tulit supplicium, si credimus Simeoni Metaphrastes: *Cum enim* (inquit ipse) *ejus oves execratæ essent Marti, mutata fuerunt in scarabæos, qui ad perpetuam sceleris accusationem S. Barbaræ sepulchrum perpetuò circum volant.* Quidquid sit ea de re, volebat Deus illustriorem victoriam ad palmam pertingere S. Barbaram; quapropter eam tandem Pater investigans reperit, ac illicò crinibus raptatam, latera pedibus, dorsum pugnis contudit, & per viam asperrimam summa violentiâ pertraxit, ut Præsidi Martiano eam traderet cruciandam. O viscera inhumanitate plena viscera non paterna, sed feralia, inauditâ crudelitate in filiam fœvientia!

Sim. Metaphrast. in vita ejus c. 5. apud Sur.

Certè agnoscimus hic, quàm verè pronuntiaverit Dominus in Evangelio, suos confirmans adversus quæcunque super ventura eis mala: *Non veni pacem mittere, sed gladium*: Quænam est hæc loquendi formula, ô Domine JESU! Nunquid tu *Princeps pacis* antonomasticè, nominaris? Numquid pacẽ nuntias in ingressu tuo in hunc mundũ, in progressu, in egressu? Numquid post resurrectionem tuam rursus eam imprecatus es, jubesque ubique nuntiari ab Apostolis tuis, ac eorum discipulis? Cur igitur nunc dicis: *Non veni pacem mittere sed gladium*: Nempe gladium se misisse asserit Dominus, quoniam ex confessione fidei divisio & dissidium ortum est inter fideles & infideles, quàlibet cognatione aut affinitate antea conjunctos. Hoc enim est quod sequitur: *Veni enim separare hominem adversus Patrem suum, & filiam adversus Matrem suam, & nurum adversus socrum suam: & inimici hominis domestici ejus.* Ecce quomodo, fides tanquam gladius, dimensionem & separationem inducit inter Barbaram filiam, & Dioscorum Patrem. Ille sævit, illa patitur. Ille perit, illa à Domino suscipitur. Ille gladium incentat & persecutionem, illa adspirat ad æternam pacem. Sic toto separantur cœlo, qui separantur fide & animo: ac rursus verum esse comperitur illud: *Tunc erunt duo in domo, unus assumetur, alter relinquetur*, quia ex eadem domo & familia æternam assequetur salutem, Pater in æternam incidet damnationem. O divisionem, ô separationem amaram! O verè gladium acerbè dividentem & dissecantem! Matt. 10

Atque hoc maximè durum: *Inimici hominis domestici ejus.* Quod quidem ante Christum Michæas Propheta dixerat; quia frequenter in eadem domo, *Inimicos de meo & tuo*, contentiosè agitur, & dissidia exinde oriuntur inter fratres, consanguineos, affines, imo inter proles & parentes. Sed rursus illud in lege Evangelica repetiit Christus, prævidens quod domesticis Fide Christiana abhorrentes, inimici futuri erant illis qui fidem amplexarentur, illosque tradituri persecutoribus, licet propinquissimo cognationis gradu essent conjuncti. Matt. 24 *Michæ 7. inimicos hominis esse domesticos ejus, explicatur, impletur.*

Sic S. Thecla propriæ matris consilio accusata est, & tradita Judici, ut viva exureretur; eò quod ob castitatis & fidei amorem nollet matrimonio consentire, per matrem jam initiato & promisso. 1. *Surius 27. Sept.*

Sic S. Lucia, vidua Romana, à proprio filio Eutropio fuit apud Præfectum accusata ob Christianam Religionem, ut ab eo plecteretur. 8. *Surius. 19. Sept.*

Sic

4. Surius 24. Iulii.

Sic S. Christiana virgo jubente & præsente patre ungulis ferreis excarnificata fuit, & toto corpore dilacerata, quia ejus despuebat idola. Quare laceræ carnis suæ frustum patri projicieus, dicebat: *Satiare miser carnibus quas genuisti. Etiam comedere potes, sed ut impietati tuæ consentiat; facere non potes.*

4.

Denique, supra omnes S. Barbara gladium experta est feralem, inter se & Patrem dividentem, ne malâ pace ejus impietati consentiens, æterno sese obnoxiam reddere gladio & supplicio. Vis videre crudelitatem? primò quidem jam disseruimus, quomodo eam furibundè per aspera loca persecutus fuerit, & contuderit. Deinde eam tradidit Præfecto variis torquendam suppliciis. Nam & nudis boum nervis toto corpore cæditur, fluentibus sanguineis rivulis, fragmentisque testaceis ad renovandum dolorem, ejus vulnera perfricantur. Postmodum faces ardentes ad latera ejus admoventur. Sed *lampades ejus, lampades ignis, atque flammarum, intus fortiorem ignem accendebant, quàm foret ille qui exterius urebat: omnia hæc instrumenta crudelis supplicii, transibant in honorem triumphi: dum augebatur pœna, augebatur & palma.*

Cant. 8, S. Leo.

Mammillæ S. Barbaræ avulsæ.

Ulteriùs, mammillæ ei avelluntur in humanissimè & crudelissimè. Quid verò poterat illa dicere hoc in tormento, nisi illud quod in simili dicebat S. Agatha: *Impie & crudelis Tyranne, non te pudet in fœmina amputare, quod tu in matre suxisti? Ego tamen intus in anima mea habeo integras mammillas, quas ab infantia Domino consecravi.* Duas pretiosas mammillas S. Barbara Domino ab infantia consecrarat, intellectum & voluntatem, quas Christus Sponsus lacte pretioso adimpleverat è cœlesti thalamo. Intellectus ejus plenus erat lacte Fidei: Voluntas lacte devotionis & amoris. Nil ergo proficit Tyrannus aut Dæmon per eum, dum mammillas avellit: sed majorem ei conciliat gloriam. Nam inde factum est, ut cæteræ mulieres ad eam in dolore mammillarum recurrant, & sanitatem obtineant. Atque etiam specialis gloria ex illis uberibus totâ resultabit æternitate, quia teste S. Augustino. Martyres in membris in quibus specialiter passi sunt, splendorem glorioſum consequentur.

Cant. 8.

Interim de illa dicere possumus illud: *Soror nostra parvula, ubera non habet.* Licet enim hoc de Ecclesia dictum sit pro tempore adolescentiæ suæ, quando lac doctrinæ liberè alumnis suis non poterat ministrare tempore persecutionis: Tamen aptè accommodari potest huic virgini, ut sit vox Angelorum, quasi ei congratulantium, quod jussa sit in mammillis torqueri. Vocant eam sororem, quia Angelis cognata est virginitas, quæ de cœlo venit, & angelicam imitatur vitam. Castitas Angelorum, si felicior est, certè Virginum est fortior, quia in carne de carne triumphant. Et quidem hujus Virginis eò commendabilior est, quod cum summa pulchritudine eam illibatam conservarit, quæ multis causa solet esse ruinæ, quodque sollicitata ad matrimonium, omnes preces repudiarit. Vocant etiam eam *Parvulam*, propter humilitatem & puritatem, seu innocentiam. *Ubera non habet*, quia Tyrannus avelli jussit: sed hoc propter Christum passa est lubens, ideoque ei merito Angeli & homines congratulantur, & restituentur ei, collætantibus Angelis & electis omnibus, admodum glorioſa.

S. Barbara paternis manibus truncatur capite.

Postremò, hic cumulus fuit omnis crudelitatis & impietatis, quod cùm capitis damnata foret, Pater eam suscipit propriâ manu exequendam. O feritatem inauditam! O spectaculum horrendum, & omnibus sæculis detestandum! Lava manus pollutas ô impie Pater, in cruore innocentis filiæ tuæ, quasi in liquore roseo. Tinge & immerge cor tuum adamantinum in sanguine ejus fervido, si fortè possit mollescere. Bibe de rivulis fluentibus ex toto ejus corpore, si fortè possit sanguinea sitis tua sedari. Sed bibes, & in æternum bibes hunc cruorem, & refluet in caput tuum: ipsa enim totâ tibi æternitate, in pœnam & vindictam, quasi pocusum de cruore suo propinabit, ut sitim tuam sanguineam & altercationem igneam adaugeat in tormentis; dum te, augente & torquente supra modum conscientiâ, agnoscere faciet scelus tuum horribile; quando & guttulam aquæ loco cruoris jugiter cogeris deposcere, quam sine fructu poposcisti ab ea, jam à mille trecentis & amplius annis. O infelicem, & æternùm infelicem, & maledictum parentem, non parentem, sed peremptorem!

Porro potens est patrocinium S. Barbaræ erga illos, qui ei devoti sunt. Hoc multi experti sunt; & nostro sæculo specialiter B. Stanislaus Kostka, cui hoc Elogium Proceres Poloniæ adscripserunt: *juveni castissimo, nobili humillimo, divite pauperrimo, humanarum rerum contemptori. Suique ipsius victori acerrimo qui à puero* JESU *cum ejus Matre, ager meruit visitari. & à duobus Angelis præsente S. Barbara pane cœlesti refici.*

IN FESTO S. NICOLAI

LECT. 5. bipartita.

Beatus vir qui inventus est sine macula, & post aurum non abiit, nec speravit in pecunia & Thesauro, &c. Eccli. 31.

PARS I. *Quis sine macula, post aurum non abiens, nec sperans in illo.* Luc. 17.

HOmo quandam beatitudinis sortem in hac vita nanciſci potest, ob quam dicitur beatus, & regni Dei particeps, illius scilicet regni de quo dixit Dominus: *Regnum Dei intra vos est.* Hæc beatitudo, & Regni Dei participatio, aquam etiam pertingitur in hac miseriarũ convalle, consistit in interioribus animi bonis, in gaudio, serenitate, pace conscientia, ac aliis charismatibus Spiritus Sancti: quia illa quamdam speciem & inchoationem Paradisi constituunt, & suavitatem omnibus actionibus pii hominis inspergunt. Nam sicut verè dici potest, quod peccator

duplicem sortiatur infernum, unum in hac vita, ob inquietudinem & torturam conscientiæ; alterum in futuro, in gehenna: ita verum est de justo, quod duplicem sortiatur Paradisum. Non immerito igitur dicit Dominus apud Prophetam: *Dicite justo, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet.* Non solum ei in futuro bene erit, sed etiam in mediis hic ærumnis ei bene est, dum fructu boni operis reficitur in mente, & gaudio fruitur bonæ conscientiæ. Etenim, teste Origine in Cantica: *De natura boni operis est, quod ad ipsius multiplicationem multiplicetur & delectatio; & quasi quoddam condimentum est cibi, hilaritas bene operantis.* E contra ibidem apud Prophetam subjungit Dominus: *Væ impio in malum quia retributio manuum ejus fiet ei.* An solùm in futuro? Imò & in præsenti ei væ & væ; quia numquam ei bene, si cõscientiam velit consulere, cujus semper torturam persentiscit, & illam circumfert sauciam, velut serpentis continuo morsu ictam.

Isa. 3.

Ibid.

Propter hæc igitur asserit Ecclesiasticus illum beatum, *qui inventus est sine macula*, qui mortiferi peccati ictum & maculam nunquam animo suo inflixit. Illud enim peccatum vulnus & maculam inducit perfectam. Qui ab illo immunis est, beatitudinem habet inchoatam, postmodum consummandam in domo Domini, in regno Dei: *Quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam.* Utique, *nihil coinquinatum intrabit* in illam domum Domini, *aut abominationem faciens & mendacium.* Felix igitur & beatus, qui candorem vestis baptismalis mortiferi peccati nævo & sanguine numquam cruentavit: vel saltem, si contigit quandoque commaculasse, eluit in sanguine Agni. Quare felix? Quia ambulabit cum Agno in albis. Si autem macula adhæsit, & permãsit, scire debet illud: *Vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem & cibus ignis.* Felix, qui ab infantia didicit Deum timere, illi in puritate servire, fidelitatem & promissionem, qua renunciavit Satanæ, & operibus ejus, intemeratam conservare.

Psal. 14.

Apoc. 21.

Isa. 9.

Ulterius addit Sapiens: *Beatus qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia thesauris.* Nimirum hæc est passim origo & radix peccati & maculæ, terrenorum bonorum affectus, pecuniæ & auri concupiscentia, spes in eis defixa. Ex auro superbia, propter aurum injustitia, lites, jurgia, homicidia, judicia corruptissima. *Multi dati sunt in auri casus.* Etenim usque ad cor Regum se extendit. Cum aurum una porta Romam ingrederetur, Virtus altera egrediebatur, inquit quidam ex antiquis. Notum & decantatum est illud:

Eccli. 31.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

Amor auri quæ generet mala.

Qui pecuniam adamat, animam suam facilè oppignorat peccato & diabolo, æternamque hæreditatem, imò & Deum vendit. Peculatus, simoniæ, furta, sacrilegia, & innumera alia peccata ex eo oriri, quod post aurum nonnulli abeant, non opus est probare. Beatus ergo, qui post aurum non abiit, non speravit in pecunia & thesauris. Quid ita? Quia primus gradus in scala, qua ad beatitudinem conscenditur, est rerum humanarum contemptus, & paupertas spiritus, à caducis ad cœlestia animum erigens. Neque tamen propterea à beatitudine excluditur, qui aurum possidet & pecuniam, si post aurum & pecuniam non abeat, nec sinat cor ab illis, & post illa abduci, sed aurum post ipsum veniat, & retrò sequatur. Quia qui loculis oculos non figit, nec cor auro, sed illis novit uti tamquam famulo subserviente & se sequente, & huc illuc mittere in egenorum subsidium, sapiens reputatur. Quid Lydius lapis auro, hoc aurum homini, dicebat rectè quidam. Quianimirum lapis Lydius, quale sit aurum, demonstrat; at aurum declarat, qualis sit homo, qui possidet. Si enim bene utitur, ut bonus dispensator, mercedem à Deo consequitur; si avarè retinet, aut ejus amore captivatur, improbi animi est. Videndum ergo, ne ad offensam Dei cor abducat amor nummi.

Nummi sunt summi, nummi sunt numina mundi:
Pro summo semper numine nummus erit.

Itaque beatus ille, *qui post aurum non abiit*, qui auri non est cupiditate ductus, ideoque nec corde est seductus; nec terrena labe maculatus. Sed quis est hic? De muliere dixerat Sapiens: *Mulierem fortem quis inveniet?* hoc est, mulierem virtutum omnium perfectione constantem. Adjecit & hoc: *Procul & de ultimis finibus precium ejus*; Hoc est, quolibet precio est comparanda quia precium ejus superat precium omnium rerum pretiosissimarum, quæ ex finibus terræ ultimis advehuntur. Sic nunc de viro ait: *Beatus dives, qui inventus est sine macula, & post aurum non abiit, nec speravit in pecunia & thesauris.*

Prov. 31.

Sed subjicit: *Quis est hic, & laudabimus eum?* Quasi dicat: Dignus est laude, quisquis talis est, meritoque pronunciatur, & à nobis prædicatur felix & beatus. Quia, ut ait S. Bernardus ep. 103. *Beatus, qui post illa non abiit, qua possessa onerant, amissa cruciant.* Adverte verò, illum loquendi modum: *Post aurum ire aut opes.* Idem enim ferè est, ac si diceretur illud exprobratum Judæis in Scriptura, quod relicto vero Deo irent post Deos alienos quia colebant idola, & illis corde adhærebant. Sic ille abit post aurum, qui illud colit ut idolum, sive qui cor & affectum suum abduci permittit post illud. Si aurum iustè ad te venit, tu post illud non abis: sed si aurum injustè quæris tu post illud abis. Si propter opes conquirendas Dei mandata Ecclesiæque præcepta transgrederis, & salutem negligis, tu post illa abis, & instar idoli colis, præponendo illas Deo, & toto affectu sectando: si verò illas licita via acquiris, & bene uteris, egenisque communicas, tunc aurum & opes post te veniunt, non tu post illas abire censeris. Tunc ergo beatus es, quia

Quid sit ire post aurum.

es, quia nec speras in pecunia & thesauris. Nam qui opibus abundans eis cor non apponit, sed in Deum illud conjicit, non censetur in eis sperare. Ille verò in eis sperat, qui Dei oblitus, cor & fiduciam his affigit. Quia sperat per aurum omnia hujus vitæ incommoda superare, & omnia commoda adipisci, vitæ vires, amplam familiam, splendidam mensam, amicitiam Principum, victoriam de inimicis. Ille quoque in eis sperat, qui ob eas superbit, extollitur, se jactat & ostentat: *Vermis enim divitiarum superbia est*, ait Augustinus serm. 5. de verbis Domini.

Mirabilia non abeuntis post aurū.

Sed quis est, qui non speret in opibus possessis; Quis ex illis non superbit, aut non contrahit aliquam maculam animo erga eas affectu? Certè tales pauci sunt & rari, sed eximij & admirabiles. Ideo subditur: *Fecit mirabilia in vita sua.* Quæ mirabilia?

1. Primò, nonne hoc mirabile est, & instar cujusdam miraculi, quod quis divitias inordinatè non amet, sed in ijs quærendis, conservandis, augendis, immaculatus sit, & conscientiam conservet illibatam? An non divitiæ ex se illectamenta sunt superbiæ & ambitionis, gulæ ac luxuriæ, impatientiæ & iracundiæ aliorumque vitiorum? *Magnus est, qui in adversa incidens, non excidit vel parum à sapientia: nec minor, cui præsens felicitas si arrisit, non irrisit. Quanquam facilius inveneris, qui sapientiam retinuerunt contraria sibi fortuna, quam qui prospera non perdiderunt*, inquit S Bernardus l. 2. de consid. cap. 12.

2. Secundò, nonne & hoc extraordinarium & mirabile est quod aurum, dum vilipenditur & contemnitur, hominem sequatur, quærentem verò fugiat, & quasi alas sibi faciat, ut avolet? Sic se habent opes erga multos, avolant dum quæruntur, aut amantur, adventant, dum distribuuntur, & in egenos erogantur. Hoc varijs posset exemplis demonstrari.

3. Tertiò, nonne & hoc mirabile est, quod præter communem hominum sensum & amorem mundi, seu mundanorum hominum, homo in Deo vivo & vero ita spem figat, ut in divitijs nullatenus illam collocandam existimet? Tales divitias habuit Jōb incontaminatas & immaculatas, ita ut post aurum non ambulaverit, nec speraverit in pecunia, sed in mandato Altissimi, semitians & latè spargens opes sibi à Domino datas, per animas miserorum, per ora esurientium vel debilium, per de-

Oseæ 10. stitutos & miseros, adimplens illud: *Seminate vobis ad justitiam, ut metatis fructum vitæ.* Ita ipsum fecisse constat ex ejus cap. 31. Hæc igitur admirabilia sunt, maximè tempore veteris Testamenti, quando benedictio temporis divitiarum maximè fiebat, & paupertatis via adhuc manebat ignota. Verè enim tunc maximè poterat dici: *Beatus dives qui inventus est sine macula, & post aurum non abijt, nec speravit in pecunia thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum?* Quia id tunc rarissimum fuit, & admirabile. Nam & vox antiquorum Sapientum fuit: *Beatus, qui simul & opes & mentem possidet.* *Pindarū.*

IN novo Testamento, præostensa per Christum paupertatis & contemptus sæculi via, plures reperiri potuerunt, qui divitias parvi fecerunt, vel inter illas ita ambulaverunt, ut immaculati remanerent, nec illis cor apponerent nec fiduciam. Sed secundum Dei voluntatem illis utentes, ubi opus erat, erogarunt sine ulla difficultate, & sine diffidentia de futuro. Et hi certè laude digni sunt, & memoria æterna. Extollant Historici, prout voluerint, Alexandri laudes, in cœlum eum tollentes suis encomijs, quia sibi terram omnem subjecit. Quid ei laudes prosunt, quem locus & loculus septem pedum in terra obtexit? Cujus animam tartarus excepit? cui totus vix orbis antea sufficere potuit? Nos magis laude dignum judicamus eum, qui potuit totum mundum cum omnibus suis illectamentis & opibus contemnere, & in cælestibus opibus animum figere. Hic enim concupiscentiam calcat & vincit; ille à concupiscentia victus & victus in opprobrium ducitur sempiternum.

PARS IV. *De laude S. Nicol. post aurū non abeuntis.*

Inter hos celebris est S. Nicolaus, *cujus eleemosynas enarrat omnis Ecclesia Sanctorum*, & in finem usque sæculi enarrabit: quia in memoria æterna erit, & in sæculum sæculi benedicetur. Appositissimè ei conveniunt verba thematis nostri: *Beatus qui inventus est sine macula, & post aurum non abijt, nec speravit in pecunia & thesauris.* Attende particularius.

S. Nic. in, ventus sine macula.

Primò quidem, *inventus est sine macula* jam à pueritia & adolescentia, nec ejus vita ullo fuit unquam nævo criminis mortiferi maculata, sed mira effulsit claritate, sine fumo aut caligine. Signa electionis præfulserunt in ipso jam ab infantia, dum matris sugeret ubera Bis in hebdomada, feria scilicet quarta & sexta, nonnisi semel cogi poterat sugere, idque vespertino tempore, quam consuetudinem jejunii tota observavit postmodum vita. Pro puero isto oraverant parentes prole carētes, & dedit eum ipsis Dominus, vel potius commodavit; ideoque tamquam sacrum depositum conservarunt, ut Domino eum redderent, & ejus eum obsequio addicerent. Proles à Deo parentibus donatæ, preciosæ esse solent & beatæ, ut multis declarari posset exemplis. Notum est de Samuele & Isaac, de Sampsone, & alijs in veteri Testamento, de Joanne & multis in novo. 1.

Secundò, *inventus est sine macula* in juventute & virili ætate, dum ad Presbyterij ordinem ab Avunculo permotus fuit ob vitam immaculatam & castam, ob maturitatem & sapientiam. Non enim promovit eū respiciens ad carnem & sanguinem, sed ad divinam inspirationem per diligens vitæ ipsius examen. Sic olim præceptum erat: *Homo de semine Aaron qui habuerit maculam, non accedet ad ministerium si cæcus fuerit, si claudus, si parvo, vel grandi, vel torto naso, si fracto pede vel manu, si gibbosus* *Levit. 21.* 2.

bosus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si impetiginem in corpore, vel herniosus. Hæc quidem ad maculas corporales referuntur, sed sub illis animi maculæ indicantur, quæ ad ministerium sacerdotale hominem reddunt inidoneum, de quibus alibi fusius à nobis dictum est. Favor etiam maculosos quandoque promovet, sed in perniciem, tam eorum qui promovent, quam illorum qui promoventur. Ancilla ostiaria dicitur Petrum introduxisse in atrium summi Sacerdotis. Sic favor ancilla est ostiaria, multos introducens ad sacerdotium, & Sacerdotum collegium, sed plerunque infeliciter.

Vide Virgam Aaron. tr. 2. lec. 1.

Tertiò, *inventus est sine macula* in ætate grandæva, quando divina voce & cœlesti signo in Episcopum est designatus. Non enim sibi sumpsit honorem, sed à Deo vocatus est tamquam Aaron. Nota est historia, cum in Breviario Romano, tum ex vitæ ejus Scriptoribus. Habet Deus duplicem vocationem, unam ordinariam, alteram extraordinariam. Hæc solet fieri signis miraculosis, vel miraculo proximis. Sic nonnulli per radium aut flammam cœlestem ad Pontificiam seu Episcopalem dignitatem designati sunt, sicut Gregorius, Remigius & alii. Aliqui per columbam, ut Chrysostomus, Fabianus Pontifex, Pius Quartus, & alii. Denique, per vocem nonnulli cœlestem aut Angelicam adsumpti sunt; sic cœlitus designatus est S. Nicolaus, dato indicio Episcopis consultantibus quem eligerent V. Breviarium.

Bifariam Deus vocat.

4. Denique, *inventus est sine macula*, tota ut diximus, vita innocentissimè traducta; non enim solum in privato statu Deo & pietati se ex integro addixit orationi vocando, vigiliis & jejuniis corpus macerando, in sacco & cinere decumbendo, sed etiam, cum in Presbyterio, tum in Episcopatu, *exemplum fuit fidelium in verbo & conversatione, in castitate & charitate.* Fuit ejus vita speculum sine macula, quod meritò omnes inspicere debebant, & imitari. Verè ergo de ipso dicimus: *Beatus vir, qui inventus est sine macula.*

1. Tim. 4.

Sed ulteriùs, quam verè, quamque meritò, de eo pronunciamus: *Post aurum non abiit, nec speravit in pecunia & thesauris.* Utique, nec post carnem, nec post Satanam, nec post mundum, nec post aurum, ut solent mundi homines abiit unquam. Etenim notum est, quomodo postquam orbatus fuit parentibus, (qui trium dierum spacio pestilentia sublati fuere) licet in amplum succederet patrimonium, neutiquam hac de re gavisus fuerit, ut multi solent. Nec insolescere, aut extolli, vel seduci ob id animum permisit; sed in pauperes opes sibi superfluas mox erogare resolvit, ut Christo in pauperibus ministraret de suis facultatibus. Decantatissimum est, qualiter occulte dotem tribus virginibus de castitate periclitantibus providerit.

S. Nicolaus largus in pauperes.

Sciebat illud Apostoli: *Præcipe divitibus non sublime sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed sperare in Deo vivo, & thesaurizare sibi fundamentum bonum.* Dispersit igitur & dedit pauperibus, ideo o justitia ejus manet in sæculum sæculi. Putavit latenter distribuere; voluit autem Deus eum agnosci, tum ab eo qui beneficium recipiebat (ut fusius declarat Ribadeneira in vita ejus) tum ab omnibus futuris sæculis. Nempe honos sequitur fugientem, sicut umbra corpus; insequentem autem fugitat.

1. Tim. 6.

Propterea igitur dicitur hic, *Laudabimus eum,* tamquam virum misericordiæ, cujus pietates non defuerunt, cujus laudem & eleemosynas annunciat Ecclesia, cujus proponit se quenda vestigia & exempla. Nec uno solum titulo laudabimus eum, sed innumeris titulis eum laude dignum pronunciabimus: *Fecit enim mirabilia in vita sua,* immò & in morte & post mortem.

S. Nic. fecit mirabilia in vita.

1. In vita quidem mirabilia fecit jam ab ineunte ætate, quia & puritia signis admirabilibus effulsit, ac deinde ejus vita miraculis plena fuit. *Fecit mirabilia,* potestatem habens super mare, ut fluctus compesceret, super aërem, ut ventis & tempestatibus imperaret. Ideo à navigantibus in Patronum præcipuum est adscitus, potentior Neptuno, potentior & Æolo, aliisque Diis, quos dixit antiquitas præesse mari vel ventis, remisque adesse & velis, dum navigatio felix ineunda foret. 1.

2. *Fecit mirabilia in vita sua,* potestatem exercens super Reges, & super captivos ac incarceratos, eos liberans è compedibus. Sic adhuc vivens apparuit in visu Constantino, & tres Tribunos per calumniam accusatos justit dimitti. Sic apparuit & Soldano, cum terrens, & minas intentans, nisi captivos dimitteret liberos. 2.

3. *Fecit mirabilia in vita sua,* pro fide Catholica fortissimè staus in Concilio Nicæno, in quo trecenti & octodecim Patres comparuerunt, tamquam validi pugiles, ad dimicandum contra hæresim Arianam, tot scil. numero, quot Abraham expedivit vernaculos contra Reges, qui fratris sui substantiam diripuerant. In hoc ergo Concilio inter primos recensitus est S. Nicolaus, qui & pro fide antea carceres erat passus & vincula. 3. Gen. 14.

4. *Fecit mirabilia in vita sua,* animas juvando, peccatores convertendo, verbi divini prædicatione fidem propagando, injustis & impiis generosè resistendo. Sic in eo patuit, per vitam & zelum admirabilem, ac per innumera miracula, quam verum sit, quod Rex & Propheta pronunciat: *Mirabilis Deus in Sanctis suis, benedictus Deus.* 4. Psal. 67.

In morte.

Neque verò solùm in vita, sed etiam in morte. & post mortem admirabilis fuit. In morte quidem, quia non sine magna adstantium admiratione Angeli divinas decantantes laudes ei occurrerunt, ut ejus animam susciperent, & in sinum Dei deducerent corona gloriæ & lætitia sempiterna decorandam. Cumque ipse hos adventantes ad se intueretur, cum quodam cordis jubilo cœpit decantare Psalmum: *In te Domine speravi, non confundar in æternum,* illo autem Psalmo consumma- Psal. 30.

to, dum extrema verba pronunciaret: *In manus tuas commendo spiritum meum*, in cœlestem patriam migravit. Hic possumus cum S. Bernardo dicere *Vbi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus? Iam non est stimulus, sed jubilus; jam cantando moritur homo, & moriendo cantat.* Quare moriendo cantat? Quia jam *adspirat dies, & inclinantur umbra.* Ipsi enim fiducialiter dicunt Domino: *Tu refugium nostrum, tu protectio, tu certa salus & vita.* Nihil enim aliud quærunt quam Jesum, in inclinatione umbræ hujus miseræ vitæ, illiq; cum Prophæta valent dicere: *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Non ergo timent umbram, jam eis adspirante die, dum per umbram transeunt; ideoq; quodammodo morti insultare centuntur, & in luce appropinquante exultare.

Bern. ser. 20. in Cant.

Psal. 22.

Post mortem.

Post mortem porro S. Nicolaus admirabilis fuit per innumera miracula. Sed & hoc continuum fuit miraculum, quod unguenti odoriferi copia ex ejus sepulchro annis plurimis exundare visa sit, per quã ægris concurrentibus sanitas reddebatur. Ideo de eo canitur:

Missale Leodiense in Prosa.

Ex ipsius tumba manat unctionis copia,
Quæ infirmos omnes sanat per ejus suffragia.

Symbolum quoq; erat hæc copia olei abundantis & admirabilis unctionis, quã ejus anima cœlitus erat perfusa, dum in hac vita ageret. Unctio enim docebat eum de omnibus, quia præ consortibus suis unxerat eum Dominus oleo gratiæ & sapientiæ spiritualis.

Conclusio.

O Sanctissime Pontifex Nicolae, doce nos sæculum contemnere, nec post aurum, nec post carnem, nec post Satanam abire; sed odisse carnalem & maculatam tunicam, & quidquid animam dedecorare valet. Trahe nos post te, ut à te nobis relicta pietatis puritatisque sequamur vestigia & exempla. Trahe & libera nos à fructibus procellosis in naufragium perducentibus, & fac, ut ad portum securi appellere possimus, ubi triumphantium nautarum celeusma tecum decantare valeamus, & in sæcula sæculorum Dominum collaudare.

IN FESTO CONCEPT. B. M. V.

Lect. 4. tripartita.

Fundatur exultatione universa terra Civitas Regis Magni, Psal. 47.

PARS I. De B. M. Virg. Civitate Regis Magni.

Civitas Jerusalem in sacris Literis, *Civitas Dei, & Civitas Regis Magni*, solet nominari, quia ab ipso Deo electa fuit tamquam Regalis & Sacerdotalis Civitas, in qua habitationem voluit figere, & Templum suum habere, varijsque illam privilegijs adornavit. Unde Judæi confidentes & gloriantes in hoc Templo & habitatione Dei, solebant dicere: *Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini*, Quasi dicerent: Non sunt nos Deus vastari ab hostibus, quia Templum & habitatio ejus specialis apud nos est. Quibus respondet Dominus: *Si bene direxeritis vias vestras & studia vestra, habitabo vobiscum in loco isto.* Quasi dicat: Nolo vos nimium confidere in hoc, quod Civitas vestra Civitas Dei sit, & Templum ejus habitatio Dei, & cæremonijs externis ibi colatur Deus; sed simul videte ut Deo dignos vos exhibeatis parã vitã & scelerum expiatione, & tunc Civitatem meam agnoscam, & Templum meum protegam, vosque ipsos. Ultra Civitatem *Jerusalem*, quæ Regia & Sacerdotalis erat, tria significari solent in sensu mystico per Civitatem Dei, sive Civitatem Regis Magni.

Primo significari solet Ecclesia Dei, quæ ex variis nationibus, linguis, populis, in unum collecta, velut civitatem constituit, in qua unio & conformitas est morum & animorum, consensus ejusdem fidei & spei, colligatio charitatis & amoris. Sic initio eorum qui ad fidem convertebantur, erat cor unum & anima una, diversarum licet forent nationum & conditionum. Dei ergo Civitas est Ecclesia, & Civitas Regis Magni, quia ibi Deus regnat per gratiam & dona spiritualia & ibi specialiter dominatur tamquam super populo à se electo. Hæc est illa *Jerusalem, quæ ædificatur ut Civitas, cujus participatio in idipsum.* Quia sicut qui ejusdem sunt civitatis, habent communicationem in ijsdem privilegijs, silvis, pascuis, fluminibus, foro, plateis, propter colligationem quandam in eadem societate politica: Ita Ecclesia, Civitas Dei, omnes suos cives fecit participes spiritualium bonorum, quæ Christus Rex Magnus in ea posuit. Communicant enim in sanguine redemptionis, in donis gratiæ, in Sacramentis fidei, in verbo Dei, in promissis Evangelij, in pascuis doctrinæ, in fluminibus vitæ in fontibus Salvatoris. Omnia hæc bona eis sunt communia, tamquam Civitatis Dei privilegia.

1. *Civitas Regis Magni est Ecclesia militans.*

Psal. 121.

Secundo, per Civitatem Dei & Regis Magni, designari solet Ecclesia triumphans in cœlis, ex Angelis sanctis & animabus beatis ordinatissima. Est enim coadunata ex varijs ordinibus & choris tam hominum quam angelorum. Habet Senatores suos Apostolos, Habet & Milites ac Duces Martyres trophæa referentes. Habet Confessores, habet & Conjuges & Virgines. Nosque qui jam adhuc peregrinamur in terris sumus illius conscripti cives; *Non enim habemus hic civitatem permanentem, sed futuram inquirimus.* Ad illam Civitatem adspiramus, ubi nulla dissensio, nulla turbatio, nullus hostis. Unde etiam *Jerusalem* specialiter nominatur, quia ibi plena est *Visio pacis.*

2. *Ecclesia triumphans.*

Tertio, Beatissima Virgo *Civitas Dei* dicitur; *Civitas & Civitas Regis Magni*, quia Deus volens ordiri negotium salutis nostræ, & inter nos conversari, in Virgine sedem sibi elegit & habitationem. In illa etenim novem mensibus habitavit, & per dona

3. B. M. V. *Civitas Regis Magni & quasi ob causam.*

dona gratiæ & gloriæ in æternum habitabit. Multiplici ergo ratione Deipara gerit titulum *Civitas Regis Magni.*

Prima ratio est, quia eam sibi specialiter ædificavit, specialiterque suam fecit. Potentates hujus sæculi, dum aliquam specialiter Urbem vel Arcem ædificant, nomen suum illi tribuunt. Arma & insignia sua, effigiemque imprimūt in ea. Sic ab Alexandro Alexandria nomen sumpsit, à Romulo Roma, ab Antiocho Antiochia, à Constantino Constantinopolis, à Philippo Philippolis, à Carolo Carolopolis. Non absimiliter Deus, postquam Virginem sibi exædificavit tamquam Civitatem Regis Magni, seipsum in ea insculpsit, suamque cum insignis effigiem ei impressit, in ea sese incarnans, naturamque humanam ex ea assumens, ut qui secundum divinam naturam erat *Splendor & Imago*
Heb.1. *Patris, Figuraque Substantiæ ejus,* secundum naturam humanam fieret *Splendor & imago Matris in*
Psal.86. *similitudinem hominum factus.* O ergo admiranda Civitas Regis Magni, ejus effigie decorata, quando *eam fundavit inse Altissimus*, eamque sua vicissim effigie condecorans, quando *Homo natus est in ea!*

Secunda ratio, cur *Civitas Dei* specialiter intituletur, est, quia singulariter ab eo fuit electa, ut in ipsa tractaretur inclyta illa pax inter hominem & Deum, inter hominem & Angelum, inter hominem & cœlum. Erat enim illud clausum homini tamquam hosti: in cujus rei figura Angelus velut hominis adversarius gladium flammeum tenebat
Psal. 86. ad januam Paradisi, ut ab ejus ingressu hominem arceret. *Verè gloriosa dicta sunt de te, Civitas Dei!*
Luc. 2. Non enim solum ædificavit te, vel Arma & insignia sua in te posuit Filius Dei, sed etiam *fecit in te magna, qui potens est*, dum unionem illam effecit, qua humanitas divinitati juncta fuit, per quam & pax facta est in cœlo & in terra, & *Rex pacificus magnificatus est super omnes Reges universæ terræ.* Rex (inquam) ille, *cujus vultum desiderat universa terra.* Verè hic possumus dicere, ratione hujus pacis adeo
Psal. 47. necessariæ, adeo desideratæ: *Magnus Dominus & laudabilis nimis in civitate Dei nostri* dum parvus
Coloss.1. factus est & amabilis nimis, illum assumens *sanguinem, per quem pacificaret; quæ in terra sunt & in cœlis.*

Tertia ratio, ob quam Virgo Deipara singulariter vocetur *Civitas Dei*, sive *Civitas Regis Magni*, est, quia semper illam Rex ille Magnus ab omni incursu hostis specialissimè protexit, ut æternum Civitas hæc agnosceretur sua quæ numquam fuisset aliena. Quapropter de ea rectissimè dicimus illud: *Non ingredietur urbem hanc, nec mittet in eam*
4.Reg.19 *sagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio. Protegamque urbem hanc, & servabo eam propter me, & propter David servum meum.* Hoc equidem de Sennacheribus dicitur, qui cum confusione coactus est redire per eandem viam, qua venerat, quasi circulo injecto in nares & fræno in os circumductus, nullo nocumento illato civitati Jerusalem. At mysticè quàm pulchrè id verificatur in Virgine Deipara, quam nec gladio peccati actualis de propinquo, nec sagittâ peccati originalis de longinquo attingere potuit, aut lædere ejus hostis Diabolus? Ipsa tamquam Civitas Dei erat electa & dilecta, ideo fuit ordinatissima, & ordinem à Deo in ea constitutum nulla unquam vis aut fraus hostilis potuit pervertere. Ordo erat rectissimus inter omnes potentias animæ ejus, inter omnes sensus corporis ejus, inter omnes affectus & appetitus, inter partem inferiorem & superiorem; nulla ibi unquam perturbatio, pax omnis & concordia perfectissima: *In pace factus est locus ejus, ibi*
Psal.75. *confregit potentias, arcum, scutum, gladium & bellum.*

In nobis semper est aliqua rebellio interior, quia modo appetitus vindictæ vult dominari, modo appetitus gloriæ vanæ caput exerit, modo libidinis & cōcupiscentiæ fomes exurgit; ita ut sensualitas vix unquā plenè subdita sit rationi. Propterea hanc calamitatem deplorans Apostolus, inclamabat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* *Rom.7.* *Video enim aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis & captivantem me in lege peccati.* At Virgo Beatissima nullum unquam motum concupiscentiæ legi mentis rebellem sensit, à qua non solum peccatum actuale, sed etiam originale exulabat, & fomes peccati vel ligatus erat, vel penitus extinctus. Itaque nos omnes clamamus
Psal.50. cum Propheta. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Item, & illud: *Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.* Quid enim? Numquid naturâ sumus filii iræ, lutum reprobum, servi Satanæ rei gehennæ, trahentes catenam illam infelicitatis miserandæ, & maledictum ex paterna vitiata origine? Equidem illud maledictum originale nobis extinguitur per gratiam Dei, per aquam baptismi, per sanguinem Christi; sed manet cicatrix, quæ concupiscentiam recrudescit in peccatum actuale, vel saltem veniale.

Hinc omnes Sancti clamant cum Joanne: *Si dixe-*
1.Ioan.1. *rimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seduximus, & veritas in nobis non est.* Hoc verum est, in-
Psal.50. quit S. Augustinus, excepta Virgine, quæ hoc inclamare non potest, nec illud prius dicere: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Nec illud: *Peccatum meum contra me est semper.* Est enim pia Ecclesiæ sententia, eam ab originali omnino exemptam fuisse, ne unquam fieret vas iræ & impuritatis, quæ erat electa ut vas deitatis & gratiæ perfectissimæ. Non voluit Altissimi Filius, ut unquam posset gloriari ejus hostis, se ullum jus in eam habuisse, ut ipse in illa solus magni-
Isaiæ 38. ficari posset & gloriari. Unde de ea verum est illud: *Solummodo ibi magnificatus est Dominus Deus noster.* In aliis enim Sanctis non ita planè, non ita perfectè. Rationes autem, cur decuerit Virginem præ-

servari

servari à peccato originali, varias passim reperies apud Doctores & Concionatores de hac re ex professo & fusè tractantes, ideo hic supersedeo eis referendis, sicut & auctoritatibus SS. Patrum. Hoc solum dico cum S. Anselmo: *Decuit Virginem, qua Deum erat paritura, ea puritate nitere, qua sub Deo major nequit intelligi.* Cùm ergo potuerit Dominus hanc puritatem Conceptionis Matri impertiri, decuit id fieri, & factum fuisse piè asseritur. Ab ipsa ergo Conceptione in benedictionibus dulcedinis est præventa ab illo, qui eam potuit prævenire, & à damnationis alienæ chyrographo libera reddita est, quia patitura erat illum, qui illud chyrographum deleturus erat affigens illud Cruci. Quapropter S. Damascenus, sic de ejus Conceptione loquitur: *Natura gratiam audevertere causa nō est, sed tantisper exspectavit, donec gratia fructum suum produxisset.* Et S. Cyprian. *Non sustinebat justitia, ut illud vas electionis communibus lacesseretur injuriis, quoniam plurimum à cæteris differens, natura communicabat, non culpa.*

Orat. 1. de Nativ. Virgin.

PARS II. *De fundamento Civitatis hujus in Concep. B. M. V.*

FVndatur hæc Civitas Magni Regis *exultatione universa terra*, ut subdit Prophetа. Fundari autem censetur in ejus Conceptione, cujus hodie eum exultatione festum recolitur. *Fundamenta* autem ejus posita dicuntur *in montibus sanctis*, sive in vertice montium, quia fundamenta sanctitatis ejus adeo sublimia sunt, ut in altitudine montium sita judicentur, quandoquidem ipsa incipit ubi alii desierunt. Perfectiones enim & dona, quæ ei communicantur in Conceptionis suæ instanti, plenitudoque gratiæ major est, quàm in Angelorum aut Sanctorum fuerit consummatione & morte; sic initium ejus fastigium excedit sanctitatis aliorum Sanctorum. Non absimile est, quod dicitur: *Erit mons domus Domini in vertice montium.* S. Gregor. *Potest mons nomine beatissima Virgo Dei Genitrix designari, quæ electionis suæ dignitate omnem electa creatura altitudinem transcendit, qua verticem meritorum super omnes Angelos ad solium usque deitatis erexit.* Verè ergo montes alti fuere quilibet Sancti: sed sicut si quis mons esset taliter collocatus super alios, ut fundamenta ejus super verticem aliorum eminerent, sic factum est in MARIA, ita ut ejus inferiora Sanctorum sublimia superent, quasi cacumina montium & collium electorum. Ob id ergo meritò exultat universa terra in die fundationis, sive Conceptionis ejus, quando super sublimissimum & solidissimū fundamentum gratiarum & perfectionum fundatur hæc Civitas Dei; & ita fundatur, ut nunquam titubet per ullum impulsum hostilem. Vlteriùs meritò dicitur fundari *exultatione universa terra*, quia ejus Conceptio fuit signum approPinquantis redemptionis & salutis humanæ, quæ à tot sæculis, tot desideriis, ac votis exspectabatur ab universa terra. Hinc canit Ecclesia: *Conceptio tua, Dei Genetrix Virgo, gaudium annunciavit universo mundo; ex te enim ortus est Sol justitiæ Christus Deus noster, qui solvens maledictionem dedit benedictionem, & confundens mortem donavit nobis vitam sempiternam.* Immò non solùm terra, sed & cœlum exultasse censendum est in Deiparæ Conceptione. An non enim gaudio perfusi sunt Angelorū chori, dum Reginæ suæ Conceptionem agnoverunt, & Regis sui novi mox futurum adventum præsenserunt? Certè si de Patre æterno testatur Apostolus, quod cum introduceret *Primogenitum in orbem terrarum*, dixerit: *Et adorent eū omnes Angeli ejus*: Conformiter possumus dicere, cum introduxit in orbem terrarum eam quæ hunc Primogenitum suum debebat utero concipere, cum integritate parere, cum amore singulari educare, voluisse ut omnes Angeli eam venerarentur, tamquam cœlorum Reginam ab æterno prædestinatam. Egredimini ergo filii Sion, electi Dei Angeli, & videte ac veneramini Reginam vestram in diademate carnis purissimæ, quo coronavit eam mater sua Anna, & in diademate gratiarum speciosissimo & fulgidissimo, quo coronavit eam Pater æternus, & Filius Dei, ac Spiritus S. quandoquidem electa sit ut specialis Filia Patris, ut specialis Mater Filii, ut specialis Sponsa & Thalamus Spiritus S. Egredimini & videte in terris eam, quæ coram vobis postmodum gloriæ diademate in cœlis coronanda est, per quam & instaurandæ sunt civitatis vestræ ruinæ.

Psal. 86.

Isai. 2.

Gaudium ex Concep. B. M. V.

Heb. 1.

Etiam inferis lætitia fuit & exaltatio in hujus Reginæ Conceptione. Ibidem radium specialis lætitiæ perceperunt antiqui illi Patres, qui *juxta fidem defuncti sunt non accepta repromissione* Hæc est enim, per quam promissio adimpleri debebat; & illi, cui *Promissæ* & *Missus* nomen est, per eam prope diem venturus erat. Qui dictus erat, *Desiderium collium æternorum* (hoc est Patriarcharum & Prophetarum, qui tamquam colles & montes in populo excelluerunt) in hac electa Civitate primam habitationem figere debeat, & ideo dum illi præparabatur hæc habitatio, tamquam Regi Magno & Liberatori suo, non potuerunt non exultare, & oraculorum ac prophetiarum, sive figurarum præcidentium adimpletionem cum lætitia considerare.

Heb. 11.

Gen. 49.

Quidni igitur exultaret terra & cœli, homines & Angeli, in hac fundatione Civitatis sanctæ, in hac Conceptione Virginis Deiparæ, quandoquidem cernitur hic *Opus grande! Neque enim homini habitatio præparatur, sed Deo*, ut de Templo Domini dicebatur. Vnicuique debetur habitatio statui suo congrua; & juxta qualitatem inhabitantis præparatur & adornatur. Sic Pastori ovium vel caprarum sufficit tugurium ex arbustis & ramis contextum, sic Agricolæ domus lutea; Civis urbanus meliorem sibi præparat & adaptat; Mercator vult amplam. Nobilis splendidam, Princeps & Rex palatium sibi adornari jubet instructissimum rebus omnibus. Quid ita? Quia hoc vi-

1 Par. 29

detur eorum dignitas expoſcere. Sed qualem ergo habitationem decebit adornari pro divinæ Majeſtatis domicilio? Et quis poterit ſufficienter pro dignitate providere, niſi ipſe qui ſuam pernovit dignitatem? *Opus* ergo *grande* eſt MARIA, quia noa homini, ſed Deo habitatio præparatur in ea. *Opus grande*, quia in illa agnoſci debet ſuper omnia opera Dei majeſtas & potentia. *Opus grande*, quia in illa magis eſt laudandus & glorificandus, quam in rerum omnium creatione, cœli, elementorum, Angelorum, hominum. *Opus grande*, quia in ea debet Dominus opus tale facere, ad quod obſtupeſcant cœli & terra, homines & Angeli. *Opus grande*, quia ipſe de ſe ſpiritu divino prophetat: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus.* *Opus grande*, quod omnes concernit generationes, ad omnium ſalutem ordinatum, per quod divina eluxit *miſericordia à progenie in progenies.* *Opus grande*, ad quod Pater potentiam, Filius ſapientiam, Spiritus Sanctus ſuam contribuit bonitatem, ut perfectè fabricaretur.

M V eſt opus grande. 1. 2. 3. 4. 5. Luc. 1.

Quod ſi de Throno Salomonis pronunciatur: *Non eſt factū tale opus in omnibus regnis*, quid dicemus de Deipara Maria veri Salomonis vero Throno? Non eſt factum tale opus in terra, aut in cœlis. Non eſt inventa talis creatura, tot & tantis donis adornata; quandoquidem in eam effudit Deus copioſiſſimè divitias potentiæ & gratiæ ſuæ. Nam ut dictum eſt, in ſua Conceptione & prima ſanctificatione, ita donis gratiæ excelluit, ut omnem altitudinem Sanctorum ſuperarit. Quicquid eminens fuit in Patriarchis, in Prophetis, in Apoſtolis, in Martyribus & Confeſſoribus, in Virginibus & omnibus Electis, immò & in Angelis ſpiritibusque beatis, eminentiori & perfectori ratione in hac Virgine: tanquam in ſpeciali Dei opere repertum eſt. In ea fides Patriarcharum, ſpes Prophetarum, charitas Apoſtolorum, ſapientia Doctorum, innocentia Confeſſorum, puritas Virginum, perfectio Angelorum, lumen Cherubinorum, ardor Seraphinorum locum habuere excellenter, quia *Opus grande*, erat, in quo non homini præparabatur habitatio, ſed Deo, ab ipſo Deo. *Fundavit* enim *eam Altiſſimus* ipſe, nec eam præter eum alius poterat dignè fundare, quam is qui poſt fundationem volebat ex ea naſci, & hoc admirabile, & antea inauditum Aenigma Orbi proponere: *Qui fundavit eam, natus eſt in ea.* Quomodo fundavit, ſi natus eſt in ea? Quomodo natus eſt in ea, ſi fundavit eam? Aenigma erat ſacratiſſimum & ſecretiſſimum, donec eventus id declaravit, & ipſamet Sapientia nos ore proprio id edocuit. Ergo hæc omnia conſiderantes in die Conceptionis Deiparæ Mariæ, meritò illud proponimus & repetimus: *Fundatur exultatione univerſa terra Civitas Regis Magni.* Et iterum: *Magnus Dominus & laudabilis nimis in Civitate Dei noſtri, in monte ſancto ejus.*

3. Reg 10. *Thomus Salmonis B. Virgo.* Pſal. 47.

DEnique dicamus fundari exultatione unā verſæ terræ Civitatem hanc Regis Magni, quia omnes nationes, populi, linguæ, omnes cujus libet conditionis, quamlibet barbari, quamlibet antea ignoti, ad eam refugium habere poterunt, & benignè ac ſecurè ſuſcipientur. Omnes quolibet ære gravati, quibuslibet cooperti flagitiis, quamlibet deſperati, & vindicibus flammis proximi, etiamſi totam in ſceleribus vitam conſumpſerint, rei gehennæ millies & damnationis æternæ: Si relinquere peccata voluerint, & ad vitam reſpirare, vinculaque occaſionum quibus irretiti ſunt diſſolvere, piè & miſericorditer recipientur à MARTA, exſolventurque ab omni culpa & pœna, ab omni debito & damnationis chyrographo; nec eis in malum poterit quiſpiam prævalere, ſubejus *Salvagardia* & protectione; quia *Vrbs eſt refugii*, Vrbs ſecuritatis omnibus ſperantibus in ſe & recurrentibus ad ſe animo pio & contrito. Quis enim ab ea umquam rejectus fuit, licet Deum abjuraſſet, licet proprio ſanguine obſignando chyrographum, dæmoni ſe obſtrinxiſſet & tradidiſſet?

PARS III. *De M. V. Civitate refugii pro peccatoribus.* *S. Maria Vrbs refugii.*

Notum eſt de *Theophilo* Archidiacono in oppido Ciliciæ *Adana*, qui ab æmulis accuſatus, & de officio œconomiæ in eadem Eccleſia dejectus, eò impietatis devenit, ut hortatore quodam Iudæo Mago, Chriſtum Dei Filium & Mariam Matrem ejus abnegaret, dataque ſyngraphâ, totum ſe Satanæ viſibiliter ſibi apparentis imperio manciparet, ut iterum per eum officio reſtitueretur. Quod factum eſt. At poſtmodum miſer tanti criminis conſcius, totus animo perturbatus, nullo loco quietus conſiſtebat, dum cogitaret ſe mancipium dæmonis abjurato Deo. Quid ergo faceret? Tandem ad Sanctiſſimam Dei Matrem ſibi confugiendum duxit, ac Templum ei ſacrum petiit, nocte dieque cum jejunio ſupplicationes cordis contriti offerens. Audi ejus orationem ad Deiparam: *Domina mea benedicta, defenſio generis humani, portus & protectio eorum qui ad te confugiunt, ſcio quod gravisſimè te offenderim, & ex te natum Deum noſtrum; nec dignus ſum conſequi miſericordiam, aut os aperire, inquinatū. Interim rogo tota cordis mei contritione, & animi humillima confeſſione, offer me Chriſto, qui natus eſt ex te ſancta & mundo deſiderata Dei Parente, & ne abominetur me infelicē, nec deſpicias proces peccatoris correpti à maligno hoſte.* Pergebat homo anxius preces triſtiſſimas fūdere, faciem verberare, ſolo adhærere, templum Virginis lachrymis rigare, in jejunio orare, & in Virginis imaginē, quæ ibi venerationē habebat, oculos madentes erigens, iterum dicebat: *Te habeo poſt Deum protectionem & defenſionem Domina mea benedicta, ad tuum intuens auxilium & gubernationē, non deſperabo, & non faciam irrita, qua tibi pollicitus ſū. Quis ſperavit in te, Domina mea benedicta, & pudore affectus eſt, aut derelictus rogans opem tuā?* Quid tandem? Theophilus quadraginta dies in templo Virginis perdu-

Exemplū Theophi. *Oratio Theophili ad B. Virg.*

perduranas, & orandi ac plorandi finem nullum faciens, opitulante Virgine syngraphum Diabolo traditum, qua Christianissimum abjuraverat, recepit, & in gratiam Dei rediit, dignosque pœnitentiæ fructus egit; ita ut publicè per Episcopum reconciliatus vitam sanctam egerit, & Sanctorum Catalogo sit adscriptus *quarto Februarii*. Tantum valuit Mariæ Deiparæ intercessio, tantum obtinere potuit firma cum fiducia refugium ad hanc Civitatem Dei, Civitatem Regis Magni, ubi post lachrymas exultatio infunditur, quantumlibet obscœno peccatori.

Quapropter de illa rectè dicimus, verum esse illud à Psalte pronuntiatum: *Gloriosa dicta sunt* Psal. 86. *de te, Civitas Dei! Ibi alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic.* Qui sunt alienigenæ, nisi peccatores à Deo alieni, quasi ab eo non sint geniti, sed spurii rami generationis impiæ, Ioan. 8. cujus Pater diabolus est? *Vos ex Patre Diabolo estis*; non estis filii Abrahæ, filii Dei; sed alienigenæ de generatione adultera, dicebat quibusdam Dominus, qui fidem & devotionem Abrahæ non imitabantur, sed impietatem Satanæ, invidia occæcante sectabantur. Quid est Tyrus nisi angustia? Hoc enim significat etymologicè. Quid populus Aethiopum, nisi populus peccatis denigratus & deturpatus? Quocirca dicebat Dominus: *Num-* Amos 9. *quid filii Æthiopum estis vos omnes mihi filii Israël?* Quasi dicat: non vos jam agnosco ut filios Abrahæ, aut Isaac, aut Jacob; tanta enim sunt vestra flagitia, ut potius vos filios Aethiopum dicendos arbitrer, quia totaliter vitiis estis sordidati & denigrati. Hi interim omnes, sive alienigenæ dicantur, sive filii Tyri & angustiæ, sive de populo Aethiopum denigrato, si refugium habeant ad hanc Civitatem Dei recipiuntur benignè, & fiunt ibi de populo & Filiis Dei; omnisque angustia tollitur de corde, omnis nigredo peccati de facie, dealbanturque cum exultatione. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te, ô Civitas Dei!* Sancta Dei Genetrix filios semper novos, novum populum Deo gignit novo cum gaudio. Propterea etiam introducitur, dicens: *Memor ero Rahab & Babylonis, scientium me.* Nonne Babylon confusionem significat? Nonne Rahab meretrix erat? Ergo nec obliviscitur MARIA nec despicit confusionis filias, ne quidem illas quæ obscœno meretricio quæstum fecerint, & diu in statu confusibili & impuro permanserunt, si tandem se & Virginis benignitatem agnoscentes, ad illam confugium habuerint, tamquam ad Civitatem in qua tollitur omnis impuritas, omnis confusio præterita, redditurque vera cum puritate lætitiæ. Hæc nempe est gloria Virginis nostræ, cujus in Conceptione fundamenta jaciuntur *cum exultatione universæ terræ*, tamquam Civitatis Sanctæ, in qua Deus fœdus vult inire cum omni peccatore & asylum præbere omni animæ accedenti, quantumlibet impuræ. Quod quidem semper factum esse, mille exemplis possemus demonstrare. Unicum hic repetamus. S. Mariæ Ægyptiacæ.

Hæc *Maria Ægyptiaca* multis annis fuerat Veneris victima, libidini se fœdæ prostituens. Occasione verò concursus ad festum Exaltationis S. Crucis in Jerusalem venit cum cæteris, non tam pietatis gratiâ, quàm ad illaqueandum animas. At divinitus ab ingressu templi ter quaterve, repulsam, passa est. Tandem divinam hic manum ipsa agnoscens, cœpit prioris vitæ turpitudinem deplorare, & ad Deiparæ imaginem, quæ januæ templi supereminebat, cum fletu sese convertere, & dicere: *O Domina, quæ Deum verum genuisti Virgo, & propter hoc ipse factus est homo, ut peccatores ad pœnitentiam vocaret, auxiliare mihi jam auxilium non habenti, ut possim crucem, in qua passus est pro salute nostra, conspicari.* Adjecit deinde promissionem, se posthac omnibus mundi illecebris renunciaturam, si voto potiretur. Virginis igitur ope ingressa, statim omnes voluptates repudians in vastam eremum contendit, ubi vitæ prioris maculas pœnitentiâ expiaret. Semper verò se MARIÆ commendavit, ut ad votum explendum sic custos foret & propitia. Mox enim à conversione dixit: *O Domina, quo me placuerit ducito, esto mihi salutis magistra, viam quæ ad pœnitentiam ducit, indica, nec me derelinquas, sub tuum enim præsidium confugio.* Sic quadraginta septem annos complevit in deserto, & pœnitentiæ admirabilis Orbi speculum & exemplum sese exhibuit. Exempl. Mar. Ægyp.

Quinimò quotidie Virgine Deiparâ nos tutante, liberi sumus à dæmonis vario incursu & tentatione. Ideo Civitas hæc Regis Magni rectè vocatur, *Latera Aquilonis*. Quia ipsa est quasi murus quidam oppositus Aquiloni, *à quo panditur omne malum*, hoc est flatibus immundorum spirituum, sive tentationibus & suggestionibus hostium spiritualium. Unde notatu dignum est, quod magni vir nominis & Theologus Avila cap. 4. tract. *Audi filia*, dicit se specialiter advertisse, scilicet contra tentationes carnales multis profuisse aliquid expiatæ recitare in memoriam & honorem puritatis, qua Virgo concepta fuit sine peccato, & puritatis virginalis, cum qua Filium Dei concepit. Hoc certissimum est, semper Virginis præsidium piè eam colentibus fuisse munimen contra tentationes gravissimas securum. De quo specialiter egi in Horto Pastorum tract. 3 lect. 10. Remedio 2. contra tentationes. Beatæ Virgo murus contra Tentationes. Hier. 1.

TU igitur, ô Virgo beatissima, es *Civitas Magni Regis*, & simul *Urbs fortitudinis nostræ*, quâ Salvator tamquam *Murus* & *Antemurale* tutatus est ab omni peccato & incursu maligno, jam à Conceptione, ut nobis quoque tutamentum fores & munimen, *Murus* & *Antemurale* fortissimum, quasi *à latere Aquilonis*, quo ab omni tam hostium quam ventorum & flatuum malignorum impetu & irruptione liberi essemus. Rogamus ergo Te, ô Conclusio.

Virgo purissima, per benedictam Conceptionem tuam, per primam animæ tuæ benedictæ sanctificationem, per primordia vitæ felicissimæ in matris tuæ benedictæ Annæ utero, ut nobis impetrare digneris veram gratiæ vitam, verâ animæ sanctificationem, veram conscientiæ lætitiam. Fac ut semper sancta desideria concipientes, & per Te ea ad effectum deducentes, tandem pertingamus ad æternam illam & beatissimam Civitatem, ubi nullus amplius timor, nullus dolor, nullæ insidiæ nullus hostis, nullæ tenebræ; sed lætitia perfecta, exultatio purissima, luxindeficiens, pax consummata, visio & fruitio tecum & cum Filio tuo gloriosissima per infinita sæculorum sæcula.

LECT. 5. bipartit.

PRO FESTO S. LUCIÆ.

Mulierem fortem quis inveniet. Prov. 31.

PARS I. *Quænam dicatur mulier fortis apud Sapientem.*

QUænam sit mulier illa fortis, de qua Salomon disserit, varie disputant Interpretes, & SS. Patres. Ex quibus pauca hic delibanda sunt.

Primo ergo dicamus, in sensu allegorico esse Ecclesiam, quæ Christi, veri Salomonis Uxor est, & Mater omnium Fidelium. Audi S. Augustinum: *Mulierem fortem quis inveniet? Quod dixit, quis inveniet, difficultatem inveniendi, non impossibilitatem vult intelligi. Mulier ista fortis Ecclesia est? Quomodo nō est fortis, quæ ab initio mundi tantis tribulationibus fatigatur, & tamen non vincitur. Mulierem fortem quis inveniet? Quis alius nisi Christus? Non autem eam fortem invenit, sed inveniendo fortem fecit.* Hæc S. Augustinus. Cui conformiter loquitur S. Epiphanius in Ancorato suo, sic alloquens Christianos: *O vos Orthodoxi, & Ecclesiæ Filii, veritatis filii, sapientis & fortissimæ mulieris illius filii, cujus gloria est apud Salomonem dicentem: Mulierem fortem quis inveniet? velut rara sit, immo potius una. Fortem mulierem intelligit Ecclesiam Dei, vestram Matrem, quia nihil fortius est, ut quæ moriatur per singulas excitatas persecutiones pro nomine viri sui.* Certe nisi ipsa fortis esset, ejus pignora in Passione defecissent, inquit S. Ambrosius.

Sermo. 217. de Temp.

Quo de ultimis finibus pretium Ecclesiæ.

Dicitur autem: *De ultimis finibus pretium ejus.* Hoc est, Pretium ejus tantum est; ut cum pretiosissimis gemmis & margaritis, quæ ex ultimis mundi partibus adducuntur, comparari possit, immo pretium earum superet: ita ut nihil ita pretiosum in finibus terræ reperiri valeat, quod non ipsa excedat pretio suo, & æstimatione, ac valore. Hinc Hebræi legunt: *Longinquum ab unionibus pretium ejus*, sive longe superat pretium Unionum & Gemmarum. Conformiter legunt LXX. *Pretiosior lapidibus pretiosis est, qua talis est.* Quam lectionem sequitur S. Aug. ser. 218. de temp.

Alii sic exponunt, ut velit dicere Sapiens, hanc mulierem fortem adeo esse raram & pretiosam, ut in ultimis finibus terræ inquirenda sit, & inde evocanda. Quapropter Beda, hic putat insinuari Ecclesiam Christi, etiam de ultimis finibus congregandam. Sicut enim Matthæi 12. dicitur *Regina Saba, Regina Austri, à finibus terræ venisse, ut audiret sapientiam Salomonis*, sic & Ecclesia non solùm ab Austro, sed & à quatuor ventis congreganda est, non tantum ut audiat sapientiam illius qui plusquam Salomon est, sed etiam ut illi fœdere conjugali desponsetur.

2. *Mulier fortis est B. Maria.*

Dicamus secundo, per mulierem fortem rectè intelligi MARIAM Virginem, Virginum omnium ac mulierum Principem ac Reginam fortissimam: quæ fortitudine sua caput serpentis illius contrivit, cui dictum erat: *inimicitias ponam inter te & mulierem, inter semen tuum & semen illius; ipsa conteret caput tuum.* Hæc certè mulier non solum fortis est & heroica, sed & omne superat pretium inter lapides pretiosos, quia omnes non solum homines, sed & Angelos longè pretio excellit. Audi Sanct. Bern. *Quam aliam Salomon requirebat, cum dicebat: Mulierem fortem quis inveniet? Noverat Sapiens hujus sexus infirmitatem, fragile corpus, lubricam mentem; quia tamen Deum legerat promisisse, ut qui vicerat per fœminam, vinceretur per ipsam admirans dicebat: Mulierem fortem quis inveniet? quod est dicere. Si ita de manu fœminæ pendet omnium salus, & innocentia restitutio, & de hoste victoria, necesse est omnino ut fortis providetur ad tantum opus idonea. Sed quis eam inveniet? At ne hoc quæsivisse putes desperando, subdit prophetando: Procul & de ultimis finibus pretium ejus.* Hoc est; *non vile, non parvum, non mediocre, non denique de terra, sed de cœlo proximo tertii prætium hujus fortis mulieris, sed à summo cœlo egressio ejus est.*

Ser. 2. super Missus.

De quinque finib. pretium B. V. M.

3. *Mulier fortis, est omnis mulier virtutibus cumulata.*

Tertiò dicamus, per mulierem fortem aptè intelligi omnem mulierem heroicam, strenuam, industriam, prudentem, piam, omnique perfectione virtutis cumulatam. Solent enim mulieres esse pusillanimes & timidæ, nec adnatam sibi habere magnanimitatem; unde mulier secundum Grammaticos dicta est, quasi *Mollis aër.* Quapropter illa quæ mulierem superat infirmitatem (hoc est, mollem; & imbecillam naturam) conditione sua superior existens, mulier fortis appellatur, mulierque virtutis. Hæc in operando solet esse strenua, in patiendo magnanima, in regendo discreta, in negotiando industria, in providendo sollicita, in omnibus agendis prudens & sedula. Atque sicut circa familiam est laboriosa, ita erga Deum & virtutis studium constanter est pia: quod utrumque non parum est difficile copulare, quia pietas requirit quietem & otium, sedulitas sollicitudinem & negotium.

Ergo cùm paucæ tales reperiantur mulieres; *Mulierem* merito dicit Sapiens: *Mulierem fortem quis inveniet? Procul & de ultimis finibus pretium ejus.* Quasi dicat: Si talem in uxorem comparare possis, qui pauca ad conjugium adspiras, nullis parcas expensis, quia omne pretiū superat: & licet sine omni dote foret,

non

non aliam dotem requiras, quam animi ejus virtutem & industriam, omnes opes excedentem.

4. Mulier fortis qualibet virgo aut mulier martyr.

Quartò, ut ad propositum propius accedamus dicamus per mulierem fortem rectè designari quamlibet inter Virgines aut mulieres Martyrem, in confessione fidei magnanimam & invictam, in pudicitia & pietate constantem usque ad extremum spiritum. Raræ erant olim mulieres fortes & heroicæ tempore Salomonis. Raræ erant Virgines, raræ Martyres. Aliquas tamen ex mulieribus his fortibus dilaudant sacræ litteræ. Mulier fortis fuit Judith obtruncans caput Nabuchodonosoris, quæ à pudicitia laudatur, & à pietate, & à magnanimitate, cui & ovantes occinunt: *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri.* Mulier fortis etiam fuit Esther, Aman hostem suum & populi sui sapientia & constantia admirabili sibi substernens. Fortis fuit Abigail occurrens Davidi, & eum à sanguine prohibens. Fortis quoque & sapiens fuit mulier Thecuitis, curans revocari Absalonem. Sed & inter omnes emicuit Salome, Mater septem Machabæorum, de qua sic legimus: *Supra modum autem Mater mirabilis, & bonorum memoria digna, quæ perentes septem filios sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, propter spem quam in Deum habebat: singulos eorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia, & femina cogitationi masculinum animum inserens.* Ergo & olim fuit reperire quandoque mulierem fortem & generosam; sed raro & magna cum difficultate, ob temporis adhuc illius imperfectionem.

Vet. Test. Iudith. Iudith. 15. Esther

Abigail.

Thecuitis

Machab. mater. 2. Mach. 7.

Mulierū fortium in Nov. Test. multa, 2. Cor. 1.

At in nova lege Spiritus veniens ex alto multas fortitudini admirabili mulieres & virgines induit, quæ tormenta & mortem irriderent, & accinctis lumbis, contra hostes castitatis & vitæ fortiter dimicarent. De quibus ait Apostolus: *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; quia quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Noluit ut fidei usque ad mortem & sanguinem profitendæ ulla deesset conditio, vel sexus; sed ab infirmiori etiam sexu & ætate voluit testimonium reperire; & quidem maximâ fortitudine.

Inter has recense Sanct. Luciam Virginem constantissimam, viraginem castissimam, mulieremque fortissimam, coram Deo & hominibus pretiosam, sive in vita, sive in morte: cælo & pretium ejus. Vis ejus singillatim fortitudinem agnoscere? Audi paucis.

PARS II. *Quomodo S. Lucia mulier fortis fuerit.*

PRimò fortis fuit contra sæculum istud, sive contra Mundum, qui inter primos hostes hominis numeratur, quia honoribus & opibus suis, quasi armis, multos vincit, & ad tartara eos devolvit. Calcavit ergo sæculum Lucia, ut se altius erigeret, & intueretur cœlum. Calcavit ejus honores & superbiam, ut Christianam amplecteretur humilitatem. Licet nobilis esset genere, præ-

S. Lucia fortis contulit omni nobilitati seruitutem humilem Christi, Calcavit & sæculi opes omnes, eligens paupertatem. Quapropter instanter agit apud matrem, ut dotem matrimonio sibi destinatam, ac patrimonium in quod successura erat, pateretur in pauperes quantocius distribui. Cum vero responderet mater, vitæ suæ finem spectandum, se jam caducam & ætate confectam ad terminum properare, tunc que sibi libertatem fore disponendi de patrimonio & hæreditate ex asse; subjunxit Lucia hoc sapiens monitum: *Non est admodum gratum Deo munus, o mater, quando ideo illud offertur, quia illius usum suprema intercidit dies. Da dum sana es, ne si moriens dederis, in vita dedisse arguaris rem quā velis nolis relinquere cogeris, quam tecum ferre non potes, & quā ipsa frui nequis.* Præclarum sane responsum, quod & ejus declarat sapientiam & pietatem. Noverat illud Poetæ.

tra mundum.

Da tua, dum tua sunt, post mortem tunc tua non sunt.

Noverat & illud vulgare Proverbium. *Fax unā quæ præfertur plus lucis affert quam si plures subsequantur.* Rediens igitur Catanam à sepulchro B. Agathæ, ubi ejus corpus venerata fuerat, & ubi matri sanitatem impetrarat; cum Syracusas pertigisset, omnē pecuniam quam ex facultatibus venditis redegerat, pauperibus distribuit. O fortem mulieris animum! O contemptorem omnium!

S. Lucia facultatibus distractis pecuniam inter pauperes distribuit

Jam audiverat Spiritus S. inspirationem, & vocem sibi dicentem: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus: Veni, & sequere me.* Neque hoc surdâ audivit aure; aut audiens, segniter & molliter hac in re se gessit, sicut Evangelicus adolescens, qui tristis abijt, cor suum trahēs in terram, dum idipsum audivit à Domino. Sed quia sciebat Lucia hilarem datorem diligi à Domino: *diffusa vit in corde suo, non ex tristitia aut necessitate,* sed ex intima & læta voluntate, cuncta impertiri infimis & infirmis membris Christi, hoc est egenis & inopibus.

Matt. 19.

2. Cor. 9.

Portiorem ipsa fuit & promptior multis, qui non satis intelligunt illud Evangelij: *Qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Quia igitur perfectam Christi sequelam profiteri avebat, etiam usque ad sanguinem; prius abjicit onus, omnemque farcinam, quæ impedimento poterat esse ad currendum & sequendum promptissimè: terrena scil. omnia à se abiegavit propter Christum, ut deinde ei liberius non solum sua, sed & se donaret per martyrium, vitam profundens & sanguinem. Ad certamen sese accingebat cum hoste robustissimo; opus ei erat potente scuto ad protectionem, potente lancea ad dexteram obarmandam, & victoriam reportandam. Nō ignorabat autem illud Sapientis: *Conclusum eleemosynam in corde pauperis & hæc pro te exorabit ab omni malo. Super scutum potentis & super lanceam adversus inimicum tuum pugnabit.* Elegit ergo prius hoc scutum potens eleemosynæ, ac deinde nobili ac forti animo ad certamen properavit: omnibus sese

Luc. 14.

Eccli 26.

exuit terrenis, ut cœlestia capesceret arma. An non igitur manifestè in ea cernis adimpletum, quod de muliere forti dixit Sapiens. *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem.* Quid ultra? *Accinxit fortitudine lumbos suos, & roboravit brachium suum. Manum suam misit ad fortia.* Hoc ex mox dicendis intelliges satis.

2. S Lucia fortis fuit contra carnē & ejus insidias.

Secundò fortis fuit contra carnem & omnes carnis lenocinantis insidias & illecebras. Desponsata erat à parentibus nobili inveni; sed contra suam voluntatem quia jam ejus cordi virginitatis amor insederat. Repudiavit ergo terrenum sponsum, terrenasque nuptias, quæ cœlestes adamabat. Vnde & matrem, cui impetrarat sanitatem à fluxu sanguinis aput sepulchrum S. Agathæ, sic alloquebatur: *mater mea per ipsam rogo quæ te sanavit sua intercessione, ne mihi ulterius de sponso facias mentionem; & ne tu velis de corporis mei posteritate fructum mortalitatu requirere: sed omnia quæ daturæ eras mihi eunte ad corruptionis meæ auctorem hominem moriturū, da mihi eunte ad integritatis meæ auctorem* D. IESUM Christum. Hæc nimirum erat resolutio fortis hujus mulieris, lumbos suos invicta succingere castitate, & pro illa in finem usque decertare. Quapropter audivit ex ore S. Agathæ Virginis, dum ad ejus sepulchrum oraret: *Soror mea Lucia, beata es, quæ odisti quæ in mundo sunt, & jucundum Christo in tua virginitate habitaculum præparasti.* Propterea & Angelorum promeruit conspectum S. Agatham circumstantium, quia Angelis grata est & cognata Virginitas, quæ & Angelorum Domino copulatur.

Si autem particularius vis agnoscere quàm fortiter pro castitate pugnaverit, attende quod apud Tyrannum accusata fuerit ab illo cui erat desponsata, qui ubi vidit Luciam omnia sua, etiam gemmas & monilia, distraherein pauperes, spemque suam de conjugio illudi, protinus amorem vertit in furorem; & omnem movit lapidem, ut tamquam Christiana plecteretur per Paschasium Præfectum. Adducta est ipsa coram Paschasio, qui multis eam mollitis super oleum sermonibus ad Diis sacrificandum pellicere conatus est. At ipsa nihil ejus verbis & promissis commota, fortiter respondit: *Sacrificium vivū & immaculatum apud Deum & Patrem hoc est, visitare viduas & orphanos in tribulatione eorum. Ego per istos tres annos nihil aliud agens, sacrificavi Deo vivo. Iam quia nihil superest quod sacrificem, meipsam offero in sacrificium Deo hostiam viventem. Quod ipsi placet de hostia sua faciat.* Quid ad hæc Paschasius? *Hæ sunt, inquit, superstitiosa Christianorum nuga & stultitia, quas si Christianum aliquem è vili plebecula alloquereris, posses ei insusurrare: mihi autem, qui Principum decreta custodio, ista frustrà prosequeris.* Cui ipsa forti & voce & animo: *Tu Principum leges attendis, ego Dei. Tu Principes imperii times, ego solum Deum. Tu illos offendere non vis ergo Deū meū offendere caveo. Tu illu placere desideras: ego sed Christo soli placeam, concupisco. Tu verò fac quod tibi utile videtur, & ego hoc ago quod mihi utile esse cognosco.* Quid magnanimius, quid fortius? Non ultra quærat Salomon & dicat: Mulierem fortem quis inveniet? Ecce, Lucia, fortis utique mulier, in ultimis finibus terræ, & in finem usque sæculi, à fortitudine laude digna. Sed hæc initia fortitudinis & certaminis censenda sunt, magis admiranda succedent, castitatis prælium concernentia.

Exprobratur namque ipsi à Paschasio Præfecto: *Patrimonium cum corruptoribus tuis extirpasti & dilapidasti, idcirco quasi meretrix loqueris.* Hæc erat contumelia, à nobili & ingenua virgine haud ferenda, quæ, ut jam diximus fortitudine accinxerat lumbos suos, & brachium suum roboraverat. Quapropter illi conveniebat illud Augustini, mulieris fortis robur & lumborum cingulum interpretantis: *Succincta fortiter lumbos, firmavit brachia sua, verè fortis. Vide, si non est ancilla, quàm devotè servit, quàm paratè: nesluctuantes sinus carnalium concupiscentiarum impediant operantē. Succinxit lumbos, ut nihil superfluum calceet, dum in opere festinat. Ibi enim castitas hujus mulieris zona præcepti constricta succincta fortiter lumbos suos, firmavit brachia non defectura.* *Serm. 45. de divers.*

Cùm itaque Lucia castitatis intemeratæ sibi conscia foret, secure respondit exprobanti Tyranno, tum patrimonii dilapidationem, tum hac in re suspectam corruptionem: *Patrimonium meum tuto loco collocavi, corruptores autē mētis, aut corporis, numquam suscepi. Tales estis vos, quorum colloquia prava bonos nituntur corrumpere mores; quia suadetu animas à Deo meretricari, dimittendo Deum verum, & Creatorem, & animarū Sponsum, idolis vanis se commiscendo. Hæc est corruptio mentis. Nec desunt inter vos corruptores & corporis, delectationem temporalem & carnalem præferentes delectationibus & gaudiis sempiternis.* Hæc castissima, & fide fortissima virgo, constanter est elocuta. Sed quo animo suscipere potuit liberam hanc vocem impurus, impiusque Iudex? Fatetur se victum Virginis eloquentiâ; sed ait: *Cessabunt verba cum ventum fuerit ad verbera.* Nesciebat autem illud quod ei mox à Virgine erudita fortiter regestum est: *Servus & ancilla Dei verba deesse non possunt, quibus à Christo Domino dictum est: Cùm steteritis ante Reges & Præsides, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini, non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Quid clarius, quid verius potuit responderi quid etiam fortius? Rursus ergo dico, non amplius interroges Salomon: *Mulierem fortem quis inveniet?* Ecce enim manifesta est fortitudo, & sapientia, magnanimitasque hujus mulieris, & Virginis, Serpentis virus caputque conterentis, quo per os Tyranni loquebatur. Cum enim ipsa postremo interrogata fuisset an ipsa Spiritus S. foret: & respondisset piè ac caste viventes templum esse Spiritus sancti, jussa est ad lupanar deduci, ut eam defœderet Spiritus *Prov. 31.*

Spiritus ille sanctus, castorum amator: Hic caput suum contritum fatetur serpens per os Tyranni; hic extremum suum exspirat virus.

Interim mulier hæc fortis, virgoq; invicta, novos resumit animos, & fide spequemunita, impio hoc respondet Judici. *Si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam. Numquam inquinatur corpus, nisi de consensumentia. Quia etsi etiam in manu mea thura ponas, & per manum meam facias sacrificia, Deus hæc attendit & irridet; quis de voluntate judicat.*

Nota fraudem Tyrannorum.

His postremis verbis alludit ad fraudem quondam Tyrannorum, qui non valentes adducere Christianos ad suorum Deorum cultum, coram idolis igne accenso cogebant è manu eorum thuris grana decidere, ut viderentur incensum Diis adoleviſſe. Sic Julianus Apostata quosdam Christianos milites ad se vocarat, ut de manu sua munus acciperent, utque recedentes thuris grana quædam honoris gratia in focum conjicerent coram se & suis, qui ceremoniam illam ut idolis factam & Christianismi abjurationem tacitam interpretabantur. Milites autem illi fraude post factum compertâ, adiverunt Julianum exclamantes: *Non dona accepimus Imperator, sed morte damnati sumus: non honoris causâ vocati, sed ignominiâ notati sumus. Da hoc beneficium militibus tuis; Christo nos macta atque obtrunca, cujus unius imperio subjicimur. Ignem igni repende; pro illo in cinerem nos redige. Manus amputa, quæ celeriter proximos pedes, quibus malè cucurrimus: alios auro dona, quos accepisse postea nos pœniteat. Nobis satis superque est Christus, quē instar omnium habemus.* Julianus ira accensus, invidensque eis martyrij gloriam, eos exilio mulctavit. Rem fusè enarrat Nazianzenus orat. 1. in Julianum.

Quidam alius Martyr, cum juberetur, thure ejus manui impositio, illam in ignem coram idolo accenso immittere, ut saltem propter vim ignis vertendo vel aperiendo manum cenſereetur thus in ignem jeciſſe ad adorandum, fortiter & immobiliter sustinuit ignis tormentum cum brachij exustione; nec dimisit unquam thura sibi causa in manu apposita: majori se hic gerens fortitudine & alacritate, quam olim apud Romanos nominatissimus Mutius Scævola. Quamobrem non suæ id virtuti, sed divinæ adscribens beneficentiæ, canebat: TENUISTI MANUM DEXTERAM MEAM.

Quamcumque ergo fraudem, quamcumque vim adhibuerint Tyranni, ut Christianis eriperent fidem, vel castitatem, frustraneo id fecere conatu; quia etsi corpori violentiam inferre potuerint, non tamen menti. Ideo dicebat S. Lucia. *Voluntatem meam numquam potestis ad consensum provocare peccatis. Quicquid facies corpori, hoc ad me non pertinet.*

Sed nec in corpus potuerunt quod voluerunt. Hoc rursus manifestum est in hac sancta Virgine Condemnata fuit ad lupanar, & ad lenones, ut illuderetur donec expiraret. Verum tanto eam pondere fixit Spiritus sanctus, ut nulla vi de loco dimoveri posset virgo Christi. Funibus in manus & pedes ejus injectis, traxerunt tandem & boves. Sed frustraneæ sunt omnes exertæ hic vires, seu hominum, seu animalium robustissimorum. Maleficio id tribuitur, quod puella fragilis à mille tracta hominibus vel vestigio non moveatur, Respondet ipsa Tyranno: *Non hoc veneficium est, sed Dei summi beneficium est. Si ad sexcentos mille adduxeris, audient mihi Spiritum sanctum dicentem: Cadent à latere tuo mille & decem millia à dextris tuis.* Quid præclarius responderi poterat?

Mirando modo tutatus est Deus S. Luciam.

Jam alibi à nobis dictum est, quomodo variis modis virgines Deus tutatus sit, & à leonibus, & à lenonibus, quasi integritatis eorum specialis tutor, sive per Angelum, sive per aliud cœleste subsidium. Patet in S. Agnete, S. Theophila, S. Barbara.

Ecce igitur in Lucia adimpletur illud Psal. *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus: Deus in medio ejus non commovebitur.* Jucundum in sua virginitate habitaculum adornarat Deo suo: Deus ergo in ipsa & cum ipsa habitans, cor & corpus ejus sic roboravit, ut nullâ vi humanâ aut diabolica cor ad peccatum moveri posset, aut corpus ad alicujus flagitij consortium. Verè columna est immobilis, ô Lucia, & quidem de illis de quibus Dominus: *Ego confirmavi columnas ejus.* Etiamsi transferantur montes in cor maris, & turbetur ac liquefiat omnis terra, non timebis, quia Deus refugium tuum & virtus: & tu prodigium facta es multis, quia ipse est adjutor fortis. In illum ergo jacta cogitatum, non dabit tibi fluctuationem in æternum, sed præstabit decori tuo virtutem. Admiramur hanc tuam virtutem & dicimus stupore: *Mulierem fortem quis invenit?* Non est in ultimis finibus terræ similis tui.

Psal. 45.

Psal. 74

3. *Lucia fortis contra Satanam.*

Tertio dicamus, quod Lucia virgo non solum fortis fuerit contra Mundum, aut Carnem, sed maximè contra Satanam, qui per sæculi aut carnis illecebras eam superare nitebatur, ac deinde per Tyranni minas & acerbissimas pœnas. Quid igitur ille? Ubi vidit primum suum decretum non succedere, quo jussaverat ad infamem locum trahi: ignem circa ipsam copiosum fecit accendi, ut sic suo faceret satis furori. Neque solum rogum ingentem ei circumdedit, sed etiam picem, resinam, oleum fervens fundi super eam jussit, ut tanto citius, tantoque acrius torqueretur. Sed quid hæc omnia ignis pabula, tanto aggesta molimine, profuerunt, nisi ut majorem in tyranni corde accenderent furorem & flammam, quâ intus mirè discruciabatur? Illa enim in nomine Domini JESU Christi stetit immobilis, & dixit: *Ego rogavi Dominum meum IESVM, ut ignis iste non dominetur in me, sicut tibi insultes confidentes in Christo.*

Et

Et ideo petivi inducias martyrij mei, ut credentibus timorem tollerem passionis, & non credentibus vocem auferrem insultationis. O vocem victoriæ plenam & fortitudinis!

Poterat ergo ipsa benesonantibus cordis sui chordis decantare in gratiarum actionem illud canticum Ecclesiastici: *Confitebor tibi Domine Rex, & collaudabo te Deum Salvatorem meum. Confitebor nomini tuo, quoniam adjutor & protector factus es mihi, & liberasti corpus meum à perditione, à pressura flammæ quæ circumdedit me, &c.* Liberata nempe fuit à corruptione carnis, liberata à corruptione mentis, liberata ab errore infidelitatis, liberata ab ardore ignis, liberata à laqueo linguæ calumniatricis, liberata à fovea & abyssо perditionis, liberata à tenebris, ut semper lucida foret; & nomen suum LUCIA adimpleret. A quo verò liberata fuit, nisi ab illo qui est adjutor & protector? adjutor ad superandum mala jam parata: Protector ne obruant mala futura. Ideo ergo illi gratias toto corde concinuebat, illi totam suam adscribebat victoriam. Vicit itaque Lucia, sed quibus armis? Rectè per orationem vicit, quia quicquid à Deo petijt impetravit. Petijt quondam matris suæ sanguinifluæ curationem, & impetravit integram sanitatem. Petijt in certamine castitatis, corporis sui immobilitatem, & obtinuit, fecitque eam Dominus ut columnam ferream & inconcussam. Petijt contra ignem victoriam, & eam reportavit tam contra foci succensi flammam exteriorem, quam contra Tyranni furore æstuantis flammam interiorem. Petijt martyrij sui & passionis inducias, & impetravit. Gladium enim in ejus viscera mergi fecit Tyrannus; sed vixit quamdiu voluit, & turbam circumstantem allocuta est quamdiu sibi placuit. Petijt sacram ante mortem Communionem, & nemo Sacerdotes, quin ei ministrarent, impedire potuit; illo providente, qui olim Boetium martyrem secto capite voluit sacris mysterijs communicare, ipso ad tempus caput suum resumente. Denique petijt Ecclesiæ tranquillitatem, & impetravit, illamque prædixit mox futuram Diocletiano & Maximiano morte ereptis. O igitur fortem mulierem! O efficaciam orationis ejus!

Ecclí. 51.

S. Lucia constans in morte.

Conclusio. O Lucia, Virgo fortissima, impetra nobis fortitudinem & victoriam contra Mundum, Carnem, Satanam: ut numquam succumbamus Mundi fallacijs, Carnis illecebris, Satanæ insidijs impetra & Ecclesiæ Sanctæ Dei pacem & tranquillitatem, quæ jam tot lustris tempestates sustinet, su citatas ab ipsiusmet filijs, Regibus & Principibus inter se dissidentibus, & bella cientibus, magno matris dano. Rogamus te quæ ad pacem sunt Jerusalem. Mediatricem te cupiunt populi; fiat tandem pax in virtute orationis tuæ, quæ & olim pro ea rogasti, & impetrasti, ac prædixisti futuram, &c.

PRO FESTO S. THECLÆ VIRG. & MART. LECT. 6.

Collaudabo te Deum Salvatorem meum. Eccli. 51.

MUltæ è Christianis Virginibus laudari possent ob nobilitatem, pulchritudinem, opulentiam, gratiam exteriorem: sed quoniam omnia hæc contempserunt, & contemnenda docuerunt, de his laudem non appetunt, sed de illis quæ vere laude digna sunt, hoc est, de veris & solidis bonis: eamque laudem in Deum plene referri volunt. Si laudas quempiam, quia dives est, hoc fortunæ debetur. Si, quia fortis, ægritudine fatigabitur. Si, quia pulcher, caduca est pulchritudo & abituriens: abripiet illam senecta: ergo ab his omnibus laus non est solida, aut vera. Si laudas quempiam, quia nobilis, parentes ejus laudas, non ipsum. Cur laudabimus hominem propter ea, quæ sunt externa, & non potius propter ea, quæ sunt hominis propria? Aurea fræna & phaleræ non faciunt equum meliorem, nec pictura navem, nec de argentatio gladium: sed hæc omnia laudantur, si qualitatem habeant, ad quam destinantur ex hominum usu. Sic nec opes, nec ornatus, nec generis splendor, nec honores, aut aliæ extrinsecæ hominem reddunt laudabilem: sed mentis præstantia, & virtus intrinseca, quæ homini propria est. Cum ergo laudas quempiam ob virtutem, probosque mores, ac mentis sapientiam, ipsum laudas, & solidè laudas; siquidem hoc non est ætate casuve pendulum, nec à genitoribus hæreditarium.

De laudi. S. Thecla ex SS. PP.

A quibus homo laudari debeat.

S. Thecla ab his omnibus, quæ homines æstimant, laudari posset, à pulchritudine, nobilitate, divitijs: testatur enim Sanctus Epiphanius, hæc omnia ei non defuisse, desponsatamque fuisse ob hæc juveni nobilissimo, ditissimo, & formosissimo. Sed quandoquidem & ipsa omnia ista contempsit, nec in illis gloriari voluit, laudemus eam ab his donis, de quibus potest in Domino gloriari. Certè de ejus laudibus haud nobis est tacendum, quandoquidem Sancti Patres concordi animo & calamo eam miris extollant laudibus inter cæteras Virgines & Martyres, varijsque ipsam adornant titulis honorificis. Eam vocant *Primogenitam Filiam S. Pauli, Apostolicam Virginum, Protho martyrem inter Virgines, Puduitia Columnam, Caput mulierum victoriarum.* Cumque aliquam à sanctitate fœminam commendare volunt, eam instar Theclæ dicunt esse sanctam. Sic enim ob sanctitatis meritum Sanctus Gregorius Nysseus frater S. Basilij, Macrinam sororem suam alteram vocat Theclam. Sic & Theclæ Melaniam, celebrem pietate, comparat Sanctus Hieronymus. Ex his titulis jam positis pauca, in ejus laudem deducamus & delibemus, quam ab Apostolorum tempore illustrem novimus in sanctitate.

Epiph. hæres. 97.

S. Thecla laudanda à donis de quibus in Domino gloriari licet.

Elogia S. Theclæ.

Dicamus

S. Thecla Apostolica mulier & S. Pauli Primogenita. Act. 14.1.

Dicamus ergo *primo* hoc titulo celebrem esse & laude dignam quod *Apostolica mulier, & S. Pauli Primogenita* nominetur. Cur vero his titulis decoretur, paulo altius repetendum est. Notum est ex Actis Apostolorum, S. Paulum Iconij in Lycaonia sua prædicatione multum fecisse fructum, ita ut Judæorum & Græcorum, sive Gentilium, crederet copiosa multitudo. Inter hos conversos Thecla fuit, quæ audito S. Paulo ardenter de Virginitate differente, sponso relicto, ad cœlestis Sponsi thalamū adspiravit, & virginitatem ei consecravit. Tanto vero zelo fidem est amplexa, quā ex Pauli sacrato perceperat ore; ut pro illa quidlibet pati parata fuerit, eamque propagare quolibet labore & periculo studuerit. Testatur Chrysostomus hom. 25. in Acta, quod in tantum Verbi divini fuerit avida, & fidei zelo accensa, ut custodem carceris, quo S. Paulus Iconij detinebatur inclusus, gemmis ac muliebri mundo distractis sibi conciliarit, ut ad S. Pauli alloquium admitteretur. Quapropter sic de hac re loquitur: *Audi de B. Thecla. illa ut Paulum videret, aurum dedit: tu autem ut Christum videas, nec obolum donas.* Testantur & ejus acta, quod à tormentis liberta, ut Verbo Dei & laboribus S. Pauli cooperaretur, profecta fuerit Antiochiam ad Paulum, sed ab eo dimissam fuisse, ne Evangelio offendiculum daret. Cui conforme est, quod dicit S. Hieronymus in Epist. ad Oceanum: *Thecla post tentationem passionis Antiochiæ, à Paulo prohibetur pariter pergere.* Addit autem S. Basilius, Seleuciæ Episcopus, ejus vitam scribens, Theclæ tunc abeūti monita perfectionis à S. Paulo data fuisse, eumque prædixisse, multos ejus opera ad fidem convertendos, ut in partem Apostolici laboris veniret; atque urbem aliquam, nondum Christianæ Religionis imbutā, præceptis, ipsi committendam. Exinde ergo Seleuciam profecta, multos ad fidem convertit, & exemplo ipsius multi in disciplina Christiana plurimum profecerunt. An non ergo merito Primogenita S. Pauli, Mulierque Apostolica nominatur?

Zelus S. Thecla.

S. Thecla multos ad fidem convertit.

S. Thecla Dux & Primiceria Virginum post Deip.

Dicamus *secundò*, S. Theclam specialiter laude dignam à castitate & virginitate, & ob hanc à SS. Patribus celebratur, quasi *Dux & Primiceria Virginum*, post Deiparam MARIAM, pro qua & martyrium subiit. Certè alijs Virginibus in eo exemplum dedit, quod etiam in privatis domibus castitas servari possit, quodque non obstantibus sponsalibus, ob castitatem solemni voto firmandam recedere liceat à nuptijs. Quod quidem post Theclam nonnulli fecere, divina moti inspiratione.

Exempla SS. post sponsalia & nuptias castitatem vocentium.

Notum est de S. *Alexio*, quomodo propter eximium Jesu Christi amorem prima nuptiarum nocte divina gratia vocatus, sponsam intactam relinquens, ut Christo pauperi famularetur pauperillustrium Orbis terræ Ecclesiarum peregrinationem susceperit, vitamque castam perpetuo duxerit.

Alexius.

Macarij

Sic refert S. *Hieronymus* in vita S. *Macarij*, ipsum celebrato nuptiarum convivio, vespere urbem egressum fuisse, eremum petijsse, & ad mortem usque ibi permansisse.

Duo aulici.

Scribit quoque *S. Augustinus l. 8. Conf. c. 6.* duos aulicos Imperatoris, cum ambularent circa Treviros, incidisse in cellam cujusdam Solitari, & ibi lecta vita S. Antonij, ita intus commotos fuisse ad pietatem, ut sponsas, quibus jam erant desponsati, reliquerint, divinæ se foventes servituti.

Gregoria Virgo.

Denique testatur S. *Gregorius l. 3. Dial. c. 14.* de *B. Gregoria Virgine*, ipsum constitutis jam nuptijs fugisse ad Ecclesiam, ut sanctimonialis vitæ conversationem quæretur; & quia sponsum fugit in terra, in cœlo Sponsum meruisse.

Thecla

His omnibus Dux fuit S. Thecla, quæ decimum octavum annum agens, Thamiridem sponsum, nobilitate perillustrem, reliquit propter Christum & fidem Christianam, cujus præceptis ab Apostolo Paulo erat instituta, & ad castitatis amorem incitata, pro qua non timuit ulla tormentorum genera. Et quia inter fœminas prima pro Christo in theatrum descendit, impietatemque per tormenta prostravit, ac triumphum Fidei Virginitatisque egit, ideo *Protomartyr* apud SS. Patres appellatur. De ea sic loquitur Isidorus Pelusiota epist. 160. *Adde muliebrium victoriarum ac trophæorum caput, hoc est, illum omnibus laudibus celebratam Theclam quæ tanquam immortalis pudicitiæ columna prostat, quæque è media turbidarum affectionum tempestate, tanquam fax incensa, ad portum omnibus fluctibus immunem appulit.*

S. Thecla Virginū Protho-martyr.

Tanta porrò fuit ejus castitas, tamque veneranda, ut belluæ, quibus ex posita fuit, eā, teste S. Ambrosio honorare viderentur, & muto quodam eloquio collaudare. Sic enim ait de ea S. Ambrosius li. de Virg. *Thecla copulam fugiens nuptialē, & furore sponsi damnata naturam etiam bestiarum virginitatis veneratione mutavit. Namque parata ad feras, cum adspectus quoque declinaret virorum, & seipsam savo offerret Leoni, fecit ut qui impudicos detulerant oculos, pudicos referrent. Cernere erat lingentem pedes bestiam, cohibitare humi, muto testificantem sono, quod sacrum Virginis corpus violare non posset.* Addit ibidem S. Ambrosius: *Adorabat prædam suam bestia, & propria oblita natura, naturam induerat, quam homines amiserant. Videres quadam naturæ transfusione homines feritatem indutos, savitiam imperare bestiæ, bestiā exosculantem pedes Virginis, docere quid homines facere deberent. Tantum habet virginitas admirationis, ut eam etiam mirentur Leones. Docuerunt religionem, dum adorans Martyrem: docuerunt etiam castitatem, dum Virginis nihil aliud nisi plantas exosculantur, demersam in terram oculis, tanquā verecundantibus, ne mas aliquis vel bestia nudam videret Virginem.* Hæc S. Augustinus eleganter. Itaque in S. Thecla verum esse agnoscimus, quod de quibusdam dixit Apostolus: *Obturaverunt ora Leonum.* Fides & castitas Theclæ eos potuit mansuefacere

Castitas S. Theclæ quanta.

Hebr. 11

fere & cicurare, ac eis ora quodammodo obturare, imò & ad venerationem adducere.

S. Thecla miranda constantia in tormentis.

Dicamus *tertiò*, laudibus dignam esse S. Theclam, ob constantiam admirabilem in atrocissimis tormentis, ex quibus divina eam gratia liberavit, & S. Pauli pro ea oratio. Tria autem præcipua ejus tormenta fuisse indicat Ecclesia, dum pro agonizantibus sic orat : *Sicut Beatissimam Theclam Virginem & Martyrem tuam de tribus atrocissimis tormentis liberasti, sic liberare dignetis animam servi tui.*

S. Thecla primo paratus ignis.

Primo igitur ignis exparatus fuit, accusante eam *Thamir* de sponso ex consilio matris, quod matrimonium detrectaret tanquam Christiana, cum tamen ipsa Parentum consensu foret desponsata. At ipsa Fidei ardore succensa, & constantia invincibili armata, signo Crucis se muniens, libere ignem est ingressa. Tunc, teste *S. Basilio Seleuco*, adstitit ei Christus specie Pauli, eamque confortavit, & abigne intactam conservavit. *Paulus* autem cum *Onesiphoro*, & ejus filiis, in sepulchro delitescens ob persecutionis atrocitatem, ibique per plures dies abstinens, orabat pro Thecla ad rogum damnata. Divinitus vero pluvia gravissima cum tempestate exorta fugavit populum, & ignem omnino extinxit, ipsa & vestibus sine læsione permanentibus. Rursus hoc ejus non solum fidei sed & castitati attribuunt SS. Patres, quod illæsa permanserit quasi rubus in medio ignis incombustus, & quasi pueri Babylonis in medio flammæ intacti & glorioſi. Hinc illud Nazianzeni in præceptis ad Virg.

S. Basil. Seleuc. Eps. in vita ejus

Quis Theclam necis eripuit flammæq; periclo?
Virginitas. O res omni mirabilis ævo!

S. Thecla belluis ad judicata.

Secundo dedita pœnitentiis, jejuniis, orationibus magna cum austeritate, rursus accusata fuit, & condemnata à Judice, ut belluis ferocibus exponeretur, ut jam insinuavimus ex S. Ambrosio: quod fieri solitum fuit publico in loco & theatro, ubi Leones fame confecti stimulabantur ad prædam devorandam. Sed nec *impastos cibus flexit, nec citatos impetus rapuit, nec stimulatos ira exasperavit, nec usus decepit assuetos, nec feros natura posuit, ut eam lederent*, ut ait S. Ambrosius. Cui conformiter B. Zeno Episcopus Veronensis, serm. de timore, sic diserte loquitur de variis S. Theclæ tormentis: *Adversus Theclam accusator acerrimus eximit linguæ gladium; cum suis sibi ministris publicas leges inserviunt. Stimulis acuitur ferocitas in ferotitatem, & tamen mitior hominibus invenitur. Ne quid sane tam dirum in humanitatis deesse videatur; immittuntur & marina monstra. Laceratis omnibus exspoliatur puella, vestitur incendio. Interstot instrumenta mortis, spectatore metuente, secura calcat genera universa terrorum. Incolumis quassubacto orbe, de illo feralis cavea loco jam non miserabilis, sed mirabilis funereo habitu excedit, victi sæculi triumphum reportans, quam tot supplicia omnes crediderant peritura.* Hæc ille.

Merito igitur potuit usurpare S. Thecla illud: *Confitebor tibi, Domine Rex, & collaudabo te Deum Salvatorem meum; quia liberasti corpus meum à perditione, à laqueo linguæ iniquæ: liberasti me à rugientibus præparatis ad escam, & de manibus quærentium animam meam, & de multis tribulationibus quæ circumdederunt me, à pressura flammæ quæ circumdedit me.* Hæc enim omnia locum habent in illa. Vis id cernere compendiose?

Eccli. 51.

1. Liberavit Deus corpus ejus à perditione, sive corruptione, ad statum virginitatis eam transferens.

2. Liberavit à laqueo linguæ iniquæ, dum adversus sponsi sui furentis accusationem eam protexit.

3. Liberavit à rugientibus præparatis ad escam, dum à belluis ferocibus eam eripuit.

4. De pressura flammæ eam eduxit, & incolumem reddidit, ac de aliis multis tribulationibus & tormentis. Merito ergo dicit ob hæc omnia: *Confitebor tibi, Domine Rex, & collaudabo te Salvatorem meum.*

S. Thecla tauris distrahenda damnatur.

Ulterius, *tertium* tormentum fuit, quando tauris in diversa incitatis, alligata est, ac postmodum conjecta in fossam serpentibus plenam & viperis, à quo quidem tormento gratia JESU Christi incolumis evasit. Nempe Dominus, qui dederat suis potestatem calcandi super serpentes, hanc etiam S. Theclæ communicavit. Et qui S. Paulum, ejus instructorem & præceptorem, in Melitensi insula illæsum reddiderat à vipera manum ipsius apprehendente, eam potuit ab omni serpentino veneno immunem efficere.

Tota vita S. Theclæ mirabilis plena.

Concludamus, & postremo dicamus, ideo laudabilem S. Theclam, quia ejus tota vita morsque ipsa virtutibus & miraculis plena fuit. Secessit enim in solitudinem, & in monte stationem suam elegit, ut Dilecto liberius frueretur, atque ibi jejuniis, vigiliis, orationi, contemplationi continuo vacans, ad nonagesimum usque annum vixit. In ea certe completum est illud Domini apud Oseam Prophetam: *Ducam eam in solitudinem, ibi loquar ad cor ejus, ibi lactabo eam.* Delicias enim spirituales ex colloquiis divinis copiosissime illic percepit, & experientia agnovit, quam verum sit illud S. Basilii: *Solitaria vita cœlestis doctrina est schola, ac divinarum artium disciplina. Illic Deus est totum quod discitur, via qua tenditur: totum, per quod ad summæ veritatis notitiam pervenitur. Eremus est Paradisus deliciarum, ubi spirant odoramenta virtutum: ibi rosæ charitatis igneo rubore flammescunt: ibi lilia castitatis niveo candore candescunt; cum quibus etiam humilitatis viola; ibi myrrha mortificationis exundat, & thus orationis assidue indesinenter emanat.* Itaque S. Thecla in monte solitaria degens, Rosa fuit per charitatem, Lilium per castitatem, Viola per humilitatem, Myrrha electa per mortificationem, Thus odoriferum per orationem, donec consummationem accepit.

Oseæ 2.

S. Basil. tract. de lau. Eremi.

accepit, & ex hoc sæculo Christus evocavit animam ejus virgineam & purissimam, æterno in thalamo collocandam, Angelis & spiritibus cœlestibus ejus trophæa perenni jubilo decantantibus.

8. Thecla in & post mortem plena miraculis.

Neque solum in vita, sed etiam in morte, & à morte, multis fuit decorata miraculis. Nam ut de ea scribit S. Basilius Episcopus Seleuciæ in ejus vita, quam circa annum Domini 450. descripsit; cum multos ad Christum convertisset, postque multos agones & miracula, *haud quaquam vita defuncta est, sed viva subsidens, in terram ingressa est, quæ Deo ita volente in ejus gratiam discessit, seque illi aperuit eo in loco, quo divina ac sacra liturgia mensa, in orbe columnis argentoque undique fulgente cinctus, est constituta.* Idem tradit Athelmus & Metaphrastes in ejus Vita. Ubi adverte, non velle eos dicere, quod non sit mortua, sed quod instar S. Joannis in locum subterraneum sibi à Deo destinatum descendens, ibi animam Christo reddiderit; quodque ei Deus, sicut olim Moysi in monte Nebo, quoddam sepulchrum composuerit & adornarit, ipsa etiam terra aut rupe quodam miraculo ad ejus recipiendum corpus cedente, & locum concedente. Certe ejus sepulchrum variis effulsisse constat miraculis, ita ut ad illud honorandum undique concursus fieret. Unde & S. Gregorius Nazianzenus ad illud devotionis gratia venisse traditur, quasi ad sacrum Mausolæum à Deo ibi Virgini Theclæ ex ædificatum, sicut & S. Catharinæ in monte Sinai. Quapropter S. Basilius Seleucos sic rursus de eo testatur: *Tanquam ex canali virginalis suæ beneficentiæ, copiose ibidem profluentis, contra omnem dolorem atque ægritudinem salutares remediorum fontes egentibus postulantibusque emittit: ita ut locus ille publica jam medicinæ officina, & commune terrarum orbis propitiatorium sit effectus.* Hæc ille vir sanctus, qui Concilio Constantinopolitano & Calcedonensi interfuit, & quæ in Seleucia in S. Theclæ favorem miracula facta erant, tanquam loci Episcopus, prope noscebat.

Conclusio.

TU igitur, ô Virgo & Martyr, immo & Virgo num Prothomartyr, Apostolica mulier, Evangelio cooperatrix, Apostoli & Doctoris Gentium Filia Primogenita, Orbis prodigium. Latis SS. Patrum, impetra nobis firmam fidem; integram castitatem, animarum zelum igneum, perfectam charitatem, per quam læta descendisti in certamen, fortiter dimicasti, gloriose triumphasti, & omnibus tormentis ac hostibus superior evasisti, impetra quoque fœlicem nobis mortem & consummationem, ut secure & placidè in Dei gratia & amore vitam finientes, tecum quiescere, & æternam vitam adipisci valeamus, Sponsumque tuum Redemptorem nostrum perenniter collaudare, & ejus frui visione.

***

IN FESTO S. THOMÆ. LECT. 7. bipartit.

Noli esse incredulus, sed fidelis. Joan. 20.

PARS I. Cur sacra Scriptura, peccata Sanctorum recenseat

SAcra Scriptura & Evangelica Historia, (ut rectè advertit S. August. l. 22. contra Faustum c. 65.) tamquam speculi fidelis nitor nullius accipit adulandam personam, sed & laudanda & vituperanda hominum facta vel ipsa judicat, vel legentibus judicanda proponit: non solum homines ipsos vel vituperabiles vel laudabiles intimans, verum etiam quædam in vituperabilibus laudanda, & in laudabilibus vituperanda nō tacens. Hoc patet in Evangelica enarratione eorum, quæ concernunt S. THOMAM, cujus describitur & titubatio ac fuga ignominiosa in derelictione Magistri, de quo tamen antea dixerat magno animo: *Eamus & nos, & moriamur cum illo.* Describitur quoque incredulitas & contumacia perniciosa, dum aliis Discipulis nūciantibus resurrexisse Dominum, seque eum vidisse, pertinaciter dicit? *Non credam, nisi videro fixuram clavorum, & mittam manum in latus ejus, &c.* Sed cur etiam Sanctorum peccata sciri & publicari conveniens fuerit, variæ rationes afferri possunt. Paucas ad propositum attingamus.

Ioan. 11.

Ioan. 20.

Rat. 1.

Prima est, non solum ut sincera & incorrupta veritas sacris Scripturis haberetur, sed etiam ut divina erga peccantes misericordia prædicaretur, quæ eos dignata est è peccatis eruere, sanare, salvare. Unde & ipsi Sancti hoc ipsum optarunt, & in hoc gavisi sunt, quod eorum peccata proderentur, ut per ignominiam propriam Dei gloria celebrior & illustrior efficeretur. Injurius censetur Medico, per quem è gravi & fœtido morbo convaluit, qui morbum cupit tegere, ne se fateatur curatum. Ingratus quoque Magistro pronunciandus est, qui ignorantiam non cupit agnosci, de qua illius institutione emersit. Immemor etiam beneficii est, qui suæ miseriæ & inopiæ non vult mentionem fieri, à qua alterius benignitate est sublevatus. Gaudet ergo S. *Thomas* incredulitatis suæ & pertinaciæ fieri mentionem quasi vulneris cordis sui, ut agnoscatur virtus vulnerum Christi, ut agnoscatur benignitas Medici. Optat ignorantiam suam, miseriam & cæcitatem propalari, ut agnoscatur providentia sapientia, benevolentia Magistri. Ideo & frequenter S. Paulus ignorantiam & cæcitatem ac miserandam sortem commemorat, ut Dei misericordiam erga se illustriorem reddat: *Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Iesus Christus venit peccatores salvos facere, quorum primus ego sum quia persecutus sum Ecclesiam Dei.* Alibi fatetur se abortivum & indignum gratia Dei. Sic S. August. tredecim libros Confessionum edidit, ubi flagitia floridæ ætatis suæ publicavit, ut glorificaret divinam clementiam quæ ipsum eruit. *Quia tu veritatem dilexisti, & qui facit eam, venit ad lucem velo eam facere in corde meo coram te in confessione: in stilo autem meo coram multis testibus,* ait ipse l. 10. Confess.

1. Tim. 1.

1. Cor. 15.

¶. 2. *Secunda.* Cur Sanctorum crimina enarrentur, est, ut nemo sibi nimium fidat, aut in hac vita securus sit, cum etiam Sancti quandoque graviter impegerint. Infirmitas ergo humana coram oculis nostris in eorum exemplis proponitur, ne de nostro statu
2. Cor. 10. inaniter gloriemur, sed *qui stat, videat ne cadat.* Propterea negatio Petri ter repetita oculis nostris obversatur, qui tanto zelo prius erga Dominum suum ferebatur, vt ejus lapsu nostræ infirmitatis admoneamur. Similiter Thomæ, & aliorum Apostolorum vacillatio, dum fugiunt & error, dum increduli sunt, post tot instructiones & prædictiones Domini, palam describitur & evulgatur ab Evangelistis ob eandem rationem nimirum, ut numquam dicamus, nostræ confisi virtuti, illud Psaltis:
Psal. 29. *Non movebar in æternum*; statim enim insolentiæ hujus pœnam subiisse commemorat, dum subjicit: *Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Dicere tamen possumus divinæ gratiæ fulti
Psal. 55. auxilio: *Dominus à dextris est mihi non commovear.* Itaque justorum peccata si proponuntur, hoc fit ut à simili caveamus ruina, à pari scopulo & naufragio. Est enim Evangelica historia velut tabula nautica, in qua scopuli, syrtes, & charybdes describuntur, ut admoneantur navigantes, ne in illa periculosa loca sinant se dilabi, sed periculo latenti provideant prævidentes. O quam multi sunt, qui Christo ad mortem eunti, & ad crucem tendenti videntur dicere cum S. Thoma zelo zelantes pro
Ioan. 11. eo: *Eamus & nos & moriamur cum illo!* Perseverantiæ enim suæ & virtuti præteritæ fidunt, quasi parati pro Christo mortem obire, vel cum illo sanguinem fundere. At ubi occasio pugnandi contra peccatum & Satanam advenit, refrigescunt, vacillant, fugam ineunt. De quibus illud possum[s] dicere *Filii Ephrem*
Psal. 77. *intendentes & mittentes arcum conversi sunt in die belli.* Arguit his verbis Psaltes quosdam ex Israelitis, qui antequam urgerentur bello, multa sibi promittebant, velitationes præmittebant, sagittas insignum jaciebant, præludia belli quasi fortitudinis præsagia jactabundi ostentabant: interim dum prælii serum tempus tandem adventavit, corde formidoloso fugerunt pavitantes. His non absimiles sunt, qui magnos sibi in virtute spondent progressus pacis tempore nemine occurlante: At verò dum incumbit virilis pugna contra Satanam, carnem, mundum, corde confracti victas dant manus, sicque in tempore tentationis recedunt. Quod si in Domino solo fiduciam fixissent, & non in suis viribus; nec titubassent, nec defecissent. Quod quidem aliquibus etiam cõtigit Sanctis ad tempus, ut sese agnoscerent & aliis postmodum etiam exemplo forent & cautelæ. Unde S. Ambros. l. 10. in Luc. c. 20. sic de S. Petri negatione ait: *Error Petri doctrina justorum est, titubatio Petri omnium petra est.*

¶. 3. *Tertia* ratio, cur Sanctorum defectus & vitia propalentur, hæc est, ut qui quandoque corruunt, eorum exempla contemplantes, postea non desperent, sed sicut illi ad gratiam novam cum fervore magno resurgant. Quocirca dicebat S. Ambrosius loco jam citato: *Etiam lapsus Sanctorum utilis est, Nihil mihi nocuit quod negavit Petrus, profuit quod emendavit.* Nempe ex ejus emendatione omnes ad emendationem monentur, qui ut ipse quandoque corruerunt; omnes ad fletũ, qui unquam peccaverunt. Petrus cadendo neminem dejecit, resurgendo plurimos suscitavit. Nemo debet eum sequi errantem, at multi sequi debent pœnitentem. Postquam flevit, erectus est, ut secum alios erigeret. Idem dicimus de S. *Thoma* Apostolo: Cecidit ille per infirmitatem per titubationem in fidelem, dum Christum deseruit; cecidit profundius per incredulitatem & obstinationem; dum resurrectioni non credidit; sed resurrexit, dum Christus resurgens ipsũ admonuit, dum ipse vulnera resurgentis retigit, & inclamavit: *Dominus meus, & Deus meus.* Interim arguitur à Domino, & ei dicitur: *beati qui non viderunt & crediderunt, quia vidisti me, Thoma credidisti.* Quapropter hic locum habet illud S. Augustini in Psal. 50. *Non cadendi exemplum propositum est, sed si ceciderit, resurgendi. Attende ne cadas. Non sit delectatio minorum lapsu majorum; sed sit casus majorum tremor minorum.* Iterum hic locum habet illud S. Ambrosii describentis invidiam fratrum erga Joseph, & ipsius Josephi patientiam ac charitatem: *Amb. l. de Ioseph.* *Discamus ergo & Sanctorum invidiam, ut imitemur patientiam, & cognoscamus non naturæ præstantioru fuisse, sed observationis; nec vitia nescisse, sed emendasse* Itaque ideo peccatum S. *Thomæ* in Evangelio hodierno describitur, ut sciamus eum illud emendasse, & sic per illius peccati descriptionem nostra peccata deleantur, dum cum resurgente resurgimus, si quando cecidimus, & vitia nostra emendamus, quæcumque quaquà via contraximus.

¶. 4. Denique dicamus cum S. Gregorio; ideo speciale fieri mentionem infidelitatis S. Thomæ, quia divinam per providentiam illa permissa fuit ad majorem fidei nostræ firmitatem. *Egit miro modo superna clementia, ut discipulus dubitans, dum in Magistro vulnera palparet carnis, in nobis sanaret vulnera infidelitatis.* Ulterius pronunciat idem S. Doctor hæc verba ponderatione digna: *Plus nobis profuit Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides Discipulorum credentium. Quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postposita in fide solidatur.* In eandem sententiam multa eloquitur pereruditè & pereleganter S. P. Chrysologus serm. 85. ubi inter cætera quæritur: Cur *Thomas* vestigia fidei sic requirit? Cur ea vulnera, quę manus infixit impia, devota dextera sic resulcat? Cur latus impii militis lancea patefactum refodere manus nititur? Discipuli famulantis? Cur ad indiciũ fidei vulnera sibi vult præsentari callidus explorator? Nullane sunt resurrectionis ejus documenta, nisi manibus sulcet Judaica crudelitate exarata viscera? Respondet S. Chrysologus: *Quæsivit fratres pietas ista, exegit ista devotio, ut resurrexisse Dominum nos* *Greg. ho. 26. in Ev.*

nec ipsa in posterum dubitaret impietas. Sed Thomæ non solum cordi sui, sed omnium hominum curabat incertum, & prædicaturus hæc in gentibus, quemadmodum tanta fidei adstrueret sacramentum, executor strenuus perquirebat. Significans divina pietate permissam *Thomæ* incredulitatem ad omnium gentium futurarum firmitatem & salutem.

PARS II.

De sanatione S. Th. ad contactū vulnerū

Ezech. 34.

SEd videamus quam gratiosa Domini invitatione *Thomas* fuerit sanatus. Pastor ille qui apud Ezechielem dicit: *Visitabo oves meas cum dispersæ fuerint in die nubis & caliginis*, jam visitaverat ovile suum, & oves reduxerat errantes, confirmarat vacillantes, in medio discipulorum apparens, & pacē eis nuncians ac gaudium; deerat una hæc ovicula ovili & gregi, quæ adhuc dispersa aberrabat. Nec unam istam negligere voluit, ut posset Patri dicere.

Ioan. 17. *Quos dedisti mihi, servavi, nec periit ex illo quiquā nisi filius perditionis.* Abierat jam ipse ad laqueum & perditionem, per versæ voluntatis impetu adactus & desperatione, Pastores contempta monitione. Post octo igitur dies, ut unum illum ex illis quos Pater dederat, reduceret, & conservaret adhuc errantem, & ab alijs segregatum & absentem, iterum in medio omnium se sistit, iterum pacem nunciat & gaudium, iterum miraculosè per clausas januas corpus præsentat redivivum. O quantum nostrarum amator & zelator animarum uni vel defert animæ, ut eam perducat ad salutem! O quam ostendit unius salvationem sibi cordi esse & curæ! Hoc certè satis probat hæc apparitio facta specialiter in gratiam *Thomæ*. Quid igitur? Invitat eum gra-

Ioan 20. tiosè, arguit benevolè, sanat sapientissimè: *Infer digitum tuum huc & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.* O magnam benignitatem Christi Domini, vulnera *Thomæ* attactu vulnerum suorum curare dignantis, vulnus cordis vulnere carnis persanare satagētis, quasi cum infirmo infirmetur! Certè paratus erat etiam illi tamquam Elisæus mortuo puero incumbere, ut vitam & sanitatem posset recuperare, oculos scilicet oculis, caput capiti, manus manibus, pedes pedibus, latus lateri conformare & coaptare. Sed sufficiebat manum tāgere, pedes, manus, latus; ideo ad hoc invitatur; sicque vitam recipit fidei, mortem relinquit erroris & incredulitatis, pertingens ad illam veram *vitam,*

Coloss. 3. *quæ abscondita est cum Christo in Deo*, ut loquitur Apostolus.

Christus cur servarit vulnera.

Ex his ergo elucescit, Christum vulnera retinuisse patentia, non solum tanquam præclara victoriæ suæ symbola & virtutis præconia, (quot vulnera, tot sunt ora aperta ejus victoriam & fortitudinem deprædicantia) neque solum illa retinuisse, *ut jugiter ad Patrem salutis humanæ exigerent pretium, & obedientia requirens donativum*, ut loquitur S. Cyprianus: sed maxime ut essent testimonia veritatis corporis, veræ passionis, veræ resurrectionis, sicque in S. Thoma & Apostolis, ac fidelibus postmodum omnibus, firmarent fidem, & acuerent devotionem. Nam ad dubitantium corda sananda hæc vulnerum esse servata vestigia, patet in verbis Domini ad Thomam directis: *Infer digitum tuum huc, & noli esse incredulus sed fidelis.* Quasi dicat: Digiti tui intrent vestigia clavorum, manus tuæ alta vulneris exquirant, latus sulca, nec illud putes nimium pro manu tua esse arctum, in quo totum hospitio excipere possum mundum: non possum tibi discipulo negare ad fidem & credulitatem, quod inimicis nō negavi ad injuriam & crudelitatem. Iterum ergo effundant toto orbe te aperiente hæc vulnera, fidē, quæ aquam in lavacrum, sanguinem in omnium fuderunt pretium.

Dictum Christi ad S. Thomam variè applicabile.

Quod autem Thomæ à Domino dictum est: *Infer digitum tuum huc, & mitte manum in latus meum*, hoc etiam nobis dicitur, non jam vacillantibus in fide, sed tepescentibus in charitate & devotione; ut Domini contactu salubri & spirituali excitemur, & accendamur, & illuminemur, novi lucis & ardoris participes effecti, ex hac fornace amoris.

1. Charitatem Christi mentientibus.

1. *Infer digitum tuum huc, & manum tuam mitte*, quicunque Christi charitatem vis dimetiri, & agnoisce quę sit longitudo & latitudo sublimitas & profundum illius, donec perfectius cum omnibus Sanctis possis hæc comprehendere, ut ad Ephesios loquitur Apostolus.

Ephes. 3.

2. *Infer digitum tuum huc, & mitte manum tuam in latus* quicunq; vis agnoscere quam grave, quamque abominabile fuerit peccatum tuum, pro quo adeo gravia, adeo profunda vulnera pati voluerit Filius Dei, innocens, & peccati omnis expers.

2. Peccati gravitatem serutantibus.

3. *Infer digitum tuum huc, & mitte manum tuam in latus*, quicumque divinæ justitiæ severitatem vis considerare, qui proprio Filio suo non pepercit, sed sic eum vulnerari voluit, quia peccata nostra in se assumpsit: *Propter scelus populi mei percussi eum*, inquit, ipse apud Isaiam.

3. Severitatem justitiæ Dei considerantibus.

Isai 53.

4. *Infer digitum tuum huc, & mitte manum tuam in latus*, quicunque animæ tuæ dignitatem vis investigare, & pretium pro ejus salute & redemptione impensum explorare; & dic quanta oportet me pro te facere, si Dei Filius tantum pretium voluit pro mea redemptione dare. Ecce consisus est saccus, & manum tuam licet immittere, ubi latet thesaurus inæstimabilis, & precium semel impensum, sed continuò tibi applicandum, ut efficaciter fias particeps acquisitæ redemptionis. Dic quoque cum S. Augustino: *Postquam intellexi me pretioso Christi sanguine redemptum, noluisse amplius exhibere venalem.*

4. Dignitatem animæ considerantibus.

5. *Infer digitum tuum huc, & mitte manum tuam in latus*, quicumque divinæ misericordiæ sacramentum inæstimabile vis scrutari. Latet utique in his vulneribus, vel potius patet illud per hæc aperta vulnera; & melius illud perspicies, si non solum digitum & manum immiseris in latus apertum, sed & cor tuum illuc ineuxeris, ut quoad fieri potest, non solum digito attingas, sed & corde concipias divinæ misericordiæ ineffabilem benignitatem. Sic poteris ibi inclamare cū S. Thoma

5. Dei misericordiam examinantibus.

Dominus meus, & Deus meus, & cum Psalmista: *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Utinam possis ibi dicere: *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* 6. *Infer digitum tuum huc, & mitte manum tuam in latus*, quicumque manum habes leprosam & contaminatam injustitia, impudicitia vindicta. Si enim impura facta est manus tua, quia in sinum tuum eam misisti instar manus Moysis, jam sana & munda redderur, si eam in Christi Domini sinum & vulnera immiseris, ubi balneum reperitur ab omni labe & tabe emundans quicquid leprosum, quicquid maculosum est. Sic Medicum probabis in vulnere illo, ubi omnis medicina reperitur, ubi omne vulnus curatur. 7: *Infer digitum tuum huc, & mitte manum tuam in latus*, quicunque vis operari justitiam, & manum mittere ad fortia. Immitte illuc & animam, si in vano non accepisti eam, immitte & cor, si vis esse *innocens manibus & mundo corde.* Si fuerit prius cor superbum, ibi fiet humile; si fuerit terrenum, ibi fiet cœleste, si fuerit sordidum, ibi fiet sine labe; si fuerit impatiens ibi fiet mite: si fuerit tepidum & languens, ibi participabit de igne & amore; si fuerit obstinatum & durum, ibi fiet molle; si fuerit turbulentum, ibi quiescet cum pace; si fuerit vacillans, ibi fiet firmum & fidele, ibi enim *loquitur Dominus pacem super eos qui convertuntur ad cor.* 8. *Infer manum huc*, si vis gustare cum Sampsone de favo mellis latente in vulneribus Leonis de tribu Juda, & simul gustare quam suavis sit Dominus, ac intelligere illud problema: *E forti dulcedo.*

Hæc omnia manifesta sunt ex his quæ contigerunt S. Thomæ, dum intulit manum in locum & vestigia clavorum, dum immisit manum in latus apertum: subitò enim in eo facta est mira mutatio mentis & cordis, lux & suavitas accessit, ignis exarsit, ita ut possimus hic dicere: *Digitus Dei est, & mutatio dexteræ excelsi.* Et iterum illud quod de Saule subitò olim inter Prophetas prophetante pronunciatur, hic locum habet de Thoma inter Apostolos Domini corpus tangente & veritatem sublimi voce profitente: *Insiliet in te spiritus Domini, & mutaberis in virum alterum.* Illud probant hæc pauca sed energica, sed plena fide, & devotione exæstuantia verba: *Dominus meus & Deus meus.* Quæ quidem in ejus corde per fidem & pietatem ita firmiter & indelebiliter fuere exarata, ut numquam deleri potuerint, vel ferro, vel igne, vel tormentis, vel qualibet violentia, vel ipsa morte. Sed gavisus fuit se posse illa, vel fidem illis contentam proprio cruore signare, confirmare, exornare. Qui prius enim ex incredulitate & obstinatione (non obstante relatione & testimonio Coapostolorum dicentium: *Vidimus Dominum*) dicebat veritati & lumine rebellis: *Nisi videro fixuram clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam*, subitò erumpit in vocem fidei & confessionis omnibus sæculis gloriosa, *Dominus meus & Deus meus*; qua usq; ad extremum spiritum tenuit, pro qua & mortem lubentissimè obijt. Cum enim zelo fidei hujus accensus, Christum Deum & Dominum, ejus divinitatē & humanitatem Medis, Persis, Hircanis, Indis, alijsque nationibus barbaris & infidelibus prædicasset, tandem ab hostibus veritatis comprehensus, telisq; confossus, in illa confessione intrepidus perstitit, & spiritum reddidit illi, quem Dominum & Deum suum agnoverat & prædicarat, pro quo vulnerato & mortuo vulnera & mortem lubentissimè subibat. Nunc verò, sed longè feliciori quam olim contactu & visu, in divinitatis & humanitatis Jesu Christi Magistri sui fruitione & visione, æternum censetur illud repetere & insonare: *Dominus meus & Deus meus.* illa enim vox, quæ fuit vox fidei & confessionis in terris, nunc effecta est vox perpetuæ laudis & jubilationis in cælis.

Felix qui cum *S. Thoma* plagas Domini per contemplationem sæpè intuetur per imitationem tangit, per compassionem & participationem manum in illas immittit, per cordis amorem & confessionē in illis habitat. & nidum sibi componit. Felix qui illas sibi in partem vendicat & thesaurum, ex quo redemptionis & salvationis suæ precium depromat Deniq; felix, qui tota cordis intentione & amore in vita sua potest dicere cum Thoma: *Dominus meus & Deus meus*, Etenim testatur Apostolus, quod *nemo potest dicere, Dominus Iesus nisi in Spiritu S.* Sic etiam ut oportet, nemo potest dicere: *Dominus meus, & Deus meus.* nisi in Spiritu S. Quomodo enim sincerè eum possis dicere Dominum tuum, nisi te in veritate possideat ut servum obsequiosū, & non rebellem? Quomodo Deum tuum, nisi illum agnoscas, & ipse te agnoscat à se creatum, à se beatitudine donandum? Felicior qui in morte hoc ipsum potest in Spiritu sancto pronunciare: *Dominus meus, & Deus meus*, in manus Domini & Dei spiritum suum reponendo. Felicissimus qui tota id poterit cum S. Thoma æternitate resonare, perenniter jubilando, & in sæcula sæculorum laudes Domini & Dei sui decantando: *Dominus meus & Deus meus.*

Spiritus. lu vulnerū Christi sit tatum.

Cor, 12.

Concludamus, & ad Christum vota dirigamus eique dicamus: O Pastor bone, Jesu Christe, qui Thomam tamquam ovem in dispersione errātem piè reducis, benignè excipis, cum amore complecteris illique partem bonam in plagarum ac lateris tui felici attactu impertiris; quiq; exinde toto tempore vitæ ad extremum usque spiritum in fidei confessione fortitudinem ei invincibilem tribuis & perseverantiam in amore. Agnoscere nos quoque eadem benignitate digneris ut oves gregis tui; & si quandoque contingat aberrare à fide, deficere à spe, decidere à charitate, ne graveris revocare & reducere, illuminare & accendere, partemque cum Thoma pœnitente in vulneribus & plagis tuis donare. Fac ut ibi expiemur promptè, cōfiteamur perfectè, habitemus secure, exultemus pie & cum charitate

Conclusio.

Psal. 72. Psal 85. 6. Impuri peccatoribus. Exod. 3. 7. Benè operari volentib. Psal. 23. Psal. 84. 8. Dulcedine vulnerum Christi fruentib. Judic. 14. Exod. 8. 1. Reg. 10. Joann. 20

ritatis ardore. Denique, hoc nobis gratia & clemẽtia tua impertiatur, ut Apostoli tui vestigia sectantes, in vita & in morte, in tempore & æternitate, confiteamur cum jubilatione, quod tu Dominus es & Deus noster, quem debent adorare, laudare & benedicere omnes Angeli, omnes electi, imo omnes creaturæ.

Plura hoc festum S. *Thomæ* concernentia produximus super Dominicæ in Albis Evangelio, ubi latius explicuimus illa verba: *Dominus meus & Deus meus*, item illud: *Beati qui non viderunt & crediderunt*. Adjecimus & aliqua ejus miracula. Illuc remitto Lectorem.

PRO FESTO S. STEPHANI.

LECT. 8. tripart. *Domine prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis &c.* Psal. 20.

PARS I. *De benedictionib. Stephani in vita.*

CElebravimus heri diem Domini, & supremi Ducis nostri JESU Christi *Natalem*, quo natus est in hunc mundum ex utero virgineo, & editus in hanc lucem ex ergastulo tenebricoso: diem inquam, illum solemnem, quo Deus infans pannis fuit involutus, in præsepio reclinatus, in fœno positus, fasciis colligatus, lacte tenero potatus. Hodie recolimus diem festivum primi ejus Militis & martyris Stephani, hunc que diem etiam ejus *Natalem* nominamus; quia, ut verbis S. Petri Chrysologi utar: *Chrysol. ser. 133.* *Merito natus hodie creditur, quando non ad præsentem vitam materno est effusus ex utero, sed conceptu fidei, martyrij partu, cælestem nascitur generatus ad gloriam. Quando non eum materna cunabula vagientem, sed super ua triumphantem secreta susceperunt. Quando non infirmum lactis pastum genetricis trahit ex pectore, sed pro Rege suo devotissimus miles virtute sanguinem fudit.* Ecclesia ergo novella, (quæ etiam Mater est & Virgo, sicut & Maria) hunc primum suum peperit per sanguinem fœtũ: peperit autem cælo non mundo: lactandum non lacte humano, sed solido Angelorum pascendum cibo: non pellibus filiorum Adæ vestiendum, sed incorruptionis vestimentis adornandum: non ad tempus mortali hac & caduca aura usurum, sed æternalucefruiturum. O felix Nativitas! O Genitrix beata, licet cum dolore partum ediderit, ut ille tandem foret sine dolore! Certè potuit dicere Ecclesia nova, quod olim Jacob & Ruben primogenito filio suo, non conquerendo ut ille, sed congratulando: *Gen. 49.* *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea & principium doloris mei, prior in donis.* S. Stephanus recte per Ruben indicari potest, quia *Ruben* idem significat quod *Videns filium*, ipse autem est qui Dei filium vidit stantem à dextris ejus. Ipse quoq; *S. Steph. est ut Ruben primogenitus* *Primogenitus* censetur, quia primus Martyr, ideoq; & *Fortitudo* matris suæ fuit per constantiam invincibilem, & *Principium doloris*, quia in prima persecutione ei sublatus. Sed & Propterea *Prior in donis* tamquam primogenitus adiens primus hæreditatem Patris, ab eoque primus benedictione adornatus. Quapropter illud pro eo recte scribimus: *Psal. 20.* *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Vitam petijt à te, & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum & in sæculum sæculi.* Dicimus autem eum obtinuisse triplicem benedictionem: Benedictionem in *Vita*, Benedictionem in *Morte*, Benedictionem *post mortem*.

1. *S. Steph. à Deo prævenitus in benedictionibus in vita.* *Act. 7.*

Primo quidem, multiplex eluceat in vita ejus benedictio, qua suaviter a Domino præventus fuit. Nam de eo testatur sacra Scriptura, quod fuerit *Vir plenus fide & Spiritu S.* Et rursus: *Stephanus autem plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia & signa magna in populo.* Plenus ergo erat Spiritu S. & ejus donis ac virtutibus, gratijsq; tum gratum faciebus, tum gratis datis: plenus charitate & zelo: plenus sapientia, cui non potetant adversarij resistere: plenus robore & constantia, ad omnia superanda, quæ sibi poterant esse contraria: plenus denique fide excellente & fiducia ad patranda miracula. Ita in omnibus his excellebat cæteros fideles post Apostolos, ut omnes in eum oculos conjicerent, & ei testimonium bonum perhiberent. Hæ ergo virtutes & gratiæ multiplices à benedictione Dei proveniebant, & eum quasi variæ gemmæ radiantes coronabant, ut meritò *Stephanus* vocaretur, hoc est, *Coronatus*; Corona enim gratiæ & justitiæ effulgebat in vertice ejus, tandem promeritura coronam cælestis gloriæ & æternæ vitæ.

Electus à Deo & populo.

Propter hanc eminentem gratiam & sapientiam electus fuit à Domino, electus & à populo primus ad sacrum Diaconatus ministerium & ordinem: illique imposuerunt manus Apostoli, ut magis ac magis adaugererur in eo gratia Spiritus Sancti, & ut quasi victima sacratissima Deo offerretur, & cõsecraretur ad obsequium & cultum, sicut olim imponi solebant manus victimæ. Electus ergo fuit S. Stephanus primus inter illos septem Diaconos, quos ex inspiratione divina elegerunt Apostoli cum plebe in Spiritu sancto congregata, de quibus: *Levit. 1.* *Act. 6.* *Considerate fratres ex vobis viros bonos testimonij septem plenos Spiritu sancto & sapientia.* Et hi quidem constituti sunt ad instar septem Angelorum Deo assistentium. Sicut enim illi assistunt Deo quasi primarij ministri: ita hi septem Diaconi assistebant & ministrabant S. Jacobo, cæterisque Apostolis Dei vicem gerentibus. Unde S. Ignatius sic alloquitur Heronem Diaconum, qui ipsi in Episcopatu Antiocheno successit, epistola ad ipsum: *Nihil sine Episcopo facito; Sacerdotes enim juris, tu vero Sacerdotum minister: Baptizant, sacrificant, manus imponunt, eligunt, tu vero illu ministras, ut Stephanus Jacobo.* Item epist. ad Trallianos sic ait: *Quid aliud sunt Diaconi, quam imitatores Angelicarum virtutum, qui purum & inculpatum ministerium Sacerdotibus exhibent, ut Stephanus Beato Jacobo, Timotheus & Linus Paulo, Anacletus & Clemens Petro?* Unde certum est, quod non solum mensarum ministri fuerint

Officium Diaconorum.

fuerint Diaconi, hoc est cibi & potus, ac eleemosynarum, sed maximè ministri Ecclesiæ, & sacræ mensæ Eucharisticæ, sacrique calicis: ad hæc enim ministeria ritè obeunda impositionem manuum accipiebant, & per illam Spiritum S. insuper eorum officium fuit visitare carceres, animare Martyres, illos alere, illis providere de omni ope spirituali & corporali ex substantia Ecclesiastica. Quapropter initio in persecutione pondus Ecclesiæ ex parte sustinuerunt, pleni robore, exemplar sese constantiæ & martyrij offerences. Paret in S. Laurentio, tēpore S. Sixti Pontificis; in S. Vincentio, tempore Valerij Episcopi Cæsar Augustani, in SS. Cyriaco, & Smaragdo, ac Largo, tempore S. Marcelli sub Diocletiano, qui omnes fuere Diaconi pleni Spiritu S. & gratia, ac fortitudine, sapientiaque. Hos vero omnes præcessit, & illis exemplum sese præbuit Sanct. Stephanus, quasi Dux vel Anteſigranus, benedictionibus dulcedinis à Domino præventus præ cæteris.

Diaconorum Princeps S. Steph.

Hæc quoque benedictionis multiplicis præeminentia eluxit in eo, quod tamquam Angelus visus fuerit, non solum à Fidelibus, sed etiam ab adversarijs suis. Cum enim rapuissent eum, & statuissent in concilio blasphemiæ accusatum, dicitur: *Et intuentes eum omnes qui erant in concilio, viderunt faciem ejus tamquam faciem Angeli.* Hoc est, Viderunt quid eximium, augustum & cœleste in vultu ejus, quasi speciem & majestatem Angelicam contuentes. Sic Esther dicebat Assuero Regi: *Vidi te Domine quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum pra timore gloria tua, Valde enim mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum.* Verisimile porro est Deum contulisse S. Stephano novum splendorem, quasi radios quosdam corporis glorioſi, ut in Moyse factum est. Quocirca S. Augustinus ser. 99. de diversis, dicit faciem Stephani radiasse instar Solis. Et Tertull. lib. de resurrect. c. 53. dicit S. Stephanum instar Christi in transfigutatione Angelicum fastigium induisse. Putat quoque S. Chrysost. S. Stephanum faciem Angelicam induisse ex conspectu gloriæ Dei & Christi, sicut Moyses ex conspectu & consortio Dei contraxit radios in facie, & sicut Elias iterum cum Moyse gloriæ cujusdam & majestatis consortium ab eodem Christo habuerunt in monte. Cui conformiter loquitur S. Augustinus ser. 6. de S. Stephano, diceps. *Stephanus revelata facie speculabatur in cælo gloriam Filij Dei, ideo videbant Iudæi vultum ejus tanquam vultum Angeli Dei.* Sic ergo videtur jam ab initio Stephanus visionem illam habuisse, de qua postea dixit: *Ecce video cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei*, quamvis de illa visione mentionem non faciat, nisi in fine & morte, ad confusionem Judæorum majorem.

Esther. 15

Chrysost. in Acta.

Cur tantus splendor in vultu S. Stephani.

Sed cur Deus talem ei splendorem contulerit in vultu, non una ratio afferri potest. *Inprimis* voluit internum ejus fulgorem & mentis pulchritudinem exteriore illo vultus fulgore indicare. De quo S. Hilarius Arelatensis sic loquitur: *In facie pulchritudinem candor splendorque animi exundabat, ac abscondita pectoris ornamenta speculum frontis irradiabant, atque cum haberet in se Spiritum S. os præ se gestabat Angelicum. Secundo* voluit Dominus speciaPs. 2. liter per hoc significare ejus castitatem & sapientiam instar Angeli: candor enim virginalis animi & lucidissimæ sapientiæ mentis redundabat in faciem & decus corporis. Unde S. Augustinus: *Stephano Martyri & pulchritudo erat corporis, & flos ætatis & eloquentia sermocinantis, & sapientia sanctissima mentis, & testimonium sinceriſſima castitatis, & operatio divinitatis.* Sic & Sancta Cæcilia, quia castissima erat, & cum Angelo custode suo conversans cum puritate & gratia admirabili, visa est in specie quadam Angelica, per quam & Valerianum sponsum & Tiburtium ejus fratrem, & 400 alios ad Christum convertit. Unde officium Ecclesiæ sic canit: *O B. Cæcilia, quæ duos fratres convertisti, & Urbanum Episcopum in vultu Angelico demonstrasti.* Tertiò dicamus cum S. Hilarione: *Ideo facies Stephani assumpsit speciem corporis glorioſi, tum quia resurrectionis annunciabat sacramentum tum etiam, ut esset adversarius ad pœnam peccati, & tormentum invidiæ, & exprobrationem impietatis, & testimonium criminis.*

Hom de S. Steph.

Ser. 6. de Sanctis & ser. 5.

Ps. 3.

SEcundò, benedictio Dei eluxit cum dulcedine erga S. Stephanum in ipsa mortis amaritudine. Etenim si patientiam, charitatem, quam exhibuit in extremo spiritu, intueamur, agnoscemus miram erga eum Dei benedictionem, animam ejus dulcedine replentem. Amara equidem & dura exterius apparebat mors, dum aures claudunt, & duri ad lapides duros currunt, & tamquam blasphemum extra civitatem ejiciunt (ut præscribebatur) Sed lubens ipse pro justitia & fide exit extra castra, improperium Christi portans, & *aspiciens in auctorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Unde initiavit Stephanus illā Christi beatitudinem: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Quapropter de eo sic loquitur S. Greg. Nyssenus in tractatu de Beatitudinibus: *Magnus ille Stephanus gaudet lapidibus undiq; petitus, ac veluti suavem quemdam rorem crebros lapidum ictus in modum floccorum nivis incidentium cupidè excipit, ac benedictionibus nefarios homicidas persequitur.* Idem oratione de S. Stephano sic dicit: *Magnitudine animi excellebat, tra lenitatem, mortu terrori vitæ contemptum, odio dilectionem, malevolentiæ benevolentiam opponens.*

PARS II. *De benedictionib. S. Steph. in morte. 1. Magna morientis patientia Num. 24. Heb. 12.*

Matth. 5.

2. Magna charitas Christi & S. Stephani mortu similitudo. 2.

Si non fuisset præventus à Domino in benedictionibus dulcedinis; non tanta cum charitatis suavitate pro persequentibus se cum genuflexione lachrymis & clamore oraret: *Domine ne statuas illi hoc peccatum*, in quibus verbis suaviter & feliciter obdormivit in Domino. Quapropter mors & passio ejus non absimilis fuit morti & passioni Christi

Do-

1. Domini. 1. Sicut Christus à falsis testibus fuit accusatus; ita & Stephanus, ut patet ex Actis. 2. Sicut importuno clamore & tumultu extorserunt Iudæi à Pilato Christi condemnationem; sic & Iudæi clamore & impetu processerunt ad ejus ejectionem
2. 3. è civitate, & lapidationem. 3. Sicut Christus extra portam Ierusalem in montem Calvariæ eductus est; ita & Stephanus extra portam eductus in valle Iosaphat inter montem Oliveti & Ierusalem interjacentem juxta torrentem Cedron lapidatus est. Ibi etiam nunc locus ejus cruore sacratus cum veneratione colitur, & porta illa Ierusalem à Christianis loca sacra visitantibus, *Porta S. Stephani*, vocari solet. Dicuntque peregrini effigiem capitis & scapularum S. STEPHANI impressa lapidi, dum expiraus retrorsum caderet, etiam modo ostendi. Ibidem etiam ostenditur lapis, in quo B. Virgo cum S. Ioanne pro Stephano lapidationis tempore preces fundebantque preces absque dubio benedictionis dulcedinem ei valuerunt impetrare; sicut & ipse cum B. Virgine Paulo conversionem 4. Sicut Christus, cum malediceretur, non maledicebat; cum peteretur, non comminabatur: sic B Stephanus non reddidit maledictum pro maledicto, sed benedictionem & precationem piam pro impia imprecatione. Unde illud rectè convenit: *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam.* Quapropter S. Fulgentius, ostendens quibus armis pugnarit & vicerit S. Stephanus, dicit non fuisse nisi arma charitatis. *Per charitatem Dei sævientibus non cessit, per charitatem proximi pro lapidantibus interc essit. Charitatis virtute vicit Saulum crudeliter sævientem, & quem habuit in terra persecutorem, in cœlo meruit habere consortem.* Nempe non potuit Stephanus illis irasci, per quos sibi videbat aulam regni cœlestis aperiri. Plus dolebat illorum peccata, quàm sua vulnera; plus eorum impietatem, quàm suam mortem; quia illorū impietati timebat mortem æternam, suæ autem mortis pediſſequā mox fore noverat vitam æternam. 5. Sicut Christus cuna lachrymis in cruce oravit, & clamans mortuus est, Patri spiritum commendans: ita & de Stephano dicitur in Actis, Postquam dixisset: *Domine Iesu suscipe spiritum meum positis genibus clamavit voce magna: Domine ne statuas eis hoc peccatum.* Hocque dicens expiravit. Putat quoque S. Augustinus, quod clamori miscuerit lachrymas, ideo efficacem fuisse ejus orationem. Nam communis est sententia, tum S. Augustini, tum aliorum SS. Patrum vi ejus orationis conversum fuisse Paulum: sic enim serm. 1. de Sanctis apertè Augustinus ait: *Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet: sed ideo erectus est Paulus, quia in terra inclinatus exauditus est S. Stephanus.*

Bornel. in Act. c. 7.

Quapropter in vita S. Mariæ Ogniacensis lib. 2. cap. 11 scribit Cardinalis Vitriaco, eam in extasi cognovisse S. Stephanum S. Pauli decollati animā excepisse, & Deo obtulisse. Sic enim de ea scribi loquitur Cardinalis: *Cùm de B. Stephano Protomartyre caneret, quem Paradisi Rosarium appellabat, dicebat illi sub mortem oranti Dominū premunere dedisse S. Paulum; & S. Paulo per acto martyrio è corpore excedente, S. Stephanum adfuisse, ejusque spiritum obtulisse Domino, atque dixisse: Domine hoc ingenti & singulari munere tu me donasti; ego verò multiplici fructu auctum illud tibi reddo.*

Ulterius manifestè patet benedictio dulcedinis erga Stephanum in morte, non solùm ob patientiam & charitatem quam exhibet erga inimicos, sed etiam ob apparitionem specialem Domini Iesu. à quo consolationis admirandæ auxilium sentit in mortis accerbitate & agone. De qua re sic loquuntur Acta Apostolica: *Intendens in cœlum vidit gloriam Dei & Iesum stantem à dextris Dei, & ait: Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei.* ille Martyri ostendebatur in cœlo, qui à perfidis negabatur in mundo: illi cœlestis veritas testimonium dabat, cui fidem terrena impietas derogabat: Et pro illo quem videbat, festinabat mori, ut viveret cum illo: Iesus ergo stabat eum invitans, & ipse ad eum anhelabat zelans. Iesus stabat & se ei ostendebat tamquam Ducem, ut adjuvaret in agone militem. Iesus stabat, ut animam ejus tamquam victoris excipere, & victimam gratissimam Patri offerret coronā gratiæ æternum cororandum. Stabat autem inter saxa & hostes immobilis & interritus Stephanus, quia videbat Iesum stantem quasi immobilem à dextris Dei. Illi ergo se totum animo & intuitu affigebat, fide immobilis & charitate; jamque cœlos apertos videbat, ut mox introiret. O benedictionem dulcedinis ineffabilis quam sensit, dum inter saxorum crepitantium turbinem divina ei claritas & consolatio affulsit! Felix quisquis Iesū considerat à dextris Dei, tamquam Ducem suum, tamquam Patronum & Advocatum interpellantem pro nobis. Felix qui nititur ad eum mente, oculis, & corde, quamdiu cœlum est apertum, quādiu salutis tempus est & felicitatis acquirendæ, quamdiu dignatur se Mediatorem & Advocatum nostrum exhicere, veniet enim tempus, in quo cœlum quasi clausum censebitur, & non licebit videre Iesum, nisi ut Iudicem & Vindicem severum, infernum aperientem, ut impios in eum illico devolvat in æternum cruciandos.

3. *Morienti S. Stephano Iesus ostendit.*

Cur Iesus stabat.

Hoc est quod inculcabat quondam celebris Cōcionator Ordinis S. Dominici in die S. Stephani in civitate Bononiensi Reginaldus nomine. Hunc fugiebat quidam Monetus nomine celebris Bononiæ Doctor ejusque congressum & sermonem vitabat, sibi ab illo metuens, quia potens erat in verbo Dei & sermone. Attamen in Stephani Martyris Natali comitum importunitate pertractus, ejus adivit concionem. Mox verò ejus verbis captus est, dum hanc vocem exponeret: *Video cœlos apertos.* Ita enim differebat: *Nunc quidem tuus l. 3. cœli porta ad beatitudinem patent, ita ut quivis possit c. 38.*

Hier. Pla.

ingredi: qui autem negligentes sunt, & Deo cor suum claudunt, videant quia vicissim eu cœli claudantur, ut deinde intrare non valeant. Hæc cùm spiritus efficaciâ pronunciaret, mox Doctori Moneto cor immutatum fuit, cum planè antea à Religione alienus foret. Concepta ergo Religionis voluntate, adiit Reginaldum, animum exposuit, voti etiam vinculo voluntatem suam firmavit, & in eo Ordine maximum doctrinæ & pietatis fructum exinde protulit. Tantum valuere sancti Martyris Stephani verba, ejus die festivo declarata, ut hanc subitam conversionem efficerent, quod etiam ejus meritis adscribendum est.

PARS III. *De benedictionib. S. Steph. post mortem.*

TErtiò, benedictio dulcedinis erga s. Stephanum eluxit post mortem, qua quem spectaverat certantem adjuvit morientem, excepit ascendentem, coronavit vincentem. Nam saxa in gemmas convertens, posuit in capite ejus coronam de lapide precioso, diadema gloriæ coronam vitæ, prout dicitur: *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi Coronam vitæ.* Quoniam ergo Stephanus idem est quod Coronatus, rectè hic canimus.

Apoc. 3.

Quam benè cum Stephano quadrat Victore Corona!
Quàm sua Victori jure Corona datur!

Triplex aureola S. Steph.

Triplici autem coronâ fuit à Domino coronatus, ultra essentialem gloriæ coronam; scilicet coronâ Martyrii, Doctrinæ, Virginitatis; quæ solet Aureola triplex nominari, & decreta est à Deo his qui specialiter decertant contra Dæmonem, Mundum, Carnem, per tormenta, per sapientiam, per castitatem. Donata ergo est Stephano Corona & Aureola Martyrii, quia bonum certamen certavit, cursum consummavit, fidem servavit, suo eam obsignans cruore. Et quidem id fecit primus omnium fidelium post Christi mortem, imitans Christum. Ducem, ita ut hæc fuerit ejus prærogativa, quod etiam ipsis Apostolis hac in re præiverit, & viam eis ad triumphum straverit. Quapropter & hic illud Apostoli Pauli verum est: *Elegit eum Dominus conformem fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Sicut Christus primogenitus est omnium filiorum Dei, cui convenit omnes conformes esse ita post Christum Stephanus primogenitus est Martyrum quem secuti sunt innumera Martyrum orbe toto millia, tanquam Vexilliferum. Nam fortiter certando Cœlum replevit lætitia, Ecclesiam gloriâ, Orbem famâ; Fidelesque omnes cum Apostolis afficiens gaudio, animavit exemplo. Ea propter de eo dicit s. Augustinus serm. 5. de Sanctis: *Cum Stephanus Diaconus ab Apostolis ordinatus sit, Apostolos ipsos beatâ ac triumphali morte præcessit; ac si qui inferior erat ordine, primus factus est passione, & qui erat discipulus gradu, magister cœpit esse martyrio, complens illud: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Mortem enim quam Salvator dignatus est pro omnibus pati, hanc ille primus reddidit Salvatori.* Hæc est benedictio quæ prævenit eum Dominus, ut cæteros ipse præveniret.

2. Martyrii.

Rom. 8.

Deinde aucta est benedictio dulcedinis, dum coronatus est coronâ & aureolâ doctrinæ & sapientiæ. His qui certant contra adversarios fidei, & ad justitiam conantur alios erudire, illa decernitur. Notum autem est ex Actis Apostolicis, quanta fortitudine, quo zelo & sapientia certarit contra hostes veritatis, ita ut nemo posset resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur. Ob illum ergo zelum & interritam divinæ doctrinæ annunciationem & prædicationem, specialem remunerationem & benedictionem accepit post mortem, Doctorum scilicet Aureolam & gloriam singularem. Quare etiam modo meritis suis & intercessione fidem in diversis orbis partibus tueri noscitur & propagare.

2. Doctrina.

Exempl.

Audi quod legimus in vita s. Stephani I. Hungariæ Regis. Geisa Dux Hungarorum, cùm jam factus Christianus omnes suæ ditionis ad Christum perducere cogitaret zelosissime, & de rebellibus & sacrilegis ritibus edomandis consilia secũ agitaret, in quiete juvenem eximia specie fulgentem conspicatus est, qui blanda voce dixit: *Facessat ista cogitatio & supervacanea sollicitudo; nam propter manus humano sanguine pollutas, tu quod meditaris efficere non poteris. Nascetur autem tibi filius, qui Regis titulo decorandus efficiet quod animo concepisti.* Experrectus Princeps, humi prostratus. Principatum suum cum nascituro filio Deo commendat lachrymabundus. Quin & uxori ejus s. Stephanus habitu Levitico ornatus apparuit his utens verbis. *Confide mulier in Domino & esto certa te filium parituram, cui primo hujus gentis & regnum & corona debetur, tu verò illi nomen meum impone. Ego namque Stephanus, qui primus pro Christi nomine sanguinem meum profudi, cum meo tutabor patrocinio, & precibus in fide promovebo.*

Baron. 10. 10. an. 989. Surius 20. Augusti.

3. Virginitatis.

Denique aucta est benedictio dulcedinis per coronam & aureolam virginitatis, quam promeruit S. Stephanus integerrima vita & castitate; propter quam, ut diximus, ejus facies eluxit quasi Angelica in medio Concilii. Quapropter modò sequens Agnum quocumque jerit, cum Choris Virginum in cœlesti monte Sion cantat novum canticum Agni, quasi Choragus & Primicerius, quia in hac vita secutus est Agnum quocumque, per viam scilicet humilitatis, per viam mansuetudinis, per viam puritatis & castitatis. Et quia ita perfectè sectatus est vestigia ejus in hoc sæculo, nunc vestigia ejus sequitur cantans, consors specialis gloriæ in cœlo.

Apoc. 14.

S. Steph. clarus post mortem in Reliquiis Aug. serm. 51. de div.

Postremò dicamus specialem benedictionem, quo adornatus fuit s. Stephanus cum dulcedine post mortem, elucere in ejus Reliquiis. Has Deus tot condecoravit miraculis, ut de eo dicat s. Augustinus: *Latuit multo tempore corpus ejus, processit quando voluit, illuminavit terras, sancta miracula fecit.*

ver si. 22. de Ci. vit. Dei.

facit: Mortuus vivos facit mortuos, quia nec mortuus. Idem Augustinus testatur, per ejus Reliquias sex mortuos ad vitam revocatos. Nota est historia Inventionis corporis ipsius cum multis miraculis, de qua Breviar. Roman. & alii. Inventæ enim sunt ejus Reliquiæ per revelationem Gamalielis apparentis Luciano Presbytero. Audi ipsum Lucianum:

3. Aug.

Cum aperuissemus D. Stephani thecam, statim terræ motus factus est, & tanta fragrantia odoris inde egressa est, quantam nullus hominum se meminit vel audisse, vel sensisse, ita ut putaremus nos in amœnitate Paradisi esse positos. Multitudo enim populi aderat, inter quos erant plurimi variis languoribus infirmi. Et ipsa horâ mox de odore suavitatis ejus septuaginta tres curati sunt. Exosculati autem sacras Reliquias, iterum clausimus, & cum Psalmis ac Hymnis portavimus in sanctam Ecclesiam Sion, ubi & Archidiaconus fuerat ordinatus S. Stephanus. Tunc jugis siccitas erat, sed eâdem horâ pluvia magna descendit, & abundanter inebriata est terra. Hæc ex Luciano, qui fusè scripsit historiam.

Posterioribus sæculis Reliquiæ S. Stephani Romam allatæ sunt, & in monumento S. Laurentii collocatæ. De quo sic Martyrol. 7. Maii. *Translatio corporis S. Stephani Protomartyris, quod Pelagio Pontifice è Constantinopoli ad urbem allatum, atque in sepulchro S. Laurentii Martyris positum, ibidem magna piorum religione colitur.* Neque verò id factum fuit sine miraculo: Est enim fidelium Romæ traditio, quam etiam multi literis consignarunt. S. Laurentii corpus sese commovisse, & adventanti corpori S. Stephani locum cessisse, ut cum honore eũ in loculum suum reciperet. Unde quidem de hac re sic scribit: *Corpus S. Stephani translatum in basilicam S. Laurentii, adeo urbanè à Laurentio sibi jacente exceptum est, ut glorioso Stephano tamquam primo Martyri primas deferit, loculum suum in sinistram transferens, dextram Stephano concedens. Ob quam causam Laurentius ab Italis nuncupatur,* Hispanus civilis, *El cortes Español.* Nec id incredibile judicamus, cùm idem aliis contigisse quandoque legamus. Idem enim fecere duo Magi, seu Reges, Melchior & Balthasar: nam cum ad sepulchrum eorum allatus fuisset Gaspar, ipsi tamquam vivi secesserunt in partes, & locum in medio Gaspari dederunt, ut ex Breviario Colonensi dixi, tractans de Festo Regum. Idem videre est apud Leontium in vita S. Joannis Eleëmosynarii cui duorum Episcoporum corpora visa sunt honorem tribuere, dum medium inter se locum ei deferunt.

In sepulcura.

Ilefonsus Giron serm. de S. Steph.

Neque hoc prætercundum est, ut benedictio S. Stephani post mortem illustretur magis ac magis quod perenni & continuo miraculo sanguis ejus concretus in vitrea ampulla ex Africa Neapolim à S. Gaudioso Episcopo delatus & in Ecclesia S. Gaudiosi repositus Neapoli, quoties inter Missarum solemnia in altari exponitur, qui durus antea & concretus instar lapidis erat, mox liquescit, fluitque quasi recens effunderetur, sed & peractâ Missa iterum indurescit. Cujus rei quæ potest esse alia causa, quàm quòd ipse, dum sacra mysteria illius, quem tantopere amavit, peraguntur, & memoria renovatur actionis illius, quâ vitam pro Christo posuit, quodammodo reviviscit, & ad illius præsentiam commovetur, quasi paratus iterum pro illo sanguinem fundere? Hæc sunt indubitata, & Neapolitanis certissimè cognita ac vulgatissima.

In sanguineo.

Ex his ergo perspicuum est, quàm multiplici benedictione condecoratus fuerit S. Stephanus, sive in vita, sive in morte, sive post mortem; ita ut propterea cum populi Orbe toto benedictum pronuncient, & ejus laudes cum benedictione meritò decantent. Perspicuum quoque est, quàm aptè ei conveniat illud Psalmi: *Domine prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis; posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.* Quod in vita factum fuisse recte dicitur, dum Coronâ gratiarum, omnigenæ virtutis pretiosis annulis intertextâ, adornavit illum. Item patet quàm ei conveniat illud, quod mox subsequitur: *Vitam petiit à te, & tribuisti ei.* Quod in morte factum fuisse rectè dixeris, dum ad novam vitam adspirans inclamabat: *Domine Jesu suscipe spiritum meum.* Item, dum non solùm sibi, sed & adversarius veram vitam à Domino exposcebat, pro illorum conversione precatus genibus flexis, quasi evitens & novæ vitæ cos parturiens. Denique patet in eum quadrare & illud ibidem additum: *Gloriam & magnum decorem imponens super eum; magna est gloria ejus in salutare: quoniam dabis eum benedictionem in sæculum sæculi, lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.* Quod partim in morte factum est, dum *vidit gloriam Dei, & Jesum stantem à dextris virtutis Dei*, sicque ei divina claritas fulsit inter æthereos aulæ cœlestis sinus, partim verò & maximè completum fuit à morte per lætitiam æternam, qua gloriatur in splendore vultus divini, facie ad faciem videns, de spe ad speciem transiens; absterso ab oculis lachrymis, à vultu sudore, à corpore cruore, per benignissimam manum Redemptoris, jam in se adimpletum illud cernens; *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorum, & non erit amplius neque luctus, neque clamor, neque dolor, quæ prima abierunt, & dixit qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia.*

Psal. 20.

Apoc. 21.

TU ergo, Domine Jesu Christe, qui Stephanum prævenisti in benedictionibus dulcedinis, tuâ etiam erga nos servos tuos dulcedinem ostende, tuam benedictionem imperte; ut valeamus ejus fidem, & in fide fortitudinem imitari, ejus castitatem & puritatem Angelicam vel à longè sanctis vestigiis sectari, ejus charitatem & patientiam in nobis exprimere, ejus constantiam pro te moriendo imitari, tandemque ejus meritis & coronæ te videndo participare. Tu natus es in terris, ut

Stephanus naſceretur in cœlis, & nos cum illo: tu natus es ad lachrymas, ut nos naſceremur ad lætitiam: tu natus es ad mortem, ut nos naſceremur ad vitam. Per ſacram ergo nativitatem tuam, per infantiles lachrymas, per præſepium & lectulum amoris, per merita quoque & lapides Stephani ſervi tui, gratiam nobis impertire veræ fidei, veræ lætitiæ, veræ & æternæ vitæ, in qua perenniter valeamus te videre, amare, laudare, & benedicere.

LECT. 9. tripartita. IN FESTO S. JOAN. EVANG.

Hic eſt diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus.
Ex Joan. 19.

Exordiū. TEſtantur nobis ſacræ litteræ, quod Joſeph plus cæteris fratribus à patre amaretur, tum

Figura. ob morum & vitæ innocentiam & caſtitatem, tum ob radiolos ſapientiæ emicantes in tenera ejus ætate, tum quod in *ſenectute ſua genuiſſet eum* Nempe nomen & memoria Patris in eo diutiùs conſervari poterat, quandoquidem cæteris junior diutiùs victurus cenſebatur; eratque fructus ultimæ ætatis parentum, qui carior eſſe ſolet, quia poſt illum alius non ſperatur. Hebraica lectio hic habet: *Eo quod eſſet filius ſenectutis*, id eſt, interprete Theodoreto, & nonnullis aliis, eo quod eſſet ſenili modeſtiâ, prudentiâ, & moribus præditus. Unde & Chaldæus vertit: *Quia filius ſapiens erat ei.* Propter has igitur rationes, dilecto filio ſuo Pater fecit *Tunicam Polymitam*, ſpecialis amoris indicem; hoc eſt, Tunicam liciis diverſi coloris variegatam, quæ etiam variæ virtutis in filio promicantis ſymbolum exiſtebat.

Gen. 37.

Dicamus ſimiliter, Chriſtum Dominum novos ſibi filios duodecim generantem (hoc eſt duodecim Apoſtolos, ſicut Jacob duodecim Patriarchas, de quibus *pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii*) inter illos tenerrimè dilexiſſe Joannem, ætate aliis inferiorem, puritate & ſapientiâ amabilem, eumque *Tunicâ polymitâ*, ſive varii coloris, adornaſſe in ſignum ſingularis dilectionis. Quapropter hoc eſt ejus ſpeciale elogium in Evangelio expreſſum: *Hic eſt diſcipulus quem diligebat Ieſus.* Varii itaque colores, quibus ejus tunica eſt intertexta, variæ ſunt virtutes & dona quibus effulſit anima. Hic porrò quatuor colores in eo coruſcantes ſpecialiter deſcribemus: 1. Color candidus effulget in ejus caſtitate. 2. Color violaceus cœleſtis Sapientiæ 3. Color aureus & flammans in ejus charitate. 4. Color purpureus & roſeus martyrii & patientiæ.

Pſal. 44.

PARS I. De S. Joannis caſtitate & puritate.

Primò igitur candor caſtitatis & virginitatis in ipſo effulſit, quia à pueritia innocentiſſimè & caſtiſſimè vixit, illibatum ætatis florem conſervans, ad Apoſtolatum vocatus, illum Deo offerens & conſecrans, virgoque per omnem vitam permanens, imitator Angelicæ puritatis, ab Angelis honoratus. Unde cùm vidiſſet Angelum præfulgidū, velletque eum adorare, judivit ab eo: *Vide ne feceris, conſervus tuus ſum.* Fuit ergo ejus anima caſtiſſima velut tabella politiſſima, in qua Spiritus Sancti penicillus facile poſſet altiſſima quæque cœleſtia exprimere Sacramenta; unde & præcelluit in hoc aliis Apoſtolis. Propterea de eo rectè etiam cantatur illud: *Eccè puer meus electus quem elegi, po. ſui ſuper eum ſpiritum meum.* Specialiter enim electus & dilectus fuit à Chriſto propter caſtitatem & puritatem, propter quam & *Puer* à puritate dicitur, licet eſſet ſicut Joſeph *Filius ſenectutis*, hoc eſt, ſenili prudentiâ & modeſtiâ, ſenilibusque moribus præditus. Propter caſtitatem etiam in cœna in ſinu Domini permiſſus eſt ex ſingulari amore recumbere; ſicque voluit decus Virginitatis Chriſtus commendare, ſummum amoris indicium ac fomentum ei tenerrimè exhibendo. Voluit quoque nobis notum eſſe, illos ſummoperè Deo appropinquare, & in illo quieſcere qui ſunt mundo corde. Unde & Sapiens dicit: *Qui diligit munditiem cordis, propter gratiam labiorum ſuorum, habebit amicum Regem.* An non ideo Joannes habet Chriſtum Regem adeo ſibi amicum, adeo ſibi familiarem? O Apoſtole Chriſti beatiſſime, quomodo te diligit, qui tanto ſublimat honore! O utinam mererer murilius dulciſſimos pedes oſculando lachrymis rigare in cujus pectore tu meruiſti dormire! O quam bene quieſcebas, dum ſuper illud pectus caſtiſſimum caſtiſſimus Diſcipulorum cum dilectione tenerrima & caſtiſſima recumbebas!

Ioan. 13.

Iſai. 42.

Specialiter dilectus ob caſtitatē. 1. In vitā Chriſti.

Prov. 22.

Ulterius; propter eximium caſtitatis donum nō ſolum à Chriſto dilectus fuit in vita, ſed etiam illi in morte Matrem Virginem tamquam Virgini cōmendavit, depoſitum omnium depoſitorum precioſiſſimum & chariſſimum, pignuſque amoris ſacratiſſimum. Sic Officium Gabrielis Archangeli quadam ratione ſortitus eſt Joannes, Angelus non natura, ſed puritate: quia & Præco Chriſti & Virginis cuſtodes extitit à morte Chriſti. Idem Chriſtum poſt Reſurrectionem apparentem Diſcipulis piſcantibus primus agnovit, dicens: *Dominus eſt.* Quod quidem S. Hieronymus virginitatis meritò adſcribit: dum lib. 1. contra Jovinianum, ſcribit. *Solus virgo virginem agnoſcit.* Et alibi iterum: *Prior virginitas virginale corpus agnovit, & aliis indicavit.* Denique caſtiſſimus hic Diſcipulus & Virgo, ſpecialiter meruit agnoſcere & videre virgines proximas Agno, ipſum quocumque ſequentes, & canticum novum, quod nemo poteſt alius cantare, decantantes. Et hoc canticum modò cantat cum illis proximus throno & Agno, Stola candida virginitatis gloriosè amictus, candida & liliata Virginum corona decoratus.

2. Etiam in morte & poſt mortem Chriſti.

Apoc. 14.

Addamus hic, S. Joannem ita caſtitatis prærogativa & gloria excellere, ut ſpecialis etiam Mediator, Adjutor, Cuſtos, virginitatem vel caſtitatem ſuis colentibus à Deo cenſeatur deſtinatus. Propterea S. Edvardus Anglorum Rex ſingulariter eum colebat, ita ut numquam eleemoſynam denegaret, eam in nomine S. Joannis Evangeliſtæ petenti.

Prærogativa caſtitatis S. Ioannes excellit.

Cum

Cum autem peregrinus quidam absente camerario eam in hoc nomine urgenter expostulasset à Rege, nec quicquam aliud in promptu haberet, annulum pretiosum ei dedit. Accidit postmodum Anglos duos ad adorandum Salvatoris sepulchrum Hierosolymam proficisci, ijsque aberrantibus à via Solem deficere, nocte obscurissima superveniente. Cum verò nescirent quo se verterent, apparuit illis senex venerabilis, qui eos ad civitatem reduxit, & hospitio excepit. Mane facto, egressis de civitate dixit senex: *Viri fratres, cum summa prosperitate vos patriam repetituros non dubitetis, Prosperum iter faciet Deus, & ego ob amorem Regis vestri in omni via firmabo super vos oculos meos. Ego sum Apostolus Ioannes, qui Regem vestrum ob meritum castitatis summa dilectione complector. Hunc ergo annulum, quem mihi in habitu peregrino apparenti tribuit, reportate, denunciantes ei diem obitus sui instare, intra sex menses eum visitans visitabo, ut metum sequatur Agnum quocunque ierit.* Sic disparuit, & illi prosperè ad patriam redeuntes, Regi quæ audierant, retulere.

Alredus Abbas in vitâ ejus.

Sic & B. Coleta Reformatrix Clarissarum, quia virginitatem colebat Sanct. Joanni mirè afficiebatur, ut ipsius meritis hunc thesaurum conservaret securius. Quapropter quodâ die ad eam venit, annulum aureum ei ex parte Sponsi sui deferens, insignum sponsaliorum & testimonium castitatis. Illa recepit hunc annulum summa cum reverentia, diligentissimeque cum humilitate & timore illum adservabat. Cumque incidisset ei cogitatio, ut annulus ille auro vel argento altero cooperiretur, non inventus fuit Aurifaber ullus, qui id posset. Nonnulli Patres Ordinis S. Francisci annulum illum cum summa consolatione contrectarunt, ejus potissimum Confessarij. Cumque illos mitteret ad longinquas regiones pro gravibus negotijs, hunc annulum eis secretò tradebat, sicq; iter sine periculis conficiebant.

Vide Sur. 6. Mart.

Itaque hunc castitatis amatorem & adjutorem Apostolum intueri & colere vos decet, ô adolescentes & adolescentulæ, ut saltem usq; ad sacrum matrimonij vinculum puros vos & castos conservetis nec cor aut corpus impudicitia contaminetis, & idolo Veneris consecretis. O felix & potens ejus patrocinium, & dilectio erga zelatores castimoniæ & puritatis! O color candicans castitatis, meritò in S. Joanne contemplandus, adamandus, imitandus; quando quidem propter eum dicitur: *Hic est discipulus ille quem diligebat Iesus.*

PARS II.

De S. Ioannis cœlesti sapientia.

SEcundus color effulgens in S. Joannis polymitâ Tunicâ violaceus est, qui Doctoribus solet attribui in signum doctrinæ & sapientiæ. Fuit autem S. Joannes electus à Domino Apostolus, & ideo Orbis Doctor ab eo inauguratus, fuit Evangelista & Propheta, sapientia divina supra cæteros Prophetas & Evangelistas à Domino adornatus. Hanc toto Orbe cum admiratione profudit, de Christi divinitate, de Verbi æterni origine, de spiratione & processione Spiritus Sancti, de S. Trinitate & Unitate, de Prædestinatorum signatione, de Martyrum & Virginum gloria, de Jerusalem cœlesti, de futuris Ecclesiæ persecutoribus, de triumphis contra Antichristum & hostes Ecclesiæ, sapientia admirabili disserens sublimitate & luculentè, tum in Apocalypsi sua, sive libro Revelationum, tum in Evangelio suo, quod mysterijs abundat, & alia excedit Evangelia. Quapropter inter quatuor illa animalia mystica, quæ divinæ gloriæ currum apud Ezechielem stipare visa sunt, Joannes Aquilæ comparatur, quia alios Evangelistas sublimitate superat, & quasi Aquila sublimissimè in cælum volat. Hoc expressè nobis explicat S. Augustinus tract. 36. in Joannem, dum ait: *S. Ioannes Apostolus non immeritò Aquilæ comparatus altius multoque sublimius alijs prædicationem suam erexit, sicque corda nostra etiam erigi voluit. Nam alij Evangelistæ tamquam cum Homine Domino in terra ambularint, de Divinitate ejus pauca dixerunt; iste autem, quasi piguerit in terra ambulare, sicut in exordio sui sermonis intonuit, erexit se non solum super terram & super omnem ambitum aeris & cœli, sed super omnem etiam exercitum Angelorum, omnemque constitutionem invisibilium potestatum, & pervenit ad eum per quem facta sunt omnia dicens: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, Huicq; sublimitati principij cætera congruè prædicavit.* Hæc ille.

Ezech. 1. Cur A. quila cõparatur.

O quam vera, quamque sublimis sapientia elici potest ex S. Joannis scripris sacratis, sive ex Evangelio, sive ex Epistolis, sive ex Apocalypsi & Revelationibus ejus! Docet enim continuò nos relictis tenebris, relictis carne & sanguine, relictis terra & terrenis, adspirare adoptionem filiorum Dei, ad vitam, lucem, gratiam, veritatem, gaudium in spiritu, dilectionem & charitatem perfectam, cum cognitione Jesu Christi, in quo est vera vita & sapientia. Quid enim aliud ubique reperit & inculcat, sive in Evangelio, sive in Epistolis suis. Quid aliud docet in Apocalypsi, nisi adspirare & mente conscendere ad thronum Dei, ad consortium Agni, ad consortium Angelorum, & Seniorum, & millium sanctorum, ad palmam Martyrum, ad canticum Virginum, ad lauream & candidam vestem Beatorum, ad lignum vitæ, ad fontem aquarum viventium Agni, ad Jerusalem cælestem, ad beatam vitam & felicitatem æternam? Et numquid in harum rerum contemplatione & gustu vera consistit sapientia? Felix ergo, qui verba Joannis è sapientiæ fonte deprompta legit & audit, gustat & ruminat, servat & adimplet, sicut & in Apocalypsi ipsemet ex ore Christi scripsit: *Beatus qui legit & audit verba prophetæ hujus, & servat ea, quæ in ipsa scripta sunt: tempus enim prope est.*

Doctrinæ S. Ioannis.

Apoc. 1.

Doctrinæ S. Ioannis unde.

Quod si quæras, unde S. Joannes tantam sapientiam præ cæteris Evangelistis & Apostolis hauserit? Conformiter respondent SS. Patres, illum eum

hausisse ex sinu & pectore Domini, in quo recubuit: ibi enim erat fons suavissimus & inexhaustus totius cœlestis sapientiæ. Sicut Unigenitus, qui est in sinu Patris, ex illo sapientiam æternam hausit; ita & ipse permisit in sinu suo Joannem quiescere dilectum instar Unigeniti sui, ut ex illo partem etiam sapientiæ depromeret, quam in alios refunderet, & communicaret abundè. Audi sanct. Augustinum, de Joanne Evangelium scribente, sic scribentem: *Hæc ructabat, quod biberat, Non enim sine causa in illo ipso Evangelio narratur, quod supra pectus Domini in convivio discumbebat: De illo pectore in secreto biberat, sed quod in secreto bibit, in manifesto eructavit, ut perveniat ad omnes gentes non solum incarnatio filij Dei, passio & resurrectio, sed etiam quod erat ante incarnationem, Verbum Patris, Verbum Patris, coæternus generanti, æqualis ei à quo missus est.* Hic est igitur Discipulus quem diligebat Jesus, qui ab eo electus est Sacro-sanctæ Trinitatis Secretarius, cui ideo revelata sunt secreta cælestia, fluentaque Evangelij de ipso Dominici pectoris fonte potavit, ut Ecclesia canit de ipso.

S. Ioannes Trinitatis secretarius.

Angelis admirabilis.

Audi & S. Chrysostomum hunc sapientiæ decorem & colorem in S. Joanne describentem, non solum hominibus sed & angelis admirabilem. Sic enim ait præfatione in Evangelium S. Joannis: *Procedit Ioannes, non personatus, non aureo ornatus vestimento, sed stola purissima veritatis decore intexta & distincta amictus progreditur.* Cujus prosceniū est universum cœlum, theatrum orbis terræ; spectatores auditoresque omnes Angeli, & quicumque homines Angeli sunt, aut fieri desiderant. Hi dumtaxat ejus harmoniam audire possunt. Ipsi enim Angeli, Cherubim & Seraphim, nobiscum per Joannis vocem didicerunt quæ cognovimus. Hoc enim ait Paulus: *Ut innotescat Principatibus & Potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis Sapientia Dei.* Hic enim Apostolo supernæ adfuere virtutes, ejus animæ pulchritudinem, sapientiam, & speciem virtutis admirantis, per quam ipsum simul hausit Christum. Hæc & plura alia ibidem S. Chrysost. significans Angelos nonnulla didicisse à Joanne, ideoq; avidè & cum admiratione audisse cum, sive Evangelium, sive Apocalypsim intonantem.

Ephes. 3.

S. Ioannes legis novæ lator alter Moyses Baron ex Metaph.

Addunt ex Metaphraste nonnulli interpretes S. Joannem, dum scripsit Evangelium, quasi alterum Moysen legem novam cœlitus accepturum, ascendisse in verticem montis, & elevatis manibus mentem à sensibus abstraxisse: *Tunc que horrenda tonitrua, terrores, & fulgura, hu similia quæ antea Moysi legem recipienti contigerant, facta sunt. Ad extremum tonitrua in vocem exprimuntur atque resonant: In principio erat verbum.* Atque adeo forsitan Joannes & frater suus Jacobus nomen excelsum sortiti sunt à Domino, ut *Boanerges* vocarentur, hoc est *Filij Tonitrus* Quod certe specialiter S. Joanni convenit, cujus prædicatio fuit velut tonitruum, vitaque fulmen, percellens hæreticos Christi hostes fulgore suæ sapientiæ & virtutis, suoque zelo admirabili. Patet ergo ex his quam merito de hoc Discipulo quem diligebat Jesus, Ecclesia illud canat: *In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, & implevit eum Dominus spiritu sapientiæ & intellectus, Stolam gloriæ induit eum.* *Eccles. 15.*

PARS III. De S. Ioannis ardētis charitate.

TErtius color effulgens in Joannis Stola polymita & glorioſa, color aureus est & flammans charitatis ardentis. Non enim solum fuit Discipulus quem diligebat Jesus, sed etiam fuit Discipulus ille qui specialiter diligebat Jesum, & animas in Jesu. Quapropter adeo sæpe dilectionem inculcat, & de charitate adeò lubenter loquitur. *Qui manet in charitate*, inquit, *in Deo manet, & Deus in eo, Deus Charitas est.* Item: *Diligamus eum, qui prior dilexit nos.* Item: *Videte qualem charitatem dedit nobis, ut filij Dei nominemur & simus.* Ipse quoque ultimum Christi sermonem, charitatis plenum & ardoris, nobis tradidit, ut ad amorem & dilectionem rependendam nos animaret erga eum; *qui cum dilexisset suos, in finem dilexit eos* nos autem sumus de numero illorum, quos dignatur suos appellare. Neque solum dilectionem Dei & Christi commendat Discipulus hic, quem diligebat Jesus, qui diligebat Jesum, sed etiam continuo inculcat, & cordibus nostris imprimere peroptat dilectionem proximi mutuam, per Jesum & in Jesu continuandam: *Filioli, non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate.* Item: *Qui non diligit, manet in morte.* Hæc frequentissime repetit in epistolis suis. Denique, tota vita non aliud voce & opere respirasse videtur, quam charitatem Dei & proximi. Unde jam decrepitus & sepulchro vicinus, cum non posset in plura verba vocem contexere, per singulas Ecclesiæ collectas non aliud dicebat, quam *Filioli, diligite invicem.* Rogatusq; à discipulis, cur adeo frequenter id repeteret, respondit: *Quia præceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit* Fuit ergo S. Joannes non solum Cherubim scientia & contemplatione, sed etiam Seraphim ardore & amore. Dilexit Christum perfectè, pro quo reliquit omnia, & affectum omnem deseruit, perfectam sequelam retardantem. Dilexit viventē, in sinu ejus quiescens quasi filius in sinu patris dilectus. Dilexit morientem, ad mortem usque ei assistens in cruce, corde cum ipso crucifixus. Dilexit mortuum, dum cucurrit ad monumentum, & ipsum post resurrectionem agnovit. Diligit nunc æterno amore æternum viventem. Ergo meritò ei pro duplici Elogio adscribimus.

1. Ioan. 4. *Ibid.* *1. Ioan. 3.* *Ioan. 13.* *1. Ioan. 3. Ibid.* *S. Hier.*

Hic est Discipulus, quem diligebat Iesus:
Hic est discipulus, qui diligebat Iesum.

Aperire secreta, signum est specialis dilectionis, sicut Sampsoni dicebat Dalila: *Quomodo dicis, quod ames me, cum animus tuus non sit mecum! Per tres vices mentitus es, & noluisti mihi dicere, in quo sit* *Iudicum 16.*

sit maxima tua fortitudo. Cum ergo sua secreta Dominus Joanni familiarissimè aperuerit, verè Discipulus est, quem diligebat Jesus. Sed inde fit consequens ut Jesum diligat, & animas in corde Jesu reconditas, qui recubuit in pectore. Unde pulchrè S. Gregorius Nyssenus hom. 1. in Cant. sic de eo loquitur: *Verbi amavit ubera, qui supra pectus recubuit & veluti quandam spongiam cor suum apposuit fonti vitæ, & ineffabiliter repletus mysteriis Christi nobis quoque exhibet mammillam à Verbo impletam, unde que implet bonu, quæ ei à fonte sunt indita.* Hæc ille. Ubera ergo amoris exhibet Joannes, & semper de amore loquitur, quasi eductus inter ubera amoris. Cui conforme est quòd de eodem dicit S. Petrus Damiani, divinitus factum esse, *ut plus amaret, qui plus amabatur, & qui primus erat in Redemptoris amore, præcipuus fieret in fraterna charitate.* Cor ergo ejus velut divini fornax amoris, per omnem paginam, quasi per quasdam rimas, charitatis videtur fundere scintillas & vapores. Et quia fuit discipulus amoris & pectoris, ideo ad eum spectabat differere de vulnere amoris, quod Christus circa cor in cruce passus fuit. Hoc enim ei alij Evangelistæ reservarunt, ut notat Sanctus Augustinus.

Dam. ser. de S. Iõe.

Cor ejus fornax amoris.

Sed quæres, an Petrus Joannem non superarit in amore? & an à Christo magis amatus non fuerit, cui toties dixit: *Diligis me plus hu? Pasce agnos, pasce oves meas.* Respondeo: Scimus, quod uterque excellentem gradum amoris divini assecutus fuerit: uter autem alterum præcellat, novit ille, qui donum amoris eis infudit secundum mensuram donationis & gratiæ suæ. Hoc interim possumus dicere; quod plus teneritudinis & familiaritatis exhibuerit Joanni in amore Christus. Neque tamen propter hoc Petro in gradu amoris necessario est præferendus. Sicut licet ultimo genitum pater teneriùs amplectatur, indiciaq; plurima familiaritatis & benevolètiæ ac amoris ei ostèdat; non sequitur tamen, quod eum primogenito præferat: quandoquidem primogenito primatum honoris defetat in familia, primatum quoq; hæreditatis in paterna successione. Sic primatum honoris scimus delatum Petro in familia Christi, primatum autem teneræ & familiaris dilectionis Joanni: quandoquidem de eo dicitur: *Hic est Discipulus quem diligebat Jesus.* Uterq; autem, si interrogatus fuisset à Domino: *Diligis me plus hu:* non aliud respondere potuisset, quam illud, quod Petrus respondit: *Tu scis Domine, quia amo te.* Interim Joannes rectè dicitur: *Benjamin adolescentulus in mentis excessu,* rectè dicitur *Benjamin amantissimus Domini, habitans cõfidenter, & requiescens inter humeros ejus,* rectè dicitur *Ioseph amabilissimus* cui præ dilectione paternum ei specialem diversi coloris fecerit, in qua color igneus & flammans, colorque aureus charitatis eminet.

Joann. 20 Petrus an Joannes plus Christum amarit & amatus sit,

Psal. 67.

Gen. 49.

QUartus color effulgens in Joannis stolâ polymitâ est purpureus & rubicundus, designatq; ejus patientiam, & martyris participationem. Ipse etenim tamquam specialis amicus Sponsi non potuit non ejus insignijs & coloribus symbolicis participare; quapropter *candidus est & rubicundus* sicut Ecclesiæ Sponsus Christus, à quo ita dilectus fuit, & favore speciali adornatus. Et licet martyrio vitam non finierit, martyrium tamen longum pro Christo subijsse censendus est, tum tota vita, tum maximè, cum in insulam Patmos pro fide relegatus fuit ab Imp. Domitiano, ubi multa pro Christo passus incolas ad fidem convertit; tum demq;, quando Romæ ab eodem Domitiano in dolium ferventis olei immissus fuit. Cujus rei memoria perstat sacello celebri eo in loco erecto, ubi etiamnum cernitur Joannes depictus in pariete in dolco olei ebullientis, cum hac inscriptione: *Ioannes Christi Apostolus, Evangelista, Propheta & Martyr, è dolco ferventis olei vegetior exivit.* In adverso pariete addi hoc Epigramma.

PARS IV. *De patientia & martyrio S Ioannis Cant. 5.*

Passio.

Martyrij calicem bibit hic Athleta Ioannes,
Prin. ipij Verbum cernere qui meruit.
Verberat hunc fuste Proconsul, forfice tondet
Quem fervens oleum ladere non valuit.
Conditur hic oleum, dolium cruor atq; capilli:
Quæ conservantur inclyta Roma tibi.

Apoc. 1.

Ex quo colligimus Joannem etiam tunc propter Christum fustigatum fuisse, & attonsum, per ignominiam, sicque relegatum in Patmos insulam. Et propterea scribit Christianis persecutionem patientibus: *Ego Ioannes frater vester, & particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Christo Iesu, fui in insula, quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei, & testimonium Iesu.* ubi Græca habet Lectio: *Propter martyrium Iesu.* De hac re loquens S. Brigida lib. 4. Revelat. cap. 1. dicit sibi apparuisse S. Joannem monentem contemnere omnia quæ sunt sæculi, nec pluris ea facere, quam siliquas porcorum, sed sequi viam Crucifixi, quæ licet in principio angusta, in fine angusta est, lata & gaudio plena. Hic autem verbis S. Joannes eam alloquebatur: *Ego sum ille qui scripturam auream plenius agnovi, & agnoscendo augmenta vi. Ego fui nudatus ignominiosè, sed quia patienter sustinui, Deus vestivit animam meam veste immortali. Ego etiam fui intinctus oleo, ideo nunc gaudeo oleo lætitiæ sempiternæ. Ego insuper post Matrem Dei levissima morte de vita transivi, quia custos Matris Dei factus fui.* Item cap. 23. refert ipsa se audisse Beatam Virginem S. Joanni dicentem: *Tu inter Apostolos mihi vicinius appropinquasti, majoraque signa dilectionis expertus es præ aliis, & amarior tibi filij mei passio facta est, quam præ cæteris fratribus tuis longius vixisti, & inter eos quasi Martyr fuisti; ideo placuit Deo te vocare de mundo morte levissima post me, quia Virgo Virginis fuit commendata.* Non ambigimus igitur Joannem mortuum esse naturali morte, non violenta, cujus

&c.

& festum tamquam post mortem æterna beatitudine donari celebrat Ecclesia. Unde nec venturum cum Enoch & Elia in fine sæculi, asseruimus in Horto Pastorum; tom. 1. tract. 3. lect. 29. in fine, ubi etiam respondimus ad argumentum eorum qui hoc asseruerunt, & necdum mortuum dixerunt. Illuc Lectorem remittimus.

Merito virgini tacta illæsus in oleo ferventi. Dan. 3.

Quod autem illæsus & illibatus exivit ex agone martyrij, sive ex doleo ferventis olei, hoc lubenter merito virginitatis ejus adscribimus. Sic quod Daniel & pueri in fornace Babylonis ab igne læsi non potuerint, castitati adscribit S. Hieronymus in lib. cont. Jovinianum, Epiphanius quoque & Dorotheus in vita Danielis. Sic quoque & Amb. lib. de Virginibus virginitati S. Theclæ attribuit, quod leones eam attingere ausi non fuerint. De qua re sic eleganter loquitur: *Cernere erat lingentem pedes bestiam cubitare humi, muto testificantem sono quod sacrum violare corpus virginis non posset. Adorabat ergo prædam suam bestia, & propriæ oblita natura, naturam induerat quam homines amiserant. Videres quadam natura transfusione homines feritatem indutos, sævitiam imperare bestiæ, bestiam exosculantem pedes virginu, docere quid homines facere deberent. Tantum habet virginitas admirationis, ut eam etiam leones mirentur. Docuerunt religionem, dum adorant Martyres; docuerunt etiam castitatem dum virginu nihil aliud nisi plantas exosculantur demersis in terram oculu, tamquam verecundantibus, ne mas aliquis vel bestia virginem nudam videret.* Hæc S. Ambr. Cui conformiter loquitur S. Gregor. Nazianz. in prec ad virt. loquens de eadem S. Thecla non solum à leonibus, sed etiam ab igne illæsa. Sic enim canit:

Lib. 2.

Quis Theclam necu eripuit flammaque periclo
Quu validos unguis unxit, rabiemque ferarum?
Virginitas, O res omni mirabilis æve!

Idem ergo dicimus de S. Joanne illæso ab igne & oleo bulliente; ignem nimirum tantæ integritati & castitati non potuisse nocere divina protegente gratia. O castitas & virginitas honore digna, quam & inanimes honorant creaturæ! Unde & hic dicere possumus, quod S. Hilarius de igne & pueris babylonijs: *Quantum lætitiæ in præsenti obtinent merita religionu, & privilegia sanctitatis & castitatu? Ecce horrendum nescio quid anhelantes globi, & per quadraginta cubitos extrinsecus ebullientes sæviunt, & intus parcunt. Extra fornacem saliens ignis irascitur & intus in fornace amulatur.* Torquet potius ignis ebulliens Joannis tortores, & parcit ejus sanctitati & carni, eumque reddit pulchriorem & vegetiorem.

Ex his omnibus eluescit, cur S. Joannes in symbolum specialis dilectionis, à Patre æterno, & a Jesu Christo tunica polymita, instar Joseph, adornatus depingatur. Fuit enim puritate Virgo & Angelus: fuit dignitate Apostolus: fuit sapientia Evangelista, Prophetæ, Theologus; fuit ordine Sacerdos & Hierarcha, sive Sacerdotum Princeps; fuit dilectione specialis Discipulus & cordis filius: fuit secretorum omnium divinorum factus à Jesu conscius, & Matris custos constitutus, fuit denique charitatis ardore amator Christi & animarum in Christo dilector eximius: fuit patientia admirabili Martyr, Consors & Testis passionum Christi præclarus.

Concludamus igitur, & ad eum vocem & vota cordis convertentes dicamus: O beatissime Joannes, quandoquidem nunc de pectore Domini, & de fonte vitæ ad satietatem bibis, impetra nobis tuis meritis & intercessione vel stillam de illo suavitatis fonte, ut veram gustemus vitam in suis stillicidijs stillantibus super terram, super cordis nostri aridam. Impetra nobis veram sapientiam & fidem, quam tamquam Apostolus, Evangelista & Propheta Evangelicus, jugiter docuisti & confirmasti, ut sciamus, & cognoscamus, & efficiamus, secundum monita tua, *quæ oportet fieri cito.* Impetra nobis puritatem & castitatem, qui modo ambulas in albis, & sequeris Agnum quocumque ierit, cum choris Virginum, Primicerjus & Choragus. Impetra nobis ardentem Dei & proximi charitatem, quam non solum lingua sed opere & veritate exhibuisti usque ad ultimum spiritum vitæ: fac ut hujus tuæ charitatis imitatores simus, non in tenebris, sed in luce, ambulantes, in dilectionis lumine claro. Denique, impetra patientiam & constantiam in tribulationibus hujus sæculi, ut tandem tecum victores, Deo & Regi nostro fideles, accipiamus *Vestem candidam, Nomen novum, Calculum candidum, Lignum vitæ, Manna absconditum. Stellam matutinam* denique *Coronam vitæ*, quæ in libro illo Revelationum tuarum asseruisti præparata esse his qui vicerint, & fideles fuerint usque ad mortem, ut tunc sedeant in throno cum filio Dei, & glorificent Patrem in sæcula sæculorum.

Conclusio.

DE SS. INNOCENTIBUS.

LECT. 4. tripartita.

Hi empti sunt de terra primitiæ Deo & Agno. Apoc. 14.

PARS I. *Deprofessione Christi in Ægyptum à Deo ereata.*

Quam verum sit illud Sapientis: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum*, variis potest sacræ Scripturæ exemplis demonstrari.

1. Cur Esau primogenitus, Patri suo gratus specialiter vocatus à Patre jam præ senio deficiente, ut benedictionem primogenituræ accipeteret, illam tamen non accipit? Quid est quod frater ejus Jacob eam præripit, ad vehementem stuporem usque admirante Patre, quod circa se & filium quem illico benedixerat, gestum fuerat? Quia *non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.*

Prov. 21.

2. Cur idem Esau nocere non potest fratri suo, licet rugiens, licet fremens præ invidia & furore, ac di-

ac dicens: *Veniet dies luctus patris mei, & occidam fratrem meum?* Nonne feliciter ad tempus subductus est, peregrinationem iniens ad avunculum suũ Laban? Nonne matrimonio fœcundus, & benedictionibus plenus ad domum patris sui reversus est, & effugit iram pilosi fratris sui? Cur ita? Quia *non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* c. 27.

3. Cur Iosephum fratrem suum vendunt filii Iacob Ismaëlitis: Cur variis eum affecêre contumeliis, nudantes tunica polymita, in cisternam projicientes, variaque excogitantes super eum consilia ut fratrem perderent? Nonne hæc omnia ab eis gesta sunt, ut invidiam exsatiarent, & somnia, quibus se ab eis adorandum agnoverant? inania redderent? Sed *quem ideò vendiderant ne adorarent, adoraverunt quia vendiderunt*, inquit S. Gregorius. Quid ita? Quia *non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Gen. 37.

4. Cur Pharaõ jubet submergi omnes masculos Hebræorum? Numquid ne gens illa multitudine & fortitudine in Ægypto prævaleat, & rerum tandem potiatur? At unus evadit Moyses gentis suæ Dux futurus, & in Regia Pharaonis ab ejus filia educatur, è manu Pharaonis populum liberaturus, ipsumque cum toto suo exercitu in aquis profligaturus. Quid ita? Quia *non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Exodi 1. & 2.

5. Cur Saul Davidi, Aman Mardochæo tot insidias struens, tot sanguinolenta consilia comminiscens, nihil proficit, sed consilium omne & molitio iniqua in caput auctorum revertitur? Quia *non est sapientia non est prudentia, non est consilium contra Dominum.*

6. Denique, ut ad propositum nostrum accedamus; Cur fuerit Herodes illusus à Magis? Cur necem molitur Puero & Regi recenter nato? Cur fingit se velle adorare eum cupitque sibi renunciari? Cur tot millium infantium cædem impientissimè exequitur? Cur sibi persuadet, quod quæsitus Puer ejus manus patricidales nulla queat effugere via? An non hæc omnia frustra adhibere consilia & molimina? *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.*

An non hic cernis quam verum etiam sit illud Psaltis Principes eruditis, & à pravis consiliis deterrentis: *Dominus reprobat cogitationes populorũ, & consilia Principum, consilium autem Domini in æternum manet?* Puer qui natus est, non invenitur in numero parvulorum morientium, quia ipse est expectatio gentium: *Sanguis ejus non funditur cum sanguine aliorum puerorum: quia solius fundendus est in remissionem peccatorum. Et omnes illi pueri manerent morerentur, nisi hujus sanguine salvarentur. Equidem moritur, alioqui non nasceretur, sed eum facit mors benignitas propria, non malignitas aliena. Morietur, non ut Herodes infelix regnet, in hoc sæculo, sed ut fideles faciat secum regnare in cœlo.* Ita loquitur S. Fulgent. Psal. 32.

Frustra ergo *Draco & Serpens antiquus & rufus* (per quem rectè Herodem hunc sanguinolentum, & in eo dæmonem perturbatum ob Christi ortum & in ejus cædem anhelantem rectè designaveris) *stat juxta mulierem parientem masculum* filium electum, qui cælestibus auspiciis exoritur huic mundo recturus gentes. Frustra eum devorare nititur, quem puerpera stellisera enititur; quia si opus sit, *dabuntur ei alæ, quibus in locum sibi à Deo paratum aveles*, ut effugiat draconis illius rabiem. Et licet furoris flumen ad eam cum prole absorbendam emittat, *adjuvabit terra, & absorbebit flumen*, ita ut nocere non valeat nec proli nec matri. Quia *consilium Domini manet in æternum*, non poterit illud irritum reddere omni suo conatu, omni sua rabie, draco magnus & rufus. Sed videamus quodnã hæc in re fuerat consilium Domini ab æternitate decretum, quod nulla vis elidere, nulla potuit astutia serpentis eludere. Apoc. 12.

Primò, decreta erat in sacræ Triadis consilio Christi pueri in Ægyptum profectio, erat & sacris prænunciata prophetis. Unde in ejus ex Ægypto regressu dicit Evangelista, adimpletum fuisse illud Domini apud Oseam: *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Hæc verba sensu litterali de populo Israëlitico intelliguntur, quem filium suum primogenitum appellat Deus, ideoque eum ex Ægypto vocat, & educat per Moysen in terram promissam. Tamen sublimiori sensu (qui & litteralis dici potest, quia latens sub cortice litteræ intentus est à Spiritu sancto, ut Matthæus indicat) explananda sunt de filio Dei naturali, qui figuratus fuit per populum Israeliticum. Hæc est enim sacræ Stripturæ profunditas, ut plures sensus complectatur, quos Spiritus sanctus intendit etiam principaliter. Sic quod dicitur: *Os non confringetis ex eo*, absque dubio dicitur de Agno Paschali; attamen sensu altiori etiam de Christo intelligendum esse manifestat S. Ioannes, idque ex intentione Spiritus sancti primaria. *Profectio Christi à Deo decreta, & per Prophetas prædicta.* Ose. 11. Exod. 4. Exod. 12. Ioan. 19.

Similiter antiqui Patres de hac Christi in Ægyptum secessione interpretantur illud? *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum.* Nubes enim illa levis, corpus est conceptum de Spiritu sancto ex sacra Virgine; quia sicut nubes generatur ex vapore terræ, & solis radios temperat: ita corpus Christi à Spiritu sancto generatum ex terra virginea, Deitatis Solem temperavit, & fuit velut currus eximius, quo Christus puer vectus est in Ægyptum fugiens Herodis furorem. Vel certè nubes levis Virgo sacra intelligi potest, cujus ulnis tamquam curru cherubico Christus in Ægyptum delatus est. Ipsa autem *Nubes levis* rectè dicitur, quæ ab omni peccatorum & concupiscentiæ onere libera, res omnes terrenas supereminebat, & pluviam erat patiens salubrem. *Per SS. Patres intellectus* Isai. 9.

Sed quæres, cur potius in Ægyptum, quàm in aliam terram Christus puer declinaverit à furore Herodis? Respõdet subtiliter S. Leo. ser. 3. de Epiph. *Cur potius in Ægyptum quam alio fugerit.* R. 2.

decuisse ut Christus Agnus verus illuc diverteret: ubi paschalis Agnus olim immolatus præcesserat, *Ne sine illa regione pararetur singularis hostia Sacramentum, in quâ primum occasione Agni salutiferum Crucis signum, & Paschæ Domini fuerat efformatum.*

R. 2. Respondet secundò idem S. Leo ibidem, ideò se Christum Ægypto intulisse, *ut repetens Hebræa Gentis cunabula, & principatum veri Ioseph, majoris providentiæ potestate disponens, illam diriorem omni inedia famem, qua Ægyptiorum mentes veritatis inopia laborabant, veniens de cœlo panis vitæ auferret.* Etenim licet tunc perfectè Christum tamquam Panem vitæ non agnoverit, tamen gustum aliquem sanctificationis ex præsentia Christi Ægyptus percepit; ut cùm ab Apostolis illum prædicari postmodùm audierit, hoc privilegii honore decoretur, quòd Dominum prima susceperit. Tunc enim fidei Christianæ pane & deliciis pretiosis uberrimè epulabitur, prout factum fuit tempore S. Marci, cum Ecclesia Alexandria omnibus spiritualibus donis & deliciis sanctitatis abundavit. Ac postmodum tota Ægyptus innumeris choris Religiosorum & Virginum, quasi Angelorum, in Paradisum quendam conversa est, ut S. Chrysostomus ho. 8. in Matt. testatur.

An non ergo Christus munificè persolvit hospitium quod ei Ægyptus ad tempus mutavit? In primis ejus ingressu multa patrata sunt miracula. Nam simulachra & idola in templis tunc corruisse tradunt SS. Patres & interpretes sacri, idq; prædictum fuisse apud Isaiam: *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & movebuntur simulachra ejus.* Quocirca asserunt nonnulli, quod sicut in exitu filiorum Israel de Ægypto, non fuit domus in qua non jaceret mortuus primogenitus, ita in ingressu Christi in Ægyptum non fuisse templum in quo non corruerit idolum. Nempe sicut idolum Dagon corruit cum Arcæ præsentiam ferre non posset; ita & Christi præsentiam non tulerunt Ægypti idola. Id verò significabat quod postmodum futurum erat, nempe per Christum idololatriam ab Ægypto exterminandam, & verum cultum Dei per ejus Apostolos ibi propagandum. Quapropter S. Athanasius hac de re sic loquitur: *Quis justorum aut Regum, in Ægyptum descendit, & ejus descensu idola corruerunt? Abraham descendit, nihilominus idololatria ibi gignit. Natus est ibi Moyses, aquè illic hæsit religionis error. Ægyptiorum superstitio non quievisset, nisi Deus in corpore quasi nube vectus eò descendisset, & idolorum errores compescuisset.* Ita Athenasius de incarnatione Verbi Dei. Similiter etiam loquitur Origines hom. 3. in diversos, ubi sic Christum alloquitur: *Fuge in Ægyptum ut confringantur & pereant idola eorum? ut dæmones turbentur, & adimpleas quæ dicta sunt ab Isaia c. 19. fuge in Ægyptum, ut fugiant ex Ægypto qui ibi sunt dæmones, & pro multitudine templorum & abominationum, multitudo exuberet Ecclesiarum, pro idolorum turbis turba fidelium, pro vitiis & erroribus castitas & sanctitas.*

In ingressu Christi in Ægyptū facta miracula Isa. 19.

1. Reg. 5.

Ulterius refert Sozom. l. 5. hist. & alii, quando Ioseph & Maria Christum in Ægyptum deferentes Hermopolim (oppidum est Thebaidis) appropinquebant; ibidem arborem maximam sese insiluisse, & Christum adorasse (cùm tamen antea in ea dæmonem venerarent Ægypti:) atque exinde arborem istam in fructu foliis, cortice cum ægris admoverentur, vim medendi manifestasse. Ostenditur & fons in Ægypto, in quo traditur B. Virgo puerum Iesum, sive lintea ejus, crebrò lavisse; & & exinde, locum quem aqua illius fontis perfluebat balsami fuisse feracem, asserunt.

Arbor venerata Christum.

Itaque divino firmatum erat consilio, ut Christus Ægyptum viseret, ut ibidem idola confringeret, lucis initium quoddam inferret, loquum pedibus infantibus sacraret; in quem postea pedes Apostolorum adventarent, idololatriam extincturi, lucem & pacem Ægypti tenebris diffipatis nuntiaturi, pluviam uberem & rorem Christianæ gratiæ & doctrinæ infusuri per nomen Christi. Huic ergo consilio serviebat persecutio Herodis etiam nescientis: quia novit Dominus de petra dura oleum, de beneficio beneficium elicere, de malo bonum educere, de ore feri leonis favum mellis.

PARS II.
De agnis immolatis ob Agnum venientem.

SEcundò, decretum erat æterno sanctissimæ Triadis consilio, Christum filium Dei immolandum esse tamquam agnum, in redemptionem omnium; unde dicitur *Agnus occisus ab origine mundi*, in divino scil. decreto & prævisione. Hoc autè fieri debebat destinato tempore; non quando ejus inimicis placitum hoc erat, sed quando *venit hora ejus.* Nullus hominum, nec Herodes, nullus persecutorum nec dæmones, poterunt hanc horam mutare; hanc necem maturare. In potestate Agni hujus erat cursus Leonis furentis. Poterat illum vel cohibere, vel suo tempore permittere, & mortem spontaneè subire. Interim in tenera ætate Christi sanguis fundendus non erat. De qua re Prophetiam putat præcessisse S. Augustinus q. 90. in Exod. dum dictū est: *Non coques hœdum in lacte matris*, ubi 70. Interpretes legunt, *Agnum non coques*; & par est ratio de hœdo & agno. Dicit ergo S. Aug. hæc verba explicans. *Intellectum de Christo approbo quod hac prophetia prædictus est non occidendus à matre infans, quando Herodes quærens eum ut occideret, non invenit.* Eodem modo interpretatur S. Chrysost. hom. de Innocentibus, & S. Thomas, ac alii Litteraliter ergo sensus est: *non coques hœdum*, sive agnum, *in lacte matris*, hoc est, eo tempore quo adhuc sugit lac matris non occides eum, nec coques, sed habebis commiserationem adeò teneræ ætatis. Sic interpretantur Vatablus, Oleaster, & alii Commentatores. Allegorica autem & præcipua hujus legis causa fuit, ut significaretur Christus infans & lactens non occidendus ab Herode & Iudæis ante ætatem maturam & tempus à Patre definitum, ut jam ex S. Augustino & Chrysostomo deduximus.

Exod. 23.

Quid sit coquere hœdum in lacte matris.

22. q. 102. a. 6. ad 4.

Interim quia hic Agnus immolandus tantum erat

erat in ætate matura, in ejus adventu debebantur ei quædam victimæ & primitiæ cœlitus ordinatæ. Huic ergo ordinationi subserviebat inscia Herodis ferox hæc persecutio, dum in imbellem furit ætatem, & inermem infantium turmam occidit, ut regiæ prosapiæ & successionis incertam sibi prolem, multitudini ut putat insertam, valeat interimere. Hinc de illis canit Ecclesia: *Hi sunt qui empti sunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit.* Nempe pretio sanguinis Christi. Agni immaculati, qui jam effusus erat in circumcisione, empti sunt, ut sint Agno & Deo primitiæ, sive primæ & gratissimæ victimæ, in odorem suavitatis acceptæ, ferro cruento immolatæ, & igne crudelissimo furoris Herodiani concrematæ. Audi S. Aug. serm. 1. de Innoc. *Deus est qui ortus est; Innocentes ei debentur victimæ, qui venit damnare mundi malitiam. Agni debent immolari, quia Agnus futurus est crucifigi qui tollit peccata mundi. Miscetur lamentatio matrum, sed in cœlum transit oblatio parvulorum.* Offert scilicet eos Christus Patri, tamquam agniculos in holocaustum. Offert tamquam primitias cruoris sui recenter in circumcisione fusi: Offert tanquam exercitum selectum & purpuratū, qui se præcedat & præcurrat primæ instar aciei & *avantgardia*, quam postmodum tamquam Dux secuturus est cū toto Martyrum exercitu purpureo. Quapropter de his sic quidam ex antiquis Christū Dominum alloquitur: *Quodammodo præcurrunt primitias tuas, ô Christe, primitiæ nostræ. Præcurrunt revera moriendo ante te, non præcurrunt veniendo ad regnum sine te in passione igitur sanguinis, non in possessione beatitudinis præcedunt agnicul. suum Pastorem.* Postmodum inquirit idem; Si præcedunt, quomodo verum est quod *sequuntur agnum quocunque ierit*, ut canit de eis Ecclesia? Et respondet: *Utrumque verum est, & quod præcedant, & quod sequantur: præcedant in morte, sequuntur in resurrectione, prius currere cœperunt, sed in cursu substiterunt.* Hæc Petrus Abbas Cellensis l. de panibus c. 28. Ipsi ergo Christum Ducem suum non in corona, sed præcessetunt in pugna & victoria, mox ab ejus nativitate pro ejus nomine sanguinem fundentes, eumque confitentes, non ore, sed cruore; non loquendo, sed moriendo.

Christo immolando prævia victima debebantur.

Apoc. 4.

Prima acies exercitus Christi.

Hanc ob rationem ab Ecclesia & S. August: ac aliis SS. Patribus jure vocantur *Flores Martyrum.* Hinc illud canimus:

Salvete Flores Martyrum:
Quos lucis ipse in limine
Christi insecutor sustulit:
Ceu turbo nascentes rosas.
Vos primæ Christi victima:
Grex immolatorum tener.
Aram ante ipsam simplices:
Palmâ & coronis luditis.

Martyrū flores.

Sic de illis Ecclesia canit ex Prudentio. Cui consonat illud August. ser. 10. de Sanctis: *Iure dicuntur Martyrum Flores, quos in medio frigore infidelitatis exortos, velut primas erumpentes Ecclesia gemmas, quadam persecutionis pruina decoxit.* Denique & S. Chrysost. hom. 3. in Matth. de his sic eleganter loquitur: *Transmittit infantes in sanctis Christus in cœlum nova xenia Patri, primitias fructuum exhibet Genitori: ostendit futuram messem jucundissimam, dum in semine tantam exhibet ubertatem.* Vis videre fœcunditatem? Si credimus Calendario Græcorum, quatuordecim millia infantium fuisse Herodis internecioni dedit, ut annotavit Genebrardus. Hunc etiam numerum Christiani Æthiopiæ, quos *Abissinos* vocamus, in Canone Missæ suæ commemorant, ut testatur Salmeron Tom. 3. super Evangelia. Est autem credibile, quod etiam nonnullæ matres in tam cruento conflictu mortem obierint, volentes tueri parvulos suos, nec eos à se separari; quodque eis hoc profuerit ad salutem, dum agnoverunt propter Christum natum & quæsitum, se & illos occidi. Hunc ergo grandem numerum infantium pro Christo interemptorum considerantes, quandoquidem per mortem temporalem æternitati patiebantur, possumus sicut olim Isaias cum admiratione exclamare: *Quis audivit tale; quis vidit huic simile? Nonne parturiet terra in die una, aut parietur gens simul? Quia peperit Sion & Bethleem filios suos.* Quos nempe mundo recens pepererat; nunc parit cælo uno die per martyrium.

De numero Innocentium.

Isai. 66.

Hos voluit Christus habere præcones & testes suæ nativitatis per sanguinem. Ipse enim elegit non solum Angelos & Pastores, Magosque ab Oriente, & justos in templo, tamquam testes, sed etiam infantes, qui eum moriendo confessi sunt. Quapropter ut verbis S. Leonis utar, *savitia Herodis volens suspectis sibi Regis primordia extinguere, huic dispensationi nescius serviebat: Vt dum atroci intentus facinori ignotum sibi puerum indiscreta infantium cæde persequitur, annunciatum cœlitus Dominatoris ortum insigniori ubique fama loquaretur: quam promptiorem ad narrandum faciebat, & superna significationis novitas, & cruentissimi persecutoris impietas.* Patet igitur etiam inde, quàm verum sit quod ex Sapiente protulimus: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Sed divinum consilium dum devitatur, impletur; humana sapientia dum ei reluctatur, comprehenditur, & volens nolens subservire cogitur.

S. Leo ser. 2. de Epiphan.

MAnifestum est ex jam dictis, quot bona emerserint ex hac persecutione pueri Iesu. 1. Consecratio Ægypti per Christi in illam adventum, 2. Commutatio illius ex horrida solitudine vitiis scatente in Paradisum floribus Sanctorum vernantem. 3. Christi Regis novi exorti per Romanorum Imperium, & per universum orbem fama excurrens post hoc atrox Herodis facinus. 4. Ipsorum quoque Infantium sanctificatio per martyrium, & glorificatio futura per Christum. Non igitur lachrymis & luctu prosequendi sunt, sed hymnis, cantu, lætitia sicut & alij Martyres. Vnde Eusebius Gallicanus

PARS III. *De morte Innocentum gaudio prosequenda. Quot bona ex hac Iesu persecutione.*

hom. de S. Blandina de Martyribus Galliæ sic olim loquebatur: *Legimus in Bethlehem ab Herode millia felicium extincta esse puerorum, dicente Propheta: Rachel plorat filios suos, & noluit consolari, quia non sunt. Hæc autem beata parens Gallia, etsi ad momentum orbari visa est, non plorat filios suos, quia dum verderet, acquisivit. O Bethlehem, in Martyrum titulis tu fortè præcedis numero, ego merito; in tuis interfectio fuit, confessio non fuit. Tu in sanguine parvulorum potuisti videre pereuntes, non potuisti spectare triumphantes. Te coronavit innocentia morientium, me gloria triumphantium.* Equidem dum infantes occisi sunt, necdum fuit eis regnum apertum, necdum gloria data, nec triumphus decretus, quia expectabatur Christi gloria triumphantis, quæ præcedere debebat: habebant tamen jus certum ad gloriam, triumphum, regnum, ex vi mortis & martyrij pro Christo suscepti. Ideo ad illum diem cum lætitia & gaudio recolendum adhortantur SS. Patres inter quos Aug. disertè dicit: *Cum summa exultatione gaudeat terra cœlestium militum, & tantarum parens fœcunda virtutum. Ecce profanus hostis nunquam beatis parvulis tantum prodesse potuisset obsequio, quantum profuit odio. Nam sicut sacratissimum præsentis diei festum manifestat quantum contra Beatos parvulos iniquitas abundavit, tantum eis gratia benedictionis refudit.* Rursus de illis sic loquitur. *Natalem illorum colimus, quos beatius æterna vita mundus edidit, quam mundo maternorum viscerum partus effudit. Siquidem ante æterna vita acceperunt dignitatem, quam usuram præsentis. In incipientis vitæ primordiis ipse eis occasus initium gloriæ dedit, qui præsentis terminum imposuit.* Hæc S. Augustinus sermone 10. de Sanctis.

Similem in modum loquitur S. Petrus Chrysologus ser. 152. Quærit enim ibi, cur Christus natus Rex cœlestis, futurorum præscius deseruit eos quos sciebat quærendos esse propter se, & propter se noverat occidendos: Quare neglexit milites innocentiæ suæ? Cœtaneum sibi quare contempsit exercitum? Quare cunabulis suis deputatus excubias sic reliquit, ut Regem solum quæsiturus hostis totum grassaretur in militem? Respondet hisce quæstionibus aut querimoniis in hæc verba: *Fratres, Christus non despexit suos milites, sed provexit, quibus dedit ante triumphare quam vivere, quos fecit capere sine concertatione victoriam, quos donavit coronis antequam membris, ante cœlum possidere quam terram. Præmisit ergo Christus suos milites, non amisit. Recepit suas acies, non reliquit. Beati quos martyrio natos videmus esse, non sæculo. Beati qui labores in requiem, ut refrigerium dolores, mœrores in gaudium commutarunt. Vivunt, vivunt, qui vere vivunt, qui pro Christo merentur occidi.* Hæc ille. Qui postmodum ad matres horum infantium se convertit, considerans illas flentes super filiis suis, dicitque earum lachrymas beatas fuisse, ventres & ubera. Sic enim prosequitur: *Beati ventres qui portaverunt tales, beata ubera quæ se talibus infuderunt, beata lachryma quæ pro talibus fusa flentibus gratiam baptismatis contulerunt. Nam diverso modo, dono uno, in lachrymis suis matris & filij suo sanguine baptizantur. In martyrio filiorum passæ sunt matres; nam gladius filiorum pertransiens membra ad matrum corda pervenit, & necesse est ut sint pravis consortes, quæ fuerunt socia passionis* hæc ipse.

Cur innocentib. Christus non succurrerit.

Sed nolite nimium flere, ô Matres, quia quos lugetis & vocatis *Benoni*, filios doloris, Pater Æternus vocat filios dexteræ & gaudij, vocat *Benjamines*. Noli flere, ô Rachel! O Bethleem, noli flere filios tuos, *quia non sunt*, sive quia occisi & mortui sunt; Immo fleas, ô Rachel filios tuos qui occisi nō sunt, qui digni non sunt habiti, ut pro Domino morerentur. Consolare & noli flere, *quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis, quia est merces operi tuo*, ait Dominus, sive ut vertit S. Hieronymus, *est merces filiis tuis*. Tu habebis mercedem operis tui, sive patientiæ, in Matribus: Filij tui habituri sunt mercedem sanguinis, palmam martytij. Noli flere, quia *revertentur de terra inimici, & est spes novissima tuis, & revertentur filij ad terminos suos*, ait Dominus. Filij tui pro terra Herodis inimici possidebunt regnum cœli; reversuri sunt ad Patriam cœlestem, tanquam ad terminos suos; pro corpore vili recepturi sunt corpus glorioſum. Hæc est spes novissima, quæ justos patientes & martyres alit, quod in fine sæculi assequentur vitam gloriosam in corpore glorioso, quando & infantes resurgent *in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*. Nolite ergo flere, ô Matres, quasi infelices, sed *sinite parvulos ad me venire, talium enim est regnum Cœlorum*, ait Christus. Imò non solum finite, sed & adhoc adjuvate eos, animate & adducite, ut fitis & beatitudinis eorum participes.

Jerem 31.

ibidem.

Ephes. 4.

Matt. 19.

Exempla matrum suos Christo offerentium.

1. Sic fecit illa mater, de qua Prudentius, cujus cum puer necdum septennis Christum constanter confitetur coram Asclepiade Præfecto, ille coram matre suspensum jubet acerrimè virgis dilacerari. Stat mater imperterrito vultu, amore Christi. Parvulus se sitire clamat, mater eum increpat, & dicit: *Si sitis, ô fili, habes aquam vitæ, quam sugere potes de Christo fonte perenni tibi proximo; Calix infanitum Bethleemiticorum tibi exhauriendus est. Memineris obedientiæ Isaac parvuli liberè se sacrificantis. Memineris & puerorum Machabæorum ad mortem intrepidè se offerentium.* Sic effecit, ut dolores & vulnera rideret. Demissum ergo ex alto Mater amplexatur, & osculo valedicit carnificique tradit. At dum ille cervicem amputat illa psallere docta canebat: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Tuus ille servus, filius ancillæ tuæ.* Talia canens explicabat pallium & sinum sub ictu sanguine, ut pretiosam hanc undam cruoris charo applicaret pectori, & gremio exciperet. O matrem fortiorem Rachele, fortiorem matribus Bethleemiticis filios deplorantibus!

Prud. lib. de Coron.

Psal. 115.

2. Sic & matrem Machabæorum ad filium tenellum sequentem introducit Ambrosius: *Tu solus superes.*

fupores fili, fumma votorum meorum. Miserere mei qua te in utero tot mensium curriculo portavi. Aspice in cœlum ad Patrem omnium Aspice ad matrem, qua tibi lac dedit: Redde mercedem pij sanguinis.

3. Sic & mater Symphoriani pueri, in tormentis dum forte titubantem advertit, his eum solidat verbis: *Nate, nate, memento aterna vitæ, Cœlum suspice, & ibi regnantem intuere; Tibi enim vita non eripitur, sed in melius mutatur.*

4. Sic S. Sophia, cum tres filiæ capitis essent damnatæ inclamabat: *O me beatam, qua tribus filiabus SS. Trinitatem honorare meruit! O summum Dei in me beneficium ea hodie martyrij gloriæ coronatas in suum regnum transferentis! Perge filia, Angelos video cum lætitia consummationem expectantes. Perge ad cœlestem thalamum Christi, quo sorores jam perfruuntur.* his verbis postremam filiam tanquam victimam læta offerebat Deo.

5. Sic mater Melitonis, adolescentuli inter 40. Martyres, in humeros assumens filium, bacillis confractum, sed relictum si fortè tandem vacillaret. deferebat ad rogum Martyribus præparatum, & hæc ei in itinere insonabat. *O me beatam fili, si pro Christo mortem perseveranter obeas! O felicem uterum meum, qui te gestavit, felicia ubera qua te lactavunt! Esto animo infractus, hanc si lucem perdis, mox aterna frueris. Adhuc modicum te pati oportet, ut Matrem lætifices, & Angelum tutelarem, qui coronam in stagno gelido obtulit. Aqua & ignis iter sunt ad refrigerium aternum, & Angelorum consortium. Aqua frigus passus es, ego te ad ignem & rogum defero, ut quem Deus mihi commodavit, repræsentem ei cum gaudio. Lugeant matres de filiorum salute incerta; ego secura te pario cœli & aternitati, ut ibi me exspectes.* Hæc ipsa. O matres, plusquam matres, quæ sic filios Christo sacrare victimas connisæ sunt! O matres Bethleemiticis fortiores, postquam Christus Agnus in cruce fuit immolatus in præsentia Matris, ipsa quoq; cooperante interiori voluntatis heroico actu!

Cõclusio. Sed concludo, & pro more ad Iesum vota convertо. O Domine Iesu, infans benignissime & potentissime, agnoscimus benignitatem tuam, agnoscimus & potentiam in cunis, dum non solum è cœlo Angelos, è Iudæa Pastores, è plaga Orientis Magos, sed & ipsos trahis infans infantes è cunabulis, è matrum brachiis. Equidem trahis eos, ut tibi confecres, & vindices in victimas, eosque martyres primos, tuæ infantiæ flores selectissimos efficias, dum moriuntur pro te, dum confitentur tacentes, pugnant nescientes, vincunt inscij, rapiunt coronas & palmas ignari. Trahe nos quoque, ô benignissime infans, ut in fide, spe, charitate tibi inseparabiliter adhæreamus, ut in funiculis amoris indissolubilis, vinculis Adam, colligemur, ut infantium innocentiam & gratiam seduli sectemur, tandemque cum illis aternam per te coronam adipiscamur, & misericordias tuas decantemus, Amen.

APPENDIX.

Versus Romæ extantes in templo S. Stephani rotundo de SS. Innocentibus.

Sincera animula, candidi puelli,
Vix nata nato dant Deo corpuscula.
Pugnantque inermes, & relicta parmula
Vincunt cohortes, quas ferire nescirunt.
Iam pulchriores liliis & gemmulis,
Iam clariores igneis scintillulis.
Beata mulcent oculis sedilia.
Ferox Tyrannus, ferreique pectoris
Qui parricidas intulit vobis manus.
Ferrumque sacris polluit cerviculis.
Heu sic avicula tollitur de nidulis,
Matrisque rapitur sic papillis hinnulus,
Recensque nati sic leguntur flosculi.

In Monasterio S. Gerardi Ord. S. Benedicti, Namurcensis Diœcesis, coluntur corpora Philippi & Benjamin Innocentium ab Herode occisorum. Quæ è Monasterio Deiparæ Virginis *Aulas* dicto, in territorio Terracenorum Chimanensium divina revelatione S. Gerardo facta in illud Monasterium translata sunt. Asservanturibi in capsa argentea. Cognoverat vir Sanctus ob hominum in dicto Monasterio degentium malitiam & pertinaciam, futurum, ut locus ille funditus subverteretur. Innocentes itaque *Bronium* (locus est Namurco tribus distans horis) translati sunt, ac in Monasterio, quod modò *S. Gerardi* Monasterium passim nominatur, juxta dextrum cornu altaris muro sunt inclusi. Processu verò temporis ob antiquitatem oblivioni traditi fuerunt, donec miraculo subsequenti Deo placuit hos revelare. Erat *Nivigilla* in Monasterio Sanctimonialis nomine *Giberta*, quæ in occidua ætate assiduis lachrymis quibus peccata juventutis deflebat, orbitatem lucis unum incurrit, qua calamitate oppressa, Dei ac SS. Innocentium opem ad visum recuperandi implorabat. Huic nocte quadam post orationem somno oppressæ, Innocentes duo in formosa infantili specie apparuerunt: ac nominibus suis eidem mulieri patefactis, jusserunt eam *Bronii* properare. Dixeruntque in muro supradicto sacra sua corpora latitare jampridem oblivioni tradita; futurum verò, ut eorum attactu pristinus oculorum usus ei restitueretur. Mulier hac visione instructa locum adiit & re tota Abbati Fratribusque per ordinem enarrata, Abbate impulit, ut murus prædicto loco suffoderetur; quo facto, mox sacra corpora BB. Innocentium *Benjamin* & *Philippi* reperta sunt, eorumque attactu Mulieri videndi facultas insigni miraculo est restituta. Postmodum processu temporis Presbyter quidam *Godeschalcus*, ætate provecta cæcus effectus eorundem Innocentium meritis sic visum recuperavit, ut quo plus annorum ei accederet, eo etiam magis in illo videndi sensus accueretur, & augeiceret, idque ad extremum usque vitæ diem. Hæc ex Historia manuscripta translatio-

Exempl.

Aliud.

nis dictorum Innocentium, quæ asservatur Bronij in Monasterio S. Gerardi.

Visitur etiam in Oratorio Archiducum Brabantiæ Alberti & Isabellæ artificialis collicula, Mons Calvariæ dicta, in qua conspiciuntur sex infantuli jacentes super tumbas inauratas, quiescentesque in areis, seu quadratis lateribus, argenteis & chrystallinis, quibus quidem chrystallis transparent notabiles ossium partes SS. Innocentium. Inter quas videre est & venerari brachium unius ex illis integrum, pelle adhuc manuque integra constans.

Denique Condatenses Canonici possident & veneratione exponunt unum corpus dictorum Innocentium ab Herode occisorum.

IN FESTO S. SEBASTIANI.

20. Ian. LECT. 10. tripart.

Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam Thren. 3.

Pars I. *Christum & Christianum quemlibet esse signū ad sagittam.* *Apoc. 6.*

APerto per Agnum libro mystico & sigillis ejus in Apocalypsi, referens S. Ioannes quid sibi ostensum fuerit in apertione primi sigilli, sic ait: *Ecce equus albus, & sedens in eo habebat arcum & data est ei corona, & exivit vincens ut vinceret.* Hic equus dicitur designare exercitum Martyrum, in quo Christus sedet, ut ejus opera pugnet, & mundum ac dæmonem expugnet: ideo ei corona datur, quasi Victori. Habet quoque Arcum prædicationis, cum sagittis, quia verba sua per ora Martyrum emisit, tamquam sagittas potentes & acutas in corda inimicorum suorum, hoc est, in corda Tyrannorum & infidelium. Per sagittas rectè Martyres designari, insinuatur in Psal. 126. ubi de Apostolis & Martyribus fit mentio dum dicitur: *Sicut sagittæ in manu potentis, ita filij excussorum.* Ita enim interpretatur S. Augustinus: *Excussi sunt quidam de manu Domini tamquam sagitta, & ferunt longè, & totam terram impleverunt.* *Psal. 126.*

Symbolo dicto Ioanni demonstrato in Apocalypsi, videor posse hodie depingere generosum Christi militem Sebastianum. Huic convenit Arcus, signum victoriæ, symbolumque accidentalis illius gloriæ, quam per sagittarum transfixionem est assecutus. Ei quoque convenit Corona, signum gloriæ essentialis. Sic & rectè de eo dicitur: *Exivit vincens ut vinceret.* Hæc omnia specialiùs patescent, si paulo altius repetamus, quæ in themate nostro insinuantur. *Posuit me quasi signum ad sagittam, tetendit arcum suum,* &c.

Primus sensus thematis.

Primò quidem, hæc verba videtur pronunciare Propheta Ieremias in persona sua, deplorans multiplices calamitates, quibus durante obsidione afflictus fuit à civibus. Atque etiam simul in seipso repræsentat afflictionem cujuslibet Iudæi lugentis communem cladem, vel Ierosolymis, vel in Babylone. Hic quidem est literalis sensus.

Secundò, Allegoricè, atque etiam principaliter, possunt eadem verba intelligi in persona Christi, qui multipliciter positus fuit, *quasi signum ad sagittam*, sicut de eo S. Simeon pronunciat: *Ecce positus est hic in signum, cui contradicetur.* Iudæis positus censetur in signū dum tot calumnias, blasphemias, accusationes falsiloquias in eum intorquent arcu linguæ suæ virosæ. Item, quot dolores & cruciatus ei infligunt, tot sagittis cor ejus configunt. Hæreticis positus censetur rursus in signum, dum aliqui ejus impetunt divinitatem, ut Ebion, Cerinthus, Arius: alij ejus humanitatem, denegantes corporis ejus veritatem, ut Manichæus cum suis assecleis. Nonnulli denique in eum jacula dirigunt in Sacramento diviniſſimo existentem, ut Calvinus cum suis. De his omnibus verum est illud: *Extenderunt linguam suam quasi arcum mendacij, de malo ad malum egressi sunt, & me non cognoverunt.* dicit Dominus. Malis denique Christianis adhuc positus modò videtur in signum, ad quod jacula dirigant; quia etsi non contradicant aut blasphement lingua, sagittant tamen Dominum improba conversatione & prava vita. Sed de his omnibus verum est: *Conversi sunt in arcum pravum*, qui in ipsum jaculantē revertitur, eumque lædit; quia sibimetipsis nocent, non Deo. Aut certè similes sunt his, qui in lapidem jaculum dirigunt, quo resiliente vulnerantur. *Luc. 2.* *Ierem. 9.* *Psal. 77.*

Tertiò, ulterius prætacta verba in sensu morali intelligi possunt, de quolibet Christiano, sive considerēs ejus hostes, sive ipsum Deum adversa immittentem. Quantum ad hostes, non desunt tres, qui nocte dieque vigilant, ut suggestionibus, tentationibus, illecebrosis insidiis transfodiant cor hominis. De quibus rectè intellexeris illud: *Intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.* Et rursus illud: *Paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.* Hi hostes sunt, Mundus, Caro, Dæmon: eorum sunt præcipuæ sagittæ tres, sicut & hostes tres. *Concupiscentia carnis. Concupiscentia oculorum, Superbia vitæ.* Attende figurā hujus rei in Absalone Hæret ipse in arbore suspensus, ob crines & cæsariem nimis prolixam. Venit Ioab, & tria cordi ejus infigit tela lethalia, non obstante, quod jussisset David servari sibi Absalonē; de cujus nece doluit amarissimè, quia *sciebat ei obstruendum exitum de ventre mortis, mole crimbis*, ut loquitur S. Bernardus. An non tibi videtur Absalon aptè typum cujuslibet gerere peccatoris? Patri rebellis est peccator, & ab ejus facie recedit, qui tamen haud cupit eum perdere, sed salvare. Interim dum fugit à Patre & Deo suo, multis implicatur cogitationibus, quæsi crinibus, quibus suspensus hæret, non potens sese extricare. Venit igitur Satan, & concupiscentiam carnis mundique cum superbia immittit in cor ejus, quasi triplex jaculum, quo eum confodit & perimit. Felix, qui contra hæc tela, quibus omnes appetere conatur Dæmon, semper gestat in pectore loricam justitiæ cum baltheo castitatis; in capite spem galeam salutis; in dextra gladium spiritus, in sinistra scutum fidei; in pedibus calceos, quibus possit corruere in viam

3. *Tres hostes hominis Christiani.* *Psal. 63.* *Psal. 10.* *Ephes. 6.*

viam salutis & pacis. Hæc quantum ad dæmonem & ejus sagittas.

Deus corda suorũ sagittis probat. Psal. 113.

Quantum ad Deum, ipse etiam suis sagittis probat corda suorum. Verba ejus conversionem animi operantia sagittæ sunt, de quibus illud Psaltis poteſt intelligi: *Sagitta potentis acuta cum carbonibus desolatoriis.* Quales sagittas expertus est S. Augustinus jaculo charitatis transfixus, Experta est & S. Theresa & multi alii, qui meritò potuerunt dicere. *Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam.* Adversitates quoque, quibus nos castigat & configit, ut emendet, sagittæ sunt; non malevolentiæ sagittæ, sed æternæ suæ providentiæ. Propterea dicebat Iob: *Ego ille quondam opulentus, repentè contritus sum, posuit me quasi signum, circumdedit me lanceis suis,* sive jaculis. Conformiter dicebat & Apostolus: *Nemo moveatur tribulationibus istis, ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus.* Quomodo positi? Quasi scopus scilicet, ut jaculis trajiciamus. Sagittæ igitur Domini variæ sunt. An non sagittæ sunt morbi & pestilentiæ ab eo immissæ? An non sagitta est calculus renes transfigens? Sagitta nonne est podagra, pedes torquens ob intemperantiam annorum præcedentium? An non sagitta est in capite vertigo, in stomacho dolor, in oculis defluxio, plectens ebrietates vel comessationes, luxuriasque præteritas? An non sagitta quoque est damnum dispendiumque subitum bonorum fortunæ, animũ hominis cupidi transfigens? Audi & considera illud: *Sagitta Domini in me sunt, quarum indignatio obibit spiritum meum.* Sagittas vocat plagas, ulcera, vulnera, quarum indignationem, id est, acrimoniam & vehementiam, dicit exhausisse omnem suum spiritum, omnem corporis & animi vigorem.

Iob. 16.

1. Thess. 3.

lib. 6.

Igitur & in bonos suas immittit quandoque sagittas Dominus, ut probet eos & humiliet. Imò & hæ sagittæ nõ sunt testes odii, sed amoris, quia quos diligit Dominus castigat. Huc referri potest symbolicè illud, quod inter Ionatham & Davidem gestum fuisse refertur. Cum enim pepegisset fœdus Ionathas cum Davide dixit: *Mittam tres sagittas, quasi exercens me ad signum Mittamque puerũ, dicẽs: Vade & affer mihi sagittas. Si dixero: Ecce sagitta intra te sunt, tolle eas tu veni ad me, quia pax tibi est, & nihil est malis. Si autem dixero: Sagitta ultra te sunt; vade, quia dimisit te Dominus.* Dicamus & nos non absimiliter: Cum dicit nobis Deus: *Sagitta intra te sunt,* signum bonum est, signum amoris, signum reconciliationis & pacis. Ideo nimirum adversitatem & tribulationum sagittas in te mittit, ut te & ipsum agnoscas, & ad eum redeas.) Si sagittæ semper ultra te sunt, si nihil adversi aut ærumnæ umquam te attingit, signum non est bonum; sed potius signum est, quod te demisit Dominus voluntati tuæ. Ideo Sancti flagella & sagittas Domini lubẽter sunt amplexi, tamquam signum dilectionis & electionis suæ, ita ut in eorum persona dixerit Ieremias: *Tetendit arcum suum, posuit me quasi signum ad sagittam; misit in renibus meis filias pharetræ suæ,* hoc est

2. Reg. 20.

Thren. 3.

sagittas, quæ in pharetra quasi filiæ in matris utero continentur. Quasi dicat: Ex pharetra suæ providentiæ, & justitiæ deprompsit jacula & flagella, quibus renes meos, hoc est concupiscentias & desideria prava interimeret, & me non perderet, sed corrigeret, erudiret, & perficeret. Audi Rabanum hunc locum interpretantem: *Pharetra Dei est occultum ejus judicium vel consilium. Sagittam de pharetre ejicit, quando de occulto judicii consilio apertam sententiam emittit. Quod enim flagellatur quis, agnoscimus, qua causa, ignoramus. Cum verò post flagella vita correctio sequitur, vel non sequitur, consilii ratio aperitur. Aliquos enim feriendo corrigit & emendat, alios duriores reddit, ut justiùs damnet, ut in Pharaone.* Hæc ille.

PARS II.
Thema S. Sebastiano aptissimè convenire.

DIcamus insuper, prædicta thematis nostri verba aptissimè S. Sebastiano convenire, quia propter fidei confessionem positus est signum ad sagittam. Sed si exteriùs undique in carne ferreis sagittis confixus fuit, multo efficacius in mente & corde divini amoris jaculis. Sagittæ Tyranni penetrabant corpus, sed cor illæsum relinquebant, quia illud jam sagittaverat Dominus IESVS Christus. Amoris divini jacula insensibilem reddebant Sebastianum ad sagittas alias; quæ magis torquebant Tyrannum, quam Sebastiani invictum animum. Nempe verùm hic fuit illud S. Chrysologi: *Amor impenetrabilis lorica est, jacula respuit, periculis insultat, mortem videt.*

Sancti, tormenta tyrannorũ contemnentes.

Hoc amore non solùm S. Sebastianus, sed & multi alii Martyres utriusque sexus, sagittas in se contortas contempserunt.

S. Thomas Apostolus eorum Dux fuit & Coriphæus, de quo sic in Breviar. Roman. 21. Decemb. legimus: *Ad extremum, vitæ doctrinæque sanctitate, & miraculorum magnitudine, cum cæteris omnibus sui admirationem & Iesu Christi amorem commovisset, luaorum Regem idolorum cultorem magis ad iram accendit cujus sententia condemnatus, relisque confessus, Calaminæ Apostolatus honorem Martyrii corona decoravit.* Hæc Breviarium S. Thomas potuit ergo dicere: *Posuit me Dominus quasi signum ad sagittam.*

S. Sebastianum imitati etiam sunt hoc in certamine, per sagittas mortem glorioſam obeuntes, SS. Marcus & Marcellianus Fratres prænobiles. Hi ob fidem carceri mancipati erant. Advenerunt ad eos Pater & Mater, cum conjugibus atque liberis, calamitosam sortem suam deplorantes, obsecrantesque cum lachrymis ut obedirent Imperatori, & fidem abnegarent Christi. Cùm vero horum fletu molliores effecti vacillare viderentur, à S. Sebastiano hac oratione sunt confirmati. *O generosi limites Iesu Christi, itane propter vitæ corruptibilis momentum avolans, peronnantem gloriosamque vitam deseretis, & æternitatis aleam jactare mens vobis esse potest? Qui adeo præclarè hactenus militastis, Christo Duce, ut jã victoria & corona immineat, illam*

stiam repudiare desernitis? Adspicite, non in fallaces parentum conjugumque lachrymas, sed in vestræ militiæ sacramentum, quo fidem obstrinxistis Imperatori cæli. En coram vobis, vel pœnæ, vel gloriæ æternitas: quid in electione titubatis? His igitur confirmati verbis. ultrò se tortoribus tradiderunt. Quare à Fabiano Duce comprehensi, ad stipitem alligati sunt, pedibus per clavos confixis. Ad quos cùm ita loqueretur Judex: *Respicite miseri, & vos ab his cruciatibus eripite*, responderunt: *Numquam tam jucundè epulati sumus, quàm hac lubenter* IESV *Christi causa perferimus, in cujus amore nunc fixi esse cepimus: utinam tamdiu nos hæc pati sinat, quamdiu corruptibili corpore vestiti erimus.* Qui diem noctemque in tormentis divinas laudes canentes, denique telis transfixi, ad martyrii gloriam pervenerunt: Nempe nihil eis ferrei clavi, nihil chalibeæ sagittæ nocere potuerunt, quorum corda adjuvante S. Sebastiano divini sagittæ amoris impleverant. Et his igitur illud convenit: *Posuit me quasi signum ad sagittam.*

Breviar. Roman. 18. Junij.

Similiter S. Meletius, Tribunus Christianus, cùm fidem Christi nollet abjurare, pino affixus, & telis confossus illustre subiit Martyrium, glorioſam adeptus est coronam. Martyr, 24. Maij. Ergo & hic de eo verum est: *Posuit me Dominus quasi signum ad sagittam.*

Sic & pueri quindecim Scholares, à S. Paphnutio animati, palis affixi, & jaculis confixi, infractum gesserunt animum, ut cum Divo Sebastiano vitæ æternæ consortium & gloriam specialem invenirent, & cum illo dicere unusquisque eorum posset: *Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam.*

Sic & S. Christophorus post galeam ignitam capiti impositam, & post alligaturam ad scamnum ferreum flammans, etiam ad palum ligatus fuit, ut sagittis configeretur, sed inanes fuêre ictus, manſitque illæsus. Imò una ex sagittis carnificis oculum collisit, cui tamen beati Martyris cruor mixtus terræ, lumen corporis & mentis restituit. Vide Surium 24. Julii.

Surius 28. April.

Nec desunt in sexu fragili virgines, quæ hoc in certamine sagittario sese gesserunt animo plusquã virili; in confusionem tyrannorum, qui certamen istud & tormentum, quod viros & milites concernit, opprobriosè etiam ad mulieres & virgines traduxerunt. Hæc etenim non solùm se *Mulieres*, id est molles, ostenderunt; sed & *Virgines* apparuerunt, tanquam de Viro sumptæ, & quidem de ossе Viri, hoc est, parte fortissima & constantissima; ita ut nec sagittas jaculaq; extimuerint. Potuerunt itaque & hæc cum S. Sebastiano pronunciare: *Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam.*

Sed non timuerunt arcum, quæ ex osse arcui simili, hoc est, ex costa curva & arcuata formatæ erant & firmatæ, reformatæ & confirmatæ. Formatæ quidem & firmatæ, quia sumptæ ex latere osseo primi Adami, reformatæ autem & confirmatæ ex latere aperto secundi Adam in cruce, ut fortes forent ad omnia tormenta pro eo perferenda. Quocirca mulieres meritò ad tolerandos pro Christo labores animabat S Iulitta Martyr, teste S. Basilio. Dicebat enim illis fortiter: *Ne sinite animos vestros emollescere aut pratexere infirmam fœminea natura conditionem; eadem quippe massa quâ & viri constamus; ad imaginem Dei perinde ac ipsi condita sumus, ab opifice creata est mulier, aque ac vir capax virtutis. Consanguinea sumus per omnia viris, non enim ad constituendam mulierem sola est assumpta caro, sed & os ex ossibus. Quo fit, ut & Domino nihilominus ac viri reddere debeamus firmitatem fidei atque constantiam, patientiamque in adversis.* Hæc ipsa teste S. Basil. hom. in S. Julittam Martyr.

Inter has autem Virgines quæ sagittis confixæ fuerunt, recenſetur S. Christina quæ cùm Patris sui idola aurea & argentea confregisset, ab eo jussa est & virgis & ferreis ungulis dilacerari, ita ut undique in fruſtra caro ejus defluëret. Ipsa autem particulas recolligens, & in Patrem projiciens, dicebat: *Satiare miser carnibus quas genuisti, filiam comedere potes, ut impietati tuæ consentiat facere non potes.* Patre postea subitò defuncto, à succeſsoribus Præſidibus variis fuit iursus cruciata tormentis, igne cum fervente oleo & pice commixto & aliis. Tandem Iulianus Præses ei jussit mammillas amputari, & linguam, ipsamq; sagittis confici, quo in martyrio consumpta in cœlos evolavit. An non igitur & hæc potuit dicere: *Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam?* Recenſetur & inter illas S. Europia duodenus, quæ ad palum etiam affixa, & telis confixa, constantiam haud mutavit, sed tormenta irrisit ob amorem Christi in cruce confixi; cui conformis efficiebatur, simulque imitatrix reddebatur S. Sebastiani & aliorum Martyrum gloriantium in arcu & sagittis. Dicat ergo cum ipsis & ipsa: *Posuit me signum ad sagittam.*

Vide Surium 24. Julii.

Vide Surium 15. Junij in vita S. Eurropiæ.

SEd de S. Sebastiano paulò altiùs res à nobis repetenda est; de quo hodie solennitas specialis peragitur, quia vita plena est virtutibus, & prodigiis. Audi & contemplare paucula.

PARS III. *De zelo, constantia & electione S. Sebastiani.*

Primo quidem vide quomodo in eo zelus Christianæ fidei maximè promicuit. Floruit ipse Dioletiani tyranni tempore, sub quo fides oppreſsa lugebat & quasi ex nihilo mulctata, antra & solitudines incolere cogebatur. Licet toris trecentis primis annis Dæmon per Tyrannos Ecclesiam impetierit omni furore, *ut exinaniret usque ad fundamentum in ea*, multaque genera tormentorum foggesserit ad fidem Christi exterminandam, ignes, gladios, rotas, cruces, serpentes, leones, sartagines & lebetes attamen tempore Diocletiani, omnis inferorum rabies visa est sese effudisse in necem Christianorum. Totus tunc orbis immadebat sanguine Christiano & multa fidelium millia dies una absorbebat. Omnis ordo, omnis ætas omnis sexus ad supplicia raptabatur crudelissimè & impientissimè. Calamitosissi-

Psal. 136.

Apoc. 6. riosissimum & cruentissimum illud tempus videtur designasse S. Ioannes, dum dicit, se vidisse equũ rufum & sanguineum, & illi qui huic equo insidebat datam esse potestatem tollendi pacem de terra, traditumque ei ideo fuisse gladium cruentum in manus. Hic equus sanguineus exercitum designat Tyrannorum, cui insidet diabolus sæviens in Sanctos, & illos prosequens multiplicibus supplicĳs. Huic data est potestas tollendi pacem, quia & eam sustulit de cœlo, sustulit & de Paradiso, sustulit & de mundo à mundi exordio: sustulit denique eam, cùm jam initiaretur à Christo, novi sæculi, novæque pacis auctore, quia consilio Tyrannorum gladium promiscuè in Christianos, pacis filios, exeruit, & eorum sanguinem sine limite profudit. Quod maximè per Diocletianum factum esse, notum est ex sacris historĳs.

Sub Diocletiani signis militabat S. Sebastianus, adeò illi charus, ut primæ cohortis Dux ab eo fuerit constitutus, aulæque primarius. Hoc equidem bellicæ ejus virtuti debebatur, sed & Christianæ oportunè subserviebat fidei & veritati; cui primò clam operam dedit, palam deinde professionem edidit. Sub prætextu primariæ authoritatis, adhuc ignotus Christianus, carceres visebat, Christi milites, animabat, facultatibus propriis eos sustentabat: non erat absimilis Tobiæ, qui captivos visitans monita salutis eis dabat. Ita verò zelo fidei, spirituque Dei, proficiebat, ut sexaginta infideles verbo salutis recenter à se conversos præsentarit Polycarpo Presbytero baptizandos, quos ad martyrii coronam animavit. Verè fuit Patrinus horum novorum Christianorum, verè Pater spiritualis eorum, qui post quam eos Christo parturivisset per baptismum, nihil aliud cordi habebat, quàm eos perfectiùs æternitati parere per martyrium. Ipse tamquam Dux & Aries ducendus ad victimam, voluit & Agnos consortes habere; immo & quosdam præmittere, ut patet de Marco & Marcellino, de quibus à nobis supra dictum est.

Tandem & palam Christianum se professus est, quia ideò solummodò latuerat, ut Christiano nomini tantò magis proficeret. Nec diu potuit Imperatorem latere, qui frequens in oculis ejus erat, & à latere. Ne verò pusillanimitatem latebras Christiani nominis quæsisse videretur, palam appensum pectori gerere voluit numisma, cui inscriptum erat, Christianus sum. Repudiatis igitur gemmis omnibus aliis, ac Numismatibus favore imperiali & nomine præsignatis, in hoc solo gloriabatur, & sese ad omne genus mortis pro eo perferendum hâc ratione acriter extimulabat.

Constantia S. Sebastiani. *Secundo*, attende ejus constantiam ineluctabilem. Nullis enim potuit adduci; vel blanditiis, vel minis, ut Christiano nomini renunciaret, quamvis omnem moverit lapidem Diocletianus Imperator, quia sibi charus erat ob nobilitatem, cùm animi, tum generis, ejusque delectabatur familiaritate, & propterea eum aulam suam frequentare jusserat. Non fuit igitur, sicut plerique in aula, mutabilis ut aura; non fuit velut arundo vento agitata, in omnem partem vertibilis, prout Principis voluntas tulerit. Sciebat illud Apostoli, & altâ mente retinebat: *Iam non simus parvuli fluctuantes,* *Epheſi. 4.* *& in nequitia hominum circumferamur omni vento doctrinæ ad circumventionem erroris.* Aulicis certè adulatoribus, qui se Principis ingenio & fidei molliter accommodant qualis qualis sit, rectè convenit illud: *Stellio manibus nititur, & moratur in do-* *Prov. 30.* *mibus Regum*, ex Hebræo nonnulli vertunt: *Simia manibus capit, & moratur in domibus Reges.* Simia in deliciis est apud Reges, & manuum similitudine ac imitatione hominem refert, etiam de hac rectè dixeris, quod *manibus capit*. Similes sunt adulatores in Palatiis, qui captantes gratiam accommodant se omni actioni Principum, ut manibus scilicet aduncis possint aliquid beneficii apprehendere. His non accensendus est S. Sebastianus, qui veritati innixus, haud titubare potuit impetitus verbis Imperatoris, vel blandientibus, vel sævientibus. Neque enim tinuit jacula & sagittas cujuslibet generis, qui positus erat à Domino quasi signum ad sagittam

Adulatores sunt simiæ.

Si blandiebatur Tyrannus, honores proponens *Psal. 54.* & præmia, non ignorabat illud: *Mollĭti sunt sermones ejus super oleum, & ipsi sunt jacula.* Hæ sunt sagittæ leviter & leniter transmissæ, sed incautos acriùs vulnerantes, & æterno configentes exitio. Contra has scuto prudentiæ, Christianæque veritatis & severitatis clypeo sese obarmavit, sic victos evasit Sebastianus.

Sed hæc ei levia fuêre certamina Dei gratia cataphracto; ideo post sagittas sermonis blandientis immitti jubet in eum palo affixum Tyrannus jacula ferri transfigentis. In quo quidem certamine tantò magis gavisus est, quia *Spectaculum factus* *1. Cor. 4.* *est Deo, & Angelis, & hominibus.* Deo equidem, tamquam Agonothetæ & certaminis istius Præsidi, ut vincenti impertiretur coronam gloriæ. *Angelis bonis*, qui hic aderant non solùm ut spectarent, sed etiam ut certantem confortarent, vincentem coronarent. *Angelis malis*, qui Tyrannum adjuvabant ad cruciandum hunc generosum militem & Ducem, ut cæteros à fide metu pœnarum deterrerent. *Hominibus probis*, qui constantiâ certantis plausu intimo excipiebant, & collaudabant. *Hominibus etiam pravis*, qui spectabant, sed insultabant, & vulnera vulneribus cumulantes supplicio patientis oblectabantur.

Interim *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eo-* *Psal. 63.* *rum*: læserunt sagittæ eos potius quàm Martyrem, resilientes & percutientes conscientiam percutientium, sicut de similibus pronunciatum est apud Psalmistam: *Gladius eorum intret in corda ipso-* *Psal. 36.* *rum, & arcus eorum confringatur.* Intrepidus igitur stabat Martyr Christi, plagis licet undique conspersus:

sperſus: quia contemnebat horum arcum & sagittas, sciens solum ab illo sibi timendum esse, qui
Psal. 7. dixit: *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibravit, arcum suum tetendit, & paravit illum, & in eo paravit vasa mortis*, sive tela mortifera; *Sagittas suas ardentibus effecit*, ex ardenti scil. materia eas fabricavit, ut sint velocissimæ & nocentissimæ, simulque ut eas depromat in eos qui ardentes furore & odio alios injustè persequuntur. Has sagittas, huncque sagittantem timebat S. Sebastianus, non verò eos qui corpus solùm dilacerare poterant; quia sciebat scriptum: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam verò non possunt occidere; sed*
Matth. 10. *timete eum qui potest corpus & animam mittere in gehennam.* Ibi nimirum sagittæ ardentes, ardentibus præparatæ sunt.

Electio S. Sebast. testata prodigiis. *Tertio*, considera ejus prædestinationem, variis cœlitus prodigiis testatam. Cum enim in domo Nicostrati, (ubi detinebantur carcere Marcus & Marcellianus fratres prænobiles, & multi eorum lugebant sortem specietenus deplorandam) præclarè disseruisset de cœlesti gloria, quam expectat fides Christiana, deque contemptu sæculi hujus ac mortis inconsideratione perennantis gloriæ: ecce confestim lumen cœlo delapsum est coram tota multitudine, omnes in admirationem & stuporem rapiens, simulque timori lætitiam commiscens. In medio autem septem apparuêre Angeli, & Dominus Angelorum eos præcedens, qui
Gen. 26. osculo dato dixit Sebastiano sonorâ voce: TU SEMPER MECUM ERIS. Quid verò est. *Tu semper mecum eris*, nisi idem quod à Deo dictum fuit Isaac: *Ero tecum, & benedicam tibi.* Quid iterum
Gen. 28. est, nisi idem quod dictum est Iacob: *Ero custos tuus quocunque perrexeris, & reducam te in terram hanc?* Quid rursus est, *Tu semper mecum eris*, nisi idé
Deut. 31. quod Moyses dicebat asseveranter Iosuæ: *Dominus qui ductor est, ipse erit tecum, non relinquet te ne paveas?* Quid denique est, nisi idem quod Nathan
2. Par. 17. dicebat Davidi: *Quicquid in corde tuo est, vade, & perfice illud, Dominus enim tecum est:* Quia Dominus cum Sebastiano erat, & ipse cum Deo semper futurus erat, ideo tot novos illi Christianos peperit, & fidem amplissimè propagavit, fortissimèque defendit; ita ut à Cajo Pontifice, tunc sedem Petri tenente, hunc honoris titulum primus promeruerit gloriosissimè: DEFENSOR FIDEI. Rursus quia semper Dominus cum illo erat, & ipse cum Domino, ideò securus in omnibus dicebat: *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* O quàm felix, quisquis posset audire ex ore Domini: *Tu semper mecum eris!* Absque dubio electionis & prædestinationis suæ securum acciperet testimonium. Felix igitur Sebastianus qui hanc vocem audivit ad se directam, sed & aliis maximè proficuam. Nam qui agebant tunc in domo illa, confirmati sunt in fide; ita ut propter illam mortem obire parati fuerint, qui prius rebelles erant lumini & veritati. O quàm meritò hac cœlesti voce confirmatus potuit dicere illud Apostoli: *Qui nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* Certus *Rom. 8.*
sum; quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei quæ est in Christo IESV *Domino nostro.* Vnde tibi illa certitudo, ô Sebastiane, ô miles invicte? Quia lumen de cœlo, quia Angeli, quia ipse Christus asseruit. *Tu semper mecum eris.* Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater cœlestis.

Concludamus, & dicamus postremò, *S.* Sebastianum sua charitate & patientia, sua per sagittas sio, atroces passione apud Deum promeruisse gratiam Conclu-
avertendi à sibi devotis tela iræ divinæ, maximèque sagittam cruentam pestilentiæ. Ejus hac in re opem & favorem experti sunt frequenter populi, & maximè plebs Romana gaudens maximâ parte corporis ejus, & sanctissimè illam asservans ac colens, tamquam cœleste pignus proficuum in tempore divinæ iracundiæ. Epternacenses in Ducatu Luxemburgensi asserunt apud se caput quiescere à Sergio Pontifice donatum *S.* Willibrordo. Illud certè, ubi epidimia grassari incipit frequenti peregrinatione & concursu colitur, ut Deus ejus intercessione manum suam vindicem avertat; quod feliciter experiuntur populi, de quare alibi à nobis tractatum est. Hinc & illa Antiphona atque oratio in honorem *S.* Sebastiani in Ecclesia usitata est à sæculis.

O quàm mira refulsit gratia S. Sebastianus Martyr inclytus, qui militis portans insignia; sed de fratrum palma sollicitus, confortavit corda trementia, verbo sibi collata cœlitus.

℣. *Ora pro nobis Beate Martyr Sebastiane.*

℟. *Vt mereamur pestem epidimia illasi pertransire & promissionem Christi obtinere.*

ORATIO.

DEus qui B. Sebastianum Martyrem tuum in tua fide & dilectione tam ardenter solidasti, ut nullis carnalibus blandimentis, nullis Tyrannorum minis, nullis carnificum gladiis, sive sagittis, à tuo cultu potuerit revocari: da nobis miseris peccatoribus, dignis ejus meritis & intercessionibus in tribulatione auxilium, in persecutione solatium, in omni tempore contra pestem epidimiæ remedium: quatenus possimus contra omnes diabolicas insidias viriliter dimicare, mundum, & ea quæ in ipso sunt, despicere, & nulla ejus adversa formidare: ut ea quæ te inspirante desideramus, valeamus obtinere. Per Dominum nostrum IESVM CHRITVM.

IN

IN FESTO S. AGNETIS.

LECT. 12. triparti.

Virgines sequuntur Agnum quocumque ierit.
Apocal. 14.

PARS I. *Quomodo S. Agnes secuta sit Agnum in vitæ. Amb. l. 1. de Virg.*

NOmen Agnetis ab Agno suam trahere originem, nulli potest ambiguum esse. Quapropter teste S. Ambrosio, *nec nomen quidem Virginis hujus vacuum est luce laudis: nec tam nomen est Virginis, quàm omen & oraculum Martyris.* Illudque non tam à parentibus accepisse credenda est, quàm à Deo, jam ab ortu ejus præsignante quid esset futura. *Quæ homines, tot præcones, qui Martyrem prædicant, dum loquuntur.* Vna hæc vox, AGNES, præconium est & Virginem, & Martyrem indicans, instar Agni candidi puram, instar Agni immolati rubicundam: cujus devotio fuit supra ætatem, virtus supra naturam. Meritò ergo de illa Virgine, si de ulla, illud pronunciamus: *Sequitur Agnum quocumque ierit.*

Agnus, quem sequitur Agnes est IESVS.

Quis autem sit ille AGNUS, quem indivulsè sequitur AGNES, notum est. Ille nempe, qui se ut Agnum duci voluit ad victimam, ut oracula Prophetarum adimpleret, quique à suo Præcursore indigitari voluit; & appellari *Agnus Dei qui tollit peccata mundi*: qui denique vigesies & septies in Apocalypsi Ioannis Agnus nominatur, quasi hoc nomine præcæteris mirè oblectetur. Ibi enim & Martyres dicuntur lavare stolas suas in sanguine Agni, & Virgines eum quocumque sequi, & per eum deduci ad vitæ fontes aquarum. Ibi & de Agni nuptiis agitur, & beati dicuntur qui ad eas vocati sunt, & qui sunt scripti in libro vitæ Agni. Hunc ergo sibi delegit Agnes ab infantia, quem sequeretur quocumque, quemque diligeret & coleret ut Sponsum, abdicato à se omni alio amore, qui teneros annos posset implicare, aut ab Agni sui amore, vel minimùm, animum deflectere.

S. Agnes Agnum secuta, pietate, puritate, & castitate.

Dicamus ergo primò, quod secuta sit hunc Agnum in vita, per miram pietatem, puritatem & castitatem. A pueritia se ei consecravit ex integro; pulchra quidem facie, sed pulchrior fide; corpore adolescentula, sed animo cana: infantia computabatur in annis, sed erat senectus mentis immensa. *Nulla ætas fructibus gratia immatura est*, inquit S. Ambrosius, *nec mirum, si puella nubiles Christum sequantur ad regnum, quem etiam pueri sequebantur in desertum. Noli ergo à Christo arcere infantes, quia ipsi pro Christi nomine subiêre martyrium, talium est enim regnum cœlorum.* Hæc ille. Voluit autem Deus ejus fidem, pietatem, castitatem mirè probari, ut omnium linguis, & calamis celebris efficerentur, teste S. Hieron. in epist. ad Demetriadem. Cui insonat idem dicens l. 1. de Virg. *Hanc senes, hanc juvenes, hanc pueri canant. Nemo est laudabilior, quàm qui ab omnibus laudari potest.*

Amb. l. 3. de Virg.

Suis equidem fides & castitas primùm tentata sunt donis & blanditiis cum suaviloquio promissis. In ejus nimirum amorem exarserat Urbis Romanæ Præfectus, qui nihil intentatum reliquit, ut voto potiretur per matrimonium, & alliceret Virginis consensum. Quapropter non solùm per amicos & notos cœpit aures Virginis hujus pulsare, divitias, domos, possessiones copiosissimas promittens; sed etiam per seipsum eam accessit, cum omni verborum melle lenocinante offerens pretiosissimas gemmas, monilia coruscantia, donaque aurea, ut gratiam ejus iniret. Sed quid ad hæc Agnes, Agni sui, & Sponsi sui nunquam immemor, in cujus pectore vivebat, & de cujus corde respirabat, solo ejus amore vivens? Quid, inquam, illa? *Discede à me fomes peccati, nutrimentum facinoris, pabulum mortis, quia jam ab alio amatore præventa sum, qui longè prestantiora mihi obtulit ornamenta, & annulo fidei sua subarrhavit me, posuitque signum in facie mea, ut nullum prater eum amatorem admittam.* Quid fortius dici potuit, quid efficacius? *Non excepit faces amantis, nec vincula lenocinantis.* Blandiloquia quid aliud sunt, quàm faces? Sic & dona sunt vincula, quæ planè fugienda sunt à puellis, quia crebrò per hæc struuntur insidiæ earum castitati. Hæc respuere docet Agnes, quamlibet sint obumbrata specie benevolentiæ & honestatis. Verba illectant, dona excæcant: ut utraque periculum involvunt. Serpentis eloquium & pomum Evam decipiunt. Procul ergo hæc à sexu, qui nimis facilè his ducitur, & mox seducitur. Prosequitur S. Agnes Sponsi sui encomium, gaudens se nactam hujus rei occasionem & oportunum sermonem, quo & suum erga ipsum declararet affectum cum gratitudine, & præconium celebraret cum exultatione. Meminit Sponsæ in Canticis, quæ interrogata de Sponso tota se in ejus effundit laudes: *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Caput ejus aurum optimum, &c.* Et rursus mutuum amorem omnibus notum volens, ait: *Dilectus meus mihi, & ego illi. Ego dilecto & ad me conversio ejus.* Hanc imitatur Agnes, Sponsi sui, à quo præventa erat, describens eximias dotes, & perfectiones incomparabiles. Sex enim ejus annunciat perfectissimas conditiones, quas mortalis nullus sponsus vel à longè assequi valeret. Quasi dicens: Nemo mihi de Sponso alio loquatur, quia talem nacta sum, cui nullus potest esse corrivalis. Est enim *Nobilissimus, Speciosissimus, Sapientissimus, Ditissimus, Benignissimus, Potentissimus.*

Quibus modis S. Agnes tentata.

Ambr. lib. de Ioseph.

Cant. 5.

Cant. 7.

Qualitates Sponsi S. Agnetis.

Nobilissimus.

Primùm quidem *Nobilissimus* est. Quòd si ejus vis nobilitatem & parentelam nosse, ejus Pater Deus est, qui eum genuit sine muliere. Ejus Mater Virgo est, quæ & eum sine viro peperit, æternum Mater & Virgo.

Speciosissimus.

2. *Speciosissimus* est. Ejus pulchritudo longè superat Solis & Lunæ splendorem & speciem. Immò illam admirantur Sol & Luna, Stellæ & Astra,

& quasi tenebras istam reputant claritatem coram illo.

Sapientissimus. 3. *Sapientissimus* est. Atque vel ex hoc solùm ejus vales sapientiam nosse, quòd me per illam sic sibi captivam fecerit, ut nonnisi de illo mens possit cogitare, nonnisi illi cor affigi, nonnisi de ejus laudibus lingua loqui.

Ditissimus. 4. *Ditissimus* est. Quapropter dedit mihi thesaurum toto impetio pretiosiorem dextram meam & collum meum cinxit lapidibus pretiosissimis: tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas: circumdedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis; induit me cyclade auro textâ, & immensis monilibus ornavit me.

Optimus & benignissimus. 5. *Optimus & Benignissimus.* Quocirca, ut suam in me ostenderet bonitatem & amorem, sanguine suo ornavit genas meas: mel quoque & lac ex ejus ore suscepi; & corpus ejus corpori meo sociatum est: variaque alia tradidit mihi benignitatis, & amoris sui pignora ac monimenta.

Potentissimus. 6. *Potentissimus* est. Nihil in cœlo aut terra ejus potest potentiæ comparari, quia ejus contactu sanantur ægri, ejus verbo relevantur infirmi, ejus vel odore revivisunt mortui.

Ob hæc igitur omnia, ipsi soli servo fidem, ipsi me totâ devotione committo. A quo mihi jam thalamus collocatus est, cujus & mihi organa modulatis vocibus cantant. Quem cùm amavero, casta sum; cùm tetigero, munda sum; cum accepero, virgo sum.

Hæc est summa eorum quæ Sponsi zelo incitata, & mirum in modum in amorem Agni sui exardescens Agnes, Præfecti filio dixit, ut eum averteret ab ulteriori cupidine & prosecutione sui, & sic potiùs animum ejus converteret ad Sponsi dilaudati venerationem & cultum. Si autem intelligere plenius cupis, quænam sint illæ gemmæ & monilia vestesque pretiosæ quibus se adornatam Agnes gloriatur, repetenda sunt quæ alibi hac de re à nobis dicta sunt. Docuimus namque eam his verbis alludere ad singula dona, quæ in Baptismo anima suscipit, cùm desponsatur & consecratur Christo. Audi breviter.

Gemma, vestes & monilia quibus S. Agnes à Sponso adornata.

1. 1. Dum dicit: *Annulo suo subarrhavit me*: ecce donum fidei quo quidem anima, tanquam arrha, per Spiritum S. quasi pronubum desponsatur cælesti Sponso, & illi devincitur, obsignaturque ut alium amatorem non admittat.

2. Dum dicit: *Tanquam Sponsum decoravit me coronâ*. En donum Spei, quo tanquam corolla cingitur & exornatur anima, donec in æternitatis thalamo accipiat: *Diadema speciei & coronâ decoris.*

3. Dum dicit: *Induit me cyclade auro texta*: En nuptialis vestis charitatis; variis connexa donis, ut sit hæc Sponsa *in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.*

4. Dum dicit: *Sanguis ejus ornavit genas meas*: Ecce nitor & pulchritudo gratiæ baptismalis, quæ sine macula animam efficit in sanguine Agni immaculati.

5. Dum dicit: *Posuit signum in faciem meam ut nullum præter eum amatorem admittam.* En character indicans obligationem acceptam in Baptismo gratiam & fidem conservandi, qui character dicitur à Theologis imprimi in facie animæ, hoc est in ejus essentia.

6. Dum dicit: *Tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas.* Ecce donum obedientiæ, propter quod dicere potest Fidelis: *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico.* *Isai. 50.*

7. Dum dicit: *Mel & lac ex ejus ore suscepi*: alludit ad antiquam cæremoniam, quâ baptisatis aliquid lactis & mellis præbandum præbetur, quasi modò genitis infantibus, ut sine dolo lac & mel doctrinæ sacræ ex ore Christo concupiscerent.

8. Dum dicit: *Iam corpus meum ejus corpori sociatum est*, indicat societatem illam quæ fit per sacram Eucharistiam, ubi corpus Christi baptisato præbebatur.

Itaque Agnes nostra per vitæ & virtutis omnes vias ab infantia Agnum secuta est, ejus characterе signata scil. per fidem, spem, charitatem, per obedientiam, per doctrinæ ejus amorosam sequelam, mel & lac ex ore ejus avidè suscipiens; per sacram quoque corporis ejus Communionem, per candidi velleris illius, hoc est meritorum, & spiritus ejusdem participationem. Hæ sunt *Via ejus, via pulchra, & semita pacifica!* Propterea igitur de ea adhuc in vita agente verum fuit: *Agnes sequitur Agnum quocumque ierit.* *Prov. 3.*

PARS II.
Quomodo S. Agnes secuta sit Agnum, morte.

DIcamus ulteriùs, quòd Agnum secuta fuerit paulò ante mortem, & in morte, per patientiam & constantiam admirabilem, per passionem & immolationem voluntariam. Sicut eam blanditiæ à suo Agno & Sponso non potuêre separare. Præfecti urbis filio eas exhibente: sic nec minæ à Patre ejus intentatæ. Miserebatur filij Pater, qui anhelo cruciabatur spiritu Agnetem deperiens, & ob id languidus lecto jacens. Ergo & ipse sua ex parte omnem molitus est lapidem, ut ejus attraheret assensum in nuptias cum filio ita ardenter amante, & amanter ardente. Atque ubi promissis & blandis sermonibus nihil se proficere vidit, minis & terroribus ejus animum pulsare cœpit. Intelligens namque Christianam esse, & ideo eam Christum Sponsum suum dicere, illiusque potentiam jactare, ac propter illum Filium suum despectui habere; jubet eam ad suum rapi tribunal ritulo superstitionis Christianæ, & magicæ factionis. Ibi hoc ei impiè & impurè proponitur: *Aut sacrifica Deæ Vestæ ad laudem generis tui, aut adignominiam natalium tuorum eris publica abjectionis scortum:* Cui illa animo interrito: *Sciat Vesta scires quis est Deus meus, non ista ore tuo proferres tia frustra impuro. Secura contemno minas tuas, quia novi virginitatem.* S. Agnes ad sacrificandum cogitur.

tutem Sponſi mei IESV Chriſti, qui nec vult me ſacrificare idolis, nec patietur pollui ſordibus alienis. Mecum enim habeo cuſtodem corporis mei Angelum. Et unigenitus Dei Filius, quem ignoras, murus eſt mihi impenetrabilis, cuſtoſque nunquam dormiens, & defenſor numquam deficiens. Confiſa itaq; in Agno ac Sponſo ſuo, Ductore ac Protectore fidiſſimo, nec blandimentis ſeducitur, nec terrore concutitur; ſed eodem vultu & animo perſeverans, ſicut blandientem, ſic & terrentem aſpernatur, licet ſummam ignominiam minaretur.

Soliti fuère Pagani hîc ignominiâ uti erga mulieres Chriſtianas, ut in lupanaribus eas publicæ ſcortationi exponendas condemnarent, niſi fidem abjurarent, ſcientes hoc ſupplicium eis morte terribilius. Longè enim præeligerent condemnari AD LEONES, quàm AD LENONES. Sed qui potuit Danieli Virgini feros domare Leones, potuit etiam domare Lenonum feras mentes. Virgineſque ſuas ſic protegere, ut de lupanari egrederentur intemeratæ, magiſque glorioſæ. Quod quidem variis effeciſſe modis, ex variis hic hiſtoriis compendioſè oſtendere non eſt ſupervacaneum. Audi ergo nonnullas hac de re memoratu dignas hiſtorias.

Tertul. in Apolog.

Mulieres Chriſtianæ ad lupanaria damnatæ, ſed fruſtra.

1. Daria, uxor Chryſanti Martyris, nobili genere nata, ad fidem à marito converſa fuerat, baptiſmoque ſuſcepto, Romæ innumerabilem hominum multitudinem, illa mulierum, iſte virorum ad Chriſtum converterat. Ob eam ergo cauſam Daria in lupanar compulſa eſt: veruntamen Leonis tutelâ è ſua cavea exilientis, dum in oratione defixa eſt, à contumelia divinitus defenſa eſt. Sic voluit Deus per Leonem, omnem compeſcere Lenonem, ut intemerata illa mulier fidelis & virgo permaneret, voverat enim cum viro virginitatem in matrimonio.

1. *Videlatius in vita eorum, 25. Octob. Ribad.*

2. S. Lucia ad proſtibulum quoque condemnata fuit, quia Spiritum S. ſe inhabitare liberâ voce aſſeruerat ob caſtitatem: *Caſtè viventes, templum ſunt Spiritus ſancti, & ſi me invitam juſſeris violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam*, inquiebat ipſa. Cùm igitur Judicis mandato pertrahenda eſſet ad lupanar, à Spiritu ſancto tantam accepit firmitatem ut tamquam columna immobilis, nullis machinis poſſet è loco dimoveri.

2.

3. S. Flavia ſoror S. Placidi Martyris, etiam ad lenones fuit condemnata. Id ubi agnovit, ſuſpexit in cœlum, & ait: *Deus qui ſedes ſuper thronos, & judicas æquitatem, eſto mihi in Deum protectorem, ut ſalvum me facias. Surrexit in me Judex iniquus, miſit truces manus ad verbera, pedibus appenſa ſum. & omnibus membris crudeliſſimè torta, fumus horridus ſub me miniſtratus eſt, impinguatur Dux ſaviens ſanguine meo. Tuus eſt amor, tua fidelitas pro te hac patior; reſpice in me, ne polluant inimici famulam tuam, nec dicant, Prævaluimus adverſus eam.* Oravit, & ecce ſubitò virtus divina virginem reſpiciens, illam ſuo munimine ſepſit. Nam cùm vellent eam ſtuprare, illorum quicumque attingebant eam, mox manus & brachia arefiebant, & cum mugitu præ dolore abire cogebantur. Surius 5. Octob.

3.

4. Admirabilis etiam fuit Divina Providentia in conſervandis Virginibus S. Symphoriani, In civitate Trevirenſi. Cùm enim Normanni irrumpentes in Germaniam & Gallias appropinquarent Treveris, gens fera, velut urſa raptis catulis graſſans in cervices Fidelium, nulli parcens ſexui vel ætati, adoleſcentes necans, ſenes perfodiens, parvulos ab uberibus maternis avulſos excerebrans, matronas caſtas & virgines conſtuprans. Hoc poſtremum timentes Virgines Oratorij S. Symphoriani, ad orationem confugiunt pro caſtitate tuenda, non pro vita; & provolutæ ad ſepulchrum S. Modoaldi, Fundatoris illius Oratorij, ſic precantur: *Domine IESV Chriſte, tu virginitatis ſemen in plenitudine temporum voluiſti multiplicari, ut fructum tempore meſſis reciperes centeſimum; ergo aures tuæ pietatis noſtris lachrymis accommoda, & quam tibi vovimus caſtitatem, Confeſſoris tui Modoaldi precibus & meritis illæſam conſerva, ut nulla barbarorum violentia ei valeat inferre corruptelam.* Has lachrymas reſpexit Deus. Nam ne mala cernerent, quæ metuebant, & caſtitatis donum amitterent, in pace lecto decumbentes intra dies triginta omnes deceſſerunt è vita, ornatis lampadibus Sponſo occurrentes, qui eas in æternum thalamum introduxit perenniter lætantes. Ita habetur in vita ſancti Modoaldi apud Surium 12. Maij.

4.

5. Sic varios Deus habet modos, quibus ſuas tueatur Sponſas. Ordinariè verò id præſtitit, etiam viſibiliter, per Angelos Tutores & Cuſtodes Virginum. Cùm Suſannam Virginem, quam deperibat, violare vellet Galerius Maximianus, filius Diocletiani Imperatoris, eo quod ob Virginitatem Deo conſecratam ejus recuſaret conjugium, nocte ad eam ingreſſus, invenit orantem, & Angelum Domini multâ claritate illam circumdantem. Eâ re totus perterritus, curſim fugit ad Palatium nec eam attigit; ſed quæ viderat, Patri ſuo Diocletiano enarravit, animo non parum conſternatus. Ita habetur in Actis S. Suſannæ, 11. Auguſti.

5.

6. Audi & aliud. Cùm Aurelianus Imperator S. Iulianam juſſiſſet in lupanari conſtitui, multi nefarii certatim contendebant, quis primus ingrederetur, velut equi hinnientes ob pulchritudinem ejus. Mox verò Angelus affuit, dicens: *Ne timeas Iuliana D. IESVS miſit me, ut te protegam, & notum faciam nomen ejus.* Cùm verò impudici à cœpto non deſiſterent, excuſſit Angelus pulverem in oculos eorum, & ipſos excæcavit, ita ut neſcirent quò tenderent, vel ubi eſſent. Hoc videntes turbæ unanimiter inclamabant: *Magnus eſt Deus Pauli & Iulianæ, ſuos ubique protegens.* Qui autem excæcati fuerant, flexis genibus ejus opem implo-

6.

implorabant, dicentes: *Iuliana serva Dei Altissimi, peccavimus in te, & insipienter nos gessimus, sed veniam dona, & precare Christum tuum, ut nobis visum restituat.* Ipsa compassione mota paulum aquæ accepit, & elevatis in Cœlum oculis, dixit: *Domine IESV Christe, Auctor salutis omnium, exaudi me, & nunc ostende prodigia, quæ facis propter nos filios hominum. Restitue his visum, ut celebretur nomen tuum glorioſum.* Hæc cum dixisset, aquam super turbas illas fudit, & visum receperunt, gratiasque agentes pœnitentiam egerunt, & Christiani effecti sunt. Ita in vita SS. Pauli & Iulianæ Martyrum, 17. Auguſt. apud Sur. cap. 17.

7. Illustre quoque exemplum habemus in vita S. Theophilæ, quæ sub Maximiniano Imp. ad prostibulum damnata, cum duceretur, ita orabat: *Mi IESV, meus amor, mea lux, meus spiritus, meus custos castitatis & vita, vide eam quæ tibi desponsata est, festinans ne lupi tuam pecudem lanient, serva Sponse sponsam, meam conserva castitatem, Fons castitatis.* Ingressa est ergo prostibulum, librum Evangeliorum è sinu protulit, attenteque legit. Affuit verò mox Angelus, qui primum juvenem ad eam ingredi volentem morte, secundum cæcitate, alios aliis pœnis mulctavit; ita ut nemo ultra ingredi auderet. Sed libidine in reverentiam versâ, cùm plures religione tacti locum intrassent, viderunt Theophilam librum tenentem ac legentem, Adolescentemque coruscantem admirabili fulgore, qui tandem Theophilam educens ad Ecclesiam, cum *Pax tibi* dixisset, recessit, attonitis turbis & inclamantibus: *Quis est sicut Christianorum Deus?*

2. Notum est & de Theodora Virgine Antioehenâ, quæ cùm ad lupanar ducta foret, suscitavit Deus cujusdam militis, nomine Didymi, animum, ut ad eam liberandam ingrederetur, quod factum est vestium inter Theodoram & Didymum commutatione: atque uterque postea pro Christo conjunctis animis necem subiit. Quod eleganter describit S. Ambros. de Virginibus. Vide Dom. 17. Post Pentecost.

Aliud subsidium ad tuendam castitatem in lupanari, & martyrium ibi subeundum suggessit spiritus Euphrasiæ Virgini apud Nicomedianı tempore Diocletiani quod in Horto Pastorali ex Nicephoro retulimus lib. 3. tract. 4. lect. 5.

Dictarum Virginum primiceria S. Agnes variis modis.

Sed inter omnes has Virgines eminuit Agnes, & providentia specialis Dei in ejus tutanda castitate, & avertenda contumelia. Triplici enim præsidio eam miraculosè communivit. *Primum* quidem cùm eam veste denudatam traherent per compita & vicos, clamante præcone Agnetam sacrilegam & blasphemam, ex Iudicis sententia lupanaribus esse datam, ut sic invitarentur procaces adolescentes ad violandam ejus castitatem, providit ei Dominus contra nuditatem pudendam, tantam capillorum suorum densitatem, ut non minus illorum fimbriis & densitate esset obtecta quàm veste. *Deinde*, cum ingressa esset turpitudinis locum, Angelum Domini præparatum invenit, qui eam circumdedit immenso lumine, ut nullus valeret eam præ splendore respicere. *Viterius*, cùm se orationi dedisset, apparuit ante oculos ejus stola candidissima, quæ ad mensuram corpusculi ejus ita erat apta, ut nullus ambigeret eam angelicis manibus ei præparatam. An non cernis hic cælestè triplex præsidium Agneti datum ad tuendam castitatem & nuditatem? Propterea factum est, ut omnes juvenes qui illuc ingrediebantur, tantam claritatem cernentes, attoniti egrederentur, & darent Deo honorem; sicque mundiores exirent, quàm fuerant ingressi, non jam locum impuritatis & prostibuli, sed domum orationis & cœlestis luminis ibi esse confitentes. *Denique*, & eam glorioſam efficere voluit Deus resuscitatione filij Præfecti, qui aliorum arguens ignaviam; irruens in ipsum lumen ut Virginem, attingeret, cecidit in faciem, & à Dæmone præfocatus expiravit; sed postmodum Virginis oratione vitam recepit, & fidei lumen, inclamans: *Vnus est Deus Christianorum, quem colit Agnes; omnes alij Dij vani sunt & inanes.* Sic factus orante Agnete Præco veritatis, qui fuerat antea illusor castitatis. Potuit ergo meritò Agnes, dicere illud, *Vivit Dominus ipse Deus noster, quoniam custodivit me Angelus ejus, & hinc eunitem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem. Et non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati revocavit me vobis gaudentem in victoria sua, in evasione mea, & liberatione vestra.* Et rursus potuit illud Sponso suo & agno occinere: *Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem*, & vellere tuo candidissimo & purissimo contexisti nuditatem meam, ut nullam incurrerem ignominiam, nec illud verificaretur in me: *Denudaverunt femur Virginis in confusionem*, sed illud Apostoli adimpleretur dicentis de muliere: *Dati sunt illi capilli pro velamine.*

Iudit. 13.

Psal. 29.

Iudith. 9.

1. Cor. 11.

Sic ergo Agnella hæc secuta est Agnum suum per viam pietatis & puritatis, ipso protegente & ducente: licet lupi multi eum insidiarentur, ut prædam captarent cum feritate & impietate. Tandem & secuta est per mortem & immolationem voluntariam, quia urgente Sacerdotum idololatratum turba, Aspasio vices Præfecti & Iudicis subeunte, quasi malefica, mentes hominum suis artibus dementans, & Diis insultans, primum quidem ad flammas condemnata est, deinde ad gladium.

PARS III.

Quo S. Agnes secuta sit Agnum post mortem.

CHristus Dominus asserit se venisse in hunc mundum, ut ignem mitteret in terram, quem vehementer optat accendi, ut testatur ipse. Hic ignis in Sanctorum suorum cordibus accensus, effecit ut omnem alium ignem exteriorem contemnerent: immo effecit ut ignis ad eos accedere,

cedere, aut eos lædere vereretur, ſicut & tres pueros in fornace Babylonis intactos flamma reliquit. Hoc frequenter contigit in Virginibus, ut flamma corporalis in eas vim ſuam exerere non valeret, tum quia divini flamma amotis prævaleret, tum quia non permittebat Deus, ut quæ flammam concupiſcentiæ carnalis in ſe vicerant, ab igne corporeo vincerentur. De hac re dicebat B. Hilarius Arelat. ſerm. 2. de nuptiis in Cana: *Quanta juſtis corporibus reverentia debeatur, arbiter ignis agnoſcit, & ingeſta ſibi pabula circumfuſus allambit: nihilque ſibi licere miratur in corpora Dei timore & caſtis jejuniis conſecrata, & pretioſum depoſitum non violat, occulta diſpenſatione, ſed vindicat.* Quod ſanè contigit S. Agneti, circa quam cum ignis copioſus accenſus fuiſſet, tantum abeſt, ut eam læſerit, quin potius flammæ hinc inde diſperſæ ſeditioſos exuſſerunt, ipſâ & corpore & veſte permanente illæſâ. Quapropter expandens manus in medio ignis ad Deum, ſic orabat: *Omnipotens, adorande, colende, tremende, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, benedico te, quia per Filium tuum evaſi manus impiorum, & ſpurcitiæ Diaboli impolluta calle tranſivi. Et ecce nunc rore cœleſti perfuſus per Spiritum Sanctum focus juxta me moritur, flamma dividitur, & ardor incendii hujus ad eos à quibus in me miniſtratur, effunditur.* Sic nempe corpus caſtitate Deo & Agno conſecratum non violat ignis, occulta diſpenſatione, ſed vindicat; de quo & ipſa gratias agit, ſicut & priore beneficio, quo flammam evicerat Cupidinis, quaſi illud repeteret: *Confiteber tibi, Domine Rex & collaudabo te Deum Salvatorem meum, quia liberaſti corpus meum à perditione; & in medio ignis non ſum æſtuatus.* Quia in medio ignis libidinoſi ſibi antea ſtructi non fuerat æſtuata, nec in eam poteſt quidpiam ignis materialis, ſicut renovatur antiquum miraculum Hebræorum puerorum, in igne ob caſtitatem illæſorum, roreque cæleſti perfuſorum flammâ ſeſe diffundente ad impios & impuros. Sic & Joannes caſtiſſimus in dolio ferventis olei manet illæſus. Sic Cæcilia perſiſtit in balneatibus flammis intemerata. Sic & Lucia pro caſtitate decertans, ab igne exit intacta. Sic & contigit aliis nonnullis Virginibus & Martyribus, quibus potius flamma blandiebatur, in incenſores ſeſe reflectens, hos damnans, illos abſolvens. O mira vis & gratia caſtitatis, quam & belluæ & inſenſibiles creaturæ quadam ratione agnoſcunt & venerantur!

Ignis copioſus S. Agnetem non læſit.

Eccli. 52.

Dan. 3.

Flamma Virginib. blandiens.

Cum porro per ignem nihil proficere ſe videret Tyrannus, illumque potius Turorem eſſe Virgini, quam Tortorem, gladio ferienda decernitur, & finienda. Quapropter gravibus catenis vincta, ad locum ſupplicii trahitur Agnicula: quæ his tamen haud egebat, cum ab Agno ſuo illuc duceretur libertate & voluntate. Audi de ea S. Ambroſium: *Non ſic ad thalamum nupta properaret, ut ad ſupplicii locum lata ſuccеſſu, gradu feſtina. Virgo proceſſit, non intorto crine caput compta, ſed Chriſto, non floſculis redimita, ſed floribus.* Nempe ſciebat de ſponſo ſuo ſcriptum: *Ego quaſi Agnus manſuetus, qui portatur ad victimam.* Vbi aliqui legunt: *Ego ſicut Agnus Dux, vel Ductor gregis.* Nempe Chriſtus Agnus omnes Martyres anteivit exemplo, & animavit verbo, ad fortiter & voluntariè mortem ſubeundam, & ad ſe immolandum in Martyrio; & per manſuetudinem fecit eos tormentis omnibus ſuperiores. Ipſe ergo AGNVS DVX ducit Agnetem ad immolationem cum gaudio. Ipſe eſt tanquam Magnes, quem ſequitur Agnes quocunque traxerit vel ierit, etiam ad necem usque acerrimam: quia vim ejus attractivam perſenſit jam infantia, nullaque tormenta eam poterant ab illo ſeparare. Novit illum dilectionem impendiſſe pro ſalute hominum usque ad ſanguinem; rependit ipſa dilectionem & ſanguinem.

S. Agnes gladio ferienda decernitur.

Amor l. 1. de Virg.

Ier. 11.

Poſtremò dicamus, quod Agnes Agnum ſequatur quocunque ierit, etiam poſt mortem, in montibus æternitatis, cantans canticum novum in ſequela Agni ſui, in nuptiis Sponſi ſui: quia, ut dixit S. Petrus ſerm. 3. de Nativ. Virg. *Illa ſequuntur Agnum in perventionis requie, qua eum imitantur in itineris adverſitate.* Et ſpecialiter de Virginibus dicitur, quod Agnum ſequantur, quodque canticum novum decantent: quia Agno adhærent ſpeciali gloria & familiaritate, ſpeciali coronatæ laurea & aureola, ſpecialique fruentes gaudio & jubilo triumphali, ob trophæum de carne reportatum. De hac re ſic loquitur S. Auguſtinus libr. de Virg. cap. 27. *Sequuntur Agnum per gaudia qualia nec in ipſo regno Dei cæteris non virginibus erunt, ſed à cæterorum gaudiorum ſorte diſtincta. Gaudium Virginum Chriſti de Chriſto, in Chriſto, cum Chriſto, poſt Chriſtum, per Chriſtum, propter Chriſtum. Nam ſunt aliis alia, ſed nullis talia.* Cui conformiter loquitur S. Gregorius in Paſtorali 3. p. admonit. 29. *Singulariter canticum Agno canare, eſt cum eo in perpetuum præ cunctis Fidelibus etiam de incorruptione carnis gaudere. Quod tamen electi cæteri canticum audire poſſunt, licet dicere nequeant. Quia per charitatē quidem in illorum celſitudine læti ſunt, quamvis ad eorum præmia non aſſurgant.*

Sequitur agnū cum ſpeciali cantico.

Quod ſi hoc verum eſt de omnibus Virginibus, quod Agnum ſequantur cum ſpeciali cantico, quod ſemper novum eſt, & ſemper recenti afficit gaudio: certè eximiè id contigit S. AGNETI, quæ & nomine & familiaritate AGNI particulariter gaviſa eſt, & in hac vita, & altera. Quapropter Parentes ad ejus ſepulchrum orantes cum aſſidua pernoctatione, viderunt in medio noctis ſilentio exercitum Virginum, quæ omnes auro textis cycladibus indutæ, cum ingenti lumine præteribant. Inter quas viderunt Beatiſſimam Agnetem ſimili veſte fulgentem, & à dextris

dextris ejus Agnum nive candidiorem. Hoc ipsum est, quod canimus in Officio Octavæ ipsius: *Stans à dextris ejus Agnus nive candidior Christus, sibi Sponsam & Martyrem consecravit.* Quapropter & de ea dicere possumus illud: *Gaudemus, & exultemus, & demus gloriam Deo, quoniam venerunt nuptiæ Agni, & uxor Agni præparavit se, & datum est ei, ut vestiat se byssino splendenti & candido.* Ideo etiam & de his nuptiis tunc alloquens Parentes suos, & indicans canticum novum, quod perenniter decantabit, dixit: *Videte, ne quasi mortuam lugeatis, sed congaudete mihi, quia illi juncta sum in Cœlis, quem totâ animi intentione dilexi in terris. Ecce quod concupivi jam video, jam teneo.* Apoc. 19.

Conclusio. O Felix AGNES, felix AGNI Sponsa, & comes Sponsi & Agni individua; quæ eum secuta es, sive in vita, sive in morte & immolatione; & modo sequens jugiter in beata æternitate. Tu à Sponso & Agno, quicquid volueris, vales impetrare, prout & S. Constantiæ vitam & sanitatem cum fide, ac S. Emerentianæ constantiam & martyrii gratiam apud sepulchrum tuum oranti impetrasti. Impetra ergo nobis donum castimoniæ, & contra carnis tentationes immobilis constantiæ: impetra donum pietatis & orationis: donum denique impetra patientiæ & perseverantiæ, ut tecum sequamur Agnum, sive in vita, sive in morte: ac tandem jucundemur cum illo in perenni gloriæ ejus visione & fruitione.

Lect. 14, tripartit. IN FESTO CONVERSION. S. PAVLI.

Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus. Actor. 9.

PARS I. *De Providentia Dei in quorũdam lapsu & conversione.* INnumera Deo suppetunt media, innumeræque viæ, quibus nobis lumen gratiæ suæ communicare novit, aut justo judicio ob culpam nostram illud subtrahere. Propterea sic interrogat Dominus Iob. *Judica mihi, si nosti omnia, in qua via lux habitet, & quis sit tenebrarum locus, ut ducas unumquodque ad terminos suos, & intelligas semitas domus ejus.* Atque iterum in eandem sententiam ibidem subjicit: *Per quam viam spargitur lux, aut dividitur æstus super terram?* Hæc quidem interrogatio de jure materiali fieri potest. Qua quidem interrogatione insinuatur, hominem non plenè, cognoscere ubi lux & tenebræ habitent, quæ accedunt, & recedunt, & sibi vicissim succedunt: nec lucem aut tenebras in hominis esse potestate, ut possit lucem condere aut recondere, semitamque quæ ad domum lucis vel tenebrarum ducit, investigare, ut ad hospitium suum eos ducat. Denique per hoc docemur nos ignorare viam modumque quo lux Solis variè se spargit, dividit, ardoremque suum multiplicat, secundum diversitatem temporum & regionum. Interim etiam de spirituali luce hæc intelligit S. Gregorius, ut interrogatio hæc ordinetur ad moderandam hominis præsumptionem, penetrare volentis Dei circa electos aut reprobos dispositionem. Indicare igitur vult Dominus, lucem spiritualem & æstum divini amoris, innumeris & occultis viis ad nos derivari, & modò huic, modò illi communicari, aut dividi, nec nostrum esse inquirere, cur potius huic, quàm illi, ne rursus ab eo audiamus: *Numquid nosti ordinem cœli, ut ponas rationem ejus in terra?* Iob. 38. Ibid.

Hoc ipsum considerans Apostolus, inclamat: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* An non planè admirabilis est ejus sapientia & providentia, dum judiciis nobis incognitis modò aliquos ad lucem gratiæ elevat de tenebris profundis; modò alios gratiæ donis splendidissimis præfulgidos rursum caligine involvi permittit, & cæco impetu in abyssum ruere? Rom. 11.

Exempl. lapsorum Saul. Elucebat miro splendore Saul, à Domino electus & unctus ad fastigium regalis dignitatis, nec illo erat melior in filiis Israel. Sed paulò post cæcitate & caligine seductus, rebellisque lumini reprobatur, ita ut Samueli pro eo deprecanti dicat Dominus: *Usquequo tu leges Saul, cum ego projecerim eum?* 1. Reg. 16.

Salomon. Elucebat quoque Salomon gratiâ & sapientiâ præ omnibus filiis hominum, ita ut & hoc ei nomen adscriptũ fuerit, *Dilectus Domini.* At quomodo postmodum illecebrosa mulierum alienigenarum caligine seductum est cor ejus, ita ut etiam ídola adoraret? Propterea de ejus salute meritò dubitamus, de ejus pœnitentia incerti. Agnovimus ejus lucem, agnovimus & tenebras luci succedentes, an autem te tenebris iterum ad lucem reversus sit, ignoramus. Unde & hic illud repetimus: *Indica mihi, si nosti omnia, in qua via lux habitat, & quis sit tenebrarum locus, ut ducas unumquodque ad terminos suos.* Indica mihi, si omnia nosti, an in domo lucis habitet Salomon, an in domo tenebrarum, & ad quem tandem terminum pertigerit.

Iudas. Sic & in novo Testamento visus est Iudas in Apostolico Collegio in Christi familia præfulgere, ab ipso Domino ad dignitatem Apostolicam evocatus. At in fine quomodo excæcatus est, quamq; miserabiliter ruit, ita ut de eo dicatur Apostolo: *Nonne unus ex vobis Diabolus est?* Et iterum: *Bonum ei erat, si natus non fuisset homo ille. Væ illi.* Ioan. 6. Matth. 26 Sic admirabilia sunt judicia Dei, & investigabiles viæ ejus: *Qui stat, videat ne cadat.* Qui in luce est, timeat tenebras. Vidimus enim viros mirè perfectos per cœlestem cõversationem, submersos tandem fuisse, & ut stellas de cœlo in abyssum cecidisse ab impetu caudæ draconis, five violentâ dæmonis tentatione & suggestione. Quos meritò lugere possumus verbis Ieremiæ: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?* 1. Cor. 10. Thren. 4.

Filii

Filii Sion, inclyti auro primo, reputati sunt in vasa testea. Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. Qui cœlestibus pascebantur deliciis; in fœcibus visi sunt defixi, quasi ; a illis deliciantes. Attende unum ex primis Draconis Nicolaum, Spiritus S. ductu electum, postmodum nefandæ hæresis Nicolaitarum auctorem. Attende Tertullianum, Origenem, & alios. Quam igitur verum hic esse agnoscimus illud: *Spiritus, ubi vult, spirat, & nescis unde veniat, aut quo vadat.* Quem locum sic ad nostrum propositum interpretatur S. Gregorius: *Spiritus venit & vadit, quia reprobos deserit, electos assumit; & quia judicium Dei inscrutabile est, unde veniat, aut quo vadat homo, nescit; quia scire non potest, an quis in gratia quam recipit, perseverare debeat. Ab illo igitur qui defecit, venire spiritus, & ire ad illum qui perseveraturus, dicitur, quia alios in tempore assumit, alios assumit, nec tamen deserit.* Hæc S. Gregorius lib. 6. in libros Regum. Ergo & hic iterum meritò repetimus: *Indica mihi, ubi lux habitet, & quis sit tenebrarum locus, ut ducas unumquemque ad terminum suum.* Indica, si potes, quinam electi, quinam reprobi; quinam lucidi æternum futuri, qui in tenebris horridis permansuri. Denuò quoque jure inclamamus cum Apostolo: *O quàm incomprehensibilia sunt judicia Dei, & investigabiles viæ ejus!*

Cæterum sicut admirabilis est Dei providentia, admirabileque judicium ejus, dum è sublimi gradu sapientiæ & sanctitatis nonnulli corruunt; sic & admirabilis est eadem providentia, dum subitò nonnullos ex abysso & tenebris errorum & vitiorum evocat *in admirabile lumen suum, in partem sortis Sanctorum in lumine.*

Sic admirabilis fuit conversio Magdalenæ, quæ celebris erat in civitate peccatrix, sed lachrymis Domini pedes rigans, funiculis charitatis ejus attracta, mox diluit omnia crimina, & ignitum cordis perfectè conversi holocaustum Domino obtulit munus gratissimum. Vnde subita Dei gratia & potentia,

Post fluxæ carnis scandala,
Fit ex lebete phiala,
De vase contumeliæ,
In vas translata gloriæ.

Sic & in conversione Samaritanæ admirabilis eluxit Dei providentia, potentia, gratia. Illa adulterinis amplexibus dedita accedit ut aquam hauriat, nihil minus cogitans, quàm de salute & conversione. Sed Christus Dominus, qui est fons vitæ, alloquitur illam de aqua vitæ, & stillam ei infundit; sicque de luto reddit subitò eam luci commutatione stupenda, ita ut possit dicere: *Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit.*

Quid de Pelagia? Quid de Thaide meretrice? Quid de Maria Ægyptiaca? Nonne dum inhærent libidini promiscuæ, mancipia Veneris & Satanæ, confestim luce divina sese cordibus eorum insinuante, de amore fœdo in divinum exarserunt amorem? Quapropter de his omnibus dicere possumus: *Dic mihi qua via spargitur lux, & dividitur æstus su er terram?* Lux illa effulgens, & æstus divini amoris eorum cordi diffusus, unde provenichat, & per quam viam, an per viam meriti & dispositionis eorum? Neutiquam: quia nec de re illa cogitatio mentis earum insidebat. O igitur *investigabiles viæ Domini!* O absconditæ *semitæ domus ejus, ducentes unumquemq; ad terminũ suũ!* Nempe quando vult, quomodo vult, inspirat, illuminat, deducit & tandem ad æternitatis beatæ terminum perducit, quos prædestinavit.

VErum enimverò licet multæ conversiones, tum in sacris Literis, tum in historiis Sanctorum reperiantur planè admirabiles, in quibus effulsit Dei gratia & potentia, omnes tamen hac in re superat Pauli stupenda Conversio, quæ tamquam inauditum prodigium ab Ecclesia toto proponitur Orbi, & quotannis festivo die celebriter recolitur, cum innovatione gaudii. Etenim cum Ecclesia Militans & Triumphans sorores sint indiviso charitatis vinculo confœderatæ: licet una in cœlis agat, altera in terris adhuc peregrinetur, licet una in portu quiescat, altera adhuc fluctibus agitetur, tamen sese mutuò adjuvant, & cõmunicationem habent ad invicem. Vnde quæ in terris militat & laborat, implorat auxilium sororis suæ in cœlis regnantis & triumphantis, eamque nititur imitari. Cum ergo noverit in cœlo magnum esse gaudium, solemneque festum agere Electos de adeo admirabili tanti viri electione & conversione, (cujus sapientia & doctrina, labores & merita, toto orbe coruscarunt, & stupendum fructum pepererunt) eriam ipsa sororis suæ gaudium imitari in hoc contendit, festum solemne decernens. Cum lætitia enim spirituali intuetur exemplar illud pœnitentiæ in sua conversione inclamantis: *Christus Iesus venit peccatores salvos facere, quorum primus ego sum, quia blasphemus fui, persecutor, & contumeliosus: sed ideo misericordiam sum consecutus, ut in me primo ostenderet Iesus Christus omnem patientiam ad informationem eorum, qui crediturí sunt* Quasi dicat: Misertus est mei Deus, ut in me quasi in primo & maximo peccatore, dãret toto orbi exemplar perfectæ suæ clementiæ, in quo homines cernant ipsum velle omnes peccatores salvos fieri, & facilè eis peccata condonari. Atque ita meo exemplo informavit & excitavit omnes futuris sæculis, ut per pœnitentiam audeant ab eo sperare veniam. Vnde S. Augustinus serm. 9. de verb. Apost. *Si Saulus sanatus est, ego quare despero? si à tanto medico tam desperatus ager sanatus est, ego vulneribus meis illas, manus non optabo? ad illas non festinabo? Vt hoc dicerent homines, ideo factus est Saulus ex Persecutore Apostolus.* Si ergo in cœlo est gaudium super uno peccatore pœnitentiam agente magis, quam super nonaginta novem justos; quan-

PARS II. *De conver. S. Pauli præ cæteris ad mirabili.*

1. Tim. 2.

Luc. 15.

Spatialia circa conver. S. Pauli.

Nicolaus Diacon. Tertull. Origines. Ioan. 3.

Rom. 11.

Coloss. 1.

Exempl. conversorum Magdalena.

Samaritana. Ioan. 4.

Psal. 22.

Pelagia Thaïs. Maria Ægyptia.

1. Furens subitò ẽverſus.

tum putas gaudium eſt ſuper converſione talis Perſecutoris, & poſtmodum tanti Doctoris?

Specialiter autem Converſio S. Pauli feſto celebratur, licet aliæ Converſiones Sanctorum celebrari non ſoleant aliquo alio feſtivo die, præter diem mortis, quoad immortalitatem tranſierunt & gloriam; quia ſpecialia multa in hac converſione contigerunt ad ſpecialem Eccleſiæ eruditionem & fructum, ad ſpecialem quoque manifeſtationem potentiæ & gloriæ divinæ ſpectantia. Elucidemus id particularius.

Primò mirè eluxit in hoc divinæ gratiæ efficacia quod in mediis ſceleribus furens, & crudeliſſima facinora in Chriſtum & Chriſtianos animo deſignans, namq; ad illa ſeſe accingens, ſic ſubitò luce & voce cæleſti converſus eſt, ut de leone rugiente fieret agnus, de lupo prædante ovis, & ovium paſtor mitiſſimus, de Perſecutore ſanguinolento Apoſtolus magna ſanè Dei miſericordia eſt, peccatorem in ipſo actu & affectu peccati, in ipſa rebellione contra miſericordiam, benignitate & gratia ſua prævenire, vocare, illuminare, convertere, cum potius mereatur ultione juſtitiæ tunc in æternum abſorberi, & ultrices pœnas experiri. Attende ergo Paulum ſpirantem minarum & cædis in diſcipulos Domini, deprehenſum in ſcelere & in ſanguinolentis cogitationibus, cũ epiſtolis crudeliſſimæ legationis, auctoritatis execrandæ, poteſtatis iniquæ, tanta nihilominus Dei benignitate prævenitum, & dic cum Propheta, ob ejus adeo novam, adeo miram converſionem: *Miſericordias Domini in æternum cantabo.* Repleverat Jeruſalem ſanguine, internecioni dederat multos fideles, perſecutus erat Apoſtolos, lapidaverat Stephanum; nulli pepercerat viro aut mulieri Chriſtianæ profeſſionis: non ſolum coram judicibus accuſarat, ſed etiam ferociſſimè è domibus ejectos ad tribunalia & ſanguinem trahebat, & modò plusquam antea necem reſpirans reperitur in via ſævitiæ execrandæ. An non flammis æternis devovendus tibi videtur contra Deum & Chriſtum flammas vomens, pinguiq; contra eum cervice & erecto collo procurrens? At verò flamma voceque cœleſtis amoris, nihil minus cogitans, ita miſericordiſſimè prævenitur, ut victas det cœlo manus, ſicque poſſit dicere: *Miſericordias Domini in æternum cantabo.* Ideoque & hoc feſtum inſtitutum eſt, ut illi congaudentes miſericordias Domini decantemus.

Pſal. 88.

Actor. 7.

2. Plenè & perfectè ſanatum converſus.

Secundò gratia Dei in Converſione Pauli in hoc effulſit, quod non ſolum peccata ejus illico aboleret, ſed etiam radices peccati penitus exſcinderet, habitusque vitioſos exueret, perfectè eum immutans & convertens. Alii peccatores, ſi convertuntur, nihilominus cum habitu vitioſo (quem imbiberunt, & induerunt tamquam diploidem confuſionis) grande longumq; certamen coguntur ſuſtinere; libidinoſus cum effrenti libidinis regimentis; intemperans cũ ſollicitatione inolitæ jam intemperantiæ. Non ſic in Paulo, qui abundantia & impetu gratiæ divinæ ita eſt transformatus in alium, ut vetera periret ſævitia, inauditaque ſuccederet manſuetudo; & voluntatis ſuæ in manus Dei mirè ſuppleximus conſignatio, totiusque cordis perfecta oblatio. Propterea mox dixit: *Domine quid me vis facere?* Hæc perfecta cuncta converſionis forma, ait S. Bernardus. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: Domine, quid me vis facere? O verbum breve, ſed plenum, ſed vivum, ſed efficax, ſed dignum omni acceptione,* inquit ipſe ſer. 11. de Converſ. Paul. Vt igitur imitemur, quoad poſſumus, hanc interiorem voluntatis à bono in malum converſionem perfectam, & illam decantemus in gloriam Dei & Pauli, ideo hoc feſtum decernitur.

3. Statim paratus pro Jeſu mori.

Tertiò divina potentia & gratia non ſolum in eo parvum abſterſit ſævitiæ habitum, ſed etiam tanto divini amoris æſtu eum replevit, ut jam ſanguinem profundere paratus foret pro eo, quem perſequebatur, omnesque labores & tormenta perferre. Ita factum eſt ſubitò, ut nihil aliud ſaperet, & ſpiraret mox à converſione, niſi Jeſum Crucifixum, in cruce pro ipſo mori, ſi opus ſit, peroptans; nihilque perhorreſcens, ut ejus gloriam quoquo verſum propagaret, & omnibus nationibus inveheret. Sic ergo non ſolum gratiam communem in ſua converſione accepiſſe cenſendus eſt, ſed ſpecialiſſimam & eminentiſſimam, quam impenderet totius Eccleſiæ bono cœlitus Apoſtolus inauguratus, ſapientia, lat oribus, meritis Eccleſiam quam perſequebatur, ſupra modum illuſtraturus. Meritò ergo illa exultat in converſione illius, cujus labores & doctrina etiam hodie maximum fructum pariunt, & per ſæcula omnia parturient; cujus etiam non ſolum exemplum ſed & patrocinium, mirè peccatores ad converſionem adjuvant.

Cœlitus inauguratus Apoſtolus.

SEd videamus particulariter circumſtantias hujus converſionis, quas deſcribit S. Lucas Act. 9. ubi inprimis ait de Pauli itinere: *Paulus ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini, acceſſit ad Principem Sacerdotum & petiit ab eo Epiſtolas in Damaſcum ad Synagogas, &c.*

PARS III. De circumſtantiis Converſ. S. Pauli Actor. 9.

1. De loco converſionis.

Prima circumſtantia hic conſideranda, eſt circumſtantia loci, ubi hæc converſio peracta eſt. Locus ſcilicet converſionis hujus fuit prope Damaſcum, ad quam civitatem pergebat furens Paulus, ut ubi perſeruraretur, & perſequeretur quaquaversum Chriſtianum nomen, cujus rei gratia literas ſigillatas acceperat à Pontifice Sacerdotum. Ecce adimpletur illud: *Benjamin lupus rapax, manè comedet prædam, veſperè dividet ſpolia.* Paulus erat de tribu Benjamin, & de eo interpretantur SS. Patres hanc prophetiam, prout videre potes apud S. Auguſt. in Brev. Rom. in hoc feſto converſionis. Damaſcus porrò erat caput Syriæ, cui Rex Aretas præſidebat; habebant tamen & ibi Judæi ſuas plateas, ubi jus dicebant, prout eis conceſſerat Rex Syriæ Benedad. Ideo verò illuc acceſſit Paulus, quia poſt

Gen. 49.

3. Reg. 20.

necem

necem Stephani Damascum confugerant nonnulli Christiani ob persecutionis violentiam, putantes se ibi tutiores fore in urbe gentili & regia, Iudæis non subdita, & à Ierusalem valde remota. Distabat enim itinere quinque dierum, sive quinquaginta leucis nostris. Vnde patet furor Pauli, de quo ipsemet dicit: *Et amplius insaniens in eos persequebar usque in exteras civitates.* Damascum autem Paulus an eques, an pedes advenerit, non constat. S. Augustinus, quem sequuntur nonnulli, insinuare videtur peditem venisse. Scriptura quoque equi ejus non meminit; & Iudæi religiosiores, qualis erat Paulus, vix equis utebantur; cumque Paulus foret juvenis, uti manu acer, ita pedibus erat celer. Alii tamen putant equitem, prout etiam pingunt communiter. Quod persuadere potest tum itineris longitudo, tum auctoritatis significatio; quia tamquam Prætor quispiam stipatus militibus procedebat. Denique ejus etiam prostratio fuisse videtur ex equo in terram collisio, Christo contra eum quodammodo duellante, & eum humiliante, ut ferociam edomaret hominis intumescentis & minas spirantis. Fastus autem & æstus ille tumidus magis equiti quam pediti videtur convenire. Interim locus ubi prostratus fuit Saulus, ut erigeretur Paulus medio milliari distans à Damasco, ita postmodum à Christianis fuit honoratus, ut nobile ibi sacellum erectum fuerit, in quo & soliti erant Christiani sepulturam eligere, qui circa Damascum habitabant. Referunt quoque historici exercitum Christianorum in bello sacro, Duce Godefrido Bullonio, ad hunc locum Conversionis S. Pauli pertigisse, dum Damascum peteret, atque ibi biduo commoratum esse, nec sine felici successu progressum exinde fuisse auspiciis & patrocinio S. Pauli.

Act. 26.

Eques an pedes S. Paulus venerit.

Ita Sanchez & Lorinus.

Adrichö. Brodenb. Guil. Tyrius & alii.

Secunda circumstantia hic considerationi digna, est circumstantia lucis, quæ de cœlo Paulum circumfulsit. Fuit verò magna lux ista, quia de illa dicit S. Paulus: *Supra splendorem Solis circumfulsit me lumen.* Fuit ergo globus quidam perlucidus, ambiens Paulum instar fulguris & coruscationis, oculos ejus perstringens & excæcans, eumque solo prosternens. Vnde de hac luce sic eleganter loquitur S. Augustinus serm. 28. de Sanctis: *Saulus furori contra milites Christi gladium dum portat, fulmineum de cœlo accepit testimonium dum grassatur, percutitur, dum Christi Sanctos persequitur, violento radio cœlestis luminis vexatur.* Lucem autem istam à corpore Christi glorioso emanasse verisimile est, ita ut percussus fuerit Paulus, & quodammodo sideratus à fulgurante Christi luce, quasi à sagitta cœlesti, & hasta promicante; ideoque Christus Dominus quasi duellator eum prostravit, & vicit. Potuit ergo dicere Saulus idem, quod Iulianus apostata è cœlo sagittâ percussus: *Vicisti Galilæe, vicisti: Nazarene, vicisti.* Sed infelicissimè percussus præ rabie hoc pronunciavit Iulianus: Felici vulnere percussus Paulus, hoc pronunciare potuit cum gratiarum actione.

2. Circũstantia lucis. Act. 26.

Lux porrò ista exterior tenebras interiores mentis ejus pandebat, & repræsentabat lucem internam, quam Deus menti ipsius infundebat, & qua ei sua interior conscientia cum peccato quod persequendo committebat, fiebat manifesta. Ita arguebatur à lumine, ut ex hac luce disceret, jam sibi ambulandum in lumine gratiæ divinæ, & veritatis coruscæ luce. Quapropter dicebat: *Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis in facie IESV Christi.* Sic omnia, quæ circa Paulum aguntur exterius, significant ea, quæ in peccatorum conversione aguntur interius. *Lux illa* repræsentat gratiam excitantem & internam mentis illuminationem. *Prostratio in terram* animi humiliati contritionem & demissionem: *Vox insonans*, concussionem intimam cordis, quasi à tonitru divini judicij & minarum ejus: *Stimulus contra quem non oportet recalcitrare*, significat remorsum acrem & pungentem conscientiæ: *Cæcitas*: clausuram oculorum & animi ad res æternas indicat, considerationemque rerum cœlestium & æternarum. Denique, *Squama ab oculis decidentes*, significant omnes excusationes esse deponendas, perfectam confessionem instituendo.

Lux externa internam signat.

Tertia circumstantia consideranda, est vocis è cœlo, sive aëre resonantis: *Saule, Saule, quid me persequeris?* quam quidem vocem cadens in terram audivit. O vocem verè efficacem, verè potentem quæ cor ejus concutiens subitò in alterum virum commutavit! Vnde & hic patet, quam verum, sit illud ejusdem Apostoli: *Vivus est sermo Dei, & omni gladio ancipiti penetrabilior, pertingens usque ad divisionem animæ, compagum quoque & medullarum.* Vtique verba divina in cor immissa transfigunt illud salubri vulnere, suntque *sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis*, qui congesti super capita inimicorum Dei, eos ita adurunt, ut vincant in bono malum.

3. Circũstantia vocis.

Heb. 4.

Hujus vocis divinæ, peccatores sapeibos, rebelles obduratos convertentis, vim & efficaciam recitè describis ex Psalmo 28. ubi *primò* generaliter dicitur: *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia.* Deinde additur: *Vox Domini confringentis Cedros.* Saulus superbia & fastu verticem erigebat in cœlum, contra Christum & Deum blasphemus: sed ecce vox Domini, instar tonitrui insonans, confregit ejus ferociam & fastum, humiliavitq; usque ad terram; moxq; agnovit non esse sibi procurrendum erecto vertice, erecta cervice, contra Deum.

Vis divina vocis varia ex Psal. 28.

1.

Secundò, de voce Domini ibidem dicitur: *Vox Domini intercedentis flammam ignis.* Saulus flamma furoris ferebatur in Christum & Christianos: sed ubi adfuit vox Domini, interciſa est flamma illa ex ejus corde exiliens, & velut è fornace exæstuans in minas & cædis cogitationes, tanquam in scintillas. Succeſſit verò flamma amoris divini tanta, ut *nec aqua nec flumina valuerint eâ obruere.*

2.

Cant. 8.

Nullæ tribulationes, nulla tormenta, nullæ perſecutiones eam valuerunt ſemel accenſam cælitus conſopire, aut impedire ejus ardorem toto orbe rutilantem. *Quis nos ſeparabit à charitate Dei,* inquit ipſe, *an angustia? &c.* Rom. 8.

3. *Tertiò*, de voce Domini adjicitur: *Vox Domini concutientis deſertum.* Paulus cor durum gerebat, ſpinis & vepribus obſitum, dumetis horridum, ſterile & infœcundum, à gratia divina deſertum. Sed mox ubi adfuit vocis divinæ efficacia, quomodo concuſſum fuit deſertum illud, quomodo commutatum, quomodo commotum? Spinæ evulſæ ſunt, & quidquid obſtaculo poterat eſſe; ſicque ſubitò innovata cultura, novale cordis antea duri molle factum, ſemine divinæ gratiæ & rore cœleſti ita eſt conſperſum & fœcundatum, ut illico protulerit fructum omnigenæ virtutis, fructum ſcil. humilitatis & manſuetudinis, fructumque perfectæ pietatis & charitatis.

4. *Quartò*, de voce Domini dicitur: *Vox Domini præparantis cervos.* Saulus antea leo rugiens, vel lupus rapax, non niſi prædam quærebat, circuibatq; quærens quem devoraret: audita autem voce cœleſti, jam aliud quærit, jam tamquam cervus velocitatem accipit, & fortitudinem ad belligerandum contra venena ſerpentina, jam ad fontem aquæ vivæ deſiderat & feſtinat, jam uſque ad montem Dei progreditur, ſine mora ambulans de virtute in virtutem, & mox attingens perfectionis verticem celeritate indicibili, ejus ad currendum pedes præparante divina gratia. O velocem curſorem, qui meritò potuit dicere illud: *Præparavit pedes meos tamquam cervorum ſuper excelſa ſtatuens me!* Adjiciamus & hoc quod Græca Lectio habet: *Vox Domini obſtetricantis cervas.* Dicuntur cervæ ad pariendum magnas difficultates pati. voce autem tonitrui reſonante ita commoveri, ut mox pariant ſine difficultate. Sic contingit aliquos non parturire, nec parere ſpiritum ſalutis, niſi voce Domini reſonante inſtar tonitrui, & eos commonente: ad pœnitentiæ fructum mox concipiendum & pariendum. Quod ipſum in Saulo contigit, quia non ſolum pœnitentiæ, ſed omnigenæ quoque perfectionis fœtum illico edidit, illa audita voce inſtar tonitrui cor ejus commonente: *Saule, Saule quid me perſequeris? Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris. Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.* O vox fortis & potens, quæ cedrum confringit & humiliat, quæ flammam ſævitiæ interſcindit, quæ ſpinoſum & deſertum cor concutit, quæ pungentes ſpinas expungit, quæ ſpiritum gratiæ parere facit, quæ ad currendum pedes præparat, quæ ad gratiam & gloriæ diſponit, quæ incurvas colles mundi abitineritus æternitatis, quæ vires ſuggerit ad bellandum contra ſerpentina venena, contra infidelitatem, peccatum, infernum.

Simile à cervæ difficulter parente.

S. Paulus abortivus.

Poteſt etiam hic conſiderari Eccleſia tamquam gravida hoc fœtu novo, quem parturire optabat Chriſto; peperit autem, dum vox cœleſtis inſonuit, & lux coruſcavit, fœtumq; quem vix utero portarat, edidit. Unde ſe vocat S. Paulus abortivum: *Novissimè Christus, quasi abortivo visus est mihi.* 1. Cor. 15. Quid eſt, *Tamquam aborti?* An quia violenter excuſſus eſt ex utero, ſicut fœtus abortivi ſolent, ideo ſe abortivum vocat? nempe renatus eſt violenter Paulus, qui & ipſum uterum Eccleſiæ perſequebatur, quo fuit progenitus. An fortè ſeſe abortivum vocat, quia ſicut fœtus abortivi ſemimortui & cæci ſæpe naſcuntur, ita & ipſe in nativitate ſua ſpirituali ſemimortuus cecidit, & cæcitate percuſſus fuit? An denique ideo ſeſe abortivum vocat, quia naſcendi tempora abbrevians, & terminos ſaltidiens uteri, quam non licebat per tempus plenitudinis Chriſti obtinuit ætatem? Audi S. Chryſologum ſerm. 56. ſimile quid eleganter edicentem; ſic enim habet; *Cum fœtiò in via naſceretur, meritò ſe abortivum nuncupat; & miratur ſe fuiſſe natum, qui novit ſe nulla conceptus tempora pertuliſſe. Nam cum adhuc hoſtis ipſe coderet extra inſectus ſancta Matris uterum, & in ipſo ortus pignora veneranda celliderat repente ſanctum mutatur in germen qui ipſius germinis acerrimus fuerat perſecutor.* Hæc ille. Mentò ergo Paulus primò vocari potuit *Benoni*, id eſt. *Filius doloris:* at poſtea voce & luce cœleſti mutatione que dexteræ Excelſi in Paulum mutatus vocari potuit *Benjamin*, id eſt. *Filius dexteræ.* Nam idem quoque ei contigit, quod Benjamino; quia ſicut ipſe naſcens matri Racheli mortem intulit, ita & hic renaſcens matri ſuæ Synagogæ necem inflixit, & ſicut Benjamin inter duodecim Patriarchas fratres fuit ultimus & minimus, ita & Paulus ſe vocat ultimum & minimum Apoſtolorum. *Nonſum dignus*, inquit ipſe, *vocari Apoſtolus, quia perſecutus ſum Eccleſiam Dei.* Serm. 56. S. Paulus Benjamin. 1. Cor. 15.

Propter hanc ergo perſecutionem dicit ei Chriſtus voce potentiſſima: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* quid perſequeris corpus meum myſticum, quod eſt Eccleſia, membra mea, quæ ſunt ipſi fideles? Quid perſequeris uterum matris, quæ te debet gignere? *Si membris adhuc poſitis in terra, caput clamabat in cœlo*, inquit S. Auguſtinus, quia perſecutio in ipſum met redundaret, qui membra habet ſibi ita unita dilectione & amore, ut ſe tangi & lædi clamet, dum illa lædentur vel tanguntur, ita ut propterea etiam alibi dicat: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Sic & Chriſtum perſequi cenſentur omnes, qui peccata peccatis adjiciunt: quia, ut dicit Apoſtolus: *Rurſus ſibimet crucifigunt Filium Dei, & oſtentui habent, ſanguinemque ejus conculcant.* Nec infrequenter lux & vox cœleſtis intus adeſt, quaſi inſonans: Quid Deum perſequeris? Cur rebellis es divinis præceptis & monitis? Quid ſanguinem Chriſti conculcas, & illum inutiliter pro te effuſum tua cæcitate efficis? Cur vivis in ſtatu, in quo mori non auderes? Quid erit de anima tua tota æternitate? an poteris habitare cum igne devorante, & cum ardoribus ſempiternis? Cur non adis Ananiam, hoc eſt idoneum Confeſſarium, qui oſtendat Zach. 2. Heb. 6.

dat tibi quid te oporteat facere? Sed ipsi sunt rebelles lumini, vociq; divinæ per remorsus conscientiæ intus clamanti, & illuminari cupiunt. Ipsi claudunt fenestras & aures cordis, ut non videant, lucem, nec audiant vocem; quia tenebrosum suum peccati statum adamant, de peccato in peccatum pergunt, de tenebris in tenebras ruunt, de die in diem conversionem differentes.

Promptitudo Sauli ad vocem Dei. Non sic Saulus, qui mox ibi sensit lucem, & audivit vocem, cor suum Deo offerens inclámat: *Domine quid me vis facere?* Quasi dicat cum Samuele: *Loquere Domine, quia audit servus tuus.* Aut quasi cum Psalte repetat: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Aut quasi se offerat cum Isaia, & dicat: *Ecce ego, mitte me.* Vnde advertit subtiliter S. Ildefonsus, sicut Christus Dominus quinque tantum protulit verba vocans Saulum furentem: *Saule, Saule quid me persequeris?* Ita hæc quinque verba quasi Echo respondens produxisse hæc quinque verba resonantia: *Domine, quid me vis facere?* Et quidem in his tota consistit perfectio Christiana, quia illa in conformitate ad divinam voluntatem reperitur. Felix igitur Saulus, qui subitò luci & voci divinæ obtemperavit, non sine animi plenissima resignatione & gratitudine. Felices & illi, qui hanc lucem & vocem persentiscentes in Deum respiciunt, eumque non solum audiunt, sed & promptè obediunt, & gratias agunt.

Psal. 56. Isai. 6.

Pro hac luce & voce oculis & auribus cordis immissa gratias agebat S. Augustinus, dum in Soliloquiis suis sic alloquitur Deum: *Intonasti in interiorem aurem cordis mei voce grandi: corruscasti, splenduisti, & exarsisti in pacem tuam. Et discessis nubes tenebrosa, quæ erat ante oculos cordis, & vidi, & videns clamavi: Va tenebris! Va cæcitate! Va præterita ignorantia mea! Va abysso in qua jacui! Involvebar in tenebris filius tenebrarum, & de tenebris ibam in tenebras. Gratias tibi ago, illuminator meus, quia jam video, & aperuisti oculos meos.* An non tibi videntur squamæ ab oculis ejus cecidisse, sicut & Paulo, irradiante vera luce, & squamas cæcitatis excutiente? O peccatores nolite rebelles esse lumini; *Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra,* sed cum Saulo dicite: *Domine, quid me vis facere?*

Psal. 94.

4. Circumst. Sauli ad Ananiã.

Quarta circumstantia digna consideratione, est missio Pauli ad Ananiam, & testimonium Domini apud Ananiam de electione Pauli. Missus autem fuit Paulus ad Ananiam, ut ab eo baptizaretur, & à cæcitate curaretur; sic enim Dei suavis dispositio est, ut homines per homines adjuvet ad salutem, & ita imponit ei manum Ananias, postquam tribus diebus fuit non videns, nec manducans, ac bibens; sed, ut ait S. Chrysostomus, *orans & pœnitentiam agens, compungebat sese propter ea quæ fecerat confitebaturque precabaturque Deum:* veniente autem Ananiæ, & manus imponente, curatus est, eodemque ipsum baptizante, Spiritu S. est repletus. Quomodo curatus fit, tradit sacer textus: *Confestim ceciderunt ab oculis ejus tamquam squama.* Eleganter autem S. Gregorius 33. Moral. cap. 24. per squamas intelligit velamen carnalis sapientiæ, velamenque excusationum, quod solet plerisque ante oculos mentis tensum cæcitatem quandam inducere. Sic enim ait: *Carnalis tegumenti duritia Saulum presserat, & ideo radios veri luminis non videbat. Sed postquam superbia vitia fuit, defensionum squamæ ceciderunt ab oculis corporis, quæ jam ceciderant ab oculis cordis dum dixit prostratus: Quid me vis facere? Ista autem defensionum squama, quam vis pene omne genus humanum contegant, hypocritarum tamen specialiter & rallidorum hominum mentes premunt. Ipsa enim culpas confiteri refugiunt, quia videri peccatores erubescunt.* Hæc S. Gregorius. Ex quo colligimus, quod simulatio, calva excusatio, amor sui, quasi squamæ velant oculos, intuitumque veritatis averiunt, nisi divina succurrat gratia & manus, illas cadere faciens, oculosque aperiens & illustrans.

Curatio S. Pauli.

Cæterum, quod ad Ananiam (quem fuisse unum ex 72. discipulis nonnulli æstimant, posteaque Damasci Episcopum) Paulus mittitur, non tam doctrinæ quàm curationis & baptismi gratia fuisse dicimus; quia S. Paulus fatetur se non ab homine doctrinam Evangelij accepisse, sed per revelationem Iesu Christi. Quod factum fuisse hoc triduo ex eo colligimus, quod mox confundebat mira sapientia Iudæos qui erant Damasci, ita ut omnes obstupescerent. O igitur felix cæcitas, quæ mox totius orbis illuminatio effecta est; O qualis Doctor Christus & Spiritus sanctus! *Vbi Deus Magister est,* ait S. Leo, *quàm cito discitur quod docetur!* Sic & S. Gregor. *O qualis artifex est iste Spiritus! Nulla ad discendum mora agitur in omne quod voluerit. Mox enim ut tetigerit mentem, docet; solumque tetigisse, docuisse est. Humanum animum subito ut illustrat, immutat; abnegat hoc repentè quod erat, exhibet repentè quod non erat.* Hoc ibidem exemplis demonstrat S. Gregorius, Davidis, Amos, Danielis, Petri, Pauli, Matthæi. Sic de illis differt particulariter:

Gad. 1.

Hom. 30. in Evang.

Implet Cytharædum puerum, & Psalmistam facit.

Implet Pastorem armentarium, & Prophetam facit.

Implet abstinentem puerum, & Iudicem senum facit.

Implet Piscatorem, & Prædicatorem facit.

Implet Persecutorem, & Doctorem gentium facit.

Implet Publicanum, & Evangelistam facit.

Cùm porro ambigeret Ananias, quia gravissima de Saulo mala inaudierat, testimonium ei perhibet de illo Dominus præclarissimum & certissimum, dum ait: *Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israël. Ego ostendam illi quanta oporteat pro nomine meo pati.* Quid est, vas electionis?

Act. 9.

In primis quidem *Vas electionis*, id est, instrumen-

tum & organum electum, quasi dicat Dominus Ananiæ: Tu putas hunc reprobum, dum dicis: *Quanta mala audivi de eo.* Sed scias à me electum, & fore selectissimum instrumentum ad ostendendum potentiam meam & gloriam coram Regibus, & toto orbe, & quidem ad hoc elegi eum ex millenis hominum millibus: Si ego Sampsonem elegi ut Asinæ mandibula, tanquam victoriæ instrumento, Philistæos fugaret, vinceret, confunderet: Si Gedeonem elegi, ut tubarum, sono & vasis confractis aciem hostilem superaret: Si Moysen elegi, ut virgâ Pharaonem & Ægypti exercitum profligaret: Ecce plusquam Sampson hic, plusquam Gedeon, plusquam Moyses. Ego enim eum elegi, & tantis donis tantâque fortitudine adornavi, ut hostium omnium meorum valeat furorem retundere & pessumdare, ut faciat nomen meum, & potentiam, ac sapientiam omnibus nationibus & Principibus innotescere? Ego eum elegi, ut *virgam virtutis meæ emittat ex Sion*, & mihi acclametur: *Dominare in medio inimicorum tuorum.* Volo vocis ejus sono & corporis tanquam vasis collisione elucescere quaquaversum lucem Evangelii: lucem fidei, lucem gratiæ meæ.

Quomodo Sanctus Paulus vas electionis fuerit.

R. 1.

Judic. 15.

Judic. 7.

Exod. 14.

Psal. 109.

R. 2.

Vlterius, *Vas electionis*, sive electum à Domino, quia de vase contumeliæ in vas translatum gloriæ, in vas gratiæ & sapientiæ, ut cibum electum & cœli vinum omnibus propinet gentibus. Ideo de illo verum est illud: *Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.* Fuit enim vas auri ob sapientiam, solidum ob charitatem, ornatum omni lapide pretioso: quia omnibus gemmis virtutum, Fuit enim tale vas quale describit: *Vas admirabile opus Excelsi*; quia sicut Sol de quo ibi agit Ecclesiasticus, *Vas est lucis*, totum illuminans mundum, sic & Paulus toto orbe radiantem lucem circumtulit.

Eccli. 50.

Deindè, electus fuit Paulus, tamquam *Vas aureum*, in quo voluit Dominus manna reponi, ut sit in cibum omnibus generationibus.

Eccli. 43. Exod 16.

R. 3.

Denique, electus fuit tamquam *Vas odoriferum*, in quo pretiosissimum unguentum nominis JESU reconderetur, & postmodum effunderetur in omnes nationes, ut illas odore suo attraheret. Erat enim antea absconditum & clausum istud fragrantissimum balsamum: Paulus autem illud portavit & effudit *coram Regibus & gentibus, ac filiis Israel.* Quapropter tot Martyres, tot Virgines, ad ejus odorem accurrerunt, etiam per spinas & clavos, per crucem & gladium, per mortem & sanguinem. Ergo meritò dicitur Paulus electus ut *Vas electionis*, ad portandum nomen illud, in quo omnes oportet salvos fieri. Portavit utique, tanquam vexillifer, Nomen & insigne sui Ducis. Tanquam Legatus, Nomen illius à quo mittebatur Regis. Tanquam Promulgator legis, Nomen & auctoritatem sui Legislatoris & Principis. Portavit in corde per amorem, in ore per sermonem, in opere & corpore per passionem; quia ostendit ei Dominus quanta oporteret pro nomine suo pati. Portavit per triginta annos in Asiam, Græciam, Scytas, Persas, Romanos, indicibilia passus pro nomine Christi JESU, electus non solùm ad docendum & agendum, sed & maximè ad patiendum. Quid ita? Quia contra Christi Jesu nomen multa alios pati fecerat, debuit ipse in compensam pro nomine illo mira pati, Dei providentiâ sic justè ordinante. Qui JESUM Crucifixum annuntiabat, & patientiam ejus, patientiæ consors esse debuit, ut non solùm sermone, sed ut opere illum prædicaret efficacius. Concludamus, & ad JESUM vota convertamus, ut ipse nos cum Saulo convertat.

TU, Domine JESU, qui misericordia tua Saulum Persecutorem & filium perditionis effecisti *Vas electionis*, & vinculis amoris ad te attraxisti, luce circumdedisti, voce vicisti, de lupo Agnum, de Persecutore Apostolum, de blasphemo Doctorem subitò fecisti: fac nos percipere vocem tuam, lucem, misericordiam tuam; ut de abysso tenebrosa, in qua cæci & surdi jacemus, respiremus ad te, qui es lux vera & vita nostra. Aperi oculos cordis nostri per merita & intercessionem electi tui Apostoli, ut pleno corde ad te conversi, & hic gratiam, & tandem gloriam consequamur æternam. Conclusio.

IN FESTO S. AGATHÆ.

Mulierem fortem quis inveniet?
PROV. 31.

INter mulieres fortes meritò etiam recensemus S. Agatham, quæ Luciam martyrio præcessit, & eam exemplo suo ac voce ad fortiter certandum animavit, prædicens civitatem Syracusanorum decorandam ejus martyrio ac patrocinio, sicut illustrabatur civitas Catanensium suo. Certè civitas Catanensium ita illustris erat S. Agathæ sanguine & sepulchro, ut passim populi ad illud concurrerent, etiam per quinquaginta milliaria distantes, ut gratiæ spiritualis ibi efficerentur participes. Quid mirum, si homines eam venerabantur, cum & Angeli sepulchrum hujus Virginis venerati fuissent, ei Epitaphium adscribentes & appendentes, conceptum hisce verbis: MENTEM SANCTAM ET SPONTANEAM, DEO HONOREM. ET PATRIÆ LIBERATIONEM. Illuc ergo venerat S. Lucia, Virgo Syracusana, cum matre Euthycia sanguinis fluxu irremediabili jam quatuor annis divexata: dumque processionis mysteria agerentur in festivitate Agathæ, & Evangelii lectio foret recitata, quo legitur fimbria vestimenti mulier à sanguinis fluxu liberata, admonitione Luciæ mater fidem magnam concepit, per intercessionem S. Agathæ idipsum à Christo sibi contingere posse. Postmodum igitur cùm pernoctaret ad sepulchrum S. Agathæ Euthycia cum filia sua Lucia, vidit in somno Lucia B. Agatham in medio Angelorum gemmis

PARS I. *De fortitudine S. Agathæ contra mundum.*

Epitaph. S. Agathæ.

geminis ornatam, & dicentem: *Soror mea Lucia, Virgo Deo devota quid à me petis, quod ipsa poteris continuò præstare matri tuæ? Nam & matri tua fides tua subvenit, & ecce sanata est. Et sicuti per me civitas Catanensium sublimatur à Christo, ita per te civitas Syracusana decorabitur ab illo.* His ergo verbis admonita fuit certaminis & martyrii, ab illa quæ fortiter præiverat & certarat in agone: jamq; censebatur dicere Luciæ quod olim currentes in stadio post cursum suum absolutū dicebant socio: TIBI LAMPADA TRADO.

Sed videamus paucis ejus fortitudinem, & certamen contra Mundum, Carnem, Diabolum, eodem ordine quo de Lucia jam disseruimus.

a Mundi contemptit.

Primò quidem fortis fuit contra Mundum, inclyto illū superans & calcās certamine. Cum enim foret nobilissima, ex illustri familia Panormitana genus ducens: cumque foret ditissima; copioso patrimonio sibi à parentibus relicto; cum denique foret pulcherrima, décorem vultus & corporis præstans, & flore ætatis spectabilis, ideoque & honores & gloriam consequi posset in sæculo: nihilominus hæc omnia contempsit. Sciebat quod hujus sæculi

Jacob 4. bona omnia umbratica sunt, & transeunt, *ut vapor ad modicum parens*, aut ut fumus pertransiens: *Velut*

Psal. 72. *somnium surgentium imaginem ipsorum ad nihilum redigens.* Præterit figura hujus mundi, velut imago somnii, vel ut ludicra scena, omnis gloria ejus mox avolat: & sepulchro conditur, inanisque reperitur & vana. Ideo verò mundi gloriam & opes contempsit, & in sæculo calcavit sæculum, ut liberius ancillaretur Christo cum humilitatis obsequio, & ut despecta vanitate amplecteretur veritatem, quæ suos nunquam deserit sectatores. Quapropter cùm à Tyranno interrogaretur, & ei exprobaretur: *Non te pudet, nobili genere natam, humilem & servilem Christianorum vitam agere?* Respondit. *Multò præstantior est Christiana humilitas & servitus, Regis opibus & superbia.* Noverat

Nazianz. orat. de vita ejus meritus. quoq; illud S. Gregor. Nazianzen: *Insidiæ sunt opes, sublimitasq; thronorum & dignitatum fastus mera sunt insomnia. Pulchritudo porrò brevis, atque fulgetris similis; juventus nihil aliud quàm temporis fervor, canities tristis vitæ occasus. Gloria est aer. Nobilitas vetus sanguis; humana omnia meitus, risus, lanugo, umbra, ros, flatus, volatus, vapor, fluctus, navis vestigii, &c.* Sciebat & ponderabat illud quod subdit idem Sapiens & Sanctus Doctor Nazianzenus: *Non sine magna sapientia à te Christo constitutum est, ut res hujus vitæ incertæ atque instabiles sint, ut verum firmarum amore & desiderio inardescamus: atq; discamus à stultæ carnis cogitatione mentem abruere, imaginemque illam quam divinitus accepimus, puram conservare, vitam ab hac vita alienam ducere, ac denique cum altero mundo mundum hunc commutando, difficultates omnes hujus vitæ forti animo perferre.* Quod utique fecit ipsa fortissimè, mundana omnia despiciens, & calcans intrepido pede, ut aversâ mente ab instabilibus & incertis, desiderium suum in rebus stabilibus & certis collocaret. Constanter diligere voluit quod stare poterat: noluit incassum cor in eo diligendo figere, quod jam fugit dum diligitur.

PARS II.
De fortitudine S. Agathæ contra carnem.

SEcundo fortis fuit S. Agatha contra Carnem, hostem domesticum, multis insidiis & illecebris nos adorientem. Per castitatis enim votum se Deo firmavit & consecravit: sicque fortiter animum roboravit contra omnes illecebras & insidias, ut fidelis maneret Christo Sponso suo usque ad mortem. Quapropter adduci nunquam potuit ut Quintiano Siciliæ Prætori & Præfecto nuberet, licet ipse in regno potens omnem tentarit aditum, ut in ipsius se animum insinuaret, cœco captus amore. Ipse amasium egit blanditiis; sed frustrà. Iudicem egit minis, sed in vanum. Quid ultra? Tradidit illam euidam Aphrodisiæ, quæ quinque filias juvenculas habebat: ut omnibus modis, cùm per se, tùm per illas, eam suis lenociniis flecteret ad conjugium propositum, & deflecteret à castitate & fide. Nocte dieque, instar Sirenis suavesonantis, voluptates & delicias auribus Agathæ occinebat, ut tandem & ad cor pertingeret: Sed illa aurem obturabat & mentem, quam totam in Christo defixerat. Frustra *Vtula sibi mutuò respondentes*, frustrà *Sirenes in delubris voluptatis* cantantes, hoc est, frustra mater & filiæ eandem cantilenam erant resonantes, de vita voluptuosa amplectenda; quia alium de cœlo sonum plenis auribus, pleno Agatha exceperat corde. Quocirca cùm Aphrodisia instar Veneficæ insipienter incantantis, finem sollicitandi non faceret, tandem hoc responsum accepit à Virgine, tum auribus, tum mente & sensibus infemerata, tot inter lenocinia torquesque repetita blandimenta: *Tuas voces, tuamque linguam, ô Aphrodisia, non ut tuum, sed ut cacodæmonis, tibi hæc suggerentis, organum & linguam accipio. Sed scito te tempus & operam perdere, suráisque auribus canere. Ego enim ita defixa & firmata sum in amore D. Iesu Christi, tamque constans in voto Virginitatis ei nuncupato, ut per ipsius gratiam planè confidam, quod suos potius Sol perdet radios, ignis calorem, nix candorem, quàm ego meam mutem voluntatem. Præpetet Quintianus Leones, succendat reges, distendat equuleos, aperiat portas inferorum si potest, omnemque Dæmonum vim & tormenta contra me concitet, libens & lata omnia excipiam, ni moriar Christiana & Virgo. Nullam eius violentiam timeo, Quia scio me Deo cui corpus & animam consecravi, cordi esse & curæ.* Quid castius, quid fortius, quid constantius dici potuit à tenella virgine, sed à forti muliere, quæ accinxerat fortitudine lumbos suos, & brachium suum roboraverat adversus omnes Fidei & castitatis suæ hostes? O liberam linguam, quæ sacram vocem illam emisit! Quam quidem aer excipiens sacer factus est, Angeli audientes plauserunt, Dæmon cum suis magnam plagam accepit. Dominus postremò in cælo

Traditur ut perver-tatur, sed frustra traditur.

Isai. 34.

Responsio S. Agathæ ad incantatricem mulierē.

deseri-

descripsit, ut in simili ait S. Basilius hom. de 40. martyribus.

Quid igitur ageret hic Aphrodisia, tantam contuens constantiam, suamque malitiam detectam perspiciens? Sane non aliud potuit, quam Præsidi acta dictaque Agathæ referre. Accedens igitur illum post multos dies, dixit: *Facilius est lapides mollire, quàm Agatha mentem à Christi amore & confuate dimovere: Ego enim & filiæ meæ ipsos triginta dies nocte dieque ejus animum assiduè pulsavimus, nunc blandiendo, nunc minando, nunc torrendo, nunc promittendo; sed illa immobilis manet ut adamas. Omnia enim quæ sub cœlo sunt, propter Christum non pluris facit quàm pulverem terræ, quem pedibus calcat: immò perdia & pernox non aliud cogitat, non aliud somniat, quàm ut moriatur pro Christo.* Vtique hoc erat ejus votum, hoc unicum desiderium cordis ipsius, jam ab adolescentiâ profunde ei impressum, nullaque vi aut fraude eradendum. Dicamus de illa quod de muliere forti legimus: *Byssus & purpura indumentum ejus.* Hæc erat vestis nuptialis, ad quam suspirabat, quamq; induere gestiebat: ut nuptiis Agni Sponsi accumberet. Sive, ut rursus ibidem dicitur: *Fortitudo & decor indumentum ejus.* Decor & byssus est castitatis professio; fortitudo & purpura est sanguinis in martyrio professio. Hoc utroque colore indui avebat Agatha ut conformis fieret Sponso suo, qui utrumque hunc gestat & commendat. Vnde de illo asserit Sponsa: *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus* Candidus ob innocentiam & puritatem, rubicundus ob ardentem charitatem, & profusum sanguinem.

Prov. 31.

Cant. 5.

PARS III. *De fortitudine S. Agathæ contra Satanam Iudic. 9.*

TErtiò fortis fuit S. Agatha contra Satanam, qui per Tyrannum ferociter certabat vario tormentorum genere, ut eam superaret. Non poterat concoquere Tyrannus, & in ipso Dæmon, quod à fœmina victus diceretur, sicut nec olim Abimelech. Quare omnes tentandæ fuerunt machinæ & artes, ut à proposito & fide eâ dimoveret. Sed tantum abest ut ipsa nutare potuerit quibuslibet propositis sibi tormentis, quin potius coram Tyranno consistens sic eum invicta alloquitur fortitudine: *Non est quod speres, ô Quintiane, me tuâ sævitiâ percellere. Scio enim non esse cervam, quantumvis anhelam & sitibundam, quæ ita desideret aquam limpidam, ut ego desidero & sitio tua tormenta, ut per ea Christo uniar. Ergo stringe, si lubet, in me ferrum, ecce collum meum: si flagella, ecce humeros: si ignem, en totum corpus: exercea ut vis, ure, seca, liga, diffringe, lacera, transfige, mactа. Quanto in me crudeliùs sævies, tanto majus beneficium conferes, tanta gratior & gloriosior ero dulci meo Sponso. Quid tardas? Quid moraris? Expedi flagra, gladios, cruces, catenas, ignes, leones, Sentienti animo omnis hora longa est mora.*

Quod porro verbis dixit, etiam ostendit & factis. Nam variis affecta tormentis ut à Christi fide deficeret, haud vel minimum vacillavit: sed in his omnibus exultavit, & Tyrannum irrisit colaphis gravissimè in faciem cæsa, & tota livida, in tetrum deducta est carcerem; sed lætanter & glorianter illuc procedebat, & quasi ad epulas invitata, agonem suum Domino commendabat. In illum fiduciam omnem projecerat, sciens se non deserendam. Educta est è carcere postmodum, & equuleo fuit distenta: nec hoc ei animum imminuit, sed auxit. Flagellis deinde torum ejus corpus attritum est, ac laminis ferreis ardentibus hinc indè circumustum: sed *fortior erat ignis qui intus accendit, fœnior qui foris ussit.* Dicebat enim insultans Tyranno: *Nisi corpus meum diligenter perfeceris à carnificibus attrectari, non potest anima mea in Paradisum Domini, cum palma intrare martyris.* Conveniebat igitur illi istud quod de muliere forti rursum dicit Sapiens: *Fortitudo & decor indumentum ejus, & ridebit, in die novissimo.* constantiam enim mentis interius, & exterius decoram modestiam corporis induta, læta erat in tormentis, quasi illa ridens, sicque & Tyrannum ac Satanam despiciens & irridens. Meritò læta, quæ sibi bene conscia, appropinquare sibi videbat præmia cælestia, quibus perceptis, cum Angelis & Beatis perpetuo erat risu & gaudio risura, fletum perennem evasura.

S. Agatha in tormentis exultavit.

Prov. 31.

Hanc interim constantiam & lætitiam Virginis in suppliciis probro sibi ducês Præses. Quintianus, crudelitate furens plusquam ferina, jubet ei imputari & avelli mamillam; indicibili sane cum dolore & tortura, quandoquidem in illa parte corporis maxime vigeat vis sensitiva propter arterias & nervos sibi conjunctos, & propter vicinitatem cordis ac pectoris calorem. Nec tamen per hoc territa fuit, sed facinoris auctorem compellans, ait illi forti eloquio, *fœminæ cogitationi masculinum inserens animum.* Non te pudet, Quintiane, *crudelissime Tyranne, amputare in fœmina quod in tu matre suxisti? Ego interim intus in anima mea habeo integras mamillas quas ab infantia Domino consecravi.* Intellectus & voluntas duæ sunt mamillæ pretiosæ, lacte fidei & charitatis plenæ. Christo à Virginibus consecratæ, in quas nullam habet vel Tyrannus vel Satan potestatem; quia intus sunt in anima, quo non pertingit sine nostro consensu omnis potestas diabolica, vel humana. Nec; hic quicquam vicit Tyrannus, sed Virginis gloriam adauxit, quæ specialiter coram Domino gloriabatur: *Vidisti Domine spectasti agonem meum, quomodo pugnavi in stadio: sed quia nolui obedire mandatis Principum, jussa sum in mamilla torqueri. Propter fidem castitatis adjuva me Domine in tortura mamillarum mearum.* Adjuvit utique eam Dominus, per Apostolum suum Petrum, in carcere medicinam ei subito exhibentem, & integram sanitatem reddentem, cum confusione Tyranni & Satanæ. Restitutæ sunt ei mamillæ corporis; sed amplion lacte divini amoris adimpletæ sunt mamillæ mentis, ut & lac illud refunderet in alios Christianos; quia sua fortitudine, pieta-

Amputationem mamillarum constantissime pertulit.

Ab Apostolo Petro sanitatem recipit.

pietate, & amore in Christum, mulctos lactavit fortificavit, enutrivit, quasi mater fœcunda. Et adhuc hactenus lac illud censetur fluere in os eorum, qui ejus exemplo ad pietatem moventur, & quasi modo geniti infantes, sine dolo lac puritatis adamant & pietatis. Exteriores autem mamillæ corporis speciali adornabuntur gloria tota æternitate, quia in his pro Christo passa est: & in hoc tempore lac dabunt specialis consolationis & intercessionis mulieribus istis, quæ torquentur in mamillis, quamdiu ad eam refugium sunt habituræ.

Itaque ad ultimum usque spiritum fortis fuit mulier hæc & virgo, sive coram Tyranno primum præsentata, sive in carcerem conjecta, & colaphis cæsa, sive in equuleo suspensa, sive laminis ardentibus tosta & torta, sive in mamillarum gravissima super omnes tortura. Nec igitur hic locus est illi interrogationi: *Mulierem fortem quis inveniet?* Inventa planè est, & hic exhibetur omnibus spectabilis & admiranda. Spectaculum fuit Deo, Angelis, Hominibus, Dæmonibus, B. Agatha gloriosissimè certans. Deo quidem, tanquam agonis supremo Iudici & Remuneratori, Angelis, tanquam ejus Ministris Virginē animāctibus & adjuvantibus. Hominibus, tanquam spectatoribus, exemplum & animum ad bene currendum & dimicandum ab ipsa sumentibus. Dæmonibus, furorem Tyranni & ministrorum ejus succedentibus, ut mulierem & virginem fortem superare possent. Simus & nos animis spectatores fructuosi, ut hic discamus fidem, castitatem, charitatem cum constantia & fortitudine tueri ad extremum usque spiritum. Discamusque hic regnum cœlorum vim pati, & patiendo acquiri, quandoquidem & Petrus cruce, & Paulus gladio, & Laurentius craticula, & Stephanus lapidibus, & tot Virgines tam acribus tormentis illud emere voluerint: ita ut Catharina rotam, Lucia ignem, Barbara gladium, Agatha laminas ardentes, & mamillarum abscissionem parum æstimarint, si modo per hæc ad regnum æternum pertingere valerent. Amen.

IN FESTO S. MATTHIÆ.

Lect. 15. tripart. *Tu Domine, qui nosti corda omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum ministerii & Apostolatus, de quo prævaricatus est Iudas, ut abiret in locum suum.* Act. 1.

Pars I. De Deo eligente alios in locum ipsorum. Serm. 18. QVod Hieremiæ olim à Domino dictum fuit: *Descende in domum figuli, ibi audies verba mea,* id nobis hodie etiam dici videtur: *& descendi,* inquit Hieremias, *& ecce ipse faciebat opus super rotam, & dissipatum est vas quod ipse faciebat è luto manibus suis.* At non hic stetit. Quid ergo? *Conversus fecit vas alterum, sicut placuerat in oculis ejus.* Ecce hodierno *die monemur à Domino ingredi* mente & consideratione in domum suam, & considerare quæ aguntur ab ipso tanquam supremo figulo circa vasa electionis vel reprobationis, quæ utraque è luto formata sunt.

Nonne Iudas Apostolus tanquam vas speciosum manu Domini è luto edictum erat, ut serviret mensæ eius ad cibum electum filiis, sive fidelibus proponendum? Sed eheu dissipatum cernimus vas istud, confractum, conculcatum tanquam lutum inutile, projectumque in locum suum, in cloacam fœtidam inferni. Veruntamen vide providentiam & sapientiam Figuli. Conversus statim fecit vas alterum, prout placuit in oculis suis, & substituit in locum prioris. Hoc fecit, dum *Matthiam* ad Apostolicam dignitatem loco *Iudæ* reprobi evexit statuens illum quasi vas in honorem loco vasis degenerantis in contumeliam, ut serviret ad obsequium, cibum, potumque electum cœlestis doctrinæ fidelibus exhibendum. Sic Domine Deus omnia operaris secundum consilium voluntatis tuæ: ita placitum fuit ante te; hæc est altitudo sapientiæ & scientiæ tuæ: Tu potestatem habens luti: *Vt ex eadem massa facias aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam.* *Ephes. 1. Matth. 11. Rom. 11.*

Considerandā autem hic est divina providentia & sapientia, quæ solet loco illorum qui è sublimi gratiæ statu corruunt, alios substituere, ut gratiam & gloriæ coronā adipiscantur ab eis deperditam. Propterea monet: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Quem locum sic interpretatur Rupertus: *Tu in humilitate firmo pede consiste, ne moto pede corruas; corruendo coronam tibi paratam amittas & alius tibi succedens eam accipiat.* Propterea etiam dixit Iob. *Conteret multos, & stare faciet alios pro eis: novit enim opera eorum, & ideo inducit noctem, & conterentur.* Quem locum explicat S. Gregorius de illis quos divina providentia permittit cadere, pro quibus solet alios erigere. *Apoc. 3. Iob 34.*

Sic loco Angelorum eadentium, homines substituit, qui eorum locum occuparent, & ruinam restaurarent; ita ut dicat *S. Aug.* civitatem Ierusalem nulla numerositate civium defraudandam. Propterea probabilis est sententia quorundam Theologorum, totum numerum lapsorum Angelorum per homines esse restaurandum. Immò probabile est ex omnibus Ordinibus Angelos aliquos cecidisse, & sic etiā assumendos aliquos ex hominibus ad singulos Ordines Angelicos, quod ipsum probari videtur ex diversis gradibus gratiæ, quæ in hominibus cernitur. *Loco Angelorum homines substituti.* *S. Thom. 3. p. q. 36. art. 3.*

Sic loco Iudæorum, gratiā & gloriam sibi præparatam à Christo repudiantium, Gentiles eliguntur, pro quibus Maria Deipara in suo cantico cecinit: *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos, & exaltavit humiles.* De qua re etiam longè antea prophetiè cecinerat Anna Samuelis Mater: *Sterilis peperit plurimos, & qua multos habebat filios, infirmata est.* Cui conforme est illud Isaiæ: *Lætare sterilis* *In locum Iudæorum Gentiles vocati, Luc. 1. 1. Reg. 2. Isai. 54.*

sterilis quæ non parit, quia plures filii deserta quam ejus quæ habet virum. Quod de Gentilitate fœcundata per Christum, & filios electionis pariente, reprobata jam Iudæa, rectè intelligitur. Vnde & Apostoli Iudæis dicunt: *Quia indignos vos præstatis æterna vitæ, ecce convertimur ad Gentes.* Excusso ergo pulvere pedum in eos, quia verbum vitæ repellebant, Evangelii lucem & gratiam Gentibus invexerunt, quos Deus loco Iudæorum elegerat. Sic etiam testantur Ecclesiasticæ historiæ, nonnullis tepidis sibi per martyrium coronam præparatam deferentibus, alios sese obtulisse ut acciperent eam. Nam quadragesimi militis deficientis præ frigore coronam custos carceris accepit, in ejus locum surrogatus divina electione, ut testatur Breviarium Romanum 9. *Martij.* Item *Sapricii Presbyteri Antiocheni* post tormenta tolerata resilientis coronam accepit *Nicephorus Laicus*, offerens se fortyter Tyranno & tortoribus ad omnia tormenta, prout ejus habet vita 9. *Februarij.*

Actor. 13.

In locum deficientium in martyrio, alij.

Propterea etiam S. Francisco anxio dum nonnulli ab Ordine suo deficerent, dixit Dominus: *Quid angeris Francisce; cum fratrum quispiam vel ordinem deserit, vel in Ordine scandalum suscitat? Ego gregis tui rector sum, ego ad pœnitentiam vocavi, ego ad Ordinem perduxi, ego retinebo & servabo. Ego illis cadentibus alios erigam. Si unus ad vomitum redeat, ego in ejus locum alterum excitabo qui illius coronam accipiat; isque si nondum natus fuerit, efficiam ut nascatur.* Hoc ipsum videmus factum frequenter in Ecclesia Dei: nam labenti Tertulliano, Deus Cyprianum surrogasse creditur, Origeni Cyrillum, Ruffino Hieronymum, Pelagio Augustinum. Idipsum eluxit eo tempore quo fides exulare cœpit, multis deficientibus in Europa per hæreses: quia tunc fidem Deus in novum orbem transtulit ubi suos elegit, qui eam cum gaudio exciperent; ita ut adimpletum fuerit illud: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum.* Quid est auferetur regnum Dei? id est, auferentur dona spiritualia, fides scilicet & vera Dei cognitio, per quæ regnat Deus in anima, & gratia divina, hisque correspondens corona & gloria. Quid ita? Quia indignos vos præstitistis, ideo alios surrogaturus sum, & quia invitati ad nuptias neglexistis, mittam servos ad exitus viarum aut sepes & montes, ut alios compellant, etiam cæcos & claudos.

Bonav. in vita Franc.

Doctorib. lapsis, doctores, alios surrogati.

Matth. 21.

Prævalēte hæresi, fides alio translata.

Sic denique in locum *Iudæ*, in ejus Apostolicam dignitatem & correspondentem illi coronam, suffectus est *Matthias*, prout de eo propheticè pronunciarat Psalte: *Fiant dies ejus pauci, & Episcopatum ejus accipiat alter.* Quem locum interpretatur de Iuda S. Petrus. Toto enim illo Psalmo David imprecatur acerba *Iudæ* proditori in typo Doeg proditoris sui apud Saulem, ut explicat *S. Augustin. & alij Patres.* Vnde & Psalmus iste adeò plenus est maledictionibus, ut aliquot tot enumerent in illo maledictiones, quot Iudas accepit argenteos ut Dominum venderet. Facti sunt autem dies ejus pauci, quia paucis horis proditioni suæ supervixit: nam paulò post abiens se suspendit, omni maledictioni obnoxius factus; pœnaque peccatis suis condigna punitus. Attende pœnas varias. Quia fur erat, suspensus fuit: quia proditor, crepuit medius, quasi in partes divisus & distractus: quia Simoniacus vendiderat rem sacratissimam, omnique pretio superiorem, extra cæmiterium sepultus fuit, quasi excommunicatus: quia ore impio Salvatorē osculatus fuerat, anima illac egredi non meruit, quia dolosè locutus fuerat, fune guttur ei constrictum fuit, *ut guttur per quod vox proditionis exierat, laqueo nodus necaret*, inquit Beda: quia desperavit, æternæ damnationi cum diabolo & Angelis ejus est addictus. O quot maledictiones! O quot pœnæ horribiles multiplicis ejus peccati vindices! Abiit ergo in locum suum Iudas, hoc est, in infernum parricidio & desperatione promeritum; Episcopatum ejus accepit alter, hoc est præfecturam & superintendentiam, & dignitatem scilicet Apostolicam.

Actor. 1.

In locum Iudæ suffectus S. Matthias. Psal. 108. Actor. 1.

Varia Iudæ pœna.

Beda Act. 1.

VT verò specialiùs hic agnoscatur Dei providentia, quæ in sui dispositione non fallitur, considerandum est quod ipse *omnia in numero: pondere & mensura* disponere solitus sit, non solùm in ordine naturali, sed etiam in ordine supernaturali. Ideoque non sine mysterio numerū duodecim Apostolorum constituerat, quibus & pondus gratiæ dignitati correspondens, & mensuram spiritus vocationi & electioni, officioq; tanto congruam providerat. Ideo hujus mystici duodenarii multæ olim figuræ præcesserant.

PARS II.

Cur in loco Iudæ Matthias electus Sap. 11.

Figura 12. Apostolorū. Exod. 15.

Primò quidem, duodecim Fontes reperti in deserto, hos duodecim Apostolos designabant, per quos aqua doctrinæ Evangelicæ in universum orbem, tamquam desertum sterile erat effundēda.

Secundò duodecim Patriarchæ filii Iacob, à quibus omnis Dei populus descendebat, hos duodecim fidei Patres præfigurabant, à quibus omnium est origo fidelium. Similiter & duodecim Principes populi Tabernaculum & Arcam circumstantes, duodecimque Exploratores, ad terram promissionis explorandam destinati; cujus populus debebat adire possessionem. Quapropter illud de Apostolis dicitur: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos Principes super omnem terram.* Quasi dicatur: O Ecclesia, pro Patriarchis habes eorum filios tibi genitos, Apostolos scilicet qui & Duces erunt populi, & Principes terræ, possessionem Orbis adituri, juxta promissionem illam: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.*

Psal. 44.

Psal. 22.

Tertiò, eosdem designabant duodecim Leones Thronum Salomonis utrimque sustentantes. Quia Apostoli Ecclesiam tamquam Thronum veri Salomonis sustentarunt, & adversus hostes tutati sunt, rugituque suo Orbem pervaserunt.

3. Reg. 10.

Quarto, hos quoque præjudicabant duodecim

Exod. 28.

Lapides

Lapides pretiosi, in Rationali Summi Sacerdotis ad pectus ordine disposiri, cui inscriptum erat: *Doctrina & veritas.*

Apoc. 21. *Quinto*, in Apocalypsi cernuntur duodecim fundamenta Civitatis Dei, in quibus inscripta dicuntur nomina duodecim Apostolorum Agni.

Apoc. 12. *Sexto*, Duodecim Stellæ emicant per modum coronæ dispositæ in capite mulieris *Apocalyptica*, quæ amicta est Sole, & Lunam pedibus substratam habet. Designat autem illa Ecclesiam, quæ in suis initiis mirum mutuavit splendorem ex sanctitate, doctrina, miraculis Apostolorum, ita ut eam decorarent velut duodecim sidera fulgidissima. Alias figuras duodenarij hujus numeri prætereo.

Interim Apostolo Iuda corruente, nonne unus ex duodecim fontibus cernitur exsiccatus? Nonne unus ex duodecim Leonibus thronum fulcientibus, in ruinam cum detrimento throni est prolapsus? Nonne unus ex duodecim Lapidibus pretiosis è Rationali est excisus, & obscuratus? Nonne unum ex fundamentis civitatis Dei emotum est & excussum? Nonne una ex stellis cœlestis dictæ mulieris in abyssum cecidit? An ergo positum & dispositio Dei arte diaboli evacuata est, aut mutila effecta, ut mysticum suum non assequatur numerum ab initio præfinitum. Absit. Potens est alium fontem substituere, & copia gratiæ ac doctrinæ adimplere. Potens est Leonem Throno fulciendo subrogare. Potens est Lapidem æquè pretiosum loco excisi pectori suo suffigere. Potens est aliud Fundamentum stabilire, & ædificium suum intemeratum reddere. Potens est Stellam fulgidiorem in capite cœlestis mulieris disponere. Denique, potens est alium Ducem populo suo præficere, ut in nullo deficiat mysticus numerus à se certa ratione definitus.

Elogia S. Matthiæ. An non hoc ipsum effecit, dum Matthiam loco Iudæ substituit populi Ducem, doctrinæ Evangelicæ Fontem, Leonem verbo & zelo rugientem, Lapidem pretiosum Doctrina & Veritate splendidissimum, fundamentum Christianæ Religionis inconcussum, Stellam fulgidissimam in capite Ecclesiæ radiantem? Honoramus ergo hodie divinam hanc Apostoli Matthiæ electionem, laudibus, hymnis, canticis. Deploramus interim Iudæ horribilem adeò casum. Cui cum admiratione dicere possumus illud: *Isai. 24.* *Quomodo de cœlo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris!* Tu inter Astra matutina vocatus, in Collegio Apostolico quasi in cœlo constitutus fueras, ut verbi divini, veritatisque & gratiæ lucem toto Orbe circumferres. Tu legatione fungeberis pro Christo, Tu inter lapides ignitos & pretiosos ambulabas & promicabas. *Thren. 4.* Heu, quomodo obscuratum est aurum tuum, mutatus est color optimus: Quomodo dispersus es, ô lapis Sanctuarii, & reputatus es in vas testeum, quod æternum operiri debet incendium? Quomodo denigrata est facies tua super carbones, qui inter filios Sion inclytos & præfulgidos eras connumeratus! O quam horribilis quamque execrabilis mutatio!

Sed docuit nos Iudas hoc casu, quomodo nemo sibi unquam debeat præfidere, quin potius cum humilitate & timore gratiæ Dei initi, eamq; conservare. Docuit nos, quò altior est gradus, eo & ruinam graviorem ac horribiliorem esse. Denique, docuit nos, nullum statum quantumlibet sublimem & sanctum secutum esse, quandoquidem è statu Apostolico, è fastigio sanctitatis, è schola Filij Dei & Sapientiæ æternæ, è sublimi Ecclesiæ cœlo & solio ita turpiter corruit; & qui videbatur *Vas divinæ electionis*, factus est illicò *filius gehennæ & æternæ perditionis.* Quapropter cùm scandalum aliquod repertum fuisset in S. Augustini Collegio, seu Monasterio, dicit ipse Epist. 136. inter alia. *Quantumlibet vigilet disciplina domus meæ, homo sum, & inter homines vivo, nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior sit, quàm cohabitatio ipsius Domini IESV Christi, in quo cum undecim boni perfidus Iudas est inventus. Aut melior sit quam ipsum cœlum, unde Angeli reciderunt.* Adjicit postmodum notabile documentum & experimentum hanc rem concernens, dum dicit: *Simpliciter fateor charitati vestræ coram Deo qui testis est super animam meam, ex quo servire Deo cœpi, quomodo difficile expertus sum meliores, quàm qui in monasteriis profecerunt, ita non sum expertus pejores quam qui in monasteriis ceciderunt: ita ut hinc arbitrer in Apocalypsi scriptum, Iustus justior fiat & sordidus sordidius sordescat adhuc. Quapropter etsi contristamur de aliquibus purgamentis, consolamur de pluribus ornamentis. Nolite ergo propter amurcam torcularia detestari, unde apotheca Dominica fructu olei luminiosioris implentur.* Hæc ille.

Iudæ casus quid doceat. 1. 2. 3.

Sicut verò defectio Iudæ in documentum nobis cedit, ut de malo bonum eliciamus ejus peccato timorem nobis proficuum concipiamus: ita & provectio Matthiæ ad doctrinam quoque nobis subservit. Docet enim in primis quomodo divino nihil nocere possit consilio & dispositioni, quia novit qua via & ratione possit propositum suum ad effectum deducere quoad electos suos, eorum numerum adimplendo, ita ut nullus huic numero desit quem voluerit adnumerare. Unde sciebat Petrus hanc esse divinam ordinationem, ut alius locum Iudæ suppleret, & mysticum duodenarium Apostolorum adimpleret. Quapropter novellam Ecclesiam spiritu Dei congregatam sic alloquitur: *Viri fratres, oportet impleri scripturam quam prædixit Spiritus sanctus per os David de Iuda, qui connumeratus erat in nobis & sortitus est sortem ministerij hujus, &c. Oportet ex his viris qui nobiscum sunt congregati, testem resurrectionis, fieri unum nobiscum ex istis, &c.* Viterius docet nos hæc Matthiæ provectio ad Apostolatum, quomodo humiles elegit Deus. Nam Beda cum nonnullis existimat, quod nomen *Matthias* idem significet Hebræis quod *Parvus Dei*, quodque ob humilitatem evectus sit ad Apostolatum, ab illo *qui humilia respicit, &*

Quid nos Matthiæ electio doceat. R. 1.

Actor. 1.

R. 2.

alia à longè cognoscit. Propterea in hodierno ejus festo proponitur illud Evangelium: *Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, qui abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Denique docet nos Matthiæ electio & evectio. Deum ex beneplacito suo, non ex meritis nostris, ad sublimem gratiæ statum quos vult eligere. Quapropter vocatur *Sors* à S. Petro, dum dicit: *Sortitus est sortem ministerii hujus.* Nempè hæc dignitas Apostolatus contigit Apostolis non ex jure aliquo aut merito, sed ex dignatione Dei & gratia, ex ejusque beneplacito: *Ita Pater, quia sic placitum erat ante te:* ex parte autem Apostolorum fuit velut quædam sors felicissima, quasi Deus jecisset aleam, jactusque felix in eos incidisset, cùm nullum ad id haberent ipsi meritum. Hoc modo etiam dicit Apostolus nos ad fidem & gratiam Christi sorte quâdam vocatos esse. *Dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine.* Et iterum: *In quo nos sorte vocati sumus, secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Itaque ex Dei benevolentia æterna, tum erga Matthiam, tum erga plebem suam, facta est ista provectio; quia decrevit Deus certum numerum salvandorum per eum promovere ad salutem, & per ejus prædicationes & labores conversos coronare; ita ut illi modò agant propterea, gratias Deo in cœlis de electione hujus Apostoli, & nos ob eandem causam ejus laudes decantamus in terris. Quocirca nomen Matthiæ idem esse Hebraicè quod *Donum Dei*, vel *Donatum à Deo*, multi ex Hebræa editione interpretantur. Hinc etiam gratias agere solebat Deo Carolus Quintus, quòd natus festo S. Matthiæ, sortem imperii fœlicitatisque & victoriarum Dei dono obtinuisset.

Psal. 139.

Matt. 11. 25.

Coloss. 1.

Ephes. 1.

PARS III. *Quam commendabilis fuerit electio Matthiæ.*

SEd quoniam memorabilis fuit hæc electio S. Matthiæ, de qua in hodierna Epistola ex Actis Apostolorum, particulares illius circumstantiæ dignæ sunt consideratione, est enim commendabilis ex tribus: *1. Ex parte eligentium & modi electionis. 2. Ex parte Dei electionem dirigentis. 3. Ex parte electi sese Deo & Collegis submittentis.*

1. Ex parte eligentium.

Primò ex parte eligentium; quia fuêre Apostoli & cæteri fideles (quorum Petrus erat caput & totius negotij Director) qui Matthiam cum Ioseph, qui cognominabatur Iustus communi consensu è toto cœtu nominarunt, tanquam præcellentes in fide, virtute, & notitia rerum ad Christum & Ecclesiam Christi spectantium, eosque deinde seorsum statuerunt, quasi Apostolatus candidatos, sive ut idoneos publico testimonio ad tantum officium. Erat autem Ioseph ab insigni justitia & sanctitate commendatus, ideoque cognominatus *Iustus*. Multique putant fuisse fratrem S. Iacobi minoris, SS. quoque Simonis & Iudæ, ideoque Christi consanguineum filiumque Alphæi & Mariæ, de qua Maria Iacobi & Ioseph Mater, de hoc Ioseph in Martyrol. Rom. die 20. Iulii sic legimus. *Eodem die Natalis est B. Ioseph qui cognominatus est Iustus, quem Apostoli cum B. Matthiæ statuerunt, ut locum Apostolatus Iudæ proditoris adimpleret; sed cum sors cecidisset super Matthiam, ipse nihilominus prædicationis & sanctitatis officio inserviens, multamque à Iudæis persecutionem sustinens, in Iudæa victoriosè fine quievit: de quo etiam refertur quod venenum biberit, & nihil ex hoc triste ob Domini fidem pertulerit.* hæc ibi. Sanctus Dorotheus in Synopsi dicit eum creatum Episcopum Eleutheropoleos in Palestina. Acquievit ergo ipse humillimè electioni de Matthia factæ se postposito, nec ulla elatus est ambitione, aut æmulatione ad contradicendum; quia justus erat, quia Chore, Dathan & Abiron imitari nolebat, qui ob æmulationem & contentionem contra Aaronem à Domino electum absorpti sunt. Non absimilem pœnam patiuntur illi in Tartaro, qui eò quòd dignitates assecuti non fuerunt, schismata & hæreses in Ecclesia suscitarunt, de quibus alibi dixi. Interim Dominus hic docuisse videtur, in electione ad officia Ecclesiastica non esse habendam rationem consanguinitatis, quandoquidem Ioseph consanguineum suum postponi voluit Matthiæ in electione ad Apostolatum. Simul etiam insinuavit, exemplo Ioseph quemque vocationem suam à Deo debere expectare, & ea esse contentum: propterea enim Ioseph non est turbatus, dum Matthias sibi prælatus est, nec exinde segnior est effectus in suo munere, aut Evangelica prædicatione.

Matt. 27.

Ioseph electioni Matthiæ non contradixit. Num. 16.

Quapropter unicuique insinuandum est illud: *Cognoscite justitias & judicia Dei, & sta in sorte propositionis & orationis Altissimi Dei: In partes vade sæculi sancti, cum vivis & dantibus confessionem Deo.* Monitum certè notatu dignum, quo indicat standum & perseverandum in sorte nobis proposita, in vocatione & statu quem à Deo sortiti sumus. Perseverandum quoque oratione, implorando divinam gratiam, ut dignè vocatione vivamus, & dirigat nos in omnibus viis nostris, ut partem & sortem sæculi sancti possimus tandem assequi, hoc est futuram gloriam, in cujus partem intus laudando hic Deum cum justis qui vivunt, & continuam Deo laudem referunt, in cœlis æternùm laudaturi.

Eccli. 42.

Viterius, quantum ad modum electionis Matthiæ, omninò commendabilis est ex præmissa exhortatione ab eo qui præsidebat Collegio Apostolico, & Congregationi fidelium tamquam Caput, hoc est, à S. Petro; de qua mentio fit in Epistola hodierna ex Actis Apostolorum. In qua quidem exhortatione asserit S. Petrus (ex Spiritus S. revelatione aut speciali instinctu) oportere unum eligi & surrogari tamquam testem resurrectionis Christi; sub qua mysteria reliqua, vitæ, prædicationis, passionis comprehendit. Hæc omnia in mysterio resurrectionis quo in scopo & fine suo concluduntur, quandoquidem ideo natus fuerit Christus, ideo passus & mortuus, ut resurgeret, & vitam nobis daret, & resurrectionis spem certissimam. Et quia illud myste-

Modus electionis commendabilis.

mysterium difficillimum erat creditu, ideo inculcari solebat fidelibus per Apostolos, quo persuaso, facilè alia credebantur. Talem ergo exhortando vult eligi Petrus, qui conscius sit gestorum Christi, maximè à baptismate Ioannis usque ad Ascensionem, ut possit esse testis omnium illorum, maximè Resurrectionis & Ascensionis. Commendabilis etiam præcipuè fuit modus electionis ex præmissa oratione à tota congregatione, dum dicitur: *Tu Domine qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum ministerii hujus & Apostolatus.* Poterat Petrus successorem Iudæ Apostolum duodecimum designare, uti docet sanctus Chrysostomus, sed noluit, tum ne videretur dominari in cleris, tum ut initiaret exemplum posteà servandum in electione, tum amorem & pondus electio suffragiis totius Collegii Apostolici conciliaret.

2. *Ex parte Dei electionem dirigentis.*

Secundò, commendabilis fuit maximè electio ista ex parte Dei electionem dirigentis. Sortes in hac electione datæ fuerunt, hoc est, ut aliqui interpretantur, suffragia, quæ consenserunt in Matthiam conformiter: quod videtur indicare illud: *Annumeratus est cum duodecim Apostolis*; ubi ex Græco aliqui legunt, *Communibus calculis cooptatus est.* Aut sortes propriè dictæ missæ sunt super Matthiam & Ioseph, ut alii volunt, quia id olim solitum satis fuit, ut patet dum Saul creatus est Rex. Dum deprehensus est Acham. Dum divisa est terra promissionis inter tribus. Dum deprehensus est Ionas. Omnia interim ista, sive suffragia, sive sortes fuerint, pro Matthia à Deo specialiter sunt directa. Immò ex instinctu spiritus id fecisse Apostolos certum est, non enim tantam rem aleæ committent & sorti, nisi impulsu Dei, qui suam promittebat ostendere hic voluntatem; quam & ipsi oratione explorant, dum dicunt; *Tu Domine ostende quem elegeris, &c.* Quapropter S. Dionysius Ecclesiast. Hierar. can. 5. p. 3. cum nonnullis gravissimis auctoribus existimavit sortem hic vocari divinum, aliquod signum, electum designans. Sic enim loquitur S. Dionysius qui proximus fuit Apostolorum tempori: *Videtur mihi scriptura sortem appellasse divini quiddam & præcipui muneris, per quod ille choro sacratissimo, insinuaretur qui esset divina electione declaratus.* Certè S. Antoninus 1. p. tit. 6. c. 2. censet fuisse radium divinum è cœlo dimissum in Matthiam.

1. Reg. 10. Iosue 7. Iosue 15. Iona. 1.

Quæ, qualisve hæc sors fuerit.

Electiones cœlitus approbatæ.

Sic S. Gregorius fugiens Pastoralem curam, indicio columnæ igneæ agnoscitur, & in templum S. Petri trahitur inaugurandus Pontifex.

Similiter in ordinatione S. Remigii apparuit radius novi luminis super ejus verticem, quia illuminandarum lux parabatur animarum, & radio illustrante sensit capiti suo unguenti sacri infusum liquorem, quo totum ejus delibutum est caput; erat autem iple solum ætatis 22. annorum.

Aliis quandoque signis utitur Deus. Vnde S. Fabianus signo columbæ divinitus super ipsum apparentis ad Pontificatum electus est. Idem de Pio IV. testantur Annales Italiæ.

S. Ioannes Chrysostomus ordinatus est à Falviano Patriarcha, jubente Angelo, & monente eum futurum novum vas electionis. Vnde dum ordinaretur, visa est columba candida ejus capiti insidere, signum Spiritus sancti in eum descendentis.

Cum S. Aignanus designatus foret à sancto Euverto successor in Episcopatu Aurelianensi, commotio magna fuit in civitate, contendentibus nonnullis evehere ad hanc dignitatem illustris familiæ viros. Vir sanctus ut hanc successoris designationem in cœlis probatam ratamque agnosceret, coëgit concilium. Itaque ordinavit ut nomina eorum pro quibus nonnulli sollicitabant, chartulis inscriberentur, sicut & nomen Aignani, celebrataq; Missa mitteretur puer qui aliquam ex schedulis ab altari desumeret, isque cujus nomen scriptum in ea esset, censeretur electus. Quod si eis non sufficeret, aperiretur liber Psalterij, liber Evangeliorum, liber sancti Pauli. Acquieverunt illi, Missa celebrata, deductus est puer adhuc loquelæ nescius ad altare, schedulamque tulit cui nomen Aignani inscriptum erat; eumque tertiò Episcopum denominavit hic puer, licet nescius legere, imò nec loqui, illis adhuc tumultuantibus, apertus est liber Psalterij. Primò occurrit: *Beatus quem elegisti, & assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis.* Apertum est Evangelium, & primò occurrit: *Super hanc terram ædificabo Ecclesiam meam.* Apertus est liber S. Pauli, & primò occurrit: *Fundamentum aliud nemo ponere potest præter id quod positum est.* Sic modis variis electiones cœlitus approbat Deus. Vnde non malè dixeris Matthiam electum fuisse triplici calculo. *Primò*, sortis; *secundo*, signi divini; *tertiò* suffragiis Apostolorum sortem & signum divinum approbantium, & Matthiam in numerum suum cooptantium.

Psal. 64. Matt. 16. 1. Cor. 3.

Matthias electus triplici calculo.

3. *Ex parte electi.*

Tertiò, memorabilis & commendabilis fuit electio ex parte electi, qui sine dubio commendatus erat à multiplici virtute, variisque Dei donis; nam hoc etiam nomen ejus indicat, ut diximus. Commendatus ergo fuit ab humilitate & pietate, à zelo & fervore: unde in eum sicut & in Ioseph cognominatum justum, mox oculi omnium conjecti. Hanc autem humilitatem & pietatem, zelum & fervorem, semper fovit & adauxit; Virque potens, fuit in opere & sermone, imitatus Dominum, cum quo fuerat conversatus, tamquam unus ex septuaginta duobus discipulis; post Spiritum S. acceptum; in Iudæa prædicavit zelosissimè, ac postmodum in Æthiopiam penetravit maximo cum fructu, denique pro amore Dei primum lapidatus, deinde decollatus, lauream martyrij est cõsecutus, ut traditur. Hujus reliquias partim tenet Ecclesia Romana, quæ ejus capite gloriatur; partem etiam sibi vendicat Ecclesia Cathedralis Trevirensis, ubi elogia ei assignantur quæ tradit S. Anton. 1. p. tit. 6. c. 2. *Fuit in lege Domini doctissimus, corpore mundus, animo prudens*

Virtutes electi.

dens in solvendis quæstionibus sacræ Scripturæ acutus, in consilio providus in sermocinatione expeditus, multorum signorum patrator, extensis in cœlum manibus martyr spiritum reddidit.

Itaque, quod de Apostolis generaliter tradit S. Chrysost. Matthiæ optimè congruit in particulari: *Hi cum Dei verbi essent ministri, attrectarunt incarnatum illum, qui ut Deus figuram non habet. Secuti sunt ambulantem illum qui ubique præsens est. Discubuerunt una cum illo qui nullo circumscribitur loco. Ejus vocem audierunt qui verbo fecit omnia, mundum ipsum linguæ quasi sagena quadam concluserunt. Circumierunt suo cursu fines orbis. Errores ut zizania eradicarunt. Aras ut spinas amputarunt. Idola ut feras interfecerunt. Dæmones ut lupos profugarunt. Ecclesiam ut gregem collegerunt. Orthodoxos ut frumentum congregarunt. Hæreses ut paleas projecerunt. Iudaismum ut fœnum arefecerunt, Gracorum sæculum ut stipulam combusserunt. Humanam naturam cruce quasi aratro excoluerunt, verbum Dei ut semen sparserunt.* Hæc ille. Sed unde eis tanta gratia? an à seipsis? an ex propriis meritis? Absit. *Confiteor tibi Pater*, quam hanc gratiam & sapientiam donasti parvulis. *Ita Pater, quia sic placitum fuit ante te.*

Quapropter Apostoli idem respondere potuerunt quod olim S. Franciscus F. Masseo. Cùm enim Masseus Francisco occurreret de sylva redeunti, ubi in oratione mira sæpè ei pandebantur mysteria, ut experiretur humilitatem Francisci, dixit ei ter: *Vade tibi? Vade tibi? Vade tibi?* Quid fili, ait Sanctus. *Vade tibi quod totus mundus venire vult post te, audire te, videre te, obedire? Tu non es magnæ scientiæ aut gratiæ, aut nobilitatis, aut prudentiæ. Vade ergo fis ut currat post te mundus?* Hoc audito stetit in spiritu exhilaratus per aliquod spatium temporis, facie in cœlum erecta, mente in Deum. Deinde genuflexus Deo gratias agens, dicit Masseo: *Vis scire unde hoc mihi? ab illis oculis Altissimi qui contemplatur bonos & malos. Hi oculi non viderunt inter peccatores viliorem vel ineptiorem me. Et quia ad efficiendum mirabile opus suum vilitorem non reperit, ideo me elegit, ut ostendat opus esse non hominis, sed Dei; ideoque non habeam quo glorier.* Ita Speculum vitæ S. Francisci.

GRatias ergo Tibi reddimus, Domine Iesu, quod Matthiam elegeris parvulum in oculis suis, & feceris magnum in oculis tuis, quodque dederis eum mundo ad conversionem tot millium animarum, & mediatorem effeceris, ut per ejus interventionem tuæ circa nos sentiamus viscera pietatis. O donum pretiosum! O felix sors, quæ super eum cecidit ad bonum nostrum & totius Ecclesiæ, ad gloriamque tuam. In manibus tuis, Domine, sunt sortes nostræ; tu eas sic tempera in urna providentiæ & sapientiæ tuæ, ut sors felix æternitatis & vitæ nobis tandem contingat tua benignitate, & te æternum valeamus collaudare vocati in partem sortis Sanctorum in lumine.

IN FESTO S. THOMÆ AQUIN.

Qui ad justitiam eruditi multos, fulgebunt quasi stellæ, &c. Dan. 12.

7. Martii. Lect. 16. quadrip. *De stella & radiis S. Thomæ.* Pars I. *De radio constantiæ & feroris in religioso statu.*

SAcra eloquia frequenter Ecclesiam cœlo & firmamento comparant; quod inter opera Dei primarium, variis astris conspicuum est & fulgidum. Solis fulgor, Lunæ pulchritudo, Stellarum coruscans ordo, mirum ei decorem conferunt & ornatum. Est enim Sol velut oculus mundi, jucunditas diei, species cœli. Luna decor est noctis, mater roris, dominatrix maris, æmulatrix Solis. Stellæ autem sunt velut gemmæ pellucidæ & variegatæ, cæli ornatum perficientes. Sic in Ecclesia, tamquam cœlo spirituali, effulget Sol Christus, cujus ab Oriente in Occidentem omnis passus & cursus nobis fuit proficuus, spargens lucem & calorem, ut illuminaremur & vivificaremur. Luna est MARIA, quæ mari hujus sæculi dominatur, tenebras noctis dispellit, rorem gratiæ parit, & inter omnes creaturas ad Solis lumen, hoc est ad Christi perfectionem propinquius accedit.

S. Ambr. in Hexaëmer.

Stellæ sunt cæteri Sancti gratiæ & sapientiæ donis promicantes, à Sole lucem mutuantes, mirum variumque decorem Ecclesiæ conferentes, unusquisque in gradu & ordine suo. De his rectè illud Baruch intellexeris: *Stellæ dederunt lumen in custodiis suis* (sive in stationibus & locis sibi à Deo designatis quasi in excubiis militaribus) *& lætata sunt: Vocatæ sunt, & dixerunt: Adsumus: & lucerunt ei cum jucunditate qui fecit illas.* Promptè enim & alacriter Deo obediunt sancti Viri, lucem circumferendo quocumque jusserit, ad nutum ei serviendo, huc illuc gyrando, & à mente peccatorum tenebras discutiendo.

Omnes justi stellæ sunt.

Baruc. 3.

De his quoque S. Augustinus interpretatur illud: *Qui numerat multitudinem Stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* In hunc enim locum sic differit ad nostrum propositum: *Quid magnum Deo numerare multitudinem stellarum? Hoc & homines suos conantur. Viderint, utrum implere potuerint. Deo autem non est magnum stellas numerare, cui & capilli numerati sunt. An fortè numerum nobilviscatur recensere? Manifestum est aliquid velle Deum nos intelligere in eo. Sunt stellæ quædam, lumina in Ecclesia consolantia noctem nostram, de quibus, Apostolus: In nationes perversa apparetis, tamquam luminaria in mundo. Illas stellas numerat Deus. Omnes secum regnaturos numeratos habet. Qui indignus est, nec numerabitur. Sunt & aliqui super numerum. Animadvertat unusquisque, utrum luceat in tenebris, utrum sæculi iniquitate tenebrosa non seducatur: stella erit quam numerat Deus. Et omnibus nomina vocat. Ibi totum pranium. Habemus nomina quædam, nomina apud Deum: ut noveris Deus nomina nostra, hoc optare debemus, hoc satagere quantum possumus, nec de aliis rebus gaudere: Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Hæc ibi S. Auguſt. & plura.

Psal. 146.

Cùm

Cùm verò de omnibus electis verum sit, quòd velut stellæ fulgeant, postmodum cœlis figendæ, ut ab omnibus eorum fulgor agnoscatur; id tamen maximè competit his qui alios doctrina cœlesti cognitioneque & amore Dei imbuere satagût. Et de his specialiter scriptum est: *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Nam & hi majori lumine & gloria animæ promicabunt; aureolaque speciali decorabuntur, quæ tam animæ quam corporis decor erit & gloria, cum singulari claritate, quasi corona fulgidissima instar stellæ.

Dan. 12. Docti, sunt specialiter stellæ.

Inter hos meritò connumeramus S. Thomam Aquinatem, quem nonnulli hoc intitularunt elogio: *Sanctissimus Doctorum, doctissimus Sanctorum.* Propterea post mortem apparuit ipse indutus cappa religiosa, undique fulgentibus stellis cooperta, cum Sole in pectore radiante, cum quo adhuc modò solet depingi. Atque in ejus morte viro cuidam religioso visa est stella incumbens monasterio, quæ eo animam exhalante, in cœlum ascendebat, unde ille licet abiens, ejus non solùm obitum, sed & gloriam agnovit. Explicandum ergo nobis est quomodo stella fuerit lucens in firmamento Ecclesiæ, dum ad hanc adhuc vitam degeret, quibusque effulserit radijs.

Fernand. Castig. in hist. Ord. p. 1. l. 3. c. 33.

Dicamus igitur, *primum* ejus radium fuisse resolutionem illam constantissimã, & ferventissimam, qua se religioso statui in adolescentia dicavit. Anno enim ætatis suæ decimoquarto, cum luce rationis divino intermicante radio, rerum humanarum faciem & vanitatem sagaci perlustrans indagine, ad altiora mentẽ cœpit erigere. Ac licet è nobilissimâ Aquinatum & Neapolitanorum ortum duceret familiã, ideoque ad honores & dignitates sæculi facilè viam sibi sternere posset, jam opibus & fortunæ donis circumfluus: agnovit tamen, quàm forent hæc omnia caduca, instabilia, inania, ut vapor ad modicum parens, ut fumus evanescens, ut umbra & somnium disparens: *Velut somnium surgentium imaginem ipsorum ad nihilũ reduces*, ait Rex & Propheta: *Præterit figura hujus mundi*, ait Apostolica Tuba. Statuens quoque se ante se, consideravit ætatem teneram non posse diu illibatam consistere, utpote ad vitium flexilẽ & velut ceream, quia lubrica est inter illecebras, & facilè dilabitur in peccatũ, vel via ambitionis, vel via terreni affectus, vel via concupiscentiæ carnis; ut propterea dixerit Sapiẽs, tria sibi maximè esse cognitu difficilia: *Viam aquilæ in cœlo, viam colubri super terram, viam navis in medio mari*, sed quartum se maximè ignorare. *Viam viri in adolescentia.* Hæc igitur prævidens, & sibi tempestivè providens, certioris ac sublimioris vitæ & in viæ desiderio inardescit, & è juctantis sæculi solo solvere meditatur in religiosæ quietis securum portum, ita dictante Spiritus flamine, & jam ductãte pij amoris flumine. Protinus ergo omnes sæculi funes & vincula quibus detineri poterat, non tam solvens, quam disrumpens) nescit enim tarda molimina Spiritus S. gratia) in S. Dominici religione sanctissimè sacræ militiæ tyrocinium inchoat, tenellamque ætatem ibi Deo consecrat, tamquam perpolitam tabulam, in qua quicquid libuerit divinus depingeret penicillus, quem nulli adhuc sæculi colores impedirent.

Quomodo S. Thom. stella Ecclesiæ, & quis primus ejus radius.

Psal. 72. 1. Cor. 7.

Hic velim sese intueantur, & ad cor ingrediantur, quæ divina quandoque voce ad fores pulsante, nescientes quæ oportet fieri citò, non aliud respondent nisi verba lenta & somnolenta: *Modo ecce modo; sine paululum. Et modo non habet modum, sive paululum vade in longum*, ut de se dicebat S. Augustt. Vocante oriente, attendunt ad Occidentem: vocante magni consilij Angelo, nescio quæ adhuc consilia præstolantur. Interim mora ista mater est tepiditatis, vitæ suffocatrix; est quasi ventus ululans, divinæ pietatis fluenta exsiccans. Veruntamen paululum te alloqui lubet, delicate Adolescens. Quid agis? quid moliris? quò præceps ruis? Quomodo insuetam imbellemque cervicem audes asperiori hoc jugo premere, si non & perimere? Attende, an non etiam crudelitatis alicujus argui possis: illa enim quæ te peperit, perit, si te perdit. Memorare te oportet antequam ulterius gressu præcipite progrediaris, Aquinatis prosapiæ nobilitatem, amplitudinem, splendorem; forsitan in te domus inclinata recumbet. Et verò nescis, heu nescis, quàm gravis adhuc adversus carnem & sanguinem tibi incumbat lucta, cui forsan succumbes dedecorosè.

Prov. 30.

His similia Caro & Mundus, Mundique & carnis satellitium, Dei vocationi obsistens, Adolescentis sancti auribus poterat insusurrare, & tenero cordi instillare. Sed frustra, quia cor præoccuparat. Dilecti vox & aura lenis, insolitudinem invitantis & inescantis. Aures oppleverat Imperatoris cœli classicum, ad crucis vexillum evocantis, quod omnes poterat compedes dissolvere in fortitudine; facilius quàm nerviceos funes Sampsonis à Dalila colligatos.

Oritur ergo nova stella in Dominici religione, sed quasi *stella matutina in medio nebulæ.* Quantæ enim fuscitatæ sunt nebulæ & tenebræ tempestates & procellæ à Mundo, Carne, Dæmone, ut Stella ista obrueretur, & in radiorum suorum exordiis, quasi in suo crepusculo extingueretur? Quot impetitus est ipse procellis, ut à proposito deterreretur? Dicitur Draco tertiam partem stellarũ è cœlo detraxisse in abyssum, quia partem Angelorum Lucifer, vel potius Lucifuga, pessima sua persuasione à divino seduxit obsequio. Sed & ipse quotidie stellas de cœlo trahit, dum homines cœlesti cõversatione fulgidos ad terrenas fæces vitiosamq; vitam deducit. Et id quidem cauda sua venenata perficit, dum malignis eos suggestionibus involvit. Certè hanc Stellam Orientem, caudæ suæ virulentia è religione, quasi è cœli regione, deturbare conatus est omni arte & molimine. Audi particularius.

Eccl. 50.

Apoc. 12.

Anti-

Antiquus ipse insidiator qui instar sanguinolenti Herodis Christum in pectore nostro nascentem jugiter persequitur divinum hunc fœtum in animo adolescentis prognatum persentiens, totam mox turbare incepit Hierosolymam, totam familiam ad ejus animum expugnandum concitare. Et quia per fœminam ei ab initio successit victoria, matrem in acie prima constituit armisq; fœmineis, lachrymis scil. accinctam, & umbra pietatis de foliis antiquæ parentalis arboris, contectam, Neapolim mittit, ubi agebat adolescens noster in castris S. Domitici. Hæres igitur reliquiarum Evæ, cum gemitu requirit, quem cum gemitu peperit.

At ipse sciens in simili conflictu victoriam fuga parari, Romam petit relicta Neapoli. Prosequitur illa fugentem Romam usq; ac ipse in Galliam recedit. Verum in itinere interceptus à fratribus, malè mulctatus ad matrem in castrum quoddam reducitur. Quæ non ibi argumentorũ congeries? Quæ non à matre lachrymæ, à sororibus blanditiæ, à fratribus minæ, ab omnibus preces, ut eum à proposito deducant? Poterat dicere illud Psaltis: *Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis.* Psal. 117. Vtique sicut apes, verborum favum, & mel proponentes, sed occultum in cauda gestantes aculeũ, ungentes & simul pungentes: *Mollita enim erant sermones eorum, super oleum, & ipsi jacula erant.* Psal. 54. Verùm *frustrà jacitur rete ante oculos pennatorum*, frustrà telum dirigitur in squamas loricarum. Adolescentis animus inter hæc nihil titubat, cœlesti quodam clypeo obfirmatus. Stat *instar aspidis surdæ* Prov. 1. adversus blandas has incantationes, quas sapientes hujus sæculi sibilabant & concinnabant. Stat tamquã Stella inter nebulas, has radio pietatis & constantiæ facilè dissipaturus. Videor eum audire, matrem hisce verbis alloquentem: *desine mater,* Psal. 54.

Desine, meque tuis incendere teque querilis.
Fata vocant.

Virg. 4. Æneid. Cur frustrà *ponis in cœlum os tuum?* Cur ad lutum sæculi, cui nuntium remisi, rursus me reducere conaris? *Lavi pedes meos, & quomodo sterum inquinabo illos?* Cant. 5. De Gomorrheo egressus sum incendio, retro adspicere haud licet: Stat *statua salis*, exemplum mihi & condimentum. Ad anteriora extendens meipsum, *quæ retro sunt obliviscor*, ad bravium contendo supernæ vocationis. Ordinavit in me Deus charitatem, & accendit; *aquæ multæ non potuerunt extinguere, nec flumina obruent eam.* Philip. 3. Sic loquitur, qui firma in Deo radice initiatus, omnia adversantia & incursantia contemnebat. Cant. 8.

Nos verò in propositis bonis quàm citò vacillamus, quam vani & instabiles simus! Quasi Luna decrescens, de bono in malum, de malo in pejus facilè imus: semper incipientes, semperque insipientes, vitam in bonis propositis consumimus. Quasi rota carri, ut loquitur Sapiens, modò sursum, modò deorsum, modò ad cælum, modò ad peccati lutum vertimur. Nondum mox nos pœnitet eorum quæ commisimus, & nihilominus ea rursus agimus, fatui & inconstantes sumus, illudque de nobis verum est: *Præcordia fatua, quasi rota carri.*

DIcamus secundò, alterum inter præcipuos nostræ Stellæ radios fuisse ardentem erga Iesum Christum devotionem, & maximè erga Eucharisticum Sacramentum, in quo *deliciæ ejus esse cum filiis hominum.* Ibi igitur & deliciæ erant sanctissimi Doctoris, cum Filio Dei, & filio hominis. In illius mysterii mysteriorum contemplatione tanto suavitatis affectu ferebatur, ut nonnunquam animi deliquium, extasesque & raptus pateretur, ignarus eorum quæ circa se gererentur cœlitus, tamquam *divina passus*, ut loquitur de similibus S. Dionysius Areopagita. Frequentissimè autem post contemplationem hujus mysterii totus reperiebatur lachrymis perfusus, ita ut posset dicere. *Concaluit cor meũ intra me, & in meditatione mea exardescit ignis.* Psal. 38. Quis verò ignis? Ignis scil. divini amoris, exardescẽs per sacram Rubi hujus incombusti consideratione, cor ejus quasi ceram liquefaciebat, ut in lachrymas suaviter solveretur. Ibi ergo effundebat cor suum coram Domino. Ibi eor cordi conjungens, deficiebat à se, & in Deum transfundebatur, inclamans cum Psalmista: *Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Psal. 72. Ibi bibebat de vitali costa, & attrahebat liquorem pretiosum divini amoris. Ibi mellificans, quasi apis argumentosa & mystica; in vulneribus Leonis de tribu Iuda in Calvariæ monte in partes discerpti, contemplabatur illud problema: *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Iudic. 14. De morte omnia devorante nostræ cõsolationis cibus egressus est, & de eãdem morte; quæ fortis est & amara, originem duxit dulcedo mellis & amoris. Hæc utique omnia patent in hoc Sacramento, quod Christus instituit, dum ad mortem properaret, & mortis ac amoris ejus perenne est, monimentum mira suavitate afficiens animas piè illud contemplantes.

Quia verò hoc Sacramentum, frequentissimâ meditatione ruminatum & masticatum, factum erat ejus in corde velut mel dulce, propterea adeò solidè, adeò mellisluè, adeò divinè de eo officium conscripsit, quod in finem usque sæculi decantabitur in laudem. *Iuris Sacrificis*, & Sacramenti. Certè singula illius verba divinitus dictata videntur, & concinnata. Expendat peritus lector singula Responsoria in hoc officio ordinata, & videbit quam peritè, quamque piè consonare faciat antiquæ & novæ legis de hoc mysterio testimonia. Si enim Responsoriũ inchoet ex verbis veteris Testamenti, mox versus correspondet penè de verbo ad verbũ, ex Testamento novo. Aut è contra si Responsorii initia ex verbis novi fœderis contexatur, mox versus ex veteris paginæ oraculis correspondens, idem resonat. Sic coordinat antiquum & novum Testamentum, tamquam duo Cherubim verso vultu respicientia & adorãtia hoc nostrum Propitiatorium,

PARS II. De radio devotionis, maximè erga Ven. Sacramentum.

Eccl. 38. Prov. 8.

Officii de Ven. Sacramento author S. Thomas.

& ad

& ad illud adorandum nos omnes concordi suo concentu invitantia.

Affectus S. Thom. erga Ven. Sacram.

Adde, ita S. Thomam affectu pietatis erga Sacramentum & Sacrificium hoc divinum exarsisse, ut numquam omiserit, ab eo tempore quo sacerdotio fuit initiatus, illud Deo offerre, nisi invaletudo corporis ei impedimento fuerit. Quin immò cùm sacrificium obtulisset, solitus erat alterius celebrantis sacrificio adhuc assistere, & frequentissimè maxima cum humilitate propriâ operâ ministrare. Ita deliciabatur animus ejus adorans Dominum Deum suum in hoc mysterio, magnam reputans sibi gratiam si cooperari posset: quamlibet humili ministerio.

Sciebat ibi delitescere fontem gratiæ, fontemque luminis, fontem vitæ & puritatis, à quo jam ab adolescentia deprompserat non solum radium devotionis, sed etiam radium & lucem innocentiæ, castitatis. Fassus est enim F. Reginaldo, indiviso suo consodali & comiti, se semper in anima sua persensisse & soviisse quasi innocentiam & incorruptionem pueri quinquennis. Hanc meritò referebat in auctoritatem puritatis IESUM, quem mirè colebat in hoc mysterio; referebat & in conversationem quamdam interiorem cum Angelis, puris illis spiritibus, castimoniæ Tutoribus, sibi à Deo indultam.

Pernotum est, quomodo fratres insidias ei struxerint, ut ad sæculi voluptatem revocarent, & à religiosi status sancta vocatione abducerent. Subornarant enim meretriculam, specie venustam, vultu blandulam, verbis procacem, quæ carnalis voluptatis sensu ejus constantiam labefactaret. Hæc fuit subtilis impietas, impia subtilitas, de spiritu illius impostoris veniens, qui per fœminam non solùm primum supplantavit hominem, & Paradiso ejecit, sed etiam animarum miriades in præcipitia per hunc laqueum ducit. Et quomodo hisce illecebris ætas lubrica non irretiatur? Verum *ecce plusquam Salomon hic*: en Sampsone fortior, Davide sanctior, Salomone sapientior; quos omnes mulieris species dementavit. Radius devotionis & castitatis mox has dispulit tenebras, & effusas nebulas ad obscurandam hanc stellam suo in Oriente. Etenim arrepto ex igne titione, hanc thesauri pretiosissimi deprædatricem illicò insequitur, & fugat funestum hunc inferni titionem. Hoc attendite, ô insipientes & infelices juvenes, qui ad primum occursantis tentationis impulsum, nihil obluctantes, victas datis manus: ad primum lenocinantis voluptatis sensum, confestim captivum traditis consensum. O prophani plusquam Esau, qui propter falsæ falsæque voluptatis morulam divinæ jus primogenituræ commutatis, propter fœdæ delectationis morulam, æternitatis aleam jactatis! O dementes negotiatores. animulam, quam suo sanguine pretiosiorem Sapientia ipsa judicavit, tanillo venundantes pretio & forsitan in æternum!

S. Thom. per meretricem tentatus.

Eam tisiæ fugat.

Quis scit enim, si non protinus cervici vestræ ultor divinus incumbit mucro? *Stulte hac nocte repetent animam tuam à te.* Hoc saltem scimus, quòd intus rodentem conscientiam, quasi ultricem Deam, effugere poteris nunquam: *Habet hoc voluptas omnis, stimulis agit fruentes: aptumque par volantium ubi grata mella fudit, fugit, & nimis tenaci ferit icta corda morsu.* Intelligite, intelligite hæc qui obliviscimini Deum, nequando rapiat, & non sit qui eripiat.

Luc. 12.

Boëtius.

Sed ecce, adversus tentationis occursum remedium omnibus exhibet sanctus adolescens, Statim fugatâ meretriculâ, crucem pingit in pariete, & coram ea advolutus, mentem tumultuantium cogitationum fluctibus æstuantem in crucifixi vulneribus locat, nidificans velut sacra columba in foraminibus petræ, in caverna maceriæ; quia ibi statio fida, quies secura.

Tentationis carnalis remedium.

Fugiunt crucem tenebræ,
Tali dicata signo,
Mens fluctuare nescit.

Prudentiæ.

Deinde visi sunt Angeli duo leniter obdormiscentis renes perpetuo quodam castitatis cingulo succingentes; adeo ut exinde nullum recalcitrantis carnis pruritum expertus fuerit. Donatus itaque divino utriusque castimoniæ dono, illam fovit & adauxit continuò carnis virgineæ & sanguinis casti Agni devotissima & frequentissima sumptione. Propterea tanquam cœlesti stella utroque hoc radio mirè effulsit tota vita, castitatis scilicet & devotionis.

PARS III.
De radio sapientiæ quæ Ecclesiam illuminavit.

Dicamus *tertiò*, radium hujus stellæ fulgentissimum inter cæteros esse sapientiam illam eminentissimam, quæ toto coruscat orbe. Nec multis de ea differere opus videtur, cum ab Oriente in Occidentem usque lucem sparserit, Ecclesiamque militantem hactenus mirè illustrarit, dissipans ignorantiæ nubila, errorum tenebras, hæreseôn fumum, è puteo abyssi erumpentem, ut obscuret Solem & Lunam, Christum & Ecclesiam. Certè ejus illustris sapientia non solum est in Ecclesia lumen; sed etiam est pro Ecclesia fulmen, fulgore & sonitu suo illius hostes percellens & territans. Errorum caligo longiusque sele nostro diffudisset ævo, nisi ejus doctrina fulgore suo obviam iret. Quod ipsum fatentur lucifugæ hæretici: inter quos Bucerus Hæresiarcha audet pronunciare: *Tolle Thomam, & dissipabo Ecclesiam.* Propterea in Concilio illo inclyto Tridentino, ubi tanquam in Tribunali sacro errores & hæreses condemnantur ac dissipantur, dogmate pene omnia & decreta verbis S. Thomæ concepta pronunciantur, ut periti in ejus sacris scriptis advertere facilè possunt. Addere & hoc possumus, ita ejus scripta brevitate & simul fœcunditate excellere, ut quicquid in antiquis SS. Patrum scriptis reperitur ampliori explicatum sermone, in ipsius doctrina strictim, sed solidè inveniatur expressum,

Apoc. 9.

Non immeritò igitur eum quispiam comparaverit.

S. Th. inter Doctores aquila Ezech. 17.

verit Propheticæ illi Aquilæ, quæ tulisse dicitur medullam de cedris Libani, & attulisse eam in terram Chanaan; hoc est, in terram negotiatorum. Sic enim ait Textus: *Aquila grandis, magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate, venit ad Libanum & tulit medullam cedri. Summitatem frondium ejus avulsit, & transportavit eam in terram Chanan, in urbe negociatorum posuit illam.* An non Aquila Thomas in sublime volans? An non ejus doctrina varietate plena? An non plumis & ornatu sententiarum præfulgida? An non tulit medullam de cedris Libani, de sanctis Prophetis, Evangelistis, Apostolis, SS. Patribus, & Agiographis, qui tamquam Cedri in Ecclesia eminent? An non eam posteris Theologis proposuit ut feliciter negociarenter, negociatione illa, quam commendat Dominus, *Negotiamini dum venio*? Quisquis ejus doctrinam penitiùs explorarit, inveniet Aquilæ volatum & quidem sublimem, & in arduis inveniet medullam, inveniet variegatum decorem, inveniet negociationis sacræ materiam fœcundam. Inveniet quoque in hac Aquila membrorum ductum, quia per articulos opus omne suum mirabili ordine & substantia divisit, & corpus effecit grande, suis membris ita præclarum, ut dixerit Gregorius X. cum de miraculis ejus inquireretur ad beatificationem & adscriptionem in canonem Sanctorum: *Quid quæritis miracula? Quot articulos scripsit, tot miracula fecit.* Addit Innocentius VI. *Hujus Doctoris sapientia præcæteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum; ita ut qui eam tenuit, nunquam inveniatur à veritatis tramite aberrasse.* Quod esse potest testimonium luculentius? Tale fuit summorum Pontificum de eo judicium, apud quos suprema censendi residet potestas, Inter quos etiam Clemens VIII. cum vocat *Angelicum divinæ voluntatis interpretem*; unde & passim ab omnibus audit, *Angelicus Doctor.*

Luc. 19.

Testimonia summorum Pontificū de doctrina S. Tho.

Si potuit Alexander Magnus Achillis intuens sepulchrum felicem eum pronunciare, quod Homerum laudum suarum præconem nactus foret: quomodo non felicem censebimus Thomam, qui tot tantosque fortitus est virtutis & sapientiæ suæ laudatores? Sed longè te feliciorem pronunciabo, ô vir sancte, quòd Deum ipsum nactus sis laudatorem & encomiastem. Vulgatum satis est, quod Neapoli gestum fuit, & hic tamen repetendum. Effundebat cor suum coram imagine Iesu Christi Crucifixi, & de cruce divinæ vocis hoc accepit oraculum: *Bene scripsisti de me, Thoma, quam ergo mercedem accipies?* Cui ille: *Non aliam, Domine, nisi teipsum.* Quid aliud respondere potuisset, qui jam à puero omnem humanæ fœlicitatis sortem, *tamquam peripsema*, repudiarat, & arbitratus erat ut stercora, ut Christum lucrifaceret? Non aliud umquam optavit, quam nudus nudæ inhærere cruci, ut nudi hæres foret Crucifixi.

Testimoniū Christi Dom.

Discamus quartò, instar radij in ipso effulsisse miram humiliatem. Cum verò illa in ipso claruerit omni tempore vitæ, ita ut religioso silentio eam colens, *Muti bovis* dicterium lubens pateretur à condiscipulis: maximè tamen patuit, quando ad doctrinæ lauream, Doctorisq; gradum, promotus fuit. Nunquam enim hunc gradum adipisci voluit, nisi urgente obedientia superiorum suorum. Quapropter cùm cogitabundus hac de re ageret, instante jam tempore, quo gradus Doctoralis susceipiendus erat, ut loco propositionis & thematis assumeret illud: *Rigans montes de superioribus suis, cœlitus monitus fuit.* De qua re sanctissimè, solidissimè, doctissimè disseruit, declarans quomodo Theologi Doctores sunt in Ecclesia velut montes & colles, sed cœlitus irrigati, ut in alios doctrinam transfundant, maximè si à Superioribus suis ad hunc gradum promoveantur ex obedientia: si ipsi non sese illuc ingerent, & ascendant ex proprio motu, vel animi præsumptione & cenodoxia.

PARS IV. De radio humilitatis quo Deo placuit. Humilis in assumptione Doctoratus.

Psal. 103.

Et verè mons ipse fuit irriguus, postquam Superiorum impulsu, & divina vocatione, ad hunc gradum ascendit mox ab ætate viginti quinque annorum; unde & de ejus rore irrigata est Ecclesia, & modò adhuc copiosissimè irrigatur. Ros autem ejus, *Ros lucis*, Ros vitæ, quo terrena corda illustrantur, & vivificantur; ita ut illi possimus dicere, quod sequitur apud Psalmistam in eodem versu: *De fructu operum tuorum, ô Thoma, satiabitur terra.*

Isai. 26.

Humilis in oblatis Ecclesiæ honoribus.

Vlteriùs in eo effulsit radius humilitatis, quando ei supremi Ecclesiæ honores per summos Pontifices fuère delati. Nam insulæ & Tiaræ per Vrbanum IV. & Clementem IV. ei oblatæ sunt, & Pallium Archiepiscopale Neapolitanum. Sed humili animo Episcopatus & Archiepiscopatus recusavit, adamans & præferens simplicitatem religiosam omnibus his dignitatibus. Contemptus enim sæculi, jam à primordio ætatis, ejus menti insederat, quem humilitas convovebat; ac propterea omnem ambitionis occasionem fugitabat.

Poterat illud Iob dicere: *In nidulo meo moriar, quasi palma multiplicabo dies meos.* Quare quasi palma? Quasi palma diminutione eorum quæ deorsum sunt filiorum procera extollitur, & paulatim inerescit versus cælum, dulcibus fœcunda fructibus. Sic & in statu humili religionis, quasi in nidulo, mori peroptabat mundo, ut Deo viveret; & abjecta omni filiorum sæculi vanitate, volùit in cœlum affectum omnem erigere, semper crescendo & ascendendo de virtute in virtutem, sicque humilitatis virtute, quasi radice succum omnibus actionibus exhibente, cœlestem fructum copiosè proferre in sua primordiali vocatione.

Iob. 29.

Noverat periculum dignitatibus adnexum, ubi vanitatis ventus multos dejecit, & vertiginem inducit propter loci sublimitatem. Dicebat idem, quod Loth: *Non possum in monte salvari, ne forte apprehendat me malum, & moriar: est hic civitas parva, salvabor.*

Gen. 19.

fulvabor in ea. Hæc civitas refugii, ſtatus eſt humilis Religionis, in qua multi ſalutem conſequuntur, qui in locis ſublimibus periculo fuiſſent obnoxii. Attendebat manum illam juxta Candelabrum ſcribentem, & ſtateram ac pondera præferentem, quibus expenduntur hi, qui ad ſublimia adſpirant. Dan.5. Hi enim in pondere Sanctuarii expenduntur, & ſi quis eorum *inventur minus habens*, tamquam reprobus ejicitur. Precibus verò illud periculum rediebat; ſolituſque erat ſpecialem orationem fundere Deo, ne permitteret ſe ad honores illos excelſos evehi, ut huic obviaret diſcrimini.

Concludamus, & his paucis contenti radiis, inter innumeros, qui Stellam noſtram exornant, attendamus ejus Occidentem. Voluit etenim Dominus hanc lucem Eccleſiæ tandem non tam eripere, quam ſublimius collocare, ut ampliori gloria coruſcans, ſuo etiam nos fulgore patrocinii lætificaret. Quapropter, licet mors ſit quidam Occidens lucis & vitæ noſtræ, Sanctis tamen cenſetur potius Oriens quidam, quia per eam renaſcuntur novo Oriente, ut fulgeant tamquam ſtellæ tota æternitate. Dan.12. Quod maximè contingit his *qui docti fuerint, & ad juſtitiam multos erudierint*, quibus ſpecialiter promittitur fulgor *in perpetuas æternitates*. Sed ad hanc lucem non valent pertingere, niſi pertranſeundo priùs per mortis caliginem. Audi igitur, quomodo Vir Sanctus per eam tranſierit, ſine lucis ſuæ detrimento, ſed potius magno cum augmento. Vocatus erat ad Concilium generale Lugdunenſe, Pontificiâ indictum auctoritate, vocatus equidem ob doctrinæ eminentiam, ut errorum tenebras tunc variè ſeſe diſpergentes luce ſua diſcuteret. Itineri igitur ex obedientia ſe accinxit, & per Monaſterium Foſſæ novæ, Ordinis S. Bernardi, invitatus ab Abbate & Fratribus, pertranſivit. Mox verò illuc ingrediens, agnovit divinam erga ſe diſpoſitionem, & clarè prævidit ſuam mortem. Hinc conſodali ſuo F. Reginaldo coram multis magno pietatis impulſu dixit: Pſal.131. *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi.* In morbum igitur ibidem incidit, nec tamen à ſacra lectione & doctrina abſtinuit, ad extremum penè uſque ſpiritum.

Erenim rogatus ut Cantica Canticorum Religioſis ibidem exponeret, ſupplendo quæ S. Bernardus morte præventus non abſolverat, primum quidem ſe humiliter excuſavit hiſce verbis: *Date mihi ſpiritum & zelum Bernardi, ſic potero ejus ſupplere canticum & ſtylum.* Tandem tamen eorum petitioni acquieſcens, cœpit explicare Canticum illud Canticorum brevi & facili methodo, quam- Cant.7. diu vita permanſit. Tum extremitate ægritudinis illud explicarat: *Veni dilecte mi, veni egrediamur in agrum.* Coactuſque eſt ibidem ſiſtere. In extremo autem ſpiritu memor illorum verborum, toto cordis & vocis anniſuilla repetebat: *Veni, dilecte mi, veni egrediamur in agrum.* Tandem cum illis ſpiritum exhalavit, tranſiens in agrum floridum beatæ æternitatis, æternæ beatitatis, ut illuc ſequeretur Agnum *deducentem ad vitæ fontes aquarum.* Apoc.7. O mors ſuavis & jucunda, quando anima innixa ſuper dilectum, deliciis affluens, de deſerto hujus ſæculi in Eccleſiæ triumphantis Paradiſum conſcendit, Deum perenni jubilo laudatura! O mors omnibus exoptanda votis, quæ morienti ſcala gloriæ, janua vitæ, portus quietis, laborum exiſtit finis. Talis fuit mors ſancti hujus Doctoris.

Interim dicere poterat Reginaldus, indiviſus Comes, quod olim Eliæ Eliſæus: *Pater mi, Pater mi, currus Iſrael, & auriga ejus.* 4.Reg.2. O ſi pallium innocentiæ, ô ſi ſpiritum duplicem ſapientiæ relinqueres alicui hæredi, qui per Iordanis fluctus ſicco non valeat veſtigio in Hieruſalem ad pacis æternam perducere viſionem!

TV igitur Domine, qui hanc Stellam fulgidam tot radiis in cælum ſublimaſti, ut perfectius luceret, & quidem in perpetuas æternitates, quique Eccleſiam de die in diem ejus mira eruditione clarificas, & ſancta operatione fœcundas: da nobis, & quæ docuit, intellectu conſpicere, & quæ egit, imitatione complere; ut per lucem & viam, quam nobis in caligine præmonſtrat, ad te, qui vera es lux, & fons lucis indeficiens, ſecurè & feliciter pertingere valeamus, tua benignitate, ac ejus patrocinio, *digni effecti ſortis Sanctorum in lumine.* Conclu- ſio.

IN FESTO S. IOSEPHI.

Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens, & decorus aſpectu. Gen.49. Lect.17. bipartit.

OLim nomina dabantur in Circumciſione, ſicut nunc in Baptiſmo; quia pueri per circumciſionem à peccato originali expiabantur, ſicut & modò per aquam baptiſmalem, & adſcribebantur numero eorum, qui cenſentur de populo Dei: ad hoc enim ſervicbat ſignaculum circumciſionis, ut diſtinguerentur filii Abrahæ, filique Dei ab infidelibus. Forſitan S. Ioſeph non egebat circumciſione ad peccati expiationem, ſi verum eſt, (quod multi aſſeruerunt) ipſum ex utero fuiſſe ſanctificatum: conveniebat tamen ei circumciſio tanquam ſignaculum filiorum Abrahæ, & tanquam ſignaculum juſtitiæ, Itaque in circumciſione nomen ſuum Ioſeph (quod incrementum ſignificat) accepit non fortuitò, aut humana ſolùm impoſitione, ſed etiam inſtinctu & inſpiratione divinâ. Nomina autem divino inſtinctu data haud inania fuerunt, ut patet in Noe, & Abraham, Iſaac, Iacob, Moyſe. Audi ſpecialius.

1. Cur *Lamech* generans filium poſt centum octoginta duos annos vocavit eum *Noe*? Addit ipſe rationē: *Quia iſte conſolabitur nos ab operibus & laboribus manuū noſtrarum in terra, cui maledixit Dominus.* An caſu hoc dictum eſt, & non potiùs divi-

PARS V. *De Ioſepho creſcente in gratia & virtute.*

Nomina divinitus data, ſpecialem ob ſinem. Gen.5.

no impulsu ? Noe enim fuit vir justus atque perfectus, ambulavit cum Deo, fœdus pepigit Deus cum eo ; propter ejus sanctitatem & sacrificium
Gen. 8. & 9. Deus post diluvium benedixit terræ. Denique invenit ipse artem arandi, & instrumenta colendi terram, ut minori cum labore homines sibi necessaria ad victum præparent, & sic consolationem acciperent.

2. Cur *Abraham* nominat Deus eum, qui prius *Abram* dicebatur ? Utrumque erat mysticum nomen divina ordinatione impositum. *Abram* signi-
Gen. 17. ficat idem quod *Pater excelsus*, talis erat Abram futurus, vita scilicet gratiaque excelsus, excelsa cogitans & agens : sed ideo eum postea voluit *Abraham* nominari, addita littera *H*, de nomine tetragrammato Dei, hoc est *Patrem excelsæ multitudinis*; quia constituebat eum Dominus Patrem filiorum omnium spiritualium, sive omnium fidelium futurorum.

3. Cur Abraham filium suum nominavit *Isaac*, id est risum & gaudium ? Quia futurus erat senectuti parentum consolationi & voluptati. Vnde
Gen. 21. Sara dicit: *Risum fecit mihi Dominus, quicumque audierit, corridebit mihi.* Ipse futurus etiam erat typus illius qui gaudium debebat afferre toti mundo, typus scilicet Christi Domini, quem cum concepisset Maria, dixit sicut Sara: *Exultavit spiritus meus*
Luc. 1. *in Deo salutari meo, quia respexit humilitatem ancillæ suæ ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

4. Cur *Iacob* hoc nomen accepit, quod idem est ac *Luctator*? Non solum id fuit, quia in utero cum fratre luctatus est, sed etiam quia cum Angelo admirabili & mystica illa lucta luctari debebat, & extorquere benedictionem arcanam. Sic & *Moyses* hoc nomen accepit, non solum ex humano
Gen. 32. instinctu filiæ Pharaonis, quia ex aqua extractus
Exod. 2. feliciter fuit : *Quia de aqua tuli eum*, inquit ipsa; sed etiam divina ordinatione & providentia hoc nomen ei datur, quia de aquis afflictionum extracturus erat filios Israel Israel, & per aquas maris rubri traducturus eos sicco pede, illæsoque vestigio.

Sponsus M.V. specialiter dictus Ioseph. Dicimus igitur nomen *Ioseph* speciali providentia Dei sibi ositum fuisse Sponso futuro Mariæ, quia sicut antiquus Patriarcha *Ioseph* qui primo hoc nomine legitur insignitus, sic & hic Ioseph nominis hujus perfectam significationem debebat adimplere. Quapropter sicut de antiquo, sic & maximè de nostro Ioseph illud verum est : *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu.*
Gen. 49. Ostendam us primò, quomodo durante vita fuerit accrescens virtute, sapientia, & gratia. Deinde, quomodo nunc sit accrescens in populorum devotione & accidentali gloria, & inde patebit quomodo significatio nominis in eo plenè adimpleatur.

Nomen *Ioseph* significare incrementum apud Hebræos pernotum est, ideoque aptè omnino datum fuit antiquitùs illi Patriarchæ ex domo Iacob, qui crescere debebat per fratrum æmulationem & odium, per insidias & venditionem, per falsam accusationem & carcerem, usque ad diadema & sceptrum, quo toti præfuit & dominatus est Ægypto. De illo ergo rectè dicitur : *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens*, quod repetitur ad majorem emphasim & significationem, atque etiam ad admirationem excitandam. Admirabile enim est, ita crevisse eum per tot adversa, & ad tantum gloriæ gradum pertigisse ex tanta contemptibilitate, ex servitute, ex carcere. E contra videri posset, non ita convenire hoc nomen Ioseph nostro Ioseph, qui potius decrescere quam accrescere visus est, quia cum esset de domo David, de domo regia, ad eam redactus est inopiam & vilitatem, ut arte fabrili panem sibi comparare debeat, quasi à sceptro ad ligonem usque & securim sese demittere coactus. Verum hæc est rerum humanarum rota volubilis, hæc rerum sub inconstanti astro Lunæ projectarum mutabilis conditio; ut sicut Luna mox crescit, mox decrescit, sic nihil fit sub illa nisi mutationi obnoxium, & incremento vel decremento subjectum, si de bonis corporis vel fortunæ agitur. Sicut ergo David à baculo pastorali ad sceptrum & regnum evectus fuit ; sic & non mirum, si ex ejus stirpe aliqui à regno & sceptro, hoc est, ab opibus regiis & eximiis ad baculum & lignum, hoc est, ad artem pastoritiam vel fabrilem devoluti sunt. Hoc enim Deus per suam ordinat providentiam in bonum, ut sæculi inconstantiam considerantes, rotæ volubili non nimium innitamur, aut fidamus. Si itaque de bonis adblandientis fortunæ agitur, Ioseph noster non tam accrescens & fructificans, quam decrescens & inops dici potest, Dei providentia in bonum ipsius hoc ordinante, ut per paupertatem eum probaret, & postmodum exaltaret.

An nomē Ioseph Sponso B. M.V. rectè convenirit.

De bonis ergo animæ nobis sermo est, cum de illo dicimus: *Filius accrescens Ioseph filius accrescens*, quasi dicas: Semper crescens, magis ac magis crescens, virtute, sapientia, perfectione, quibus Patri æterno erat dilectissimus, & oculis Angelorum decorus. Si de Ioseph antiquo verum est, quod à patre cæteris fratribus plus amaretur, ideoque in symbolum specialis amoris pater fecit ei *Tunicam polymitam*, sive ex filis diversi coloris intertextam:
Gen. 37. idem sanè de Ioseph nostro verissimum est, quod à Patre æterno maximè adamatus fuerit inter fratres, quodque ei Tunicam diversicolorem apparavit. Hi diversi colores virtutes sunt variæ, quibus animus ejus mirè fuit condecoratus. Emicuit enim in eo color viridis fidei & spei, color violaceus humilitatis, color rubeus & purpureus patientiæ & charitatis, color cæruleus & hiacinthinus cœlestis sapientiæ & conversationis, color quoque candidus Virginitatis. Adeptus est fidem Patriarcharum, spem Prophetarum, sapientiam Apostolorum, charitatem & patientiam Martyrum, pietatem

Virtute semper Ioseph crevit.

Virtutes S. Ioseph.

pietatem & temperantiam Confessorum, castitatem Virginum. Vis hæc particularius agnoscere.

1. Fidei. *Primo*, fides & pietas mirè in ipso eluxit, quia primus Christum Filium Dei in terris editum adoravit. Primus toto affectu devotionis obtulit, quicquid poterat in se gratum ei & conducibile reperiri. Obtulit enim brachia & labores, artem & sudores, obtulit canescentes capillos, vitam quoque & sanguinem in obsequium obtulit hujus Pueri, cujus & Nutritor & Custos constituebatur.

2. Spes & patientia. *Secundo*, cum fide & pietate spes & patientia ejus mox sese ostendit, dum gravissimas tribulationes cogitur subire pro Puero isto, dum persequitur Herodes, dum in Ægyptum fuga longinqua est ineunda, dum angustia rei familiaris premit, & sine provisione & commeatu sufficiente transeundum est ad extraneam regionem cum Matre & Puero, dum ibidem per septennium fortè commorandum est. In his tamen omnibus Ioseph nec deficit, nec desperat, nec murmurat, sed fidentissimè & patientissimè se gerit. Non dicit: Ecce promissus est Salvator, & nunc fuga ei consulere oportet, & quidem per loca aspera & ignota. In nulla re igitur nutat, sed cum gaudio omnes sustinet tribulationes. De qua re S. Chrysostomus fusè hom. 8. in Matth. ante medium.

3. Charitas. *Tertio*, charitas ardens in ipso fuit, quandoquidem sacri Deum amoris toties brachiis suis complexus est, osculum & suavium charitatis sacro ejus ori infigens pientissimè. Si Moysis facies ex consortio Dei in monte radiat, si Ioannes infans utero conclusus ad vocem Mariæ exultat, si semel Simeon & Anna in templo Infantem hunc divinum amplexantes tanto spiritus implentur ardore; quid dicemus de S. Ipsepho in tot annorum continua cum Filio Dei & sanctissima ejus Matre conversatione? Si recubuit semel Ioannes super pectus Domini, & ibi tantum hausit dilectionis & sapientiæ, quoties Ioseph recubuit super Domini pectore, aut potius quoties pectus & caput Iesus reclinavit super Iosephi corde! Et nunquid non illud replevit sapientia & amore? *Filius* ergo *accrescens Ioseph, filius accrescens*, ex continuo illo consortio cum Filo Dei & ejus Matre. Si enim suo semel adventu replevit Maria Spiritu Sancto domum Zachariæ, unicâ vel salutatione, quantâ potuit replere benedictione familiam suam & Sponsum suum Ioseph cum felicissima sua Prole? O quam spiritualia colloquia, quam ardentes sermones inter eos miscebantur tot annis conversationis, tum in Ægypto, tum in Galilæa! Certè etiamsi inter Angelos Ioseph fuisset conversatus, non poterat plura disere, quam à Maria, & Iesu Christo Mariæ Filio. Quapropter hæc est Dei familia in terris, Angelicam quæ in cœlis superans gratia, IESVS, MARIA, IOSEPH. O beatos Iosephi oculos, qui adeo frequenter Christum contemplari meruerunt: *Beati qui vident, quæ vos videtis.* Luc. 10. O beatas manus, adeo frequenter tangentes tabernaculum divinitatis, existens inter homines, ut videatur & tangatur ab his qui ad hoc sunt electi! Nunc non dicitur Iosepho sicut Magdalenæ: *Noli me tangere.* Ioan. 20. O beata brachia, inter quæ adeo frequenter recubuit auctor æternæ salutis & felicitatis! O beata domus, in qua hæc Trinitas terræ habitavit, & sacrata vestigia fixit! Noli ergo mirari, si Iosepho nostro potius quam Iosepho filio Iacob Patriarchæ dicamus illud convenire: *Filius accrescens, filius accrescens*; crevit enim noster Ioseph magis quam alter in gratia & perfectione. Iam ex dictis rationem potes scire, quam & Hebræa Lectio videtur confirmare, Vertunt enim ex Hebræo interpretes: *Filius fructificans juxta fontem.* Vbi & Pagninus legit: *Vitamus crescens Ioseph, ut ramus fructificans juxta fontem.* Vide quam aptè hæc lectio nostro conveniat proposito. Infans enim, quem Ioseph sæpe amplexabatur, cujus faciem & pedes sæpe osculabatur, juxta quem sedebat, dormiebat, vigilabat, fons omnium bonorum erat uberrimus. Ergo merito juxta illum crevisse creditur, quasi planta continuo illius fontis influxu irrigata. Verè felix planta, non enim potuit non pertingere ad maximum incrementum talis fontis irrigatione.

4. Castitas & puritas. *Quarto*, excelluit in Ioseph castitas & puritas. Cum enim electus fuerit ut conjugii fœdus iniret cum Maria purissima, decuit ut in pietate, in amore, in gratia, in castitate & puritate ei similis foret, ut esset adjutorium simile Mariæ, datum illi à Deo. Non enim decebat Virginem dari in custodiâ nisi Virgini. S. Bernardinus Senensis sic de hac re loquitur: *Quomodo cogitare potest mens discreta, quod Spiritus S. tantâ unione uniret menti tantæ Virginis aliquam animam, nisi virtutum operatione similimam; Vnde credo Ioseph fuisse mundissimum virginitate, profundissimum humilitate, ardentissimum charitate, altissimum contemplatione, ut esses adjutorium simile Virgini.* Serm. de S. Ioseph. Hæc ille. Similiter loquitur Gerson, & ulterius audet dicere: *Sicut decuit ut Virgo summâ puritate niteret, sic decuit ut haberet suo modo parem sponsum purissimum, qui cum perpetua Virgine Virgo permaneret, uterq; regali progenie illustris, uterq; sanctificatione in utero recipiens, cum Maria plena gratia fomitem reprimente manserit Ioseph, repletus gratia omne mortale peccatii superante.* Serm. de Nativit. Virginis. Hæc ergo est similitudo inter hos conjuges: Quod ambo ad celsissimam dignitatem electi fuêre; hæc in Matrem, ille in Patrem legalem. Quod ambo in ministerium Verbi incarnati destinantur, hæc ut carnis det substantiam, ille ut tribuat alimentum; hæc ut nutriat ubere de cœlo pleno, ille, ut alat & matrem & filium manuum labore & vultus sui sudore. Quod ambo (secundum Gersonis sententiam, quam multi secuti sunt) in utero sint sanctificati, & ex utero egredientes nomine cœlitus delapso insigniti. Denique quod ambo virginitatem coluerunt, imò tanquam Vexilliferi virginitatis votum emiserunt, ita ut exinde factum fuerit ut multi utriusque sexus ad virgi-

nitatis vexillum & votum convolarint Mariæ & Ioseph secuti exemplum.

Viterius, propter puritatem & castitatem quam coluit Ioseph, quam & se colentibus impetrat, rectè dicitur de eo non solum quod sit *Filius accrescens*, sed etiam *decorus aspectu*. De pulchritudine quidem externa sæpe dicit S. Scriptura, quod fallax & vana sit, & multis causa ruinæ, ut patet in Absalone; tamen & quandoque eam laudat, quando est conjuncta cum virtute & castitate. Vnde ab ea laudatur Rachel, Esther, Iudith, filiæ Iob, de quibus dicitur, *quod non sunt inventæ mulieres speciosæ ut illæ*. In Virgine Deipara mira effulsit pulchritudo, quæ etiam in aliis concupiscentiam extinguebat. Sic & de Christo dicitur, quod fuerit. *Speciosus forma præ filiis hominum*. Quapropter rectè etiam de Ioseph asseritur, fuisse decorum & venerabilem aspectu, nec fuisse omnino senem aut decrepitum, sed virum ætatis perfectæ, in qua posset servire Virgini, tum per opera artis fortia, tum per ardua itinera. Immò nonnulli de Virgine Maria & Ioseph illud interpretati sunt: *Latabitur Sponsus super Sponsa, & habitabit luvenis cum Virgine*. Atque venerabilem vultu & speciosum ac decorum Iosephum fuisse, ex eo colligit Gerson & alii, quod non absimilis Christo debuerit esse, ut ejus Filius crederetur. Hinc in fine Iosephinæ sic canit Gerson metro & stylo antiquo:

Ioseph virginitate decorus. *Prov. 31.* *Iob. 4.* *Psal. 44.* *Isai. 62.* *Decorus aspectu Ioseph.*

Personas inter similes est nexus amoris:
De Ioseph ratio suadet quod fœcialis
Forma, Iesu forma similis fuerit reputandæ,
Si non: quo pacto pater ejus creditus esset?
Qualiter omnimodo matris salvasset honorem,
Disparitas vultus Prolis cum Patre putato?
Gratia naturæ fieri vult consona sæpe.
Nonne minor Iacobus frater Domini prohibetur
Valde sibi similis? quod gratia non caro fecit.

Decorus ergo aspectu Ioseph ob corporis speciem, sed magis ob mentis pulchritudinem, & ob castitatis virgineæ decorem, ob quam lilio assimilatur, sicut & Sponsa ejus. De Christo enim dicit Sponsa ejus dilecta in Canticis: *Dilectus meus pascitur inter lilia*. Lilium ergo Maria, lilium Ioseph, inter quos tanquam inter lilia continuò conversatus est, & maximè oblectatus dilectus Ecclesiæ Sponsus Christus, qui & hæc lilia pascebat, & ab eis pascebatur in pueritia. Lilium ergo candidissimum Maria non potuit conjungi, nisi cum lilio candidissimo Ioseph. Vnde amat Virgo adhuc lilia, hoc est castas & puras animas, easque sibi conjungit & Iosephinas vocat.

Cant. 6. *B. M. V. castas animas amat.*

Quapropter *B. Hermannus* adolescens mirè B. Virgini devotus & familiaris, *Ioseph* ab ea est vocatus. Hic Beatiss. Virginem vocitare solebat, *Rosam suam ac lilium*. Quadam enim vice ab ea visitatus & cœlesti consolatione perfusus, vidit ab ea per cubiculum suum spargi complures fragrantissimi odoris rosas, quas ipse reverenter colligens pretioso in calice collocavit. Vnde crebrò ipsa eum visitans, consolans, & familiariter colloquens, suum fidelem amicum, sacellanum, quin & sponsum appellare solebat. Quadam enim nocte apparens eidem specie pulcherrima, Angelis comitata Angelorum unus dextram Hermanni apprehendens, & manui B. Virgini copulans, his eam verbis illi despondit: *Hanc ego Virginem tibi trado Sponsam, sicut olim fuit desponsata Ioseph, ut nomen Sponsi pariter eum Sponsa accipias, & de cætero Ioseph voceris*. Exinde ergo dictus est *Hermannus Ioseph*. Vide Surium die 7. Aprilis.

Surius 7. Aprilis.

PARS II.

Quomodo post mortem S. Iosephi gloria creverit S. Ioseph ante Christum moriturus in gratia usque in finem perseveravit.

QVo anno S. Ioseph mortuus fuerit, non constat ex sacris Literis, aut SS. Patrum scriptis: illud tamen probabilissimè asseritur mortuum fuisse ante Christum, quandoquidem illius non fiat ulla mentio etiam in triennio prædicationis Christi Domini. Nec videtur alteri commendanda Maria in cruce à Christo, si Ioseph Sponsus & Custos supervixisset. Interim in gratia & sanctitate insigni, usque in finem perseverasse non est dubium, cum hæc sit Tunica polymita & talaris, Tunica ad pedes usque & extremitatem seu calcaneum vitæ pertingens; Perseverantia scilicet finalis in virtutum varia perfectione, quâ dubio procul eum Pater æternus vestivit. Adde, quod si nos omnes optamus emori inter brachia Salvatoris, absque dubitatione Iosepho hoc contigit, in symbolum specialis amoris, quo eum prosequebatur Filius suus legalis Iesus & Salvator. Enim vero si ubique reperitur Iesus & Maria cum Ioseph sive in Nazareth ab Incarnatione, sive in Bethleem à nativitate, sive in Templo in præsentatione, sive in Ægypto in fuga & transmigratione, sive in Ierusalem in festivitate, sive in laboribus & fabrili opere: quis ambiget eos adfuisse & in morte? Adfuit ergo Iosepho non solum nomen Iesu, quod tunc solemus invocare, sed etiam personaliter ipse, promisitque felicem exitum, promisit Angelicum conductum, promisit in sinum Abrahæ descensum securum, & liberationem è limbo mox per se faciendam. Si adfuit Christus, adfuit & dulcissima Mariæ præsentia, Iosepho desideratissima: de qua re sic loquitur Bernardinus: *Quantas exhortationes, consolationes, promissiones, illuminationes, inflammationes, æternorum bonorum revelationes, accepit in transitu suo Ioseph à sanctissimâ Sponsâ suâ & à dulcissimo Filio Dei Iesu?* Dicamus ergo hic cursus: *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu*. Accrescens, scilicet non solum splendore & gratia in vita & in fine vitæ, per præsentiam Iesu & Mariæ, tamquam Solis & Lunæ adjutus lumine, sed etiam accrescens post mortem in fulgore specialis gloriæ; accrescens, inquam, super cæteros Patriarchas & justos. Attende particularius.

Moriens Iosepho Iesus adfuit & Maria.

S. Ioseph, accrescens super Patriarchas & justos antiquos.

1.

Quoad gloriam essentialē

Inprimis quantum ad gloriam essentialem rectè dicitur eminere super antiquos justos, quia ministerium ejus, cum spectarit ad ordinem unionis

unionis hypostaticæ, videtur fuisse sublimius, & consequenter asseritur habuisse gratiam correspondenter sublimiorem, denique & gloriam excelsiorem, quandoquidem gloria essentialis gratiæ correspondeat tamquam fructus semini. Propterea dixit S. Bernardinus Senensis. *Si Virgini Matri tota Ecclesia debitrix est, quia per eam Christum suscipere digna facta est; sic profectò post eam S. Iosepho debet gratiam & reverentiam singularem. Ipse enim est clavis veteris Testamenti, in qua Patriarchalis & Prophetalis dignitas promissum consequitur fructum.* Quapropter dicere possumus, quod benedictionem omnium aliorum Patriarcharum & Prophetarum dederit ei Dominus, tum quia Angelicas illustrationes & Propheticas revelationes habuit, tum quia Dominus Testamentum suum confirmavit super caput ejus. Idcircò enim finitur genealogia Salvatoris in illo, & solus cum Christo

Matth.1. *filius David* est nominatus ab Evangelista. Vnde S.P. Chrysol. *Videtis fratres in persona genus vocari,*

Ser. 145. *videtis in uno totam prosapiam nuncupari, videtis in Iosepho seriem Davidici femmatis jam citari.* Ioseph fili David. *Tricesima octavâ generatione natus, quomodo filius David dicitur, nisi quia fides promissionis*

An etiam super Apostolos. *impletur?* Addiderunt aliqui S. Iosephum etiam in gloria excedere Apostolos, quia ministerium fortitus sit altioris ordinis concernens unionem hypostaticam, ut jam dictum est; ita ut in cœlis sedeant eodem ordine quo Matth. cap. 1. nominantur, *Iesus, Maria, Ioseph,* eodemque ordine sint descripti in libro vitæ. Sed hæc cum ab æternâ electione Dei & prædestinatione pendeant, cujus consilia inscrutabilia sunt & abditissima, nec ex sacris eloquiis aut SS. auctoritatibus sufficienter colligi possint incerta sunt nec tenaciter asserenda, quamvis à piâ credulitate non sint aliena. Videri potest Franciscus Suarex 3. p. tom. 2. q. 29. disputat. 8. sect. 2.

2. *Quoad gloriam corporis.* *Secundò,* quantum ad gloriam corporis, etiam dicere possumus? *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu.* Etenim omnino probabile est, S. Iosephum non solum animæ, sed etiam corporis gloriam esse adeptum. Cum enim ante Christum mortuus fuerit, verisimile est eum esse de numero illorum qui tempore mortis seu resurrectionis Christi resurrexerunt, quos ad vitam immortalem animæ & corporis resurrexisse asseruimus, cum multis Doctoribus in Horto Pastorum tract 3. lect. 25. Quia non videretur sufficienter

Christo resurrexisse creditur. probari Christi resurrectio ad immortalitatem, si illi iterum redigerentur in mortis cinerem. Videtur igitur Christus immortalitatè corporis vestitos secum vexisse ad triumphum, traditurus eos Deo Patri, velut primitias Regni recenter suo sanguine acquisiti. Inter hos ergo piè & probabiliter connumeratur S. Iosephus, quem quidem poterat Christus mox ab ejus funere tacto loculo & feretro in vitam restituere, sicut filium viduæ, aut è monumento revocare, sicut Lazarum ad preces Magdalenæ & Marthæ; sed distulit in tempus Resurrectionis suæ, ut qui pariter convixerant, pariter quoque resurgerent; & ut qui ipsum deduxerat in Ægyptum, & reduxerat tanto cum labore & sudore, jam ab ipso vicem reciperet, & duceretur in cœlum magno cum triumpho & splendore. Ea propter hac de re sic loquitur Bernardinus, *Piè credendum est, quod piissimus Filius Dei pari privilegio decorarit suum putativum Patrem sicut sanctissimam suam Matrem. Sicut illam assumpsit in cœlum corpore & anima gloriosam, sicut etiâ in die resurrectionis suæ Sanctissimum Ioseph in gloria secum assumpsit. Vt sicut illa sancta familia, Christus, Virgo, & Ioseph, in laboriosa vita & amorosa gratia simul vixerunt in terris, sic in amorosa gloria nunc in corpore & anima regnent in cælis juxta regulam Apost. 2. Cor. 1. Sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis.* hæc ille. Confirmari hoc ipsum ex eo potest, quod reliquiæ S Ioseph nullibi extare memorentur, sicut ferè fit de aliis Sanctis; verisimileque est eas detegendas etiam angelica vèl divina revelatione, si in terris superesset, sicut de multis factum est cœlitus.

3. *Quoad gloriam accidentalem.* *Tertiò,* quantum ad gloriam accidentalem etiam de Ioseph rectè dicitur: *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectus;* quia ejus gloria accrescit per cultum honorificum, & devotionem populorum; maximè hoc sæculo, in quo ad honorem ipsius decernuntur festa decantantur encomia, eriguntur oratoria, construuntur altaria, instituuntur sodalitia, nuncupantur vota, conduntur cœnobia, ejusque protectionem specialem sibi adsciscunt religiosa instituta. Si autem quæras, cur

Festum S. Iosepho olim non celebratū. olim festum S. Ioseph non fuerit? Respondent nonnulli, id factum fuisse ob hæreticos, qui eum Patrem naturalem Christi dicebant, & ita Filio Deitatem, & Matri Virginitatem denegabant. Nunc autem cessante hæresi illa, cessat & causa; vultque Deus ad tempus delitescentem quasi sub velo gloriam Iosephi, modò ubique evulgari præclaris encomiis & votis populorum. Audi S. Bernardinum Senensem: *Certè velo olim in Ecclesia tegebatur quanta dignitatis & sanctitatis esset Ioseph, Sponsus Virginis, & Pater Christi putativus: sed seis-*

Serm 3. de S. Ioseph. *sum est velum templi à summo usque deorsum, & per fidem Christi sacrosancta mysteria orbi universo patuerunt; & in hoc cultorum regno id est, Ecclesia, apertum est Dei templum, & facta sunt fulgora & voces Concionatorum, & secuta sunt voces Doctorum quæ de tanto & sanctissimo Iosepho noverunt, concionibus & scriptis celebrarunt.* Hæc iste.

Audi & Isidorum Isolanum histor. Orient. 3. p. c. 6. sic hac de re differentem: *Spiritus Sanctus non deficiet à movendis cordibus Fidelium, donec omne imperium militantis Ecclesiæ exultans divinū Iosephum nova prosequatur veneratione, condat Cœnobia, Ecclesias ac Altaria in ejus erigat honorē. Festa celebrabuntur, & ei vota vovent & solvent cuncti populi; aperies Dominus*

Dominus aures, præcordiorũ intellectus, & viri magni scrutabuntur interiora Dei dona abscondita in S. Ioſepho, & inveniẽt theſaurum optimum, qualẽ apud Patres veteris Teſtamenti non invenerunt: pingnedo enim & abundatia donorum ſpiritualium in S. Ioſepho micuerunt, ita ut ſimilis illi non inveniatur. Benedicite igitur, ô populi S. Ioſepum, ut benedictionibus repleamini: qui enim benedixerit illi, erit & ipſe benedictus; qui maledixerit illi in maledictione reputabitur. Hæc ille.

Sed de hac gloria accidentali S. Ioſephi ſemper creſcente, & de ejus potenti apud Deum patrocinio, plura ſubjungemus ſubſequente Lectione.

IN EODEM FESTO.

LECT. 18. bipartit. *Dilectus Deo & hominibus, cujus memoria in benedictione eſt.* Eccleſiaſtici 45.

PARS I. *Quomodo S. Ioſeph Deo dilectus fuerit*

NOtum eſt & decantatum illud Pſalmiſtæ: *In memoria æterna erit juſtus, ab auditione mala non timebit.* Memoria ſcilicet juſti glorioſa permanebit cum benedictione apud Deum & homines; cùm econtra memoria impii comparetur *cinori & favillæ*, quia mox à vento rapatatur & diſpergitur, peritque cum ſonitu. Aut ſi aliquantum permanet putreſcere cenſetur, & odorem afflare ingratum, ut dixit Sapiens: *Memoria juſti cum laudibus, nomen autem impiorum putreſcet.* S. Ioſephi memoria in benedictione eſt, & cum laudibus perennat, & ſicut de Ioſia dicitur: *in compoſitionem odoris eſt facta, & in omni ore indulcatur.* Hoc notiſſimum eſt inter pios omnes, hoc ipſum hodie cum ſuavitate decantamus: *Dilectus Deo & hominibus, cujus memoria in benedictione eſt.*

Pſal. 111. *Iob. 13.* *Prov. 10.* *Eccl. 49.*

Nomen Ioſeph nomen ſanctitatis & quinq; in ſacra Scriptura Ioſ.

Certè nomen *Ioſeph* nomen eſt ſanctitatis, nomen multoties ſcriptum in libro vitæ, in libro memoriæ æternæ cum benedictione. Nam quinque hoc nomine inſignitos legimus in Codice S. Scripturæ, quibus teſtimonium ſanctitatis ab ipſa perhibetur. *Primus* eſt Ioſeph ille caſtus & ſapiens à Patre & à Deo tantopere dilectus, de quo fit memoria glorioſa in Geneſi. *Secundus* eſt Ioſeph illenobilis Decurio cui hic titulus honorificus datur: *Vir bonus & juſtus, qui exſpectabat & ipſe Regnum Dei, nec conſenſerat conſilio & actibus eorũ.* Hic habuit honorem Chriſtum è Cruce deponendi, & ei tota pietate parentandi. *Tertius* eſt Ioſeph ille, qui ob inſignem juſtitiam cognominatus eſt *Juſtus*, & denominatus cum Matthia ad Apoſtolatum. Hic poſtea Epiſcopus Eutheropoleos in Palæſtina conſtitutus, fidem & Evangelium magno zelo propagavit, & pro fide venenum bibens ſine nocumento id fecit, ac tandem victoriam & lauream Martyrii eſt conſecutus glorioſè, ut pater ex Martyrologio Romano 20. *Iulii*. *Quartus* eſt Ioſeph ille, qui cognominatus eſt *Barnabas*, id eſt filius conſolationis, quia vir plenus conſolatione, & conſolationem omnibus affereus; pollebat enim ſanctitate & manſuetudine, ſuaviloquentia quoque & gratia conſolandi afflictos & miſeros. Hic inter primos attulit preciũm agri ſui ad pedes Apoſtolorum, & poſtmodum Apoſtolo Paulo cooperatus eſt graviſſimis in laboribus, zeloſiſſimè Euangelium propagans. An non ergo ejus nomen, ſicut & præcedentium, qui nomen *Ioſeph* prætulerunt, ſicut & ipſe, ſcriptum eſt in libro vitæ, in libro memoriæ æternæ cum benedictione? Sic dicebat Dominus Apoſtolis: *Nolite gaudere in hoc, quod ſpiritus ſubjiciuntur vobis; ſed in hoc gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.* Nonne & his gaudium magnum, quod Dominus per Scripturam ſuam eis teſtimonium perhibeat de nomine ipſorum ſcripto in cœlis? Illud porrò gaudium in nos redundat, dum eis congratulamur & congaudemus, quia noſtro commodo illud teſtimonium dat Scriptura de eis, ut eorum ſectemur juſtitiam & gratiam.

1. 2. *Luc. 23.* *Actor. 1.* *Actor. 4.* *Luc. 10.*

Denique, noſter Ioſeph filius David, à Spiritu S. teſtimonium habet ſanctitatis, quia & ipſe nominatur *Vir juſtus*, omnesque ſuos coævos exceſſit in benedictione in præſenti vita agens, ideoque ſupereminet etiam in æternitate. Primus inter hos omnes ſcriptus eſt in libro vitæ, ejusque memoria ſpecialiſſimè recolitur cum dulcedine & devotione. Propterea perexcellentiam de eo canimus in Epiſtola hodierna: *Dilectus Deo & hominibus, cujus memoria in benedictione eſt.* 5. *Matth.*

Ioſeph Deo dilectus, quia Sponſus M. V. & Pater Chriſti.

Sed inprimis oſtendendum, quomodo Deo dilectus fuerit. Ad id autem probandum non opus eſt in medium producere aliud ſpecialis dilectionis argumentum, quam quod Pater æternus eum filii ſui Patrem ſecum nominari voluit, & Mariæ Sponſum conſtituere. Hæc enim eſt radix, hic fons & origo omnis dilectionis & benedictionis in S. Ioſepho. Vnde ſicut cum Mariæ hunc titulum damus, *Mater Dei*, in eo cenſemur comprehendere omnem dignitatem, omnemque gratiam huic titulo correſpondentem; ſic cum dicimus de S. Ioſepho, *Sponſus Mariæ, Pater Chriſti*, his duobus titulis ſpecialiſſimam Dei dilectionem, ſpecialiſſimamq; gratiam in eum profuſam indicamus. Vnde ſi dixit Ioannes Apoſtolus: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & ſimus.* Quaſi dicat: Nullo majori titulo amoris nos poterat ſibi acceptos oſtendere, quam filios ſuos adoptivos vocare & efficere: Simili modo dicimus: Videte qualem charitatem dedit Ioſepho Pater æternus, ut Filii Dei Pater nominetur, & efficiatur talis legali adoptione, cuſtodia, & cura. Verè differentius præ aliis Sanctis nomen hæreditavit, cui nomini correſpondere debuit favor ſpecialis in gratiæ donis hæreditandis præ cæteris. Vnde notant Theologi ex S. Thoma & S. Auguſtino, Deum quando aliquos eligit, ſolere conſequenter eos præparare & diſponere per dona gratiæ, ut idonei inveniantur ad miniſterium aut gradum, ad quem electi ſunt. Sic cum S. Thoma & Auguſtino colligimus plenitudinem gratiæ in Maria quia Mater Dei electa eſt. Nonne eum

1. *Ioann.*

Differentius nomen præ aliis Sanctis hæreditavit.

Deus

Deus elegit Moysen, hominem agrestem & pastoritiæ arti vacantem in Ducem populi, miram ei sapientiam indidit, & gratiam, & potestatem? Non-
Psal. 77. ne quando Davidem de post fœtantes accepit pascere populum suum, dedit ei *innocentiam cordis & intellectum manuum suarum*, aliaque dona optima? Nonne cum elegit Præcursorem suum Ioannem de ventre matris cum Spiritu Sancto replevit? Denique, cum Piscatores elegit in Apostolos, quam copiosè in eos cœlestes implujt gratias, ut tanto ministerio tantæque dignitati idonei inveniretur? Certè magnum erat ministerium, magna dignitas S. Iosephi, quam adeptus est dum Matri Dei conjungitur ut Sponsus, dum Filio Dei designatur legalis Pater, Custos, ac Nutritius. Vnde absque dubio donis debuit abundare cœlestibus ut huic mi-
Num. 11. nisterio ad ordinem unionis hypostaticæ quadam ratione spectanti fieret idoneus. Sicut ergo de septuaginta Senioribus dicitur, quod eis Dominus dederit de spiritu Moysis eos cum Moyse populi judices constituens; sic & de Iosepho dicere possumus, quod Deus ei dederit copiosè de spiritu Mariæ, ut coadjutor foret idoneus mysterio altissimo incarnationis divinæ, simul que ut intercederet similitudo morum & virtutum inter duos cœlitus electos conjuges.

Non ergo inania sunt nomina, quando Ioseph *Mariæ Sponsus* dicitur, aut quando *Christi Filij Dei Pater* nominatur: verè enim fuit Sponsus, verè fuit
Amb. lib. de instit. virg. c. 6. Maritus; quia, ut ait S. Ambrosius: *Matrimonium non defloratio virginitatis facit, sed pactio conjugalis*, quæ etiam potest consistere cum voto castitatis. Nec enim infrequens fuit in Ecclesia nova, Deum spiritum gratiæ & castitatis conjugibus suggerere, antequam virginitas dispendium pateretur. Vnde nonnulli hac de re interpretantur Prophetiam illam Isa. 32. ubi sub nomine Sion Ecclesiæ novæ
Isa. 62. dicitur: *Non vocaberis ultra, derelicta aut desolata sed vocaberis, voluntas mea in ea, habitabit enim juvenis cum virgine, & habitabunt filij tui in te.* Quid est. Habitabit juvenis cum virgine? Habitabit Sponsus incorruptus *Ioseph* cum *Maria*, *Valerianus* cum *Cæcilia*, *Elzearius* cum *Delphina*, *Henricus* cum *Cunigunde*, *Iulianus* cum *Basilissa*. Nota hæc sunt sacris historiis. Ac ut de postremis historiam obiter attingamus, Iulianus urgebatur à parentibus uxorem ducere, sed Deo se virginitatem-
Exempl. que dum commendat, monetur ab Angelo acquiescere parentum voluntati, nacturum autem se conjugem quæ virgo perseveret. Peragitur ergo nuptialis festivitas, in thalamum cum sponsa introducitur. Mox verò rosarum liliorumq; odor locum perfundit, hiemis licet tempore. Miratur sponsa, & inquirit, unde tanta fragrantia? Respondet esse odorem munditiæ virginalis, hortaturq; ut florem hunc Deum acceptissimum velit secú servare illibatum. Illa hac cœlesti suavitate capta consentit. Cum iraq; castitatem vovissent subitò lux cubiculum perfudit. Hinc Christus cum sanctorum

choro, hinc Maria cum Virginibus, Orus exinde est cantus ex parte Sanctorum: *Vestì Iuliane, vicistì* ex choro quoque Virginum, *Beata ex Basilissa, salutaribus monitis consentiens.* Datusque est liber Iuliano, in quo aureis literis scriptum: *Iulianus pro amore meo mundum contemnens deputetur in numero non mundum contemnens deputetur in numero eorum, qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Basilissa in numero Virginum quarum Maria tenet principatum.* Respondentque chori: *Amen, Amen.* Tunc duo Angeli duas coronas afferentes eis dextras junxerunt, & in propopositio confirmarunt. Sic reliquum noctis in Dei laude transigentes cœperunt spiritu non carne fructificare. Nec dinumerari possunt animæ, quæ per Iulianum præmittebantur ad Dominum; nec agmina virginum, quæ per Basilissam mittebantur in cœlum.

Vide Sur. 9. Ian.

Fructifera virginitas

Hi ergo sicut & alij supranominati, secuti sunt Mariam & Ioseph, qui primi vexillum virginitatis in conjugio erexerunt, & cœlestis pietatis gloria adornarunt. De quo conjugio sic loquitur Hugo Victorinus: *De incorrupta virginitate Matris Domini hoc fides piè & pietas fideliter confitetur, quod ejus perfectionem nullo modo imminuit conjugalis consensus, sicut castitatem illius non violavit conceptus, nec integritatem abstulit partus. Ipsa namque eadem Virgo perpetua, & cum desponsaretur viro, non deseruit propositum continentiæ, & cum fœcundaretur, non à viro concepit sine libidine, & cum filium ederet, peperit sine dolore.* Hæc ipse. Verum ergo conjugium Mariæ fuisse non dubitamus. verumque ejus Sponsum & Maritum Iosephum agnoscimus. Vnde adhuc servatur Perusii in Italia in templo S. Laurentij annulus, quo B. Ioseph Mariam desponsavit, estque miraculis clarus, à Clusinis ad Perusinos divina providentia delatus. De hoc annulo sic quondam cecinit Vrbanus VIII. dum esset Cardinalis, Petri sedem qui modò tenet:

Imbriferis Arcus fulgens in nubibus, Orbem
Effera diluvii damna timere vetat,
Sic Deus omnipotens voluit. Decus annule majus,
Est tibi, quem supplex Vrbs Perusina colit.
Is gemino constans arcu, felicior index,
Nam peragit Virgo nupta salutis opus.
Virgineo terra conjungens fœdere cœlum,
Hac Disce non pelagi, non stygis unda nocet.

Est autem annulus iste non ex auro aut argẽto, sed ex lapilli alicujus genere. Solent verò Matronæ cõflatos ex ebore annulos attactu illius sacrandos Perusium mittere, in partu profuturos. Reconciliandis quoque animis conjugum diffidentibus plurimum valet. Ideo plures voto facto se Perusium conferunt, & fructu domesticæ pacis fruuntur eliminata discordia. Denique multi à dæmonibus vexati confugientes ad sacrum altare, ubi hic annulus asservatur, liberi redierunt. Nec hoc silendum, quod cùm nobilis & regii sanguinis fœmina Waldrada præcipiti pietate dum ei gemma spectanda exhiberetur manu eam accepisset, & digito annulari inseruisset, illum protinus digitum exaruisse in

Mira de annulo B.M.V.

Vide 3. Baptistam Laurum.

pœnam

Specialis de hoc opusc. Ioseph Pater Iesu.

pœnam temeritatis. Quæ res in populi concursu contigit, dum adhuc Clusij existeret. Nec mirum videri debet quòd tanto in honore habeatur, quandoquidem Annulus ille pronubus humanæ felicitati auspicium dederit, quo MARIA *Hortus conclusus, fons signatus, porta cœli soli æterno Principi pervia*, fuit obsignata & tradita Iosepho virginitatis socio & consorti. Verè ergo ipse Sponsus, verè Maritus MARIÆ, non inani solum nomine,

Similiter verè Pater IESV, Pater filij Dei, non naturalis, sed legalis, ipsum adoptans, ad ipsius custodiam & curam electum; Verè Pater Nutritius, ipsum suis laboribus & sudoribus sustentans, & Virginem ejus Matrem, cujus & sanguine formatus, & lacte fuit educatus. An non S. Ioseph hoc lac, hunc que sanguinem, hanc denique carnem ex ea parte censetur impertitus, quia utrumque alens censetur cooperatus substantiæ carnis Christi? Denique nonne magni consilii solus adjutor fidelissimus, è cœlo electus fuit & designatus? Et putes ipsum inane tantum Patris nomen gerere, adverte quæ in sacris Evangeliis de eo traduntur.

Imponit Iesu nomen. Matth. 1. Præsentat eum in templo, Luc. 2. Iesus est illi subditus. ibid. *Perditum Iesum requirit.* ib. *Cura Iesu illi data. Matth. 2.*

Primò, numquid tamquam Pater ei nomen imponit? Numquid hoc paternæ est auctoritatis? Quapropter dicit ei Angelus: *Vocabis nomen ejus Iesum.*

Secundò nonne tanquam Pater præsentat eum in templo? *Cùm inducerent puerum parentes ejus in templum, &c.*

Tertiò, nonne tanquam Pater habebat in illum potestatem? *Descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.*

Quartò, nunquid tanquam Pater eum requirit in triduo? *Ego & Pater dolentes quærebamus te*, ait MARIA.

Denique, nonne illi tamquam Patri educatio & custodia tradita est ab Angelo sicut & Matri? *Surge & accipe Puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum.*

Ex his ergo sufficienter patet dignitas S. Iosephi, orta ex titulo Patris Christi & Sponsi MARIÆ, & consequenter specialis ex eo capite erga eum dilectio Dei, quam consecuta sunt multa privilegia. Inter hæc nonnulli enumerant confirmationem in gratia, ita ut numquam peccarit mortaliter, & fomitis depressionem, qui solet excitare concupiscentiam sensualem, quæ fuit omnimodo illi congrua, ut posset convenire MARIÆ sine periculo castimoniæ; ut supra dictum est. Itaque rectè de eo dicimus: *Dilectus Deo & hominibus, cujus memoria in benedictione est.* Sed videamus quomodo hominibus dilectus sit particulariter, & ab eis honoratus.

PARS II.

Quomodo Ioseph dilectus hominib. Esther. 6.

IDeo S. Ioseph dilectus est hominibus, quia Deo est dilectus; ideo specialiter ab hominibus est honoratus, quia à Deo est honoratus: *Sic honorabitur quem Rex voluerit honorari.* Vis autem videre quomodo Deus voluerit eum ab hominibus honorari? Attende hoc, quasi in typo, in Ioseph Patriarcha. Referebat ipse parentibus & fratribus suis. *Vidi per somnum Solem & Lunam, & Stellas undecim adorare me.* Hoc verum erat futurum; quia Pater ejus Iacob, & Bala quam pro matre habebat mortua Rachele, & fratres eum erant in Ægypto adoraturi. Pater & Mater solis instar & lunæ censentur, fratres q; undecim ut stellæ habetur. Sed numquid idem in veritate potest dicere S. Ioseph: *Vidi Solem & Lunam, & stellas adorare me.* CHRISTVS & MARIA & Apostoli eum honorarunt, CHRISTVS ut Patrem, MARIA ut Sponsum, discipuli ut Patrem Magistri sui, & ut Sponsum MARIÆ matris suæ, quem si non agnoverunt in terris, nunc saltem honorant in Cœlis. Quænam est familia: ubi sol & luna & stellæ reperiuntur, nisi familia cœlestis quam Pater æternus sibi elegit, in qua IESVS & MARIA cum Apostolis tamquam filiis reperitur?

Gen. 37.

S. Ioseph Christus, Maria & Apostoli honorant.

Dicamus ulterius, quòd sol & luna, hoc est Potestas Ecclesiastica & Potestas sæcularis, glorificant & honorant S. Iosephum omnesque piæ animæ tamquam Stellæ. Rectè etenim per solem & lunam intelligitur utraque illa potestas sublimis, de qua re Innocent. III. Pont. sic scribit ad Imper. Constantinop. l. 1. decret. tit. 33. *Ad Firmamentum Cœli, id est universalis Ecclesiæ, fecit Deus duo luminaria magna, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis auctoritas & Regalis potestas. Sed illa quæ præest diebus, id est spiritibus, major est, quæ vero carnalibus, minor, ut quanta est inter solem & lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia agnoscatur.* Interim utraque dicta potestas magno S. Iosephum colit honore. Certè videmus modò non solum Episcopos & Pontifices, Sacerdotes & Religiosos, sacro cultu plurimùm honorare hunc Virginis Sponsum, Christi Patrem legalem & Nutritum, ac coram ejus imagine Tiaras ac insulas humiliter deponere, sed etiam Imperatores & Reges, Duces & Principes, Magistratus & cives ad ejus pedes, sceptra & diademata, coronas & fasces lubenter & pio animo substernere, confraternitatique ejus & protectioni sese adscribere. Ita modò verificatur in nostro Ioseph non solùm illud alterius Iosephi; *Solem & Lunam & stellas vidi adorare me*, sed etiam illud ad Iacob patrem Ioseph ab Isaac eum benedicente pronunciatum; *Incurventur ante te filii matris tuæ, adorent te tribus & populi: qui tibi benedixerit, sit benedictus; qui tibi maledixerit, sit maledictus.* Meritò ergo de ipso repetimus: *Ioseph dilectus Deo & hominibus, cujus memoria in benedictione est*: honoratus est à Deo, benedictus ab hominibus.

Ecclesiastica & sæcularis potestas.

Gen. 27.

Verùm perspicacius intueamur, cur omnes meritò eum honorent & adorent (sive cultum duliæ ei impendant) cujuscumque status sint aut conditionis, cujuscumq; gradus aut sublimitatis.

Omnes status & gradus S. Ioseph honorant.

Inprimis, meritò eum Nobiles honorant, & cum benedictione ejus memoriam celebrant, etiam vel isto

Nobiles.

sto titulo quod de stirpe David regio honore illustrata ortum duxerit cum conjuge sua Maria; quodque Nobilibus felicitatem & fœcunditatem Maria & Ioseph impetrare soleant pro coniugio. Sic fructus devotionis erga Mariam & Ioseph fuit sanctus Ludovicus Rex Galliæ, filius Blanchæ matris sanctæ, Virgini Deiparæ & sponso ejus devotissimæ.

2. *Pauperes & opifices.*

Secundò, meritò eum honorant, & cum benedictione ejus memoriam celebrant, etiam pauperes & opifices de plebe; quia licet nobilis fuit stirpe, pauper tamen fuit & operarius victum quærens arte & labore. Sic Deus ad gloriam suam ordinavit, qui dignatus est vocari filius Fabri, qui fabricator est cœli, habens in manu sua sceptra & imperia, potestatemque vitæ & mortis in Reges & Imperatores. Quapropter aptè & sapienter respondit quidam Christianus interrogatus per risum ab idolatra: *Quid facit nunc filius Fabri?* Respondit ipse: *Feretrum fabricat vestro Iuliano Imperatori.* Ita Sozomenus lib. 6. hist. cap. 3. Docet verò S. Ioseph omnes operarios, seu opifices, spem in Deum jactare, illique opera sua, sudores, labores dicare & offerre, sicut ipse specialiter fecit & Iubentissimè, ut aleret Filium Dei & Mariam ejus matrem qualibet cum difficultate colluctans & superans, ut ministerium suum impleret.

3. *Sacerdotes & Religiosi.*

Tertiò, etiam meritò eum colunt cum benedictione Sacerdotes & Religiosi, quia castitatis Religionisque vexillum primus erexit cum Sponsa Maria, & benedictionem perseverantiæ in castitate aut religione cultoribus suis solet impetrare. Quapropter institutores Religionum, eas modò gaudent sub ejus speciali protectione erigere & fovere. Ipse securus est Agnum quocumque, & invitat eos qui castitatem profitentur ad Agni sequelam perfectam in hac vita, ut & in æternitate valeant eum sequi *ad vitæ fontes aquarum.*

4. *Iusti & peccatores.*

Quartò, meritò eum colunt, & cum benedictione memoriam ejus celebrant sive justi, sive peccatores. Iusti quidem, quia se exhibuit exemplar perfectissimum & absolutissimum omnis justitiæ. Semper justus fuit & rectus corde, sive in adversis, sive in prosperis. Transivit per varias tribulationes, nec illis fractus est, aut incurvus factus, sed ad superiora totus erectus perfectè semper divinæ voluntati fuit subditus. Illi nempe justi & recti corde dicuntur, qui se jugiter divinæ conformant voluntati, quæ regula est perfectissima, rectissima, justissima, origoque omnis rectitudinis & justitiæ. Peccatores autem ideo eum honorare & colere debent, quia suo puero Iesu adventu in Ægyptum, quæ typus est tenebrosæ & peccatricis conscientiæ, idola evertit, & lucis primitias intulit. Sic adhuc potens est piâ apud Iesum intercessione impetrare, ut è peccatorum & impiorum cordibus peccata, tamquam idola ibidem latentia, destruantur & eliminentur, omnesque tenebræ tartareæ fugentur, ut Christi lux & gratia oriatur in eorum purgata per contritionem & compunctionem conscientiæ. Verè potens est apud Iesum pro remissione peccati omnis, qui adeo potens apud eum fuit in terris.

5. *Omnis sexus hominum.*

Quintò generalissimè dicimus, omnem sexum, omnemque gradum & sortem hominum S. Iosephum meritò colere, & memoriam ejus cum benedictione celebrare, quandoquidem post Mariam per illum accessus est ad Iesum, & in omnibus potenter potest apud eum opitulari. Quapropter dicebat S. Thomas in 4. de 45. quæst. 3. artic. 2. *Quibusdam Sanctis datum est in aliquibus causis præcipuè patrocinari, sicut S. Antonio ad ignem S. Apollonię ad dolorem dentium. S. Agathæ ad dolorem mamillarum. S. Rocho ad pestem. At sanctissimo Iosepho in omni necessitate & negotio concessum est opitulari, & omnes ad se piè confugientes defendere, fovere, & paterno affectu prosequi.* hæc ipse. Hoc certè experti sunt piæ animæ et devotæ. Vnde rursus de illo verificari dicimus, quod de antiquo Ioseph in typo dictum est: *Tulit Rex annulum de manu sua & dedit eum in manu ejus, & vestivit stola byssina, & collo torquem auream circumposuit & fecit ascendere super currum suum clamante Præcone, ut ei omnes genuflecterent.* Hoc fecit Rex Pharao Iosepho filio Iacob. Idem Deum fecisse interpretamur Iosepho nostro, Mariæ Sponso. Stola byssina cum torque aurea designat spacialem gloriam & aureolam, qua à Rege æterno amictus est Ioseph, gloria scilicet corporis ultra gloriam animæ, & aureola virginitatis Annulus aureus, quem Rex tulit de manu sua, annulus signatorius erat, ut quæ vellet Ioseph, Prorex Ægypti decerneret & obsignaret auctoritate Regis. Sic dicimus Regem æternum annulum signatorium in potestate Iosephi reliquisse, ut quæcumque voluerit, impetret, & obsignet auctoritate sibi concessa ad divinam gloriam & salutem ad se refugientium. *Gen. 41.*

Iucundum est audire S. Theresam Ordin. Carmelitarum Reformatricem, in Vitæ suæ libello, quem jussu Confessarii & instinctu divino conscripsit, sic differentem cap. 6. Accepi Advocatum & Intercessorem S. Iosephum, & scio ejus intercessionem mihi semper profuisse in necessitatibus, tam corporis quam animæ. Nec memini mè hactenus aliquid ab eo petiisse, quod adimpletum non fuerit. Maxima gratiarum dona per eum sum consecuta, ita ut censeam Deum aliis Sanctis impertisse gratiam adjuvandi in aliqua particulari necessitate, sed huic in omnibus planè, prout sum experta. Sic Deus vult nobis innotescere, quod sicut illi fuit subditus in terra Patris nomen & locum obtinenti: ita quod & in cœlo velit modò efficere quicquid ipse petit. Vnde neminem agnovi erga eum speciali devotione ferri, quin simul agnoverim eum in virtute proficere. Sed & jam ab aliquot annis in ejus festo soleo aliquid ab eo petere, videoq; adimpleri; quòd si non fuerit adeo recta petitio, dirigitur ab eo ad majus meum bonum. Rogoque per

amorem Dei, ut is qui credere noluerit, probare dignetur: videbit per experientiam quantum bonum sit se ejus precibus commendare, & cum pietate cultum exhibere: Multum quoque perficuum est sæpe recogitare quantum Regina Cœli cum puero IESV passa sit, & gratias B. Iosepho agere pro sedula opera & auxilio impenso. Hæc S. Theresa.

Plurimum itaque confert, erga S. Iosephum, MARIÆ Deiparæ Sponsum, Christi Patrem legalem & sedulum Nutritium, continuâ devotione ferri, & gloriosâ in ejus festivitate cum cordis gaudio recentem pietatem renovare, memoriamque ejus, qui dilectus est Deo & hominibus cum benedictione celebrare. Qui enim ipsum benedixerit, erit benedictus. Quod non solùm S. Theresa experta est, & publicè asseruit, sed etiam multi alii ejus cultores. Vnde refert Isidorus Isolanus hist. orient. 3. p. c. 9. in visione quemdam vidisse & audisse Christum ad B. Iosephum sic loquentem: *Ero auxiliator omni homini in Ecclesia justorum, qui in die memoriæ tuæ, ô Ioseph, Deo sacrificia obtulerit, & qui meditabitur in vita & in laboribus tuis* hæc ibi. Idque conforme est ei quod ex S. Theresa jam retulimus.

Conclusio. O Trinitas Cœli adorabilis & gloriosa, quæ nobis admirabilem in terra exhibuisti Trinitatem, IESUM, MARIAM, IOSEPH, & prævenisti eam in benedictionibus dulcedinis. *Iesum* constituens ut fontem, *Mariam & Ioseph* ut aquæ ductum, aquæ scilicet exeuntis de Paradiso tuo, ut terram cordis nostri aridam fœcundet; da nobis per eos haurire de hac aqua, eorumque ubertim benedictionibus & meritis participare. Da nobis hanc Trinitatem colere sanctâ devotione in terris, *Iesum* adorare, *Mariam* cum *Ioseph* venerari & suspicere, ut nos tandem dignentur suscipere in cœlis in æternam suam societatem, ubi Trinitate perfecta licebit æternùm frui, in illa semper vivere, illam in sæcula sæculorum laudare & benedicere.

Sacrum Epigramma in honorem Trinitatis S. in terra, hoc est, in honorem.

IESU, MARIÆ, IOSEPH.

Quo coluntur in Sacello recens à nobis erecto in Ecclesia Convinensi sub Sacro Carmeli Sodalitio.

Quod Deus conjunxit, homo non separet.
Matth. 19.

Hic sociatæ suo colitur Regina Marito:
Gaudet cum IOSEPH *sponsa* MARIA *coli.*
Iungitur hos IESUS. *Triadem non perficit ipse,*
Nec Monadem tollit Tres simul unus Amor.
Quos Deus æterni conjunxit fœdere honoris.
Dic, proce, vel cultu cur separaret homo?
TRINUS & VNUS *amans, hos Tres sociavit in Vnum.*
Sic colis hic Triadem, sic colis & Monadem.

IESUS, MARIA, IOSEPH.
Tres sunt qui testimonium dant in terræ,
& hi tres unum sunt:
Tres sunt qui testimonium dant in cælo,
& hi tres unum sunt.

IN FESTO S. BENEDICTI.

LECT. 19. tripartita.

Det tibi Deus de rore cœli benedictionem, &c.
Genes. 27.

IN familiis Patriarcharum diversæ proles fuêre, quarum aliquæ benedictionem sunt consecutæ, aliæ reprobationi fuêre obnoxiæ. Attende id in familia Adam, Noë, Abraham, Isaac, David. In his invenies Cain, Cham, Ismaël, Esau, Absalon. Hi non fuêre benedictionis filii, sed luctum Patribus suis induxêre. Per id verò significatur, in Dei supremi Patris familia quosdam speciali ejus benedictione præventos esse & electos; quosdam ex justa providentia rejectos. Et quidem ordinariè majores natu prælecti videntur à Domino, ut in hoc humilitas commendetur, quæ est character & signum speciale electorum. PARS I. *De spirituali benedictione in S. Benedicto.*

Sic & in novo Testamento nonnulli specialibus à Domino benedictionibus agnoscuntur condecorari, quorum propterea memoria in benedictione est, permanens in sæculum sæculi, in compositionem odoris facta, in omnium ore indulcata & sapida, in omnium aure suavisona. Inter hos eminet is, qui & re & nomine, quasi per antonomasiam, *BENEDICTVS* est appellatus, *Deo & hominibus dilectus*, cujus memoria & benedictio hodierna die non sine suaveolentia renovatur. Huic autem apprimè convenit illa benedictio, quam protulit Isaac benedicens Iacob filium suum: *Det tibi Deus de rore cœli benedictionem, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini, &c.* Licet enim specialiter per allegoriam Christo conveniant, & propter illâ dicta sint, quæ toto illo contextu benedictionis continentur: tamen etiam electis ejus membris rectè adaptantur. Videamus hæc particularius & singulas benedictionis examinemus partes. *Eccli. 45.* *Gen. 27.*

Primò quidem, sentiens Isaac fragrantiam vestis qua Iacob adornatus erat à matre pronunciat: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Hoc Christo convenit, convenit & Benedicto. Sicut vestis Christi est Ecclesia, de qua alibi: *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum*; sic vestis S. Benedicti est ejus sacra Religio. Illa certè instar agri pleni & floridi, odorem dedit & fragrantiam toto orbe terrarum. Agertutique est cui benedixit Dominus, ut omnis generis flores produceret, violas, hyacinthos, rosas, lilia. Hos flores parturiit, dum tot animas puras & sanctas, humiles & cœlestes, tot Martyres, tot Virgines, tot denique Religiosorum millia in Ecclesiæ gremio germinavit. *Benedictio Iacob accommodata S. Benedicto.* *Ibid.* *Gen. 49.*

Quidam enumerans quadraginta quatuor millia Sancto-

Sanctorum ex Benedicti Religione, in numerum & canonem Beatorum adscripta Ecclesiæ publica & solenni auctoritate, ritu quem beatificationem canonizationem nuncupant. Alij hunc numerum ad quinquaginta duo millia extendunt. Sed non facilè est hujus Ordinis sanctissimi Beatos & Sanctos ad certum calculum vocare: tum ob mille & amplius sæcula, quibus hæc Religio floruit sanctitate; tum ob numerum cœnobiorum, quibus extendit usque ad mare palmites suos, & usque ad Orientem & Occidentem propagines suas. Quidam enim enumerant triginta septem millia Monasteriorum Abbatialium, & quatuordecim millia Prioratuum, ac quindecim millia de cœnobiis Virginum sub regula & vexillo S. Benedicti militantium. In quibusdam autem cœnobiis quandoque simul egerunt nongenti Monachi; in aliis quingenti, vel quadringenti. Denique in nonnullis tantus erat numerus, ut persolverentur divinæ laudis officia nocte dieque sine ulla interruptione, succedentibus sibi invicem Religiosorum choris. O qualis odor & fragrantia pietatis, charitatis, humilitatis, conversationisque cœlestis, spirabat de tot florum millibus implens orbem cœlumque ipsum!

Videri pont. Didacus Yeppes in libro què scripsit de Ord. S. Benedicti, And. Wyon in ligno vitæ Simon Millet annot. in Dialog. S. Greg.

Profectò ager iste à primordiis sanctitate exultus, ac disciplinæ cœlicæ sarculo gnaviter innovatus, in quatuor orbis partes sua propagavit germina, sed & in finem usque sæculi idipsum faciet virtute benedictionis Dei. Cujus verò benedictionis? Vtique hujus benedictionis virtute in Benedictum ac ejus posteros profluente: *Det tibi Deus de rore cœli benedictionem.* Quis vero ille ros cœli? Ros est cœlitus *descendens à Patre luminum*, *à quo omne datum optimum, omne donum perfectum.* An non ros vivificus, gratia cœlestis desursum defluens? Sicut ros plantis vitam infundit, & incrementum radici suggerens, in germen & frugem educit: sic plantis spiritualibus necessarius est ros gratiæ, ut vivant, adolescant, fructificent æternæ vitæ. Hic est ros ille, de quo? *Ros lucis, ros tuus.* Nec enim solum mentes vivificat, sed etiam illuminat, quandoquidem à Patre luminum descendat in filios lucis, ut dispellat tenebras. Hic est, *Ros Hermon, qui descendit in montem Sion, quia illic mandavit Dominus benedictionem & vitam usque in sæculum.* Hic igitur ros est, qui S. Benedictum & filios ejus adeo floridos, adeo fœcundos effecit & suaveolentes, quia juxta promissum Domini copiosè super eos descendit, & perfudit: Adimpletum est igitur in eis illud Domini: *Ero quasi ros. Israël germinavit quasi lilium, & erumpet radix ejus ut Libani ibunt rami ejus, & erit quasi oliva gloria ejus, & decor ejus ut Libani.* Quinam nomine Israëlis designantur, nisi illi qui adspirant ad visionem Dei? Israël enim idem est, quod *Videns Deum.* Ergo Israël erat Benedictus, & congregatio ejus: *Hæc est enim generatio quærentium Dominum quærentium faciem Dei Iacob.* Ideo pro illa accepit Benedictus benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo. Virtute illius *germinans germinabat quasi lilium, lætabunda & laudans* in solitudine, *gloria Libani data est ei & decor Carmeli.* Hanc benedictionem sua promeruit humilitate & candore: nec enim superba & tetra corda rorem hunc cœlestem aut benedictionem percipere valent: *Montes Gelboë, nec ros, nec pluvia veniat super vos.*

Iacob. 2.

Ros Ordinem S. Benedicti irrigans. Isa. 26.

Psal. 132.

Osea. 14.

Psal. 22.

Isa. 35.

2. Reg. 2.

Ex illo porrò cœlico rore, quem in suum attraxit verticem pro se & suis Benedictus, exorta est copia frumenti, olei & vini. Quid frumentum? Verbum est Dei, saginans & pascens animam, adipe replens & suavitate. Hoc est frumentum electorum, de quo congratulari possumus Benedicto: *Lauda Deum tuum, quia benedixit filiis tuis in te, & adipe frumenti satiat te.* Quid verò est oleum, nisi pinguedo devotionis, impinguans interiorem hominem? Quid vinum, nisi excessus charitatis mentem inebrians & sublevans, non liquore erumpente in spiritum vertiginis aut libidinis, sed germinante spiritum veritatis & castitatis, qui omnem concupiscentiæ extinguit prurigineṁ. His omnibus copiosè Deus benedixit virum sanctum totumque ejus Ordinem, quia *à fructu frumenti, vini, & olei, multiplicati sunt* ejus filii mirum in modum: ab ubertate scilicet doctrinæ cœlestis à fructu vivifici Sacramenti cum frequentia percepti, à pinguedine devotionis exundante. Sic Ordo ejus factus est Ager plenus, Vinea fœcunda, Olivetum uberrimum, cui benedixit Dominus.

Frumentum vinum & oleum Ordinis S. Benedicti quale. Psal. 147.

Psal. 4.

Sed ut de ipso Benedicto specialiter agamus, tanta fuit benedictione spirituali repletus, ut nunquam peccati mortiferi maledictioni fuerit obnoxius. Plenus enim fuit spiritu Dei jam ab ineunte ætate, statimque ab illo spiritu ductus est in desertum, & edoctus ad fugiendum mundum, ejusque contagium, ad conculcandam carnem & ejus illectamenta, obsistendum Satanæ & ejus insidiis. *Benedictio illius qui apparuit in rubo*, fuit super verticem hujus *Nazarens inter fratres suos*, & id quidem jam à primordiis adultæ ætatis. An non virtute benedictionis Dei, qui apparuit in rubo, visus est ipse forti & incorrupto animo ieſe volutare in spinis & rubeto ut evitaret illecebras & corruptionem carnis? Hoc certè generoso stratagemate profligavit Satanam, Mundum, Carnem, hostes mentis, & promeruit benedictionem & donum perpetuæ castitatis. Qui à fortis fuit contra Angelum tenebrarum, meruit benedictionem ab Angelo lucis, vel à Christo magni consilii Angelo, qui amator est castitatis, & *Dux Virginitatis.* Hac benedictione factum est, ut tangeretur nervus femoris ejus, & carne marcescente solo spiritus insisteret pede. Nervus tactus, concupiscentia est debilitata: ut jam inauguraretur Magister castimoniæ & disciplinæ, atque è Rubo & spinis emitteretur instar Moysis, ad educendum millia è tenebris Ægypti, è caligine carnis & sæculi.

S. Benedictus nunquam mortaliter peccavit.

Deut. 33.

S. Ben. magister castimoniæ.

O felix Rubus! ô beatæ spinæ! ô desiderata ibi benedictio animæ, quæ [illegible]ra modum exagitabatur maledictis spinis libidinosis voluptatis. Felix utique Rubus, quem crebrò visitans S. Franciscus, ibique extirpans cruentas spinas Benedicti sanguine olim conspersas, plantabat Rosas aspectui & odoratui delectabiles. Hæc igitur fuit Benedicti benedictio, impetrata è cœlo, dum ageret in pœnitentiæ deserto, carnis scilicet incorruptio, qua approximat homo Deo. Hic ietrum ros cœli agnoscitur, qui in medio ignis ardentis pueros Israëliticos refrigerat, & noxium extinguit ardorem. Hic quoque Rubus agnoscitur incombustus, dum in medio flammæ libidinosæ castitas manet integra, nec concupiscentia ardente læditur, aut ustulatur. Sic tu Domine, antiqua innovas signa, immutas mirabilia, ut glorificetur potentia tua, benedicaturque tua in electos provida misericordia, qua illos circumdas & protegis, & singularis benedictionis consortes efficis.

1. Ben. benedictio multiformis fuit.

Neque verò unica & simplici benedictione adornatus, est Vir nomine reque Benedictus, sed multiformis illa fuit, & jugiter cum eo crevit. Etenim Spiritus Sanctus omnigenis suis donis eum perfudit, prophetiæ dono, discretione spirituum, operatione miraculorum, interpretatione sermonum, gratia sanitatum. Aquam è petra produxit, instar Moysis Ferrum super aquas natare fecit, instar Elisæi. Super fluctus ambulare fecit S. Maurum, instar Petri. Corvo præcepit panem infectum veneno in desertum efferre, instar Eliæ *Spiritu justorum omnium plenus fuit vir iste* lib. 2. c. 8. inquit S. Gregorius in Dialogis, ubi multa ejus deferibit miracula.

PARS II.
De benedictione S. Ben. in Ordine tam in opibus quam honore.

NOn solum benedictione spirituali voluit Deus S. Benedicti Ordinem florere, sed etiam corporali; ita ut etiam abundarit successu temporis frumento, vino, oleoque materiali hoc est, copiosis opibus. Quapropter ei adaptantes benedictionem Iacob, possumus sic distinguere, ut quando primum dicitur: *Det tibi Deus de rore cœli*, supernam & cœlestem benedictionem intelligamus, cum verò adjicitur, *& de pinguedine terræ abundantiam*, terrena benedictio designetur: quia utramque dictam benedictionem Ordo ille Benedictinorum hæreditavit. Nulla etenim Religio, ita floruit, non solùm ob pietatem & sanctitatem, sed etiam ob temporalem & externam opulentiam: quod ipsum est donum & benedictio Dei. Nempe hic Ordo religiosus virtute & pietate floridus, non solum sibi fuit proficuus, solitudini & Deo vacans in spe & silentio, sed etiam zelo gratiæ divinæ incensus, varias in orbis plagas verbum Dei diffudit, animarumque conversioni strenuè incubuit, maxima certè fruge. Nam ex ejus alumnis Stephanus Martyr convertit Pannoniam, Maurus adivit multo cum fructu Galliam, Placidus Siciliam, Adalbertus Boëmiam, Bonifacius ad fidem adduxit, vel in ea confirmavit Germaniam, Augustinus Monachus Angliam, Lambertus & Hubertus Belgicam. Hunc zelum considerantes nonnulli Reges, & Principes, ac Optimates, partem hæreditatis ad pedes eorum attulerunt, quasi ad pedes Apostolorum. Sic voluit Deus eorum labores non solum benedictione spirituali & æterna, sed etiam remporali compensare. Adimpletumque cernimus illud: *Electi mei non laborabunt frustra, neque generabunt in conturbatione: quia semen benedictorum Domini est, & nepotes eorum cum eis.* Nempe propter obsequium Ecclesiæ præstitum, opes eis donatæ sunt; ut in pauperes sint liberales ut hospitalitatem foveant; ut in Ecclesiæ; decorem, decenter pro majestate rerum divinarum, eas conferant. Sic & verum fuit de hac sacra Benedicti familia, ob Regum & Principum munificentissima dona illud Isaiæ: *Erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ.* Et rursus illud. *Mamillæ Regum lactaberis.* Quidam existimarent Ordinem S. Benedicti opes possedisse pertingentes ad tertiam vel circiter partem opum totius Christianitatis. Quicquid sit ea de re, certum est de eo rectè dici, quòd benedictionem participet non solum de rore cœli, sed etiam de pinguedine terræ & soli,

Isa. 65.
Isa. 49.
Isa 60.
Vide Simlerum in annot. ad Dial. S. Gregorii.

Distinguenda ergo sunt duo tempora, cum Ecclesiæ tum Religionis. Initio enim Ecclesia in paupertate egit, in piscatoribus fundata inopiam profitentibus. Postmodum voluit Deus per Regum & Imperatorum munificentiam inopem suam ditari Sponsam maximè à tempore Constantini, qui Orientali contentus imperio, Occidentale cessit Romanæ Ecclesiæ. Voluit nimirum Dominus hac magnificentia & opibus eam adornari, ut adversariis posset obsistere, & splendore suo nonnullos allicere, qui rerum majestate exterius promicante ducuntur. Illa ergo quæ in sanguine Martyrum quibusdam contemptibilis videbatur; vestita fuit discoloribus, purpura & hyacintho cincta, auro & argento ornare, sicque profecit in regnum, regio & sacerdotali decore honorata. Quod de Ecclesiâ dicimus, hoc de multis Religionibus etiam verum esse conspicimus, quæ post rorem cœli, terræ pinguedinem hæreditarunt, Domino ita ordinante. Hoc solum Prælatis providendum est, ne ros cœli, qui terræ pinguedinem generavit, suffocetur tamquam mater à filia: hoc est, ne pietas & gratia cœlestis suffocetur à divitiis, quæ nonnullis sunt irritamenta malorum & impedimenta salutis, dum illis animum implicant, & abutuntur, atque in ea, ad quæ à Deo destinatæ sunt, non impenduntur.

Ezech. 16.

Dicamus ulterius, S. Benedicti Ordinem pro benedictione hæreditasse non solum opes, sed & specialem honorem, tam temporalem, quam spiritualem. Huc referri potest illud, quod sequitur in benedictione Iacob: *Adorent te tribus, & servient tibi populi. Esto Dominus fratrum tuorum, & incur-*

Ordo S. Benedicti honores hæreditavit.
Gen. 27.

incurventur ante te filij matris tuæ. Inter ordines Religiosos primarius eis honor defertur in congregationibus & conſeſſibus, præceduntque omnes Religioſis quoque ſub Benedicti regula & vexillo militantibus; ſtatim ubi ſacerdotio initiantur, tanquam honoris ſpecialis titulus datur nomen, DOMNUS, quod per abbreviationem deducitur à nomine. DOMINUS, & in clero quandam præeminentiam deſignat. Hinc illud in officio Eccleſiæ, *Vt Domnum Apoſtolicum conſervare digneris.* Et rurſus illud: *Iube Domne benedicere.* Alij Ordines Fratris nomen inter ſe aſſumunt, hi & Fratres & Dominos ſe indigitant, quaſi unicuique eorum in ſacerdotio ſors illius benedictionis cadat: *Eſto Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filij matris tuæ*; honorem ſcilicet tibi ſpecialem exhibendo, non tantum corde, ſed externa etiam ſignificatione.

Quod ſi ad Benedictum, totius Ordinis Patriarcham, hoc ſpecialiter referre velimus: *Eſto Dominus fratrum tuorum, incurventur ante te filij matris tuæ*; id certè fiet non immeritò, nec impropriè, aut inconcinnè. Sicut enim Iacob his verbis benedicitur, tanquam Patriarcha, ſive tamquam Pater Patrum, Paterque filiorum illorum, qui Parentes erant futuri duodecim tribuum; in populum Dei peculiumque ſpeciale ſelectatum: Ita S. Benedictus factus eſt Parer duodecim tribuum, hoc eſt, duodecim Congregationum, in quas Ordo ipſius diviſus eſt, ut norunt ejus alumni. Ex ejus enim ſpirituali ſemore & ſemine primigenio exorti ſunt Cluniacenſes. Ciſtercienſes, Camaldulenſes, Cœleſtini, & alij; qui etſi ſpeciales ſortiti ſint Pædagogos in Chriſto, hunc tamen ſuum agnoſcunt Patrem & Patriarcham, quia per Evangelicam ſuam Regulam eos genuit. Ideò inter hos omnes primatum tenet, & honoris primitias ſibi vendicat. Dicere itaque ei poſſumus illud: *Leva in circuitu oculos tuos, & vide, omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi. Filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent.* Ruſusque ejus filijs congregatis in nomine Domini ſub Labaro & ſignis Patris ſui glorioſi Benedicti, illud convenit. *Omnes qui viderint eos, dicent: Iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.* Cum igitur totum Ordinem rexerit & dilexerit, hactenusque regat & diligat Sanctiſſimus Pater & Dux; ideo ſpeciali cultu & honore Fratribus & filijs ſuis colitur, tamquã Pater & Dominus, ſpecialiter à Deo electus, & in hunc benedictionis honorem deſtinatus. Etenim vult Deus, ut ſerviant ei populi, & adorent tribus, ac incurventur ante eum filij matris ſuæ, quia Dominum Fratrum ſuorum ipſum conſtituit. Et quandoquidem Ordinis ejusdem Prælati, ejus in regimine ſunt ſucceſſores, ejusque vices gerunt & locum tenent honoris; vult ut filij & fratres eorum, ejuſdem familiæ benedictæ alumni, debitum illis honorem tribuant, quem in BENEDICTUM, tamquam immortalem Patrem & Rectorem, referant cum obſervantia profunda. Hi ergo etiam conſtituti Fratrum ſuorum, non quidem *ut dominentur in cleris ſed ut ex animo forma fiant gregis*, & illum dirigant in viam æternitatis. Magnus ergo eis tribuitur honor à Fratribus & filijs ſeſe ante eos incurvantibus; quem teſtantur tot inclinationes profundæ, tot capitis & corporis incurvationes ſubmiſiſſimæ, in hac Religione obſervari ſolitæ.

S. Ben. Pater. 12. Congregationum.

Iſa. 60.

2. Petr. 5.

Adeamus & hic, quandoquidem de primatu & honore hujus Religionis differere incipimus, hoc non exiguo ei honori eſſe, quod Reges & Principes. Reginæ & Heroinæ, humiliter ſeſe incurvarint, & ſupplices rogarint admitti, & inſcribi huic ſanctiſſimæ religioni. An non tibi videntur agnoviſſe S. Benedictum tamquam Dominum in cœlo & terra potentem, à quo benedictionem & hæreditatem ſalutis eſſent ſuſcepturi, ſi ſe cum hæreditate terrena illis committerent, & incurvarent ſe ad obedientiam ſub Prælatis vices ejus in regimine tenentibus? Quod ſi numerum Magnatum utriusque ſexus, qui huic Ordini voto perpetuo ſe conſecrarunt; exoptas noſſe, dicam paucis. Nonnulli ex Ordinis hujus hiſtoriographis enumerant ex Imperatoribus, tam Orientis, quam Occidentis, viginti & unum: Imperatrices autem recenſent viginti ſex. Vlterius enumerant Reges quadraginta & octo: Reginas verò recenſent quinquaginta & quatuor. Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum, & illuſtriſſimorum aliorum Nobilium maximus certè eſt numerus, ideoque ad certum eos calculum coarctare, haud facile eſt. Hi interim omnes Ordinis hujus veſtem & profeſſionem ſuſcipientes, in eoque portum ſalutis agnoſcentes, animo generoſiſſimo diademata in caputium, purpurata paludamenta in cucullum, ſceptrum in diſciplinare flagellum, Inſignia ſtemmatum in crucis vexillum, militaremque omnem panopliam in lucis commutarunt armaturam. Quicquid mundanæ nobilitatis & honoris erat, arbitrati ſunt ut peripſemata & ſtercora, ut benedictionem Dei hæreditate poſſiderent & Chriſtum lucrifacerent.

In Ordinem S. Ben. Reginæ admitti petierunt.

Vide And. Vvyor.

Hoc denique pro coronide adjiciamus, S. Benedicti Ordinem maximè fuiſſe florentem, & in Eccleſia maximè honoratum, ex quo tot Viri ſanctitate & doctrina clariſſimi ad ſummi honoris apicem ſunt evecti. Enumerantur enim ex hoc Ordine ſupremi Pontifices quadraginta, è quibus viginti ſeptem in canonem & numerum Sanctorum publicitus ſunt relati. Recenſentur quoque ducenti Cardinales S. R. Eccleſiæ quinquaginta & unus Patriarchæ; mille & ſexcenti Archiepiſcopi, Epiſcoporum quatuor millia. An non ſic vides adimpleri illud jam ſæpè repetitũ: *Serviant tibi tribus & populi, & adorent te tribus. Eſto Dominus fratrum tuorũ, & incurventur ante te filij matris tuæ.* Certè in primatu Eccleſiæ ſederunt filij ſancti Patris Benedicti multis ſæculis, eamque rexerunt feliciter, ideoque

Ordo S. Ben. præ reliquis maximè honoratus

Vt. And. Vvyon in ligno vitæ.

ideoque honorari a [illegible]unctis Ecclesiæ filiis.

PARS III. *De benedictis S. Ben: benedicentibus & maledictis maledicentibus*

POstrema pars benedictionis hoc continet: *Qui tibi maledixerit, sit ille maledictus, & qui tibi benedixerit, benedictionibus repleatur.* Hoc nobis explicandum restat, & Benedicto applicandum. Atqui inprimis, satis ex prædictis constat, quare huic Ordini Benedictino favorem præstiterunt certatim Reges Principes, Magnates. Id lætiqui eo fine fecerunt, ut benedicentes Benedicto, duos temporales ad ejus pedes afferunt benedictiones, ab ipso, & à Deo, æternam consequerentur benedictionem. Non enim ignoratunt promissum istud ei à Domino insinuatum: *Qui tibi benedixerit, benedictionibus repleatur.* Equidem plerique eorum, qui sincerè Benedicto fuere affecti propter Deum, per ejus merita & intercessionem misericordiam & benedictionem consecuti sunt à Deo salutari suo, in vita, in morte, post mortem.

Vlterius, qui variis affecti afflictionibus ipsum accesserunt cum fiducia, benedicentes Dominum in servo suo electo, non recesserunt sine optata benedictione. Nam ægri sanitatem, dæmoniaci libertatem, anxii consolationem, desperabundi fiduciâ, confracti integritatem, imò & mortui vitam, per ipsum, ipsiusq; benedicta eloquia sunt affecuti. In cujus rei fidem perlegere potes l. 2. Dialog. S Gregorii Pontificis, ubi exemplis variis patescit, quam efficax fuerit Viri sancti benedictio, corporali vel spirituali afflictione perculsis. O quantis hi benedictionibus prosequebantur virum Dei, ejus benedictione in libertatem asserti! O quam verum est de ipso: *Qui tibi benedixerit, erit benedictus.*

E contra notissimum est, quod qui in eum maledictis & conviciis, aut calumniis insurrexerunt, maledictionem sint experti. Etenim ad id moveri non poterant, nisi ab illo, qui omnis est author & fautor maledictionis: qui postquam in caput suum maledictionem à Deo accersivit, etiam conatur in nos derivare, peccati sui nos efficiendo consortes. Sanè fuit ipse Benedicto hostis insensissimus, jam à primordiis sanctæ conversionis. Vnde & per se & per alios à se suscitatos crebrò conjisus est eum è sanctitatis gradu exturbare, vel à proposito dimovere, sed frustra; ideoque sua spe frustratus, omnem expuebat iram, omnemque maledictionem evomebat. Refert S. Gregorius, cap. 8. sæpius Satanam sese ingessisse in oculis & conspectu Benedicti, flammantibus omnino oculis, & igne tartareo in iram succensi. Ac primò quidem in clamorem erumpebat horribilem, *Benedicte, Benedicte, Benedicte*: cumque Vir sanctus non dignaretur respondere, horribiliori voce personabat: *O maledicte, maledicte, maledicte, quid tibi mecum est, quòd sic me persequeris?* At verò maledictio omnis in caput ejus retorquebatur, ac in verticem eorum quos exacerbabat postmodum, & in virum sanctum incendebat.

Satan. insidiatus S. Benedicto.

S. Gregor. in Dial. insidiantes S. Benedicto.

Pernotum est, quomodo maledictio reversa fuerit in primos suæ disciplinæ Monachos, qui ejus austeritatem & actia monita non ferentes, conati sunt Satanæ suggestione ipsum poculo venenato inficere, & interficere. Etenim vis benedictionis ejus confregit vasculum, ne cui esset nocumento, maledictio autem in consilij maligni impios auctores est regressa. Nam & hos ipse deseruit in pœnam, *ut irent in adinventionibus suis pessimis*, donec in tartarum pertingeret ad primum auctorem malignæ suæ suggestionis. Elegit ergo rursus per id temporis solitudinem, sese sequestrando à tumultu & regimine, donec Deus aliud cœlitus ordinaret. Interim non potuerunt maledictionis esse exortes, qui sic ei loco benedictionis maledictionem imprecati sunt, & toxicum pararunt dedecorosè & impiè.

Maledictio reversa in

Psal. 80.

Deniqui, & illud pernotum est, quomodo maledictio involverit infelicissimum Presbyterum, nomine *Fortunatũ*, qui omnibus modis adversabatur o Dei, & ejus sanctissimo Ordini, dum fundamina jacerentur felicibus auspiciis. Ille enim cum in vicinia habitaret Cœnobii novelli, in quo præsidebat Benedictus, non solum maledictis eum lacessere clam palamque studuit, sed etiam diabolica suggestione in hortum Fratrum nudas & impudentes puellas aulus fuit immittere: ut sic eos vel seduceret, vel objectis illecebris taliter exagitaret, ut domum ibi recens extructam deserrent. Rursus & aliâ vice per panes in Cœnobium missos, subtili adinventione, sed malignissima intentione inotxicatos, existimavit. Virum sanctum è medio tollere. O Satanæ servum & mancipium maledictum! O virum infortunatum! Nesciebat illud concernere hunc Benedictinorum Ducem electum: *Qui tibi benedixerit, benedictionibus repleatur: qui tibi maledixerit, sit maledictus.* Attende maledictionem vertici ejus incumbentem subitò. Cum enim domicilium mutaret Vir Dei, & exinde vir ille infortunatus infeliciter ob id exultaret in solatio suo, quia jam votis potitus: mox quasi maledictionis fulmine ictum foret dictum solatium cum habitatore suo, distractum est, & funditus corruit. Sub qua & ipse ruina oppressus & extinctus, infelicissimam animam in sinum Satanæ exhalavit, æternæ tradendam maledictioni. An non igitur hic apertè vox veritatis impletur: *Qui tibi maledixerit sit maledictus, qui tibi benedixerit, benedictionibus repleatur?* An non & illud, dictæ jam sententiæ per omnia consonum, verificatur: *Qui tangit vos, tangit pupillã oculi mei?* An non rursus illud Evangelicum: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit?* Nolite igitur, ô maligni, tangere Christos Domini, nolite in Prophetis & Sanctis ejus malignari, nisi è vestigio maledictionem Domini ejusque iram vindicem velitis experiri. Vos verò, ô pii, benedicite Dominum in Sanctis ejus, ut benedictionibus vos repleat per merita & intercessiones eorum, tandemque vobis conce-

Zach 2.

Luc. 10.

concedat, in eorum beato consortio, illum laudare & benedicere qui eos cœlesti benedictione cumulavit, ut illius perenni visione fruerentur qui est in sæcula sæculorum benedictus.

Cõclusio. O Benedicte Domini, nos hodie benedicimus Domino, propter te, benedicimus & te propter Dominum. Populus, & clerus, conventusque fratrum tuorum & filiorum, exultant in laudibus tuis ac divinis præconiis ob hodiernam festivitatem, qui: tu *dilectus Deo et hominibus, memoraque tua in benedictione est.* Tu igitur reddens vices, benedic hæreditati tuæ. Impetra quoq; pro benedictione huic plebi piæ roris cœlestis participationem, Impetra toti Ecclesiæ pacem & tranquillitatem, Principibus & Regibus Christianus concordiam & unionem, Domino Apostolico & omnibus Ordinibus sinceram & sanctam religionis conservationem. Denique cum cœlesti gratia perseverantiam, ut postquam Te ac Dominum benedixerint in hoc sæculo, possint tandem tecum illum benedicere perenni laude in cœlo.

PRO FESTO ANNVNC. B. VIRG.

Lect. 20. tripart. *Ave gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Luc. 1.

Pars I. *De gaudio B. M. V. in hac salutatione.*

LEgatio cœlestis per Angelum MARIÆ facta, quam Annunciationem vocamus, gaudijs est referta cœlestibus, quia mysterium mysteriorum complectitur ineffabilis lætitiæ fegetem subministrans. Ideo MARIAM salutans Angelus per hæc verba exordiur. *Ave gratia plena.* Quod idem est ac si diceret. *Salve, Gaude, Lætare.* Equidem cœlo & terræ gaudium nunciatur, sed speciale gaudium hodierna die MARIA concipit multiplici titulo.

Gaudium M. V. ex diversis.

1. *Primo* quidem speciale innascitur ei gaudium, ex illa certitudine quam ex Angelica revelatione habet DEO placita esse opera sua seque in statu gratiæ agere, & divini amoris objectum esse. Cum nemo nostrum scire possit an amore, an odio sit dignus, hoc ex prærogativa particulari datum est. Virgini agnoscere cum certitudine, cui non poterat falsum subesse. Neq; tantum agnovit se à Deo amari obstatum præsentis justitiæ, sed etiam amorem illum divinum erga se ab æterno in æternum usque sese protendere. Agnovit enim suam in gratia confirmationem, æternamq; proinde electionem, per quam nomen suum scriptum erat in libro vitæ, & quidem *in libri capite.* *Psal. 39.*

2. *Secundò*, ineffabile ei gaudium innascitur, dum agnoscit se Matrem illius electam in terris, cujus Pater Deus est in cœlis Deum agnoscit Sapientiam illam æternam à Patre genitam Angelos beatificantem, nunc fore filium suum Matrem & homines lætificantē. Dum agnoscit uterum suum jam præparari & adornari? quasi nobilissimum cœlum, in quo divinitatis plenitudo corporaliter habitare debeat; ita ut modò verum sit illud, quod vox de cœlo intonat: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus & habitabit cum eis, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus:* Hoc quidem lætificat Angelos & Homines, sed maximè MARIAM, quæ hodie in tabernaculum divinitatis præparatur cœlica Annunciatione. Sed & hoc gaudium adauget, quod agnoverit se electam Dominam Angelorum & Hominum, cœli & terræ Reginam ac inferorum. Nam & ei Angelus ex parte cœlestis Hierarchiæ honorem defert & subjectionem: futuris verò temporibus, omnis hominum status & sexus, omnesque nationes obsequium & honorem debitum sunt delaturæ, ejus præconiis toto Orbe resonantibus, prout & ipsa in Cantico agnoscit: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est.* *Apoc. 21.* *Luc. 2.*

3. *Tertiò* & præcipuè dicamus ineffabile gaudium cordi MARIÆ per Angelicam Annunciationem innatum non solum quia suas prærogativas agnovit, sed maximè ob Redemptionem totius generis humani approximantem, quàm sciebat tot votis expetitam tot oraculis prædictam, tot figuris præsignificatam, tot lachrymosis desideriis adtractam. Numquid illius redemptionis per Angeli legationem, per filij Dei incarnationem, jam in utero ejus jaciebantur fundamenta? O ergo inenarrabile gaudium cor Virgineum dje isto perfundens! Quapropter meritò prima vox Angeli nunciantis est illa; *Ave gratia plena*, hoc est, *Salus tibi sit, gaudium & lætitia.* Certè si omnia gaudia à principio creationis alicui collata, & in finem usque sæculi conferenda in unum confluerent, non possent gaudium istud adæquare, quod Virgo concepit de Filij Dei incarnatione. Numquid gaudiorum cumulus & indicibilis suavitas eam perfudit, dum illud æternum lumen cum toto suo fulgore in eam descendit, & quod totus mundus non capit, intra ejus viscera se condidit? Et quare necesse fuit Spiritum sanctum & Altissimi Virtutem ei tunc obumbrare, sive umbram refrigetantem præstare, nisi quia mens Virginis mira tunc amoris & gaudij copia exæstuare debebat, quam humanus animus ex se non posset, sustinere? Quod ergo dicitur; *Spiritus S. superveniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, idem esse post ac si diceretur: Superveniet in te Spiritus S. qui ignis est consumens, accendetque in te mirum ignem amoris & gaudij divini, quem viribus naturæ haud posses sustinere, sed in mediis veluti flammis vita sese dissolvente consumereris: verum umbram ipse præstabit, & refrigerium & virtutem, ut jam in te præ amore & gaudio exæstuante removetur miraculum Rubi in medio ignis non consumpti. Itaque rectè asseritur soli Deo & animæ Christi animæque Virginis Christiferæ notum esse illud gaudium, quod his verbis insinuabatur per Angelum, *Ave gratia plena*, Gaude, Lætare. *Luc. 1.*

Ave B. M. Virg. gratissimum.

Quapropter nihil est gratius Virgini, ejusq; Filio, quàm Angelicum illud *Ave* Virgini frequenter ex cordis pietate offerre; quandoquidem hoc ipsum sit indicibile illud gaudium quodammodo renovare, quod ei in Angelica infusum fuit Annunciatione, & mysterium incarnationis divinæ initium salutis & redemptionis nostræ rememorare. O quàm id gratum est, quando id fit cum animi gratitudine. Hinc liliis & rosis odoriferis eorque mirè exhilarantibus vitæ sunt Virginem coronare multæ animæ piæ, dum ei salutationem hanc sæpè ore & corde repetam humilitatem offerebant.

Exempl.

Audi quod ad hoc propositum refertur in lib. Insinuationum divinæ pietatis S. Gertrudis l. 4. c. 12. In vigilia Annunciationis Dominicæ dum pulsaretur ad capitulum, & ipsa intendere studeret Domino, recognovit in spiritu Dominum Iesum una cum Matre sua virginea in capitulo loco Superiorum sedentes, & quasi cum magna tranquillitate adventum congregationis præstolantes, adventesque cum enarrabili blanditatis serenitate excipientes. Et cum in Calendario legeretur, ANNUNCIATIO DOMINICA, conversus Iesus ad Matrem, blandissima capitis inclinatione ipsam salutavit, & quomodo per hoc in ipsa illam suavitatem inæstimabilem innevavit, quam olim persensit dum in utero virginali incomprehensibilis divinitas carnem assumens ex ea, dignatus est se humanæ naturæ convenire. Sub Matutinis verò dum cantaretur AVE MARIA, vidit tres rivulos efficacissimos procedentes à Patre & Filio & Spiritu sancto eor Virginis Matris suavissimo impetu penetrare, & de corde ipsius rursum efficaci impetuositate suam originem repetere; & ex illo influxu SS. Trinitatis hoc B. Virgini donatum fore quod ipsa est potentissima post Patrem, sapientissima post Filium, benignissima post Spiritum sanctum. Cognovit etiam quod quoties illa Salutatio Angelica cum devotione recitatur, prædicti rivuli efficaciori impetu superabundantes circumfluunt Beatissimam Virginem. Et ex altero latere reinfluunt cor ipsius sanctissimum, sicque cum mira delectatione repetunt fontem suum. Ex illa autem redundatione, venæ quædam gaudij & æternæ salutis respersuntur in omnes personas Sanctorum & Angelorum, insuper illorum qui in terris commemorant eandem salutationē, per quas renovatur omne bonum in singulis, quod unquam per salutiferam incarnationem Filij Dei sunt adepti hæc ibi.

Cur Christi conceptionem hæc legatio præcesserit.

R. 1.

Conveniens porrò fuisse ut Christi conceptionem præcederet hæc legatio & annunciatio Angelica, variis rationibus declarat sancti Patres. In primis. Virginis mens de Filio Dei erat instruenda, *ut sacro gravidanda fœtu divinam humanamque prolem prius mente conciperet, quàm corpore*, inquit S. Leo serm. 1. de Nativit. Nam licet Virgo haberet fidem mysterij Incarnationis, tamen non sciebat in seipsa, sive per seipsam, aut cum seipsa perficiendū, ut docet S. Ambrosius lib. 2. in Lucam. Virgo posset esse certior testis & Magistra tanti mysterij, super illo instructa fuit ab Angelo; & per illam instructionem factum est, ut nos præcipuum testimonium Virginitatis ejus & modi cōceptionis haberemus & crederemus. Per Angelum verò facta est hæc legatio, tum quia hæc est divina ordinatio ut mediantibus Angelis cœlestia mysteria ad homines pertingant: Tum quia idem orbi reparando initium dari conveniebat, quod datum fuerat evertendo, ut notant SS. Patres. A colloquio enim quod cum Eva adhuc Virgine Angelus malus habuit eversio orbis sua sumpsit primordia; à colloquio quod cum MARIA Virgine Angelus cœlestis habet, reparatio est incepta. Sic eadem via qua elapsus fuit homo ad mortem redit ad vitam, dum cum MARIA Angelus agit de salute, quia cum Eva Angelus egerat de ruina, ut loquitur S. Chrys. serm. 1. 2. In eundem modum ea de re differit S. Irenæus lib. 5. cap. 18. sic dicens: *Sicut Eva per Angelicum sermonem est seducta, ut effugeret Deum, prævaricata verbum ejus: ita Maria per Evangelicum sermonem evangelizata est ut portaret Deum, obediens verbo ejus; ut sicut adstrictum est mortis genus humanum per virginem Evam, (solvatur & per Virginem MARIAM, virginalis inobedientia, per virginalem obedientiam*, hæc Irenæus.

R. 2.

Adde congruisse dignitati & virginitati Mariæ, ut Angelus ad eam mitteretur tantum ei exhibens reverentiam. Vnde notandum est quod dicit S. Thom. in opusc. Antiquitus magnum fuit, quod Angeli hominibus apparerent, vel quod homines Angelis reverentiam exhiberent. Quapropter ad laudem Abrahæ scribitur, quod Angelos hospitio exceperit, & eis reverentiam exhibuerit. Quòd verò Angelus homini reveventiam exhibeat, non fuit auditum, nisi postquam ab Angelo cum reverentia salutatur MARIA. *Ave gratia plena.* Cur vero olim Angelus hominem non reverebatur, sed homo Angelum, ideo fuit quia Angelus erat homine major quantum ad tria. 1. Quantum ad dignitatem naturæ, quia purè spiritualis est 2. Quantum ad dignitatem officij & familiaritatem divinam, quia Angeli Deo assistunt & coram eo ministrant. 3. Quantum ad plenitudinem splendoris gratiæ, quia divinum lumen magna participant plenitudine; ideò solent magno cum splendore apparere. Nam & Angelos olim non audebant etiam pij homines adspicere. Daniel ad aspectum Angeli totus contremuit, & emarcuit species ejus. Iacob luctatus cum Angelo Dei vices gerente pro miraculo narrat: *Vidi Dominum, & salva facta est anima mea.*

Angelus olim homine major.

Dan. 10.

Gen. 3.

Conveniebat autem quod Angelus tunc hominem veneraretur, inquit idem S. Thomas, quando inventa est aliqua persona humana, quæ in tribus excedit Angelum. Hæc est Maria, quam hodiè Angelus salutat. 1. Excedit in plenitudine gratiæ; unde ei dicit *Ave gratia plena* in familiaritate divina; non posset enim majorem familiaritatem ei

Cur Angelus hic hominem honoret.

Deus

Deus exhibere, quàm se filium faciendo. Quare quòd ei dicitur, *Dominus tecum*, specialiori quodam modo verum est, quam cum Angelis, quia per quandam identitatem & affinitatem est cum Maria. 3. In puritate, major enim in Virgine puritas est, quam in Angelis, quia in ea puritatis auctor habitavit. Itaque cum in omnibus Virgo Angelis superior sit, non immeritò ab Angelo colitur & salutatur, & modus quo eam salutare debemus nobis ab illo designatur. Ita S. Thomas speciali de hac re opusculo.

PARS II. *De triplici radice gaudii ex verbis Angeli.*

TRiplicem purissimi gaudii in Maria causam exprimere censetur Angelus in verbis suæ Salutationis & Legationis, dum dicit *Ave*, sive gaude Maria, quia *Gratia plena*, quia *Dominus tecum*, quia *benedicta tu inter mulieres*. Quæ quidem omnia explicuimus copiosè in Horto Pastorum Tract. 4. lect. 3. Ex illis autem quæ ibi dicta sunt, pauca repetemus hic convenientia.

1. *De plenitudine gratiæ B. M. V.*

Dicamus ergo *primò*, quando Maria Virgo ab Angelo asseritur *Plena gratia*, id intelligendum esse de plenitudine specialis prærogativæ, quia scilicet habuit excellentissimam gratiam super omnes Sanctos, & super omnes Angelos. Est enim quædam plenitudo gratiæ soli Christo competens, quam quidam Theologi vocant *Plenitudinem gratiæ summam intensivè & extensivè*, quia habuit Christus gratiam secundum perfectissimum modum & mensuram, quam Deus decrevit impertiri alicui creaturæ. Anima enim Christi quandoquidem unita fuerit Divinitati tamquam Fonti gratiæ, ejus influxum perfectissimè debuit participare maximè quia Christus tamquam Caput omnium electorum gratiam accepit in alios transfundendam; sicque debuit constitui tamquam Principium universale à quo in genus humanum omne genus gratiæ debebat derivari. Habuit ergo *Plenitudinem intensivam*, quia habuit supremum gratiæ gradum, quem Deus decrevit dare alicui creaturæ. Habuit & *Plenitudinem extensivam*, quia ab illo tamquam Capite & Principio universali omnis effectus & operatio gratiæ dimanare debebat in alios. Illa ergo plenitudo illi soli competit; quia illi soli competit esse Caput & Fontem gratiarum. Quapropter de illo propriissimè verum est illud: *De plenitudine ejus omnes accepimus*. Sic & Soli plenitudo lucis appropriatur, quia Fons est luminis, à quo lux in cætera diffunditur. Est & altera *Plenitudo sufficientiæ & abundantiæ*, quæ quandoque Sanctis tribuitur, quia abundantem gratiam illis communicat Deus statui suo & ministerio ac officio congruam, ut perfectè illo fungi valeant. Sic Ioannes, Stephanus, Apostoli, dicuntur pleni vel repleti Spiritu sancto, unusquisque juxta ministerium ad quod à Deo destinabatur. Est & tertia plenitudo gratiæ quæ Mariæ tribuitur, quam vocamus *Plenitudinem specialis prærogativæ*, quia excelluit in gratia super omnes SS. Rationem adfert S. Thomas. *Quia unicuique à Deo datur gratia secundum dignitatem ad quam eligitur, prædestinatus Filius Dei & omnium Sanctificator habuit plenitudinem gratiæ sibi propriam, quæ redundaret in omnes. Maria verò electa ad dignitatem Matris Dei obtinuit tantam plenitudinem gratiæ, ut esset propinquissima gratiæ Auctori, ita quod cum quis est plenus omni gratia in se recipiet, & eum parendo quodammodo ad omnes derivaret.* Hæc S. Thomas.

Ioan. 1.

Alia in Sanctis.

Alia in B. M. V.

3. p. q. 27. a. 5.

Quid mirum ergo si omnis gratia ad Mariam confluxit, per quam tanta ad cæteros gratia diffluxit, ut canat de eo Ecclesia illud Ecclesiastici: *In me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis: Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini?* Hanc rationem amplificans B. Laurentius Iustinianus ser. de Annunciat. sic piè & eleganter differit. *Magna profectò Maria fuit gratia, exuberans & completa, quæ cœlis dedit gloriam, terris Deum, gaudium præstitit Angelis, sæculoque pacem refudit, vitiis finem imposuit, fide gentes docuit. Quomodo non est Maria juxta Gabrielis oraculum plena gratia, quæ effecta est Mater Dei, Paradisi scala, ianua cœli, inventrix mundi, damonum fuga, peccatorum spes, Dei & hominum verissima Mediatrix.* *Eccl. 24.*

M. V. mare gratiarum.

Propterea etiam B. Virgo à SS. Patribus nominatur *Mare gratiarum*, ita ut Latine ejus nomen; MARIA, à Mari nonnulli derivent. Hinc illud Alberti Magni super Missus: *Congregationes aquarum appellavit Maria: Congregationes gratiarum appellavit* MARIA. In quem sensum etiam S. Bonaventura in Speculo Virginis cap. 2. applicat Beatissimæ Virgini illud: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat.* In quæ verba sic dicit: *Omnia flumina intrant in mare, dum omnia charismata Sanctorum intrant in Mariam; flumen gratiæ Angelorum; flumen gratiæ Patriarcharum, flumen gratiæ Apostolorum, flumen gratiæ Martyrum, flumen gratiæ Confessorum & Virginum intrant in Mariam,* Ea propter introducitur & ipsa dicens: *In plenitudine Sanctorum detentio mea.* Ideo in plenitudine Sanctorum Mariæ detentio fuit, quia in mirifica perfectione sua plenitudo perfectionis omnium Sanctorum non defuit, inquit ex Bernardo S. Bonaventura in Speculo Virg. Ardor itaque Seraphinorum, scientia Cherubinorum, magnificentia, auctoritas, potentia, excellentia Thronorum, Dominationum, Potestatum, Virtutum, Principatuum; denique Angelorum & Archangelorum sanctitas in Maria reperitur eminentius. Item charitas Apostolorum, constantia Martyrum, innocentia Confessorum, castitas Virginum, patientia Sanctorum omnium excellentius reperitur in Maria. An non fortè id ipso describitur gestans in capite coronam stellarum duodecim, quia sola possidet gratiam & gloriam novem Ordinum Angelorum, ac trium statuum animarum Sanctarum, Martyrum nempe, Confessorum, & Virginum? Meritò ergo salutatur

Eccle. 1.

Eccle. 24.

Apoc. 12.

hodie, Gratia plena ore Angelico, sed consilio divino.

2. *Vox, Dominus tecum, quid valeat.* *Iudic. 6.* *Ruth. 2.*

Dicamus *secundò*, quando Angelus Virgini dicit: *Dominus tecum*, non esse solum apprecatus vocem & salutationem olim usurpari solitam sicut quando Angelus dixit Gedeoni, *Dominus tecum virorum fortissime*, aut quando Booz messores visitans impertiebatur eis his virbis salutem, *Dominus vobiscum*; sed hanc esse etiam vocem affirmantis Dominum Mariæ adesse excellentissimo quodam modo & speciali præsentia. Certè præsentia & assistentia Dei omnis est origo boni, omnis fons benedictionis cuicumque homini. Vnde felix ille est cui dicit Dominus sicut olim Isaaco: *Ero tecum & benedicam tibi.* Aut cui dicit Dominus idem quod Iacobo: *Ero custos tuus quocumque perrexeris.* Felix cui idem potest dici quod Moyses dicebat Iosue: *Dominus ipse erit tecum, non dimittes, nec relinquet te, ne paveas.* Aut quod Nathan Davidi: *Quicquid in corde tuo est, vade, age, & perfice illud, Dominus enim tecum est.* Infelix autem est cum quo non est Dominus, & qui cogitur cum populo Israel conqueri: *Verè quia Dominus non est mecum, invenerunt me hæc mala.* Aut cum Saule: *Coarctor quia Dominus recessit à me.* Quantam ergo habuit benedictionem Maria, quantam debuit concipere lætitiam, dum cœlesti voce asseritur Dominus cum ipsa esse, & id quidem specialissimè, & multiplici cum favore?

Dei assistentia causa omnis boni. *Gen. 26.* *Gen. 28.* *Deut. 31.* *2. Reg. 7.*

Quid est enim dicere, *Dominus tecum*, ô Maria, nisi asserere; Pater est tecum, qui Filium suum facit & tuum. Filius tecum qui ad condendum mirabile Sacramentum mirò modo sibi facit in te sacrarium, dum & sibi reserat genitale secretum, & tibi servat virginale signaculum. Spiritus sanctus tecum, qui cum Patre & Filio tuum sanctificat uterum. Ita sanctus Bernardus.

Absentia mali. *Deut. 21.* *1. Reg. 28.*

Quid est iterum dicere, *Dominus tecum*, nisi idem quod asserere: Tota Trinitas tecum est, quia tecum est potentia Patris te fœcundans, ut eundem possis filium concipere & generare? Sapientia Filij tecum est, erudiens & præparans te, ut digna Mater inveniaris ipsius æternæ Sapientiæ Sanctitas. Spiritus S. tecum est, ut tuam puritatem illibatam te concipiente conservet.

Quid denique est dicere, *Dominus tecum*, nisi idem quod asserere: Tecum Pater est qui ante sæcula te elegit Matrem viventium, immò & ipsius vitæ? Tecum Filius quem carne indutum novem mensibus gestabis, & ubere de cœlo pleno lactabis. Tecum Spiritus sanctus, qui tanquam fons perennis gratiæ suis te fluentis replebit, & tanquam per aquæ ductum illam ad nos derivabit.

Equidem salutante Angelo nondum erat conceptus Filius Dei ut esset cū matre per carnis assumptionem; unde quando dicunt SS. Patres, *Dominus tecum in mente, tecum in ventre ô* MARIA, respiciunt ad tempus proximè futurum, quod quasi jam præsens erat. Nos verò quando nunc hanc ei salutationem præsentamus, & dicimus: *Dominus tecum*, ô MARIA; rectè etiam intelligimus non solùm quòd cum ea specialiter sit per æternam prædestinationem & electionem, aut per gratiæ certissimam præsentiam amorisque confirmationem, sed etiam per carnis assumptionem, in qua fundatur specialissima benedictio super omnes benedictiones. Quia scilicet partem substantiæ purissimi sanguinis Mariæ sibi inviolabili unione copulavit, & sic tali modo est cum Maria, qui nec Angelis, nec Sanctis, nec ulli competit creaturæ? Sic nec IESVS sine MARIA, nec MARIA sine IESV esse potest in æternum; ideo nec IESVS sine MARIA, nec MARIA sine IESV à nobis colitur aut honoratur.

Augusti. *Non est Iesus sine Maria nec Maria sine Iesu.*

Dicamus *tertiò*, quod licet Maria sit benedicta inter & super omnes creaturas, & super omnes electos tam homines quam Angelos, tamen in Annunciatione Angelica solum fit mentio de mulieribus, dum dicit Angelus, *Benedicta tu in mulieribus.* Quia hic respiciebat Angelus ad dignitatem Matris Dei quæ solis mulieribus competere poterat. Hanc eandem vocem protulit Elizabeth, & dicitur tunc exclamasse voce magna; tum quia magno spiritus ardore, magna lætitia, magna admiratione id pronunciavit; tum etiam quia illa vox totum per orbem debebat resonare, ad omniumque aures devenire, & per omnium ora in finem sæculi decantari. Immò debebat omnes hæreticos, Iudæos, infideles, qui de Maria malè loquuntur confundere. Denique debebat omnes Christianos animare ad præsentandum Virgini hanc salutationem magno cum animi gaudio, magno cum spiritus fervore. Adjecit interim Elizabeth & hanc vocem, *Benedictus fructus ventris tui*; quod non fecit Angelus, quia necdum fructus Mariæ Iesus conceptus erat, quando Angelus salutavit, sicut quando Elizabeth exclamavit.

M. V. benedicta inter omnes mulieres & cur. 1.

Sed cur dicitur Maria inter omnes mulieres benedicta? Inprimis, quia cum maledictio in orbem ingressa sit per mulierem, illa meritò in mulieribus benedicta pronunciatur, quæ benedictionem oppositam maledictioni illi attulit mundo, omnibus proponens fructum vitæ, ut nemo amplius possit conqueri de muliere. Quia si prima Mater est mortis & morientium, hæc est Mater vitæ & viventium; si prima lachrymas, hæc attulit lætitiam; si prima peccati miseriam, hæc induxit gratiam & felicitatem; si prima spinas cruentas, hæc florem peperit sua veolentem; si prima serpenti consensit, hæc illius caput non solum profe-, sed etiam pro semine suo contrivit.

2. *Gen. 3.*

Vlterius, olim omnes mulieres alicui erant maledicto obnoxiæ. Si enim in virginitate agebant, hoc eis vertebatur opprobrio. Si conjugio reddebantur fœcundæ, tunc subdita erant illi maledicto: *Multiplicabo ærumnas & conceptus tuos: in dolore paries filios.* Meritò ergo Maria inter mulieres dicitur benedicta, quæ virginitatem possidet & fœcundi-

cunditatem, & in partu jucunditatem. Hæc est explicatio S. Bernardi sic dicentis. *Benedicta tu in mulieribus, quæ generalem mulierum evasisti maledictionem. Gravida eris, sed non gravata, nescies virum, & gignes Filium. Illius eris Mater, cujus Deus est Pater; Filius paternæ claritatis erit corona tua castitatis; Sapientia paterni cordis erit fructus uteri virginalis.*

Bern. super Missus.

Tres mulierum status.

Itaque cum tres sint mulierum status; quædam enim sunt conjugatæ, quædam viduæ, quædam virgines, super omnes benedicta est Maria. Conjugatas enim benedictione supereminet, tum ob virginitatem fœcunditati conjunctam, quia à sæculo non est auditum hæc duo fuisse conjuncta, *Mater & Virgo, Partus & Integritas*; tum quia, ut dictum est, sine peccato concipit, sine dolore parit: tum denique, quia Prolis dignitate omnes superat. Si enim quædam pepererunt Reges, Patriarchas, Prophetas, Pontifices, ipsa peperit Regum Regem, Angelorum & hominum Dominatorem, Filium ipsum Dei, Orbis Lucem. Viduas quoque supereminet, quarum status poscit in silentio, pudicitia, oratione, pietate, jejunio, Deo servire; quia oratione est Maria sublimissima, misericordia plenissima, patientia mitissima; pietate splendidissima, pudicitia candidissima. Virgines etiam superat, tum quia fœcunditatem habet, tum virginitatem, tum quia puritatem tantam habet, quanta major sub Deo nequit intelligi, ac prima virginitatem vovit, sicque cæteras virgines ad vexillum suum allexit, ut eandem voverent. Benedicta igitur MARIA inter mulieres, benedicta ab omni statu mulierum. Benedicunt eam conjugatæ, ut fœcunditatem & felicitatem in conjugio impetrent. Benedicunt eam viduæ, tamquam sub ejus protectione degentes. Benedicunt virgines, *Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicaverunt* Benedicunt omnes generationes, præter hæreticos, qui de illa sunt generatione, *quæ Patri suo maledicit, & quæ Matri suæ non benedicit.*

1. Cœjugalis.

2. Vidualis.

3. Virginal.

Cant. 6.

Prov. 30.

PARS III.

De admirabili filij Dei conceptione ad eôsensum B. M. V.

FIlii Dei conceptio & incarnatio mox peracta est post consensum Virginis, quem verbis illis expressit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Per proprios actus Virgo debebat præparari, ut hanc dignitatem Matris quadam ratione mereretur. Quod factum est, dum in hac Annunciatione exercuit fidem & eximiam obedientiam, humilitatem, prudentiam, pietatem, amorem. Hi enim omnes actus elucent in hoc Virginis cum Angelo colloquio. Quapropter Bernardinus Senensis serm. 51. asserit, Virginem illo actu quo consensit Angelo, plus meruisse, quam omnes Angeli & homines actibus suis, quia scilicet illo actu tamquam ultima dispositio maternitatem quadam ratione promeruit. Et cum spirituale quoddam matrimonium inter Filium Dei & humanam naturam iniretur, exspectabatur consensus iste Virginis loco totius humanæ naturæ, quem expressit, dum dixit: *Ecce ancilla, &c.* Hinc S. Chrysol. serm. 140. sic ait: *Ad Virginem, Aligerum portitorem Deus mittit, nam dat arrham, & dotem suscipit, dum fert gratiam, & fidem refert: tradit munera virtutis, & mox virginei consensus resolvit sponsionem* Sic in figura, Eliezer primarius Abrahæ servus mittitur ad Rebeccam, consensum petiturus, ut eam despondeat Isaac unigenito, moxque ei tradit sacras arrhas, inaures & armillas aureas.

M. V. quantum meruerit suo consensu.

Gen. 24.

SS. Patres hoc responsum Mariæ vocant *Responsum lætitiæ*, per quod unio illa miraculosa facta fuit naturæ humanæ & divinæ. Inter hos S. Bernardus sic alloquitur Virginem: *Audisti factum, audisti & modum, utrumque mirum, utrumque jucundum. Exspectat Angelus responsum tuum, exspectamus & nos verbum miserationis, quos premit sententia damnationis. Ex ore tuo pendet solamen miserorum, redemptio captivorum, salus universorum.* Postmodum in speciali explicat S. Bernardus, qui sint illi qui avidè exspectant hoc responsum tanquam miseriæ suæ solamen & lætitiæ originem dum sic ait: *Hoc supplicat à te fleblis Adam cum misera sobole exul de Paradiso, hoc Abraham, hoc David, Patres tui in regione umbræ mortis, hoc totus mundus tuis genibus provolutus exspectat.* Introduxit S. Bernardus Adamum & Evam cum filiis & filiabus, quasi adeuntes cubiculum & thalamum virginalem, auremque parieti apponentes, ut auscultent quid nunciet Angelus, quid Virgo tamquam filia pro Patre & Matre sua responsum, qui sicut omnium parentes, ita & fuere peremptores. Optant ut ipsa Evæ Matris auferat opprobrium, ut Mater Patri satisfaciat, & qui cecidit per fœminam, per fœminam erigatur. Deniq; addit S. Bernardus: *O Virgo, ipse quoque qui concupivit decorem tuum, exspectat responsum tuum. Responde ergo verbum, quod terra, quod inferi, quod exspectant & superi. Responde verbum, & suscipe Verbum, profer tuum, concipe divinum, emitte transitorium, amplectere sempiternum.* Hæc Bernardus hom. super Missus.

Exspectâtes avidè M. V. responsum.

Itaque consentiente Virgine per dicta verba, peractum est sublime illud matrimonium inter Deum & naturam humanam, ex quo pendebat nostra redemptio, factaque est Conceptio Filii Dei octavo Calendas Aprilis feria sexta, ut tradit Ecclesia, de quo Rupertus de divin. offic. c. 19. sic dicit: *Eadem die qua voterem Adam formavit de limo terra, novum sibi hominem reformare cœpit de Virginis carne, similiter & feria sexta redempturus mortis passione.* In illa porrò Conceptione plurima concurrerunt miracula, quibus hodietnus dies adornatur.

Quando Filius Dei conceptus.

Miracula in Conceptione Christi.

1. An non grande miraculum, in hoc quod Virgo concipit, quandoquidem omnis conceptio Patris & Matris concursu fieri soleat? Si non foret hoc grande miraculum, non inclamaret Isaias, longè antea id prævidens: *Audite domus David, dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet.* Arrigite aures, ô proceres, ô Israëlitæ, ô gentes omnes. Hoc est enim portentum sæculorum, non antea visum, nec auditum, vos audite & stupete.

1.

Isai. 7.

2. An non grande miraculum, quod corpus Infantis hujus in instanti formatum est, & anima illi infusa? Numquid natura ad formationem corporis ordinariè quadraginta aut circiter dierum spatium requirit, antequam infundatur anima embrioni? at nullum hic tempus requisitum fuit, sed in puncto temporis Infantis hujus corpus formatum, & anima infusa fuit, & tamen voluit novem mensibus utero claudi, sicut alij infantes, ut cæteris se conformaret. O benignitatem!

3. An non grande miraculum, quod omni gratia & virtute anima Infantis statim fuerit ornata, quādoquidem omnes alij in peccato concipiantur? Ecce flos oritur de radice Iesse, de Mariæ frutice, & mox *super eum requieſcet ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus ſcientiæ & conſilii.* Vnde non solum Infans iste gratia est ornatus, sed & verè ratione & sapientia pollet jam ex utero, ita ut hoc sit novum, de quo Hieremias: *Novum creavit Dominus ſuper terram, fœmina circumdabit virum.* Ætate ergo & statura Infans concipitur, sed tamen à primo conceptionis instanti Vir est sapientia & ratione perfectissimus. Vir novus ex nova Matre, novo modo, nova generatione procreatus, qui omnia nova faciet, novum fœdus, novam legem, nova Sacramenta, novum Orbem.

4. An non grande miraculum, quod hæc anima Infantis à primo instanti beatifica visione donata sit, & non solum videat essentiam divinam, sed etiam in illa videat omnia præterita, præsentia, futura, omnem ordinationem Dei circa præsens sæculum, & circa æternitatem futuram, circa electos & reprobos, circa homines & Angelos? An non ei ex tunc notus fuit numerus electorum & reproborum, & ipsa judicii dies, quandoquidem Iudex sit constitutus omnium.

5. Denique, nonne hoc fuit miraculum miraculorum, & fons cæterorum mirabilium, quod corpus eodem instanti temporis, & anima cum in Verbi persona copulantur, ita ut hæc tria fiant unum, *Verbum, Anima, Caro*, unione personali & ineffabili? Hoc miraculum nec suspicari potuit mens angelica, nec humana & ex illo innumera sequuntur miracula hominibus & Angelis incomprehensibilia. Hoc miraculum omnia alia antiqui temporis in se complectitur. Sed si visus est tempore Iosue Sol stare, tempore Ezechiæ retrogredi; Ecce Sol æternus retrogreditur per novem Angelorum choros ad decimam usque lineam & gradum humanæ naturæ. Si visus est Rubus illæsus in igne: Ecce Rubus virginitatis sine læsione conservatur in hac Conceptione. Si visa est virga florens sine cultura: Ecce Virgo concipiens florem tanquam virga, & pariens sine humana opera: *Verbum abbreviatum fecit Dominus in medio universæ terræ* in hac prodigiosa Conceptione & Incarnatione, in qua omnia mysteria legis, omnia miracula orbis consummationem acceperunt & perfectionem.

Hæc igitur omnia hoc festivo die cum lætitia recoluntur, quando Annunciatio virginea celebratur. O Festum spiritualis gaudij plenissimum, à Deo in Angelum fluentis, ab Angelo in Virginem, à Virgine in nos, & in totum orbem, immò & in ipsum cœlum refluentis! O felix Nazaret, ubi flos ille cœlestis oriri debebat, odore suo & splendore lætificans homines & Angelos! O beata domuncula tot mysteriis fœcunda! O beati parietes tot arcanorum conscii, beati lapides electi & constructi, ut inter hos mysterium amoris æterni, mysterium mysteriorum consummaretur ad salutem electorum omnium.

Isai. 11.

Hier. 31.

Isai. 10.

Conclusio.

ROgamus te, *ô gratia plena, & in mulieribus benedicta* MARIA, per hanc angelicam salutationem, per lætitiæ responsum, per Filii tui admirabilem Conceptionem & Incarnationem, per obedientiam & humilitatem, per pietatem & charitatē à te hodierna die exhibitā, ut nos participes facias cœlestis gratiæ & lætitiæ, benedictionisque & salutis nobis per hanc Conceptionem & Incarnationem promissæ. ut Domino IESV Christo Filio tuo, in vero conscientiæ gaudio, in vera pietate & obedientia servientes, te cum illo & per illum in sæcula benedicere valeamus, & beneficia nobis per illum exhibita grato jugiter animo agnoscere, ac misericordias ejus in æternum cantare in tua societate.

IN FESTO S. GEORGII.

23. April. LECT. 21. tripart.

Labora sicut bonus miles IESV *Christi &c.*
2. Timoth. 2.

PARS I. *Martyrii, militum Christi festa cur celebrentur.*

HOnoramus Martyres festivitatibus, divina sic ordinante Pietate per Ecclesiam Sponsam suam. Quæ quidem divina Pietas, multiplex ad bonitatem, artifex ad salutem, in horum triumphis multorum vult prospicere commodis. Attende igitur utilitates inde nobis promanantes.

1. Deus eorum merita nostra vult esse suffragia; quæ nobis conciliamus, dum eorum solemnia cum pietate celebramus.

2. Afflictionem eorum instructionem efficit posterorum: docent enim per vitæ hujus contemptū, quantum Deo debeamus affectum. Eos variè voluit probare, ut nos posset ad patiendum pro amore suo eorum exemplo erudire.

3. Illuminant & confirmant fidem nostram. Quia de veritate fidei nostræ non possumus dubitare, quam tot Martyrum, quorum solemnia colimus, confirmatam videmus pretioso cruore.

4. Spem quoque in nobis firmant immortalitatis & resurrectionis futuræ. Quia numquam tam constanter expenderent vitam, nisi beatiorem certissimè expectarent. Nec corpus ita conseri permitterent, nisi in melius reparandi forent. Veneramur ergo in Sanctorum gloria fidem, spemque nostram: quia *Fides & Spes Martyrii Mater est*, inquit S. Ambrosius.

5. Dum Martyrum gesta recolimus, triumphātis Christi

Christi victorias celebramus. Ille enim in eis certabat ille superabat, qui fidei constantiam præbebat animo, ne supplicijs cederet, & verba vitæ labijs, ut infideles ab errore perfidiæ liberaret: *Qui mortem semel vicit pro nobis, semper vincit in nobis*, ait Cyprianus.

Hæc igitur sunt consideranda & ruminanda dum
Hebr. 11. piè solemnia Martyrum peraguntur: Quæ omnia insinuat & rememorat S. Paulus: *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones. Alij autem distenti sunt, non susceptientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem. Alij verò ludibria & verberæ experti, insuper vincula & carceres lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt.* Quid ex his omnibus vult inferre Apostolus? Excitare nos vult ad horum rememorationem & considerationem,
Heb. 12. ut sic animemur ad imitationem. Hæc est enim ejus conclusio. *Nos ergo tantam habemus nubem testium, deponentes omne pondus & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen.* Equidem hi testes testimonio fidei probati, nobis animos suggerere possunt, dum in eorum certamina mentis obtutum conjicimus. Sed tamen in illis etiam Christum certantem in-
Ioan. 16. tueri debemus: *Aspicientes in auctorem fidei & consummatorem* IESVM. Hic est qui cum servis suis pugnat, & dum illorū festa colimus, ejus trophea decantamus qui ipsis dixit: *Confidite, ego vici mundū.*

Est itaque Martyrum certamen præclarū Christianorum; qui illud suscipiunt, peculiari ratione Christi Milites nuncupantur, eisque specialiter
2. Tim. 2. convenit illud Apostolicum monitum: *Labor sicut bonus Miles Christi* IESV. *Non coronatur nisi qui legitimè certaverit.* Et rursus: *Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam.* Hæc nimirum est
1. Tim. 6. corona, hoc bravium, quod in hoc agone proponitur, & certantium imminet vertici. Hi sunt mi-
Iudic. 7. lites Gedeonis, quibus non hasta aut laurea, non gladius aut romphæa ad dimicandum tribuitur; sed tuba & ignis cum fictili lampade & lagena, ut tubam insonando, & lagenam confringendo, in-
Martyres milites Gedeonis, id est, Christi. clament: *Deo & Gedeoni.* An non Christus Gedeon verus est, & Dux militiæ per Antiquum illum & typicum Gedeonem designatus? Illi totam adscribunt victoriam Martyres, quam in nocte infidelitatis reportant de hostibus suis, verbi Dei clangore, corporumque suorum tamquam fictilium lagenarum collisione, fidei quoque luce & ardore. Sed non omnes ad hanc victoriam sunt apti. Debent esse milites fortes & intrepidi, animo infracti & selecti: nam formidolosi, & qui aquis incubant hujus sæculi, inepti sunt huic certamini. Ideo ex triginta duobus millibus nonnisi deliguntur trecenti cæteris vel sponte recedentibus, vel ad aquas probatis immò reprobatis. De his militibus sic
lib. 1. c. 11. loquitur Rupertus in lib. Iud. *Armati venerunt cum Duce suo ad prælium Martyres Domini, sed tubis, sed lampadibus, sed lagenis. Insonuerunt tubis, dum prædicant; Confregère lagenas, dum corpora sua hostilibus solvenda gladijs in passione supponunt. Resplenduerunt lampades, dum post solutionem corporum miraculis coruscarunt.* Hæc Rupertus. Sic nimirum patuit quam verum sic illud: *Nova bella elegit* *Iud. 5.* *sibi Dominus*

Hic verò specialiter dicendum, nihil obstare militarem professionē, quo minus illi qui sub Imperatoribus terræ militant, etiam milites sint Christi IESU, Imperatoris cœli. Militia hisce temporibus varia parit portenta flagitiorum, ita ut dixerit quidam verissimè: *Ordo militum nunc est, ordinem non tenere; nam cujus os pravorum verborum spurcitia polluitur, qui detestabilius jurat, qui minus Deum timet, qui ministros Dei vilificat, qui Ecclesiam non veretur, isto hodie in cœtu militum fortior & nomi-* *Pet. Blenatior reputatur, Qui de altari enses suos & vexilla* *sensis ep. 9* *recipiunt, ut contra inimicos crucis vires suas exerant; mox ubi militari cingulo decorantur, desaviunt in patrimonium Crucifixi, & in Christos Domini, Christique pauperes spoliant & deprædantur, atque etiā marcentes crapulæ, & immunditiis vitam transigentes, nomen & officium militiæ dehonestant.* Hæc utique Militum vitia sunt, non tamen militiæ esse dixerim, cùm sine illis militia exerceri valeat inculpata. Certè olim magnus fuit numerus electorum Dei inter milites Christianos, qui sub infidelibus Imperatoribus militantes, usque ad sanguinem pro Christi fide certari parati fuerunt.

An milites imperatorum simul militesChristi esse possint.

Celebres Mauritius & Gereon cum suis legionibus, Celebris Sebastianus cum Marco & Marcellino fratribus, & multis aliis à se ad fidem conversis. Celebres & quadraginta Martyres, qui apud Cæsaream Cappadociæ sub Licinio Imperatore fortissimè pugnarunt, quorum præconium & trophæum describit & decantat S. Basilius. Notum etiam est de sexdecim millibus militum, cruci pro fide Christi suffixis per Saporem Regem Persarum. Quod si Sanctorum gesta revolvas invenies & alios penè innumeros è militia sæculi ad militiam cœli per sanguinem transeuntes. Quod si ex sacris litteris militum electorum vis exempla; attende in illis commendari quatuor Centuriones. Illum *primò* qui dixit se indignum ut Dominus sub tectum su- *Matth. 8.* um ingrederetur, qui posset vel solo fanare verbo. De cujus fide ait Dominus: *Non inveni tantam fidem in Israel.* Illum *secundò* qui cruci affuit, & dixit: *Matth. 27.* *Verè filius Dei erat iste.* Huic nomen erat Longinus, ac postmodum inclyto martyrio pro IESV Crucifixi amore pugnavit. Illum *tertiò*, quem An- *Actor. 10.* gelus apparens, ad S. Petrum destinavit plenius erudiendum. Illum denique, qui Paulum liberavit *Actor. 27.* à morte.

Milites Imperatorum etiā Christi.

Verè hi celebres fuēre Centuriones, Milites, Duces & Tribuni, maximè illi qui pro Christi causa sanguinem suum oppignorarunt. Inter hos quoque valde celebris est S. Georgius militum Tribunus & Martyr inclitus, qui fortitudinem suam sæpè notam fecit in castris Diocletiani, sed longè

postea

postea notiorem in castris Christi. Ejus virtutem particularius describamus.

PARS II. *De virtute S. militis & Tribuni Georgij.*

IN primis, ubi vidit Diocletianum Imper. in Christianos suum effundere furorem, palam cruentis sæviendo edictis, statuit ei in faciem resistere, injustitiæque eum arguere ac fidem tueri Christianam, cujus cultor erat eximius, in ea ab infantia educatus. Vt verò se ad certamen hoc expeditum magis, magisque idoneum redderet cum nobili prosapia oriundus facultatibus, pecunijs, vestibus abundaret, omnia in paupetes Christi erogavit. Sic nihil hujus sæculi potuit eum impedire, quia & animo cuncta propter Christum contempsit, & facto à se ablegavit, illa Christo reddens, qui ea tribuit. Intellexit probè illud S. Gregorij hom. 32. in Evang. *Quicumque ad fidei agonem venimus, contra malignos spiritus luctamen sumimus. Nihil autem illi in hoc mundo proprium possident: audi ergo cum nudis luctari debemus. Nam si vestitus cum uno luctatur, citius ad terram dejicitur, quia habet unde teneatur.* Quid sunt terrena omnia, *nisi quædam corporis indumenta? Qui ergo contra Diabolum ad certamen properat, vestimenta abjiciat, ne succumbat.*

S. Georg. dives omnia sua in pauperes erogavit.

Luc. 14.

Hoc fecit S. Georgius, ut invictus fieret pugil fidei, & perfectus discipulus Christi. Audiverat enim illud ex ejus ore, & gerebat inscriptum corde: *Qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Rursus non ignorabat monitum illud Adolescenti Evangelico insinuatum: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus; veni, & sequere me.* Et ille quidem hoc audito abiit tristis, trahens cor in terra, quod Dominus voluerat elevare ad cælestia. At fortior illo S. Georgius, voci interius idem inspiranti mox obtemperavit, ut liberrimè, perfectissimèque sequi posset Christum Ducem, omni abjecto onere cor deprimente, animum prægravante. Sciebat & illud à Sapiente dictum, eleemosynam scutum esse potentissimum, & liberare à morte: *Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Super scutum potentis, & super lanceam, adversus inimicum tuum pugnabit.* Iam ergo fremente hoste ad prælium se accingens, voluit sese hoc potente scuto protegere & obumbrare atque lancea dextram obarmare, non ambigens de victoria. O nobilem, ô sapientem ô fortem animum in hac prima resolutione, dum omnibus sese exuit terrenis, ut cœlestia arma capessat?

Matth. 19.

Eccli. 29.

Progressus certaminis S. Georgij.

Secundò vide progressum, & generosum in arenam campumque certam nis ingressum invicti militis Poterat meritò cum S. Paulino dicere, qui cum laudaretur, quòd omnia sua in paupetes erogasset, sic loquitur epist. 2. *Facile nobis hæc bona quasi pallium exciderunt & quæ nobiscum non intuleramus in hunc mundum, nec auferre poteramus, quasi mutuata reddidimus. nec ut cutem à carne distraximus: sed ut vepres à corpore depositimus. Nunc opus est ut quæ verè nostra sunt depeodamus Deo? hoc est, cor & animam & corpora nostra exhibeamus in hostiam vivam. Qua enim nobis gratia, si in alieno fideles fuerimus, nisi etiam de proprio serviamus?* Vt igitur cor & corpus sanguinemque in hostiam vivam offerre valeret Georgius, in medio senatus in quo præsidebat Diocletianus (ubi edicta atrocissima confirmabantur in exterminium fidei Christianæ) assurrexit, & injustitiam impietatemque Tyranni disertis verbis acerrimè arguens & sapientissimè, tandem dixit propalam: *Christianus sum, & Christum Deum colo & odoro. Omnes autem Dij vestri Damonia sunt, vel inania figmenta.* Dicamus hic cum Sancto Basilio trophæa Martyrum decantante homil. de 40. Martyribus. *O liberam linguam, quæ sacram illam vocem emisit! Quam quidem aër excipiens sacer factus est. Angeli audientes plauserunt, Damon cum suis magnam plagam accepit, Dominus postremo in cœlo descripsit.*

Antea in castris militans inter infideles non erat agnitus S. Georgius ut Christianus, dissimilare potuerat, quia tunc non urgebat fidei confessio. At ubi fidem vidit oppressam dissimulare aut tacere crimen putat; ideo voce non solùm oris, sed & voce cruoris, fidem illam asserere paratus est, quam corde tenebat. Noverat scriptum esse: *Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* Et rursus: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cœlis est.* Est itaque confessio fidei necessaria Christiano, ubi id exposcit honor Dei, vel utilitas grandis proximi. Nec illa potest negari ore, quasi sufficiat corde tenere: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in cœlis est*, ait Dominus. Audi hac de re S. Chrysost. hom. 25. Operis imperfecti, vel quisquis auctor est. Sic enim disserit: *Qui ore negat, non potest fieri ut corde credat. Radix enim confessionis oris, est fides cordis, confessio est fructus fidei. Quamdiu autem radix est viva, necesse est ut ramos producat, folia, & fructus. Si nihil horum produxerit intelligimus radicem esse mortuam. Eodem modo si fides cordis fructum suum, id est, confessionem oris non producat, signum est eam aut mortuam, aut valde debilem esse.* Hæc ille.

Rom. 10.

Matth. 19.

Ibid.

Hæc attendens S. Georgius, nihil discrimen capitis, nihil imminens periculum mortis veritus, confessus est, confessionem bonam intrepidus. Noverat Senatusconsultum irrevocabile, noverat atrox edictum in Christianos pronunciatum, noverat in illos Tyranni crudele & implacabile odium. Hæc tamen omnia nullam remoram animo ejus invicto injiciunt, quia audit Dominum dicentem: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum qui corpus & animam mittere potest in gehennam.* Itaque eum à proposito deterrere per se & Senatores suos omni arte annisus est Diocletianus: primo quidem minis & feritate, deinde promissis & lenitate. Flos ei ætatis, cingulum militaris honoris, nobilitas generis propo-

proponitur, dignitatisque incrementum cum imperiali favore promittitur, si Christio renunciant, imperii Deos agnoscat. E contra si renuat, romphæa & rota, equuleus & vorax flamma aliaque atrocissima tormenta ei denuntiantur. Sed dum modò blandis illectare promissis, modo cruentis inflectere minis ejus animum conantur, hæc erat vox intrepida Martyris ad Tyrannum: Quid muneribus nos demulcere studes, ut discedamus à Deo vivente? Putasne tantum te daturum, quantum eripere contendis? Tua respuo dona quæ nocumentem conciliant. Non accipio honorem unde nascitur ignominia. Deseram gloriam quæ perpetuò duret, jugiterque floreat: quid terrena polliceris tamquam magna, cùm à nobis despiciatur mundus? Omnia quæ videri possunt, non sunt paria spei quam continuò retineamus, nec gloriæ quam speramus. Illa velociter transeunt, hæc perennant. Honoris superni cupidus sum: pœnas gehennæ metuo. Ignem quem vos intentatis non timeo, quia conservus est. Novit ipse vereri eos qui idola contemnunt. Sagittas infantium vestras plagas existimamus. Corpus à vobis cœsum eò clariorem assequetur coronam, quò magis vobis resistet. Quid tardatis? Pro charitate & fide in Deum, in rota poni, cruci affigi, flammis uti, omnibusque torqueri modis paratus sum. Hæc nimirum erat vox libera illius qui suspirabat ad patriam illam cœlestem Ierusalem, *quæ sursum est libera Mater nostra. Civitas Dei viventis*, in qua jam miles conscriptus erat aureis litteris, sanguineis in terra describendus notis.

Galat. 4.

PARS III. *De multiplici supplicio & victoria S. Georgij.*

Ejus porrò supplicia consideratione sunt digna, non solum quia atrocia, sed etiam quia multiplicia. Nempe ingeniosa crudelitas, crudelisque ingeniositas, omnis generis exquisivit & adinvenit supplicia ad Dei servos torquendum, ut eis posset fidem extorquere. Ad unius martyris corpus excruciandum plura aderant supplicii instrumenta, quam membra. *Sed stabant torti torquentibus fortiores, inexpugnabilemque fidem superare non potuit sæviens diu plaga repetita, quamvis rupta compage viscerum torquerentur in servis Dei jam non membra, sed vulnera*, inquit S. Cyprianus lib. 2. Epist. 6.

In carcere variè cruciatus.

Primò igitur in carcerem deductum Christi militem humi prosternunt, catenis onerant, compedibus vinciunt, deinde ejus pectori lapidem ingentis ponderis imponunt; ut tota nocte sic oneratum corpus defatigetur, contundatur, conteratur & sequenti die tribunali repræsentandus aliam ipse mentem induat, fideique confessionem revocet. Verum absit ut possit mutare, propositumque mutare, qui firmatus erat supra firmam petram, non supra labilem arenam. Tantum abest, ut oppresso sic corpore opprimeretur fides vel animus, quin potius elevaretur & exaltaretur magis, magisque; ita ut posset dicere cum Psalte: *In petra exaltavit*

Psal. 25.

me, & nunc exaltavit caput meum super inimicos meos. Etenim hoc pressus pondere gratias agebat tota nocte, & divinas decantabat laudes dicens: *gratias tibi ago Domine Deus, quod dignus sim factus qui onus acciperem quod pectori & cordi meo imponeretur, quodque mea in te confessionis stabilitatem firmare debeat.* Equidem nullo gravi nimis pondere potest prægravari, qui liber est ab illo onere de quo Propheta: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Nullo gravi nimis pondere potest succumbere, cui amor Dei vires suppeditat & in altum sublevat: *Amor meus pondus meum, illuc feror quocumque feror.*

Angust.

Secundò, cum subsequenti die integer animo & corpore, & tormentis noctis nihil motus Tyranno præsentaretur, rotam, jubet prægrandem afferri, mucronibus undique præfixam, ut illi affixus totus dilaceretur. Pendebat in aëre rota, inferiusque erant densa spicula gladiis similia, partim rectas habentia cuspides, partim aduncas hamorum instar, partim cultros coriarios imitantia. Cum igitur rota tabulis per gyrum appropinquaret, & Vir sanctus tamquam Agnus tenvioribus loris & funiculis ita constrictus, ut intra carnem absconditi hærerent, vinctus esset; volvente rotâ transire cogebatur per gladios, sicque eorum acutissima acie corpus dilaniabatur, & scorpii more contortum dilacerabatur. O tormentum indicibile? Illud servus Christi oratione poterat constringere, sicut S. Catharina similem sibi paratam rotam mox vi orationis elisit & comminuit, sed maluit ostendere quanta sit virtus Christi collata servis ejus in similibus tormentis, qui postea in Rota æternitatis hostes servorum suorum circumvolvet in tartaro de pœnis in pœnas, de tormentis in tormenta, transire eos faciens, *de aquis nivium ad calorem nimium*, de supplicio uno in alterum, semper recrudescente dolore. Propterea de hostibus Dei dictum est: *Pone eos ut rotam ante faciem venti*, ut scil. instar Rotæ (quæ quia circularis est figuræ non habet finem) à vento furente justitiæ divinæ de suppliciis in supplicia æternum circumducantur, & in sæcula sæculorum torqueantur. Huc quoq; referri potest illud: *Sagitta tua transeunt, vox tonitrui tui in rota.* Quæ sunt sagittæ Domini transeuntes, nisi afflictiones & pœnæ hujus sæculi, quæ velut flagellum aut jaculum transiens citò finem accipiunt? Quæ est: *Vox tonitrui in rota*, nisi vox illa Domini, *Discedite maledicti in ignem æternum?* Illa equidem instar tonitrui semper insonans, tantæ erit virtutis & efficaciæ, ut effectus ejus non sit transiens, sed instar tonitrui & venti perennantis reprobos circumvolat dirissimè in Rota æternitatis. Hâc rotâ jam volvitur & revolvitur impius Diocletianus per tonitruum ventum divini furoris, qui instruentibus eum sanctis Martyribus, noluit audire vocem lenem divinæ inspirationis.

In rotam actus.

Rotam evadendo confringere potuit, sed noluit, & cur.

Iob. 26.

Psal. 82.

Psal. 76.

Tertiò, ex priori tormento cœlitus liberatus & sanus effectus Georgius, semper increscente Imperatoris

Ex rota in foveâ vivâ ca-

Ille hominitur.

ratoris furore qui se sic vinci erubescebat, Deosque suos confundi, in vivæ calcis foveam jubetur immitti, & in diem usque tertium ibi detineri; ut carne plane exesa, etiam ossa defodere & in perpetuum possent Tyrannus abolere, ut nec Christianis ullum illius monumentum aut pignus de corpore sacro posset restare. Lubens properabat S. Georgius ad hoc supplicium, sicut Daniel ad foveam Leonum, sicut Hieremias ad lacum & cœnam, sicut Jonas ad cetum, sicut pueri tres ad fornacem & caminum Babylonium; nec dubitabat sibi adfuturum cœlitus auxilium, quo sicut illi, illæsus intactusque educeretur. Fidebat promisso Domini: *Cum transieris per ignem flamma non nocebit tibi, & odor ignis non erit in te.* Quapropter cum vinctus ad ejusmodi supplicium duceretur, divinum illud spectans promissum, cœlestemque expectans auxilium, sic precabatur: *O Conservator & præsidium afflictorum, & spes illorum de quibus nulla spes, exaudi preces servi tui. Libera me ab insidiis adversarij, & concede usque in finem immutabilem confessionem nominis tui. Ne derelinquas me: ne quando dicant inimici: ubi est Deus ejus? ostende potentiam & illustra nomen tuum in me inutili servo tuo. Mitte Angelum tuum mei custodem, qui in Babylone fornacem commutasti in rorem, & sanctos pueros conservasti, quoniam benedictus es in sæcula.* His dictis, se signo crucis muniens, in foveam est ingressus gaudens & laudans Deum. Eductus quoque est tertio die planè incolumis.

Dan. 6. & 14. Ierem. 37. Ioan. 2. Dan. 3.

Sic frustratus est tyrannus impio desiderio, quo peroptabat S. Viri memoriam omnem extinguere, sacrasque ejus exuvias penitus abolere, ne ei Christiani posteriori ævo honorem deferrent & cultum, etenim & memoria ejus vivit, ac in benedictione est, vivetque in sæcula sæculorum, & quidem ita vivit, ut celebre sit ejus Martyrium per Ecclesias Orientis & occidentis; Græcique vocant per excellentiam, *Magnum Martyrem Georgium*, Reges quoque & Duces in suis prælijs eum specialiter invocant ut Protectorem, sicut & Ecclesia contra hostes fidei invocat eum ut Defensorem, cum Sebastiano & Mauritio sanctissimis illustrissimisque Tribunis. Multa quoque Templa ac Oratoria toto orbe terrarum in ejus honorem sunt extructa, ubi specialis Patronus speciali festo colitur. Sacræ quoque ejus Reliquiæ maximum sortitæ sunt honorem, nam S. Germanus Parisiensis Episcopus, Ecclesiæ meæ Patronus, è peregrinatione Hierosolymitana revertens, retulit Iustiniani Imperatoris dono brachium S. Georgij tanquam pretiosissimum thesaurum, depositque in templo S. Vincentij Parisijs. Alterum brachium Coloniam Agrippinam delatum fuit, multisque coruscat miraculis. Caput verò Roma servat in Ecclesia ei dedicata, ubi per Zachariam Pontificem depositum fuit. Sic irritus cernitur conatus Tyranni, eas obscurare vel obliterare non valens, Deo ejus gloriam illustrante non solum in cœlis, sed in terris,

Memoria S. Georgij in benedictione est.

Ex his igitur elucescit, quàm vera fuerit vox illa cœlestis ei insonans: *Ne timeas Georgi tecum ego semper sum.* Fuit enim Deus cum eo, dum in carcere opprimitur vinculis, catenis, lapidisque ponderе, & vires ei suggessit ad onus portandum, vel ponderi levitatem indidit ad militem suum sublevandum. Fuit cum eo, dum in rota acerbissimè dilaniatur; per Angelum enim eripuit eum ab hoc tormento, & concissum quaqua versum corpus in integritatem restituit, & sanavit: ita ut coram Tyranno, qui se victorem autumabat, rursus apparuerit incolumis, & impietatem acerbius ei exprobrarit. Non enim solitus est Deus suos deserere ullis in tormentis, sed per Angelos consolari consuevit vel sanare, ut verum sit illud: *Cum ipse sum in tribulatione eripiam eum & glorificabo eum.* Simulq; fit ut ipsi possint fidenter dicere: *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Sic Angelum vidit S. Romanus extergentem plagas & vulnera S. Laurentio inflicta. Sic & S. Sebastiano adfuit vir splendidus in carcere, ei osculum pacis impertiens, & dicens, *Semper mecum eris.* Sic & Angeli multos Martyres educunt non solùm è flammis, sed etiam ex undis; *Felices naufragi, qui ut de voragine pelagi ad stationem litoris reportentur, non terreni remigis officio, sed cœlestis nuncij vehiculo basulantur*, inquit B. P. Damianus serm. de S. Anthymo, quem Tyrannus in mare dejecerat lapide prægrandi ad collum alligato. *Sed frustrà lapidea moles gravat, quem penna meritorum levat. Altera perversitas inaniter deprimit, quem sublimis potens sanctitatis virtus extollit.* Ab Angelo igitur ipse è periculo liber eductus est è fluctibus, sicut & S. Nazarius cum Celso puero. Dicamus ergo generaliter unicuique cum S. Macario homil. 12. *Si quæsieris Deum in profundo maris, illic reperies eum signa facientem, & Ionam conservantem. Si quæras in lacu, eum reperies in medio leonum conservantem justum Danielem. Si quæras in igne, illic reperies eum opem ferentem servis suis in Babylone. Si quæras in monte, illic reperies eum cum Elia & Moyse. Est ergo ubique nobiscum, nec patitur nos ullibi orphanos, sed adjutor est in omnibus tribulationibus*, hæc S. Macarius. Non ergo mireris, si S. Georgio in medijs tribulationibus vox insonuit: *Ne timeas, semper ero tecum.* Non mireris, si invictus permanserit, & infractus, sive in carcere, sive in rota, sive in calcis fovea, ita ut non potuerit per multiplicia adhuc alia tormenta ei vita adimi, nisi gladio, quem ei decreverat Deus pro agonis consummatione, & coronæ adeptione.

Deus semper fuit cum S. Georgio.

Deus cum suis in tormentis est & eos consolatur. Psal. 90. Psal. 22.

Elucescit ulteriùs ex jam dictis, quomodo Martyr Georgius de Diabolo ac Tyranno fortiter triumpharit, quia defecerunt tormenta, non defecit promptus Martyris animus nec corona. Et hæc esse potest ratio cur depingatur interimens Draconem, in vulgaribus picturis. Nec enim contra Draconem pugnasse pro quadam filia Regis, aut pro civitatis libera-

S. Georg. de diabolo & tyranno triumpharit.

liberatione, credendum est, quia id reprobari videtur per Gelasium Pontificem, dum apocryphum declarat historiam S. Georgii quæ tunc circumferebatur. Non autem eam apocryphum judicare censendus est, quam ex Simeone Metaphraste partim descripsimus, in Orientali Ecclesia legi solitam compendiosè. Quam Theologi graves approbant, inter quos Aloysius Lippomanus Episcopus, Laurentius Surius Scriptor Ecclesiasticus, & alii: ubi nulla fit mentio de certamine illo populariter vulgato, quod illi fuisse dicitur cum Dracone.

De historia S. Georgii quid sentiendum.

Dicamus ergo Draconem Dæmonem esse cum quo illi prælium interfuit celebre toto tempore martyrii; de quo & victoriam insignem retulit, dum idola destruxit, in quibus colebatur. Hic est ille Draco qui juxta mulierem parturientem expectabat fœtum ejus, ut devoraret, vidensque illum sibi ereptum, emisit flumen post mulierem, ut absorberet eam. Hæc mulier Stellis coronata, Sole amicta, Lunæ insidens, Ecclesiam in suis designat primordiis, electionis partum cœlo parturientem. Quem ubi vidit diabolus se non posse deglutire, in mulierem blasphemarum & maledictionum flumen emisit, quo eam absorbere conatus est. Id fecit per os tartareum idololatrarum & hæreticorum, sed frustraneè & irrito conatu. Hunc ergo Draconem gladio verbi, scuto fidei, galeâ spei, loricâ justitiæ, armaturâ charitatis, panopliaque omni spirituali cataphractus, devicit S. Georg. Quapropter illi convenit illud: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem.* Ipse aspis est in obduratis Judæis, ipse Basiliscus sibilans in venenatis hæreticis, ipse Leo & Draco in Persecutoribus & Tyrannis idololatris. Sed ubique devictus & conculcatus est per electos Milites, Christi viribus dimicantes, inter quos effulsit S. Georgius ipse confundit & pudefecit hunc Draconem superbè & inaniter gloriantem, quod in fortitudine sua extendat manum suam, & colligat terminos orbis terræ velut ova derelicta in nido, nomine ei valente obsistere. Attamen *formatus es ad illudendum ei*, & sæpè eum non solum servis suis validis, sed etiam ancillis imbellibus tradit Deus ad ludendum & illudendum. Illusit certè & elisit eum S. Georg. & quasi *armilla perforans maxillam ejus*, eduxit prædam & escam de faucibus; Multos scil. quos jam deglutire parabat Draco iste ad fidem convertit & Christo reddidit. Inter quos duo Prætores Anatolius & Protoleus, cum suis familiis conversi sunt ejus martyrio. Sic nunquam desinunt oves Christi ad immolandum ductæ in medio luporum agnos parere, ex hædis agnos generare, ex infidelibus fideles reddere. Sic granum frumenti, ubi mortuum fuerit, multum fructum affert: *Hoc fieri videmus in membris, quod factum fuit in capite*, inquit S. Gregor. l. 3. Dial. c. 31. *Unus mortuus est ut multi viverent: & dum unum granum fideliter cecidit, ad obtinendam fidem seges animarum multa surrexit.*

Apoc. 12.

Psal. 90.

Isai. 10.

Iob. 40.

Ioan. 12.

Dicamus ulterius: Draconem fuisse Diocletianum, Draconem, inquam, rufum, cruore Christianorum aspersum, jugiterque sitientem sanguinem Martyrum. Ipse est qui conatus est, quasi Draco ille Apocalypticus, tertiam partem stellarum, immo stellas omnes, è cœlo in terram detrahere cauda sua, maligno ici. contra fidem Christi consilio & furore. Ipse est Draco, qui *iratus est contra mulierem stellis coronatam*, sacrum fœtum parientem, & *abiit facere prælium cum his qui sunt de semine ejus, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium* IESU *Christi.* Sed in vanum vires exeruit, quia *ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, & propter verbum testimonii sui & non dilexerunt animas suas usque ad mortem.* In horum ergo numero fuit S. Georgius, cui ob victoriam quam tulit de Tyranno per sanguinem Agni, & per sanguinem suum, rursus possumus dicere: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Equidem nunc conculcat eum in flammis, & alligat in manicis ferreis, quia hoc est *judicium conscriptum, gloria hac est omnibus Sanctis ejus.* Fuit ergo S. Georgius de illis militibus de quibus canit Prudentius;

Apoc. 12.

Ibid.

Psal. 149.

Cæsaris vexilla linquunt, eligunt signum crucis.
Proque ventosis Draconum, quos gerebant, pallis.
Præferunt insigne lignum, quod Draconem subdidit.

Prud. l. Perist. phanon. Hym. 2.

O felices hos Martyres, quos ad perenne cingulum Christus vocat, dum sub ensem persecutoris ultrò collum præbent pro fide ejus! Hoc enim genus mortis decorum est, hoc probis dignum viris, quia sic & mors & hostis vincitur.

Nobilis per vulnus amplum porta justis pandiur:
Lota mens in fonte rubro, sede cordis exsilit.

Prud. ibi.

IN diem festum S. Georgii incidit beata mors F. Ægidii socii S. Francisci. Hic S. Georgio piè affectus erat, quia vestem religionis in ejus festo acceperat. Vnde post 52. annos in eodem festo S. Georgii obiit sanctissimè. Ejus animam vidit quidam multis cinctam animabus, quas è purgatorio meritis suis eduxerat, Christumque ei obviam venientem cum amplexu. Dicere solebat S. Bonaventura, à Deo ei datum efficaciter posse opitulari his qui ad salutem suam eum invocant, seque gratias agere Deo, quod in ea incideret tempora, quibus virum sanctissimum alloqui potuerit. Dixit quoque Fratri in ægritudine: *Dic Perusinis, eos ob miracula mea, vel canonizationem, numquam pulsaturos campanam, nec eis aliud datum iri signum nisi Iona Prophetæ.* Satagebant ipsi corpus viri sancti retinere juxta Perusium mortui. Dum verò quærerent ei sepulturam, invenerunt marmoreum sepulchrum, in quo sculpta erat Ionæ historia.

Appendix.

LECT. 22. tripartita.

IN FESTO S. GERMANI.

De ventre Matris meæ tu es protector meus, in te cantatio mea semper, tamquam prodigium factus sum multis, & tu adjutor fortis.
Psal. 70.

PARS I. *Quomodo Deus protexerit S. Germ ab utero matris.*

MVltiplicibus cœlestis gratiæ auxiliis prosequitur Deus Fideles, jam ab utero suâ illos circumdans protectione. Quod quidem pauci attendunt, ideoque ingratitudinis tetram maculam coram eo contrahunt, ulterioribusque gratiis & uberioribus beneficiis viam obstruunt. An non divinæ gratiæ adscribendum est, quod cùm tot hominum millia inter fideles nascantur, & fide ac baptismo destituantur, nos voluit Deus inter Fideles nasci, baptismo tingi, in fide instrui? An non rursus divinæ est beneficentiæ, quòd cùm multi infantes in utero emoriantur, & projiciantur abortivi, nobis concesserit educi in lucem vitæ hujus mortalis, & perringere ad baptismi Sacramentum, ut lucem gratiæ consequeremur? An non divinæ protectionis est, quod per tot casus & discrimina hujus vitæ corruptibilis & caducæ in eam nos ætatem perduxerit, ut luce ejus cœlitus affulgente, intellectum & voluntatem, vitam & spiritum ei valeamus consecrare? Denique, an non varia nobis offert media, varias immittit inspirationes, variis prævenit gratiæ auxiliis, ut nos ad se attrahat, & in salutis viam felici vestigio perducat? Cur ergo ingrati sunt homines? Cur velut cæci oculos cordis in talem benefactorem & protectorem non intendunt? Cur hæc gratiæ divinæ beneficia pulveri inscribunt, & proterunt; aut certè post tergum projiciunt, & parvipendunt? Quam pauci sunt qui hæc, ut decet, rememorant, aut in cordis sui sinu ex sinceritate recensent? Hanc ingratitudinem à nobis propulsare nititur Apostolus, dum sic alloquitur Colossenses, nosque in illis instruit: *Non cessamus pro vobis orantes, & postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis ejus, ut ambuletis dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, crescentes in scientia Dei, gratias agentes Patri qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum.* O monitum in latitudine cordis Christianorum insculpendum litteris vivis, & sæpè sæpius rememorandum cæcis & ingratis, ut eis aures vellicet, oculos aperiat!

Coloss. 1.

Hanc quoque condemnat ingratitudinem Rex & Propheta, dum in Deum animum erigens, ejusque in se propensam beneficentiam considerans, suâ vi de cantat modulamine: *De ventre matris meæ tu es protector meus in te cantatio mea semper.* Neq; verò solum propter se id canere censendus est, sed & omnes fideles idipsum optat secum occinere, quia verè Dominus de ventre matris est protector Christianorum, omnifariis gratiæ auxiliis eos circumdans, prævenions, concomitans, subsequens, ut in viam æternitatis perducat. Repleatur ergo os eorum laude, cor amore, ut cantent gloriam Protectoris sui: oculos aperiant, ut videant manum ejus protensam, quæ ab Oriente usque in Occidentem, hoc est, à nativitate usque ad mortem, eos deducit & protegit.

Psal 70.

Equidem hoc omnes concernit Christianos, quia saltem omnibus Deus sufficientia gratiæ auxilia impertitur, quibus salutem & finem ad quem creati sunt, assequantur, nec est defectus ex parte Dei, sed ex parte liberi arbitrii, si ab illo fine excidant. Tamen specialissimè hoc nonnullis convenit electis, quibus singularem impertit protectionem jam ab utero & infantia, atque in eis rutilare facit electionis suæ signa; prosequiturque eos cœlestis gratiæ continuo favore, donec introducat in locum gloriæ. Certè de electis intelligendum venit illud suavisonum promissum Domini apud Isaiam: *Audite me domus Iacob, & omne residuum domus Israël, qui portamini à meo utero, qui gestamini à mea vulva. Usque ad senectam ego ipse, & usque ad canos ego portabo: ego feci, ego feram, ego portabo & salvabo.* Ecce quomodo electis suis Deus protectionem promittit non solum paternam, sed etiam curam specialem instar matris fœtum suum utero continentis: & hanc quidem curam spondet, non solum pro aliquo temporis decursu, sed à cunis usque ad canos, ab utero usque ad sepulchrum, donec eos pariat beatæ æternitati. O admirabilis amor & providentia, propter quam electi specialiter resonant: *De ventre matris meæ tu es protector meus, tamquam prodigium factus sum multis. Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.*

Deus quosdam specialiter ab utero protegit.

Isa. 46.

Inter hos porrò electos, qui protectionis divinæ specialem experti sunt gratiam, jam ab utero, meritò recensemus sanctissimum Patronum nostrum Germanum, Vrbis Parisinæ quondam Episcopum. Etenim Dei speciali protectione & favore præservatus fuit à suffocatione, quam mater ei moliebatur in utero dedecorosè & non sine crimine. De illo enim sic legimus in vita ejus scripta per Fortunatum Episcopum Pictavorum: *Germanus territorii Augustodunensis indigena, patre Eleutherio, matre Eusebia, honoratis parentibus est procreatus. Cuius genitrix, pro eo quod hunc post alterum intra breve spatium concepisset, pudore motæ muliebri, cupiebat ante partum infantem extinguere. Et accepta potione ut abortivum projiceret, dum nocere non posset, incubabat in ventrem, ut vel sic pondere præfocaret. Certabat mater cum parvulo, renitebatur infans ab utero. Erat ergo pugna inter parentem & viscera. Lædebatur matrona, nec nocumentum accipiebat infantia. Obluctabatur sarcina, ne mater fieret parricida. Vnde actum est, ut servatus incolumis ipse illæsus procederet, & matrem redderet innocentem. Erat sanè*

S. Germ. in utero matris à suffocatione præservatus.

sanè hinc futura præscire, Ante illum fecisse virtutem, quam nasci contingeret. Hæc ille.

O miserandam matrem, dum se fœtus sui parricidali nece cruentare parabat, nisi divina protectio obstitisset, quæ fœtum hunc sacrum non solum familiæ, sed etiam totius Ecclesiæ bono reservabat. Hac ratione Deus providentiam suam singularem erga hunc electum demonstrabat, quam etiam erga nonnullos alios ab utero simili planè modo declaravit, ut cum S. Germano possent illud Prophetæ concinere : *De Ventre matris meæ tu es protector meus.*

Sic cum S. Pontii Martyris genitrix, adhuc eum utero continens, templum Iovis adisset munus oblatura, Sacerdos ibi aris idolorum assistens infulis adornatus, mox à dæmone correptus fuit, & ornamentum capitis sui discerpsit, inclamans: *Hac mulier filium gestat in utero, qui hoc fanum Iovis evertet.* Hoc audito, mater illa domum regrediens, saxo ventrem & latera tundebat, ut prolem suffocaret. Sed non potuit nocere, Deo sanctum servante fœtum, qui postmodum totam debebat familiam ad veri Dei fidem convertere, & templum Iovis, Dei fictitii, funditus evertere. Hoc enim effecit Romæ Pontius, Romani Senatoris filius, auctoritate Fabiani Pontificis adjutus, & postmodum pro fide martyrio est affectus. De quo apud Surium 14. Maji.

Sic quoque B. Petri Damiani mater, quod prole numerosâ gravaretur marito defuncto, & in summis angustiis res domestica versaretur, Petro vix-dum nato, lac negare aggressa est, prorsus ut nihil infantis vagitu crudelis mater moveretur. Haud dubiè mors erat secutura, nisi speciali Dei providentia mulier quædam adveniens, fame & frigore nigrescente miserata infantem, crudelem matris animum redarguisset, eaque paululum ad tranquillitatem revocata, calentis aquæ beneficio, aliisque auxiliis, infantem semimortuum ad vitam revocasset. De quo apud Surium 22. Februarii.

Notissimum quoque est de Moyse ex sacris literis, quomodo in infantia sua speciali Dei providentia & protectione sit præservatus, non obstante decreto regio de enecandis & submergendis omnibus masculis recens natis. *Exod. 2.* Nam & in flumine non sine discrimine expositus, à filia Pharaonis eductus est, & in aula regia educatus, insuper & ab ea in filium est adoptatum. Nempe præservabat eum divina protectio, & reservabat ad suam gloriam manifestandam in populi sui liberatione ex Ægypto, quæ facta est per manum & ducatum ipsius.

Similiter servabatur instar Moysis jam ex utero S. Germanus, ad manifestandam gloriam Dei in populi sui directione, & prodigiosa miraculorum operatione. Neque solum ea vice à matris suffocare nitentis impio molimine protectionem accepit cœlitus, sed etiam postmodum specialiter præservatus fuit à venenato poculo ei in necem præparato. *S. Germ. à venenato poculo præservatus.* Rem sic enarrat scriptor vitæ ejus cap. 2. *Dum à Vallone Castro simul cum Stratidio propinquo puer adhuc scholis excurreret, mater parentis ut illius sibi hæreditatem acquireret, de adolescentis nece tractavit. Temperatam potionem in ampullam condidit, vinum quoque in alteram posuit : præcipiens puellæ, ut venientibus ambobus, illi porrigeret de vino, isti de maleficio. Sed ignorans ministra, ampullam pariter mutat & pocula; vinumque S. Germano, venenum verò dat Stratidio. Sic dum insonti præparatur interitus, auctor cadit in laqueum. Quo mater eius cognito, puellam increpat cum fletu sibi eam extinxisse filium. Cui Stratidio sollicitè impenso studio, esse mors vitam non abstulit, tamen signum mortis infixit.* Hæc Fortunatus Episcopus.

Agnosce igitur hic divinam rursus protectionem erga S. Germanum, cui nec consilium matris suæ eum in utero extinguere conantis, nec consilium matris Stratidii calice virulento interimere eum parantis, nocere potuit : Etenim *non est consilium, non est prudentia, non est sapientia*, aut vis maligna, quæ possit prævalere cõtra Dominum. *Prov. 21.* Agnosce simul crimen utrobique detestandum. Ex parte quidem matris, quia homicidium & parricidium parabat; nec satis eam excusare poterat pudor muliebris, qui eam ad id impellebat, aut imperfectio fœtus, quasi crimen grave non foret, embrionem in sua imperfectione excutere. Audi Tertullianum in Apologet. cap. 9. *Nobis homicidio semper interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licet. Homicidii festinatio est prohibere nasci. Nec refert, natam quis eripiat animam, vel disturbet nascentem. Homo est, qui futurus est, nam fructus in semine est.* Hæc Tertullianus. Est tamen gravius peccatum, si extinguatur fœtus animatus, quia anima infantis irreparabili damno simul afficitur, numquam visura Deum, dum baptismo destituta extinguitur. O igitur infelices matres, non matres, quæ potiones sumunt, ut fœtum vel impediant, vel excutiant! ô infeliciores, quæ non solum informis corpusculi, sed etiam animæ infantilis, jam informantis quodammodo fiunt peremptrices, dum æterna eam vita privant. Proh dolor, quam id usitatum est puellis fornicariis, quæ ut libidini indulgeant, & honori consulant, artibus variis utuntur, ne concipiant, vel ut conceptum statim excutiant! Sic crimen crimini infelicissimè accumulant. Interim sæpe contingit in pœnam peccati, ut suo non valeant nocere fœtui. Deo illum protegente, & peccatum earum propalante, simulque plectente negligentiam parentum in custodia filiarum, dum tristitia & infamia familiæ postmodum subsequitur ex fornicaria prole.

Ex parte quoque matris Stratidii, quæ erat avia Germani, multiplex delictum reperitur, dum necem intentat insonti, ut hæreditatem eripiat. *Quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames?* O malesuada cupiditas!

Nec speer à genero, nec hospes ab hospite tutus;
Fletus ante diem patrios inquirit in annos.

Sanè verum est illud: *Consanguinei & affines non tam diligunt nos, quam nostra: ut musca mel, cadavera lupi, sic prædam sequitur hæc turba, non hominem.* Hæc tamen in opprobrium non cedunt S. Germano, quia parentum opprobriis non decoloratur, qui propria virtute decoratur.

PARS II.

Quomodo Dei laus semper in ore & corde S. Ger. fuerit.

QUia S. Germanus Deum sibi ab ineunte ætate sensit propitium, ideo ubi adolevit, divino obsequio divinisque laudibus speciali pietate sese addixit, divinæ gratiæ luce collustratus, ut posset cum propheta dicere: *in te cantatio mea semper. Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.* Quod quidem effecit tota die, hoc est, quamdiu dies & lux vitæ ei affulsit. Ac in primis à carnis parentibus segregans se, ut Patri spirituum attentius posset deservire, ad S. Scopilionem Lausiam se conferens, ab eo sanctis moribus est institutus. Cumque ferè mille passus à loco, ubi Vir Dei Scopilio agebat, distaret locus, ubi Germanus morabatur, nihilominus ad matutinos Psalmos decantandos jugiter currebat, per tempestatem & hyemem, ductus calore fidei, adspirans & animans se continuò ad laudem Dei; quia per jucundum erat ei, si posset in veritate Domino dicere: *In te cantatio mea semper, repleatur os meum laude.*

Hæc ergo pietas effulgens in S. Germano, causa fuit, quod intra terni lustri spacium à B. Agrippino Diaconus sit institutus, & sequenti triennio Presbyter ordinatus. De hinc à Venerabili Pontifice Nectario Abbas ad S. Symphorianum, meritò dignus est adscitus. *Quantus verò vigiliis in oratione & laudibus divinis ibi perseveraverit continuò, quis enarrabit?* inquit Fortunatus Episcopus. Familiare ei erat in Basilica S. Symphoriani vigilias ducere remotis arbitriis, contemplationi & orationi vacando: nullumque sibi cupiens nisi Christum occurrere, furtim se è lectulo propriebat in oratorium cum silentio, ac celebrata vigilia remeans ad lectulum, quasi nihil egisset, tunc primum alios excitabat, & monebat è sopore surgere. *Quam secura de nocte ascendit oratio? Quam lucida, verecundo colorata rubore? Quam placida, nullo interturbata tumultu? Quam sincera, nulla aspicientis laude tentata?* Ita S. Bernardus ser. 86. in Cant.

Præterea longum esset dicere, quanta illi ad psallendum fuerit constantia, dum velut ferri rigore gelu indurata ejus caro subsisteret, cum videlicet saxa frigus decrustaret, & aquas in crustam verteret. Cum suis visceribus sic dimicabat, ut vinceret, penè seipsum obliviscens; ac per domesticum tormentum corpus superans, triumphum in pace factus Martyr acquirebat. *Nam & se mutantibus clericis sine vicissitudine ipse cantandi modulamina finiebat. Hoc ei notum est contigisse, quod tertia noctis hora ingrediens Ecclesiam, non est egressus ulterius psallentium ab ordine, donec elavescente jam die decantatus solemniter Cursus universus consummaretur ex Canone.* Ita Fortunatus ejus contemporaneus refert cap. 79. & 80.

Cap. 3.

Cap. 78.

O virum ineffabilem, nec labore victum, qui invictum ab oratione spiritum non relaxabat; ideoque poterat meritò sibi illud pro symbolo sacro assumere: *In te cantatio mea semper. Repleatur os meum laude, ut cantem tota die, immò & tota nocte, gloriam & magnitudinem tuam.* Pernoctabat in oratione & Dei laude algida senectus per hyemem sustinens duplex frigus, ætatis scilicet & temporis, quod nec tolerare possent juvenes potulenti; Quin immò & preces horarias, etiam in itinere, semper nudo capite persolvebat, etiamsi nix aut imber urgeret, vel frigida hyemis tempestas in aëre roboraret. Neque de hoc pietatis fervore extrema in ætate, penè octuagenaria quicquam remisit. Nec Pontifex existens. Monachus esse desiit, sed sic se semper piè, & religiosè, fortiterque gessit, *ut supra hominem fuerit omne quod edidit.*

S. Ger. in oratione & laude Dei pernoctabat.

Neque dubium esse potest, quin mirè eum Deus in oratione illustrarit, cum oratio non sit nisi lux animæ, colloquium cum Deo, consortiumque cum æterna luce. Hoc ipsum voluit Deus quadam die per externum symbolum in ipso patescere. Ingrediebatur S. Germanus domum cujusdam viri justi, probatæ fidei & virtutis, cui nomen Ebro. Anna autem ejus uxor ingrediente Germano territa, proclamat se rem miram videre. Inquirit maritus, quid illud foret? *Ecce*, inquit, *Germanum video radiantem instar Moysis, quasi cornuta propter effulgentes radios facie, nec valeo eum intueri sine grandi pavore.* Credendum autem est, quod hanc promeruerit irradiationem propter continuum colloquium cum Domino, sicut & Moyses in monte Sinai. Ipsius verò irradiationis internæ symbolum hoc externum in domo viri justi voluit Dominus demonstrare, ad fidem ejus augendam, & devotionem erga virum sanctum exacuendam. Vnde & Ebro juxta virum Dei eo die sedere non præsumpsit, duplici de causa, honoris scilicet & terroris.

In oratione radiabat instar Moysis.

Fortis. c. 8.

Exod. 34.

Ex hoc continuo cum Deo colloquio in oratione, zelum ferventissimum honoris divini, zelumque salutis animarum hauriebat. Per orationem quasi ad Dei tabernaculum recurrebat, ut cor ad eum elevando, ediseeret quæ ad subditorum salutem proferret. Exemplum Moysis etiam hac in re imitabatur, de quo sic loquitur S. Gregorius in Pastorali: *Moyses crebrò tabernaculum intrat & exit, & qui intus in contemplationem rapitur, foris infirmantium negotiis urgetur: intus Dei arcana considerat, foris onera subditorum portat. Qui de rebus dubiis semper ad tabernaculum recurrit, coram testimenti arca Dominum consulit, exemplum procul dubio rectoribus præbens, ut cum foris ambigunt quid disponent, semper ad tabernaculum Dei redeant.* Hoc peragebat S. Germanus, & maximè cum ad popu-

Summus animarum zelus in S. Ger. fuit.

lum

lum ei sermo habendus esset: prius enim in oratione spiritum attrahebat, quam os ad plebem Domini aperiret; hinc eius conciones erant ignito eloquio conflatæ, & adornatæ, ideoq; efficacissimæ. Testis est Fortunatus Pictavorum Episcopus, qui sic hac de re loquitur: *Quis dignè repetat, quanta virtus verborum ab ore rotabatur, dum prædicaret in populo? Ita scilicet, ut omni literatura nasceretur stupor, & fieret in commune generalis compunctio. Certè omnivo ex ore dicentis crederes quod verba sancto formarentur ab Angelo, dum plusquam homo loqueretur, translatus in mentis excessum, & abrasis vitiorum miraculis sinceritate dogmatis, pectora plebis cogeret divinis effragare pigmentis.* Hactenus Fortunatus Episcopus.

Sic igitur rursus poterat Domino insonare: *In te cantatio mea semper; repleatur os meum laude, ut cantem & gloriam tuam & magnitudinem tuam.* Non enim solum gloriam Dei decantabat psallendo & orando: sed etiam illam decantabat cum zelo & spiritu populis annunciando, ad conversionem eorum. O quot animas à peccati ludo ad gratiæ candorem traduxit sanctissimis suis monitis, sicque è mancipiis Diaboli effecit filios Dei! Qui prius Deum verbo & vita blasphemabant, se & alios postmodum ad laudem Dei accendebant conversi per Virum Dei.

In prosperis & adversis Deum laudavit.

Denique tam in adversis, quam in prosperis, Dei laudem decantabat S. Germanus, ut tanto verius de ipso foret: *In te cantatio mea semper.* Cum quodam vespere lassus cibum sumeret, ingressus est quidam ex suis fœnile cum lumine, factumque est, ut carbone decidente flamma fœnum corriperet, & arida nutrimenta vorax ignis allamberet. Concurrentibus omnibus, nec succurrere valentibus, ascendit super fabricam, concinens & repetens, *Alleluja, Alleluja*, quod idem est ac *Laudate Dominum, Laudate Dominum.* Sicque decantata laude Dei paululum aquæ fundens per modum crucis, extinxit incendium. Nempe de manu Viri sancti Deum laudantis exigua fluente aqua, mox sedatus est ignis, quem multa vix extinxissent flumina. O vim orationis, laudisque divinæ! Postero autem die Dæmon fassus est suis insidijs hunc ignem fuisse accensum. Sed hæc satis, ad intelligendum, quomodo os ejus laude divina repletum fuerit: nunc nobis explicandum restat, quomodo instar *Prodigii* factus fuerit, & quomodo illud Prophetæ in veritate potuerit dicere: *Tamquam prodigium factus sum multis, & tu adjutor fortis.*

PARS III.

Quomodo S. Ger. multis prodigium fuerit. Isai 8. Heb. 2.

NOn est insolitum in sacris eloquiis, eximios sanctitate viros, *Prodigij* nomine designari aut *Portenti.* Sic in persona Christi dicitur: *Ecce ego, & pueri mei quos dedit mihi Dominus in portentum.* Quod quidem ex Isaia repetit Apostolus ad Hebræos. Qui autem hic intelliguntur, nisi Apostoli & Apostolici Viri, qui Prodigiū & Portentum orbi extiterunt, doctrina & sermone, vita & conversatione, denique & miraculorum operatione? Annunciabant hominem in patibulo suffixum Deum verum esse, cœliq; ac terræ Dominum. Quam portentosa, quamque prodigiosa tunc doctrina ista, antea inaudita? Crucifigebant carnem cum concupiscentiis suis abstinentia & austeritate, siti & fame, frigore & nuditate. Quam longè aberat à sæculi moribus talis conversatio & vita? Deniq;, cum nec doctrinæ, nec vitæ eorum fides adhiberetur, stupenda edebant signa, an non erant in prodigium & signum dati? Potuerunt ergo & Apostoli & imitatores eorum, meritò canere cum Propheta: *Tamquam prodigium factus sum multis, & tu adjutor fortis.* *Psal. 70.* Potuit & idipsum succinere S. Germanus, ob admirabilem, ut jam ostendimus, doctrinam, admirabilemque vitam: sed maximè ob admirabilia signa, quæ Dominus per ipsum patravit, ejus adjutor fortis in omnibus.

Prodigiū suis Religiosis.

Inprimis, dum adhuc Abbatem ageret, prodigium fuit suis Religiosis, Deo eum adjuvante. Cum enim misericors mirum in modum foret erga pauperes, quodam tempore inopiæ & famis, copioso egenorum numero ad Monasterium concurrente, non solum suppellectilem erogavit, sed etiam panes omnes Fratribus reficiendis necessarios, ita ut nec panis unicus reliquus esset. Insurgentibus autem, adversum se Fratribus, recludens se in cellula amare flevit. Inter hæc ipso orante, quædam nobilis Matrona duorum ad eum panis portitorum dirigit onera. Sequenti etiam die cum varia provisione destinavit plena vehicula; *ita ut inde Monachi, cum satiarentur cibo: terrerentur miraculo.* An non hic prodigium factus est multis? Verè, ô Domine Deus, tu fuisti ei adjutor fortis contra omnes contradictiones, & palam ostendisti, quantum valeat firma in te fiducia, quia non deseris sperantes in te.

Sed & hoc planè memoria dignum est: Francorum Rex Childebertus advertens per hunc virum Dei & per manus ejus sanctificari eleëmosynas, quodam tempore misit ei sex millia solidorū erogandā in pauperes. Cum expendisset tria millia, & reverteretur ad palatium, interrogavit Rex: num quid supersesset erogandum? Respondit, medietatem supersesse, nec invenisse inopes, quibus mox totum expenderet. Cui Rex: *Dona audacter, quod restat: nam Christo largiente, nunquam quod donatur deficit.* Aurata igitur missoria ac argentea vasa comminuens, quicquid primum habuit, dat Sacerdoti. Erat ergo spectanda contentio inter Sacerdotem & Principem. *Imibant de misericordia pugnam, & de pietate certamen, ut de suis talentis egeni ditescerent, & ut semen serarent postea aliam longè messuri aueam segetem.* Sic Sacerdos locupletabatur regalibus thesauris, & in Rege florebat gratia Sacerdotis, qui solum suum hoc esse credidit, quod nudus aut egenus accepit. *Thesaurizate vobis thesauros, quos aruga non demolitur.* *Matth. 6.*

Prodigiosè ad Episcopatum

Secundò, non sine prodigio cœlesti ad Episco-

patum evectus. patum Parisinum est evectus. Neque enim hanc ambiebat dignitatem, sed potius optabat *in medulo suo mori*; hoc est, quiescere usque ad mortem in tranquillo Religionis statu Sciebat scriptum: *Nemo, sibi sumat honorem, sed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron.* Et rursus illud: *Domini est assumptio nostra, & sancti Israel Regis nostri.* Apparuit ergo ei noctu in sopore Venerabilis quidam Senex, portæ Parisiensis claves ei porrigens. Cumque interrogaret, cur hoc fieret: Responsum accepit istud: *Ut salvos cives facias.* Intellexit exinde vocationem & assumptionem suam, gloriæ Dei & animarum saluti profuturam. His igitur clavibus (quæ symbolum sunt potestatis, tam in regimine sacro, quâ politico) cœlitùs se inaugurari agnovit, ideoque divinæ non esse obsistendum voluntati & vocationi. Vocatus verò est ut Moysen & Aaron, Virga ei prodigiorum in manus data à Domino, ad salutem populi sui. Ita namque effulsit miraculis, ut vitæ ejus scriptior octuaginta tria capitula impendat in illis describendis, circa, cæcos, mutos, claudos, paralyticos, febre percussos; immò & circa mortuos aut jam jam moribundos. Speciale ei dominium dedisse videbatur Dominus super creaturas. Ejus non solum oratio & benedictio, sed etiam saliva, vestis, lectulus, lectuli stramen, immò & literæ ad aliquem ab eo scriptæ, sanitatem conferebant. Audi ex Fortunato c. 50. & 59

Hebr. 5.

Psal. 88.

Portentosus in curatione morbidorum.

Leudegisilus vir illustris confessus est, quod quoties aliquis familiæ suæ febrim incurreret, confestim aquâ lavans literas, quas ei olim scripserat Vir sanctus, aquam illam languenti dabat, sicque saluti eos restituebat.

Flammerus Abbas, cum manu ejusdem subscriptam accepisset epistolam, & ad suum quendam Monachum duobus jam annis jacentem detulisset; agnoscens, ille S. Germani signaturam, illam lingebat subscriptionem, sicque simul linxit salutem, & in viscera trajecit sanitatem. Atramenti pictura omni superavit medicamina. Audi & aliud.

Dominicum die violantes varie puniti, & à S. Germ. curate.

Tam severè tunc temporis Deus observari volebat diem Dominicum, ut passim puniret transgredientes, vel brachiorum contractione subita vel alia pœna S. Germanus eorum miserescens, & ad pœnitentiam eos adducens, diversos legitur sanasse sic punitos, idque oleo sacro à se benedicto. Sic sanatus fuit vir quidã, cui manus erat contracta cœlitus, quia Dominica die circa sepem horti sui aliquantum fuerat occupatus. Sic etiam mulier quædam eandem pœnam sensit, quia linum colo adaptarat, & in filum traxerat Dominica die; sed à S. Germano etiam curata fuit. Sic & alius quia caligas cincinasset, & nonnulli quia aliquid alterius operis fecerant illa die Domini, divinitus fuere puniti, at per viri Dei oleum benedictum ab afflictione fuere liberi. Sic ergo prodigium factus & multis, quia Dominus erat ei adjutor fortis.

Prodigiosus Regibus & Principibus.

Tertiò, prodigium factus est Principibus & Regibus, ita ut dicere possumus, quod de Moyse: *Claruit eum Dominus in conspectu Regum, & jussit illis coram populo suo, & ostendit illis gloriam suam.* Audi, quomodo voluerit eum Deus à Regibus honorari. Cum veniret ad Regem Clotarium, moramque fecisset ante palatii vestibulum, nemo eum Regi indicavit; quare domum est reversus. Sequenti nocte Rex dolore & febris infestatione torquetur. Hinc primo diluculo ad eum adferunt Proceres, supplicationes ut Regem dignetur visitare, & doloris vim mitigare. Ipse injuriam postponens procedit, & qui antea nec nunciabatur, jam honoratus ingreditur. Rex assurgens de lectulo, cæsum se conqueritur divino flagello, allambitque Sancti palliolum, & vestem Sacerdotis deducit gaudens per loca doloris. Culpamque fassus est, & sic dolor omnis fugit. Id verò actum est, ut cujus incurrerat de contemptu periculum, sentiret de contactu remedium Audi & aliud prodigium.

Oratione carceres aperuit, & vinctis causti.

Nicasius Comes illustrissimus Castelli de Vallone, invitarat Virum Dei ad prandium, mox verò cœpit de misericordia cum Comite agere, & rogare, ut captivos, quos detinebat, dignaretur pietatis intuitu relaxare. Ille autem planè renuebat. At Germanus sese propipiens è domo, coram ostio carceris cum lachrymis oravit, & exauditus est à Deo qui ab homine non audiebatur. Missus enim Angelus, qui eduxit vinctos, carceresque fecit apertos. Sic quoque, dum corpus ejus ad sepulturam deferretur, & transitus foret apud carceres, implorantibus captivis ejus auxilium, non potuit præpondere ulterius deportari, donec captivi in libertatem essent asserti. Itaque, & in vita, & in morte, erga captivos misericors, *Prodigium factus est multis*, quia Deus erat ei adjutor fortis. Vnde & multoties in vita legitur oratione sua aperuisse carceres captivis.

Prodigiũ fuit Dæmonibus.

Postremò adjiciamus, quod ipsis quoque prodigium fuetit Dæmonibus. Erat enim eis terrori, quia passim ejiciebat eos è corporibus humanis, vel è locis, quæ infestabant. Vnde cum Augusto, unum ad hunc effectum servus Dei accederet, occurrerunt ei Dæmones ululantes & clamantes. *Si de locis cultis nos expellis, vel habitare concede per sylvarum solitudinem, ut liceat salem per deserta miseros nos errare. Ante tuos enim oculos nec corpora nos celant, nec nemora.* Ipla itaque non ferentes ejus præsentiam, de obsessis corporibus & possessis locis vertebantur infugam.

Concludamus, & aliquid de ejus fine dicamus, qui non potuit non esse admirabilis, & gratiis divinis plenis, sicut & vita. Certe diem beati sui transitus Deus fideli suo famulo prædixit. Quapropter Notarium advocans ante aliquot dies morti suæ prævios, quasi testamentum condturus, jubet in cubiculo suo supra lectulum suum hoc scribere: *Quinto Calendas Iunias*, quod idem est ac *Vigesima octava die Maij.* Nihil plus, nihil minus scriptum est, quia nec aliud ab ejus ore prodit. Admirantibus autem omnibus, & nescientibus quid hoc portenderet,

tenderet, postmodum id ejus de sæculo exitus declaravit, quem Dominus familiari sibi animæ abscondere noluit. O quam felix, qui ante mortem scivit nomen suum scriptum esse in libro vitæ, seque inter electos propediem divino sistendum aspectui, ut eo frueretur in æternum? Hoc ubi de se revelatum fuisset S. Francisco biennio ante obitum, octo continuis diebus exclamabat, continuisque noctibus: *Laudetur Dominus, laudetur Dominus*; nec aliud quidpiam poterat cogitare nec aliud dicere, ita ut ipsum divinum officium cogeretur dimittere. Non ergo parvi momenti est istud, nec exigua S. Germanum affecit lætitia in extremis, agnoscere coronam vertici suo appropinquantem.

Itaque S. Germanus die à se designato, ferè octogenarius mirandis per orbem actibus Apostolis aggregandus à Sanctis omnibus glorificandus dissoluto vinculo corporis, immaculato spiritu, ad cœlos victor emigravit, à Christo æternum coronandus, qui cum Patre & Spiritu Sancto regnat in sæcula sæculorum.

Appēdix

EPITAPHIUM S. GERMANI A CHILPERICO Rege Francorum compositum, & ab eodem ejus Sepulchro appensum.

Ecclesiæ Speculum, Patriæ vigor, Ara reorum,
Et Pater, & Medicus, Pastor, Amorq; gregis:
GERMANVS virtute, fide, corde, ore beatus:
Carne tenet tumulum, Mentis honore polum.
Vir cui dura nihil nocuêre facta sepulchri:
Vivit enim; nam mors quem tulit, ipsa timet,
Hujus opem ac meritis mutus data verba loquuntur:
Redditus & cæcis prædicat ipse dies.
Nunc Vir Apostolus rapiens de carne trophæum,
Iure triumphali considet arce poli.

Epitaphium istud fuisse in honorem S. Germani, Pontificis inclyti Regiæ Urbis Parisiensis, à Rege Chilperico compositum, & sepulchro appensum, testis est Aymonius lib. 3. Histor. Francor.

HISTORIA TRANSLATIONIS CORPORIS S. GERMANI, Episcopi Parisiensis tempore Pipini Regis Galliarum, sub annum 755.

Beatissimus Germanus venerabilem corporis sui transpositionem præeuntibus signis voluit ostendere. Nam cum ducentis circiter annis in porticu Ecclesiæ S. Vincentij Levitæ & Martyris, jam quidem Basilica facta, corpus ejus jacuisset humatum, anno vigesimo tertio, quo Carolus Mattellus. Pipini senioris filius, Francorum regnum tenebat, Lantfredus, Monasterij S. Germani Abbas Venerab. divini Spiritus instinctu cogitare cœpit, quod tanti Patroni augenda esset veneratio, sanctum corpus in Ecclesiæ majoris aulam transferendo. Sed quia pijs conatibus impedimenta se hujus sæculi objiciunt, multis annis res dilata est. Non tamen destitit, Germanus miraculis admonere eum devotionis conceptæ; nam cuidam piæ mulieri hæc ostensa est visio. Putabat se causa orationis nocte ad Ecclesiam S. Vincentij pertexisse: ubi clausas januas reperiens, ante fores procubuit, audivitque psallentium multitudinem intra Ecclesiam resonantem, modulatione suavitatem omnem superante. Tanto miraculo attonita, avet agnoscere quid hoc esset, moxque ministerio cujusdam præclari pueri conspicit sibi Ecclesiæ januas aperiri, tantumque splendorem in ea cernit, ut diei vinceret claritatem. Ingressa, respicit è regione sepulchri S. Germani, & ibi videt multitudinem virorum, Angelicis vestibus indutorum; inter quos Vir quidam præfulgebat, niveam caniciem præferens cui quasi recognito, ait: *O sanctissime Germane, multum temporis est, quo hæc, quæ video, servus tuus Lantfredus fieri desiderabat.* Cui ille: *Scio: nam hodie viginti anni sunt, ex quo ego rogo, ut me transferre, ostendi. Vade & dic ei, quoniam ejus devotio mihi placet, sed tarditas planè displicet. Quod si hinc me transferre optat, retro B. Stephani aram me ponat.* Hanc visionem cum Abbati & Fratribus mulier retulisset, duobus indiciis veram esse agnoverunt: sive quia annorum numerum sola Abbatis retinebat memoria: sive quia congregationi adhuc erat incognitum, in Altari S. Crucis B. Stephani reliquias esse, quas postea sagax inquisitio prodidit.

Itaque Abbas Regem Pipinum adijt, tunc regnantem, & quæ sibi pridem ostensa fuerant & quæ recenter huic mulieri enarravit. Gavisus est Rex, convocatisq; universis Regni Præsulibus, quomodo hoc negotium perficere oporteret, cum eis pertractavit. Indicta igitur die, adest Rex cū suis Proceribus aperitur terra, levatur facillimè sanctum corpus cum suo sepulchro diligenter clausō, atque intra aulam Ecclesiæ cunctis exultantibus reponitur: ibique reliquum diei & sequentis noctis officium dignè celebrantes, crastinum præstolati sunt diem. Primo mane adest Rex cum Optimatibus, cœptum opus ad finem perducturus. Vectes præparati sunt longissimi ad efferendum corpus, non ob ejus pondus, sed propter religiosum obsequium, quia gaudebat unusquisque vel alijs portantibus vectes contingere. Accedens ergo Rex & Primates ab ipso electi, apprehenderunt sepulchrum, volentes perficere opus inchoatum. Sed multorum manibus cooperantibus ut levaretur, perstitit immotum quasi radicitus affixum; diversæque machinæ frustra ad id impēduntur. Cōtristatur Rex & Optimates, seipsos arguentes, quod de loco, quem sibi vivens elegerat, & tot annis quieverat, levare præsumpserint. Vocantur Episcopi, qui interrogati dixēre: *Scit Majestas Vestra S. Germanum Episcopum esse, ideoque forsan optat ab Episcopis sanctum suum corpus transferri.* Consilium istud rectum visum est, & prece fusa, remotis cæteris, accedunt Episcopi; sed omnem conatum frustra impendunt.

Rursus

Rursus ergo aliud ab Episcopis suggeritur consilium, dicuntque Regi : *Certum est nobis, B Germanum hic velle transferri ad designatum locum; tamen quia nec Celsitudo Vestra, nec humilitas nostra id potuit, opinamur sanctum velle servientes sibi fratres in hoc Monasterio sui corporis bajulatione honorare ut semper in sanctitate stimulentur ei servire.* Accessere igitur & Monachi ad tumulum, sed nulla vi aut industria à terra elevare valuerunt.

Flente Rege, & Optimatibus contristatis valde, quidam divino tandem instinctu edoctus dixit: *Si dignetur Rex ex ore servi sui verbulum audire, hujus impossibilitatis causas veraciter enarrabo. Est in hoc pago Parisiaco villa vestra, nomine Palaciolum in cujus circuitu villæ monasterij sunt. Fisci autem vestri ob fortitudinem sublimitatis vestræ valde sunt insolentes contra hunc locum, homines & pecora cædendo, messes prata sylvas vastando, familiamque hujus Ecclesiæ variè affligendo. Existimo virum beatum hanc à munificentia vestra expostere.* Attonitus Rex pius ait: *Iusta est hæc tribulatio nostra, & B. Germani pia admonitio.* Ponens igitur vadium suum super tumulum: *Accipe*, inquit, *beatissime Germane, villam nostram cum omnibus appendiciis, familia tua hactenus inimicam, sed deinceps perpetuo profuturam, tantum ut sacri corporis tui dignus possitor existam.* His dictis, ipse & electi ab ipso Optimates, manus ad feretrum mittunt, tantaque facilitate levarunt, ac si nihil haberet ponderis. Quare Clerus & Episcopi miraculo exhilarati in jubilosam vocem, *Te Deum laudamus*, eruperunt. Secutaque est alacritas populi, certatim vel feretrum, vel extremam partem vectium, vel vestes poitantium, attingere exoptantis.

Ventum est ad fossam præparatam, sed altera nascitur difficultas: nam vectes, ob longitudinem suam & brevitatem cryptæ, sarcophagum fossæ aptari vetabant. Dum ergo consilium iniret de rescindendis vectibus, & de modo inducendi corpus sine disruptione sarcophagi: ecce ipsemet sarcophagus, nemine tangente, motus est de vectibus, cunctis stupentibus, & in locum paratum depositus est. In ipsa autem motione tantus odor miræ & inexpertæ suavitatis de sepulchro evaporavit, totamque Ecclesiam replevit, ut omnes inibi consistentis, quasi in extasi à dulcedine illa conversi per dimidiam ferè horam, nec aliquid sibi colloqui, nec se invicem respicere valerent. Quasi ergo de gravi sopore evigilantes, admirantes de eo quod factum erat, & timentes sarcophagum minutatim fractum esse, dum respiciunt in fossam, vident planè integrum, & tam decenter compositum, ut nulli esset dubium, hoc ministerio Angelorum peractum esse. Hæc antiquo ex scripto Monachi cujusdam monasterij S. Germani, qui ex ore Caroli Magni, Imperatoris, hæc se scripsisse asserit, quia huic translationi interfuerat adhuc adolescens Carolus. Celebratur autem hæc Translatio vigesima quinta mensis Julij. Tanta porrò miracula ad ejus sepulchrum currentibus sæculis peracta sunt, ut postquam duobus libris Haymonus Monachus nonnulla tradidit, cogatur fateri:

Scribere penna nequit miracula facta per ipsum;
Dum jacet in tumulo: promere lingua minus.
Linquitur hoc illi, bibulas qui solus arenas
Ac pelagi guttas dinumerare valet.

IN FESTO S. IACOBI MINORIS. Lect. 23. quadrup.

Vidi similem Filio hominis in medio Candelabrorum aureorum, &c. Apoc. 1.

QUod S. Ioannes in Apocalypsi sua de Christo sibi in visione apparente pronunciat, nos ex parte possumus S. Iacobo ejus Apostolo adaptare, & de eo in contemplatione mentis nobis repræsentato dicere: *Vidi similem filio hominis in medio candelabrorum aureorum, vestitum podere, præcinctum ad mamillas zona aurea, & oculi ejus flamma ignis.* PARS I. *Quomodo S. Iacobus similis filio hominis.* *Apoc. 1.*

Variæ enim ejus dotes his verbis possunt designari aptissimè, quibus in Ecclesia Dei promicat, quasque contemplari nos decet & venerari.

Primò igitur dicimus eum *similem filio hominis*, hoc est Christo, qui se hoc titulo frequenter in Evangelio insignivit, sicque specialiter vocari voluit. Sed in quo consistit hæc similitudo? Vtiq; in specie externa vultus, simulq; in interiori specie animi & morum. Quantum ad speciem externam vultus, Iacobum fuisse Christo similem, antiqua est traditio, ita ut etiam propterea vocatus fuerit *Frater Domini*, de quo S. Paulus: *Apostolorum vidi neminem nisi Iacobum Fratrem Domini.* Frater ergo Domini dictus fuit, tum quia consanguineus erat, consanguinei autem in Scriptura fratres nominari solent; tum quia vultu & forma erat ei simillimus, quasi Christi frater & gemellus foret. Eximia nempe forma & pulchritudine præditus fuit, quandoquidem talis fuerit Christi species, de quo canimus: *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis.* Propterea non dubitamus Iacobum Christo Domino amabilem & charum specialiter extitisse, quandoquidem similitudo amorem conciliet, nec ipse potuit non amare hunc quem Fratrem suum dignatus est vocare, fratrem inquam cognatione, fratrem affectu correspondente, fratrem virtutis imitatione, fratrem vultus specie. Neq; solum Christo Domino amabilis fuit S. Iacobus, sed etiam Christianis omnibus qui eum viderunt, quia in eo quasi in quodam speculo viva Christi effigies cernebatur. Quapropter post Christi ascensum, sicut Christiani magno desiderio flagrabant videndi Matrem, quæ genuerat sæculorum Salvatorem, & per ipsum omnes Christianos omnesque salvandos; ad eam enim tanquam Agnelli accurrebant, agnoscebantq; ubera quæ lactaverant Regem sæculorum, & tunc adhuc lactabant novellam Ecclesiam lacte spiritua-

Species externa vultus S. Iacobi similis Christo. Gal. 1.

Psal. 44.

Iacob. quomodo frater Christi.

Multi ad videndũ Iacobum profecti.

spirituali; Sic etiam pergebant Ierosolymam ad videndam faciem S. Iacobi in quo Christum quodammodo intuebantur tanquam in sua imagine, vultum & mores referente. Ita testatur S. Ignatius epist. ad S. Ioannem Evangelistam, ubi scribit sese cogitare iter in Ierosolymam, ut fratrem Domini videat & in eo vivam effigiem Christi cernat. Certè etiam ex Evangelica historia, similitudinem S. Iacobi cum Christo Domino ex parte vultus inde colligunt interpretes nonnulli, quod Iudas Christum Dominum proditurus Iudæis: osculi eis signum dederit, quo Christum agnoscerent, ne fortè Iacobum ei similem pro ipso apprehenderent. Hæc quantum ad vultus similitudinem, de qua quando Iacobum contemplamur, potest unusquisque nostrum dicere: *Vidi similem filio hominis.*

Cur osculi signo Iudas usus.

Iacobus similis Christo animæ dotibus.

Quod verò spectat ad speciem interiorem & similitudinem morum cum Christo, de qua potissimum illud usurpo: *Vidi similem filio hominis*, illa ex multis præclaris animæ dotibus in S. Iacobo fratre Domini declarari potest. Fuit enim ipse cœlestis vitæ, sicut & Christus Dominus, fuit celebris sanctitate, orationi fuit vacans die ac nocte, quasi cum Deo & Angelis continuè conversans, etenim & cum Christo Domino à puero fuerat educatus & conversatus, inquit S. Epiphanius hæresi 78. ejusque spiritum jam exinde imbiberat. Quis ignorat ob singularem justitiam & sanctimoniam ei cognomen *Iusti* fuisse inditum communibus ipsiragis? Testes ejus nominis sunt SS. Patres, & perantiqui Doctores. Et quidem eousque sanctitatis ejus opinio excrevit, ut nonnulli existimaverint ipsum instar S. Ioannis Baptistæ & Hieremiæ ex matris utero fuisse sanctificatum. Hoc saltẽ scimus ex S. Hieronymo hocque legit & approbat Ecclesia Romana in suo officio, tantæ ipsum fuisse sanctimoniæ, & apud plebem tam celebris famæ, ut certatim optarent ejus homines fimbriam attingere. Ideo quoque de illo merito dicimus: *Vidi similem filio hominis.* Nec ambigimus sicut ex Christi Domini fimbria, aut ex semicinctiis aut sudariis Apostolorum, sic ex ejus fimbria virtutem exisse, quando quidem promiserit suis Dominus: *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.* Matrem quoque ejus sanctissimam fuisse novimus, cujus corpus Veralis in Italia quiescit, magnisque fulget miraculis, de qua mentio fit in Rom. Martyrol. die 25. Maji. Licet verò illa plures genuerit filios eosque Apostolos scilicet Simonem, & Iudam Thadæum, sanctitate insignes, à digniori tamen vocatur *Mater Iacobi*; & Iudas ipse in sua Epistola Catholica gloriatur se fratrem Iacobi, sic inchoans: *Iudas Iesu Christi servus, frater autem Iacobi &c.*

Cum Christo educatus.

S. Iacobi sanctitas.

Ioan. 14.

Marc. 16.

Sublimem porrò vitam ejus fuisse per orationem & contemplationem, qua in Deum rapiebatur, & similis filio hominis efficiebatur, satis probarunt ejus & frons & genua. Testatur enim S. Hieronymus ejus genua ita callum obduxisse, ut duritiè pellem Cameli imitarentur. Idipsum de fronte testatur S. Chrysostomus hom. 5. in Matth. callosam nimirum fuisse instar pellis Cameli ob continuam in terra prostrationem. Testatur denique S. Epiphanius hær. 78. ipsũ urgente magna siccitate in cœlũ manus elevasse, & instar Eliæ pluviam mox impetrasse. Ideo S. Iacobus in sua Epist. cap. 5. adeo commendat orationem justi assiduam & ibidem addit: *Elias homo erat similis nobis, passibilis, & oratione oravit*, id est ferventer oravit, *ut non pluerat super terram, & non pluit annos tres, & menses sex.* Et rursum oravit, & cœlum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum. Hoc ipsum de S. Iacobo justo jure possumus dicere: *Multum valet deprecatio justi assidua.* Per illam utique Iacobus justus frequenter iram Dei mitigavit. Per illam instar Filii hominis se mirum in modum in spiritu coram Deo transfiguravit, de claritate transiens in claritatem. Per illam crebrò cum Angelis coram Deo adstitit. Per illam dona sibi & plebi suæ necessaria impetravit. Ergo dum eum in oratione & contemplatione assidua intueor, dicere mihi licet: *Vidi similem filio hominis & facies ejus lucet sicut Sol*; lucet enim facies corporis, lucet & species mentis, quaqua parte eum inspexeris.

Instar Eliæ pluviam impetrat.

Iacob. 5.

Pons ejus & genua callosa.

SEcundò dicimus eum *in medio candelabrorum aureorum vestitum podère.* Per id significamus ejus dignitatem & auctoritatem Episcopalem, eamque primariam & eminentem. Vestis enim podèris vestis est Pontificalis, sic dicta quod ad pedes usque sese protenderet. Erat autem duplex, una linea, altera hiacynthina. Linea utebantur semper in sacris Sacerdotes; hiacynthina propria erat Pontifici & ab ea dependebant mala punica & tintinnabula. De hac dicitur: *In veste podèris totus erat orbis terrarum.* Et per id significabatur, Pontificem podère indutum mediatorem esse cœli & terræ, Deique & hominum, ipsumque pro toto orbe intercedere. Itaque S. Iacobum rectè podère vestitum describimus, tum quia lineis uti vestibus semper solitus fuit, tum quia Hierosolymis Episcopus & Pontifex constitutus fuit, & à S. Petro & Ioanne & Iacobo (qui Major vocatur, quia prius ad Apostolatum vocavit eum Dominus) consecrationem Episcopalem ibidem accepit ut esset & agnosceretur ab omnib. Sacerdos summus Civitatis sanctæ. Ita tradit Anacletus Pontifex epist. ad Episcopos Italiæ. Idem refert Eusebius ex Clemente Alexandrino histor. lib. 2. cap. 10. ubi dicit Petrum & Iacobum & Ioannem, cùm essent summum à Domino dignitatis gradum adepti; non de gloria & honore contendisse inter se, sed uno consensu Iacobum justum Hierosolymorum Episcopum designasse. Inde ergo emanavit forma illa à S. Petro tradita, ut non minus quàm tribus Episcopis electus Antistes consecraretur, quæ etiam modò stabilis est in Ecclesia.

PARS II.

Cur in medio candelabr. vestitus podère.

Sap. 18.

Vestitus podère, quia Episcopus est.

1. tom. Concil.

Quia porrò Hierosolymis Iacobus constitutus fuit Episcopus, ideo Hesychius vocat eum *Nova*

Oratio de S. Iacobo.

Ierusalem summum Ducem, Sacerdotum Principem, Apostolorum verticem, in lampadibus resplendentem, inter astra maximè illustrem. Et hoc ipsum in est, quod nos eum repræsentamus, *vestitum podere in medio Candelabrorum aureorum.* Vnde notabile est quod advertunt sacri Doctores, & colligunt ex S. Synodo de consecr. d. 1. cap. *Iacobus*, quod ipse primus solenniter Missæ sacrificium celebrarit, ac postmodum ejus celebrandi formam & ritum præscripserit. Nam adhuc modò extat Missa S. Iacobi, quam ipsius esse Doctorum Catholicorum communis tenet consensus. De hac re sic loquitur quidam auctor pius & eruditus: *S. Iacobus Minor primus à Christi ascensione congregatis Apostolis celebravit; & licet Petrus foret Princeps Apostolorum, voluit ipso munere Iacobum decoratum, quod Hierosolymorum Antistes, & ei Provincia delegatus foret, in qua prima Ecclesia erecta fuisset. Fertur in Cœnaculo celebrasse, in quo Christus cum discipulis cœnavit, & sacramentum ac sacrificium instituit, in quod etiam Spiritus sanctus descendit. In qua Missa omnes Discipuli & Apostoli dicuntur accepisse Communionem, & B. Virgo primium in sacramento Filium suum immortalem, quem in visceribus carne mortali vestierat. Idem Apostolus propriam formam & officium Missæ celebrandæ instituit, eique hoc nomen indidit.* Ita ille.

S. Iac. primus missam solennem celebravit.

An Molanus lib. de Sacerdotio p. 255.

Officium Missæ instituit.

Certè inter Apostolos maximæ fuisse auctoritatis Iacobum fratrem Domini, satis colligitur ex Apostolo dicente: *Cum cognovissent gratiam quæ data est mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur esse columnæ, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis.* Vbi Iacobum vocat Columnam Ecclesiæ, & primo loco nominat honoris gratia, tamquam loci Antistitem, à quo in societatem fuit cooptatus Paulus. Propterea etiam in Concilio primo Hierosolymitano primus post Petrum sententiam dixit S. Iacobus, & quasi ex cathedra sua pronunciavit Christianos non obligari lege & legalibus Mosaicis. Tradit quoque Eusebius lib. 7. hist. ca. 14. Insignia potestatis ejus ad posteros esse delapsa. Scribit enim ad tempus usque suum servatam esse Cathedram ipsius Episcopalem, *quam per magni*, inquit ipse, *æstimant, qui illic ordine successerunt.* Addit S. Epiphanius Iacobum gestare solitum laminam auream, in signum scilicet regalis Sacerdotii, quod ipsum asserit S. Hieronymus lib. de scriptorib. Ecclesiastic. Erat tale ornamentum Sacerdotib. antiquis concessum, sed in perfectius Christianæ legis sacerdotium est translatum, ita ut ex institutione Apostolorum sit, quod Episcopi tamquam regali sacerdotio fungentes mitra preciosa in sacris utantur, ut patet ex S. Gregor. Nazianzeno Apol. 3. & ex traditione Ecclesiæ. Sic & preciosis utuntur vestibus.

Gal. 1.

Act. 14.

An non ergo meritò repræsentamus Iacobum primum Ierosolymis Antistitem consecratum tamquam adornatum veste Podêris? Sed cur inter candelabra aurea? Quid designant septem candelabra aurea, nisi septem Ecclesiæ fulgida Sacramenta, inter quæ continuò agere debet mente & corde, qui Sacerdos est & Episcopus constitutus? Cura nempe & functio sacerdotalis & pontificalis semper respicit divina sacramenta; hæc fovere, tueri, administrare, accendere debet tanquam candelabra fulgidissima oleo gratiæ referta, ex quibus lux omnis derivatur. Sed specialiter S. Iacobus inter hæc Candelabra, sive inter Sacramenta Ecclesiæ à nobis repræsentatur, quia illorum præcipua contra hæreticos promulgavit, illustravit, stabilivit, & inconcussa reddidit.

Cur inter Candelabra aurea.

An non promulgavit Sacramentum Confessionis, dum ait: *Confitemini alterutrum peccata vestra?* Hoc est, non solum Deo confitemini, ut hæretici dicunt, sed etiam homines hominibus vobis similibus, quibus Deus curæ commandavit ea absolvendi, Sacerdotibus scilicet, quibus dictum est: *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis.*

Iacob. 5.

Ioan. 20.

An non promulgavit Extremæ unctionis Sacramentum, ita apertè, ut ex ejus verbis convincantur hæretici, confirmenturque Fideles? *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* Quid clarius dici poterat pro hoc Sacramento infirmorum?

Iacob. 5.

An non illustravit Sacramentum & Sacrificium Eucharisticum, quandoquidem in publico & solemni confessu illud celebrarit & administrarit, sanctisque cæremoniis adornarit? Certè ejus Liturgiam secuti sunt S. Basilius, S. Chrysostomus, & Ecclesiæ Græcæ illam tradiderunt.

An non bonorum operum conjunctionem cum fide & Sacramentis necessariam clarissimè denunciavit, contra fidem specialem, sed errantem, hæreticorum nostrorum, qui omnia soli adscribunt fidei? *Quid prodest fratres mei si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat. Nunquid poterit fides salvare eum?* Propter hæc igitur omnia rectè à S. Paulo *Columnæ* vocatur, rectèque à nobis describitur inter aurea candelabra, quandoquidem fidem stabiliverit, & fidei sacramenta illustrarit sua pietate & doctrina.

Gal. 2.

PARS III.

Quomodo zona aurea præcinctus mamillas.

Isai. 6.

TErtiò dicimus eum *præcinctum ad mamillas zona aurea.* Mamillæ ubertatem significant & suavitatem doctrinæ. Zona aurea symbolum est castitatis & continentiæ. Apostolis rectè attribuuntur ubera & mamillæ, quia per simplicem, sed uberem suam doctrinam initio lactarunt fideles, fueruntque non solum Patres, sed etiam quodammodo Matres & Nutritii. Propterea de primitivis fidelibus dicebat Propheta: *Ad ubera portabimini, & super genua ad blandientur vobis.* Rudimenta Christianæ fidei & pietatis lac quoddam erat, quod eliciebatur de corde & ore Apostolorum, quasi de sacris mamillis, ut nutrirentur hi qui nondum erant capaces sublimioris doctrinæ. Propterea dicebat S. Petrus admo-

admonens tenellos suos filios ad fidem recens con-
2.Petr.2. versos: *Quasi modo geniti infantes sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem; si tamen gustastis, quoniam suavis est Dominus.* De hoc etiam lacte,& his uberibus loquebatur Apostolus: *Rursus*
Hebr.5. *indigetis, ut doceamini elementa exordij sermonum Dei,& facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo.* Plenus erat ipse hoc lacte; unde cum gladius martyrii cervicem eius detruncaret,non sanguinem dedit, sed lac fudit, in symbolum doctrinæ cœlestis in ipso tanquam Nutritio filiorum Dei perabundantis.

Vera symbolum doctrinæ & sapientiæ. Sic igitur etiam mamillas & ubera specialiter S. Iacobo attribuimus, in symbolum doctrinæ & sapientiæ cum pietate conjunctæ,è quibus tanquam sacris mamillis lac suavissimum in Ecclesiam est refusum. An non Epistola ejus,quam nobis reliquit tanquam Apostolatus sui monumenta referta est lacte cælesti? An non ibi propinat omnibus lac sinceræ veritatis? An non proponit omnibus tribulationem patientibus lac consolationis? *Omne gaudium*
Iacob.1. *existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur,patientia autem opus perfectum habet, ut sitis perfecti & integri in nullo deficientes.* An non omnes avertere conatur à lacte venenato concupiscentiæ & malitiæ,invitans ad lac pietatis & gratiæ
Ibid. divinæ: *Abjicientes omnem immunditiam & abundantiam malitiæ; in mansuetudine suscipite insitum verbum,quod potest salvare animas vestras.* An non omnes ad veram instigat sapientiam desursum sugendam, relicta sapientia animali terrena, diabolica,relicta omni cordis amaritudine? *Quis sapiens &*
Iacob.3. *disciplinatus inter vos? ostendat ex bona conversatione operationem suam in conversatione sapientia. Quod si zelum animarum habetis, & contentiones sunt in cordibus vestris non est ista sapientia desursum descendens,sed terrena, animalis, diabolica.* Postea ostendit quæ sit vera sapientia,ad cujus dulcedinem gustandam & sugendam invitat dum subdit: *Quæ autem*
Ibid. *desursum est sapientia primum quidem pudica est, deinde pacifica,modesta,suasibilis, bonis consentiens, plena misericordia & fructibus bonis.* Attende ergo ex his, quam habuerit vir mitissimus & justissimus suaves mamillas sapientiæ lacte plenas, cujus copiam in fideles & filios suos spirituales optabat redundare.

Continentia & castitas S. Iacobi. Zonam porrò auream ad mamillas habuit perfectæ continentiæ & castitatis. In omni enim ætate castimoniam servasse tradunt veteres, in cujus etiam symbolum lineis candidis utebatur. Quapropter à Christo Domino specialiter dilectus fuit ob puritatem & candorem, ob virginitatem & sanctimoniam. Ob eandem ita fuit gratus omnibus, ut speciali privilegio ei licuerit ingredi in Sancta Sanctorum (ut referunt antiqui Patres) quod in aliis prohibitum erat. Vt autem in perfectione sua luceret hæc castitas,oratione continua & abstinentia ea securam intemeratamque conservabat; in harum enim societate tuta est, nec periclitari potest, sed ejus lux magis ac magis splendet. Tantæ verò fuit abstinentiæ, ut vinum & siceram omneque quod inebriare potest, non attingeret, carne etiam non vesceretur, oleo & balneis nunquam uteretur, ut solitum erat in Iudæa æstivo tempore:insuper deliciis omnibus, quæ sæcularem ingenerare possunt lætitiam,prorsus sibi interdicebat.pane & aqua cõtentus etiam lachrymis ea miscebat. Denique novacula caput ejus nunquam attigit, quia & ipsos crines suos Domino consecrarat ab ineunte ætate. Verè ergo Nazaræus fuit, à moribus sæculi segregatus, Deoque specialiter consecratus, vita, castitate, conversatione & sanctimonia; ideo benedictione multiplici à Domino fuit coronatus, quam inter Fratres suos Nazaræus & Sanctus.

Abstinentia.

Verè ergo aurea, verè fulgida & speciosa fuit zona, qua præcinctus fuit S. Iacobus, qua Deo & hominibus fuit dilectus. Meritò zona dicitur pectoralis sancta castitas, quæ carnis lasciviam, libidinis ardorem, concupiscentiæ stimulum comprimit. Meritò zona dicitur, quæ sub jugo spiritus sensus omnes & cogitationes ac diffluentia desideria ordinat & constringit. Aurea verò dicitur ob fulgorem & precium,quia sicut aurum inter metalla, ita inter virtutes emicat castimonia. Hæc est fascia pectoralis, cujus nunquam debemus oblivisci. Hæc est fascia fulgida,quæ nunquam ineautæ conversationis macula aut impuræ occasionis labecula debet infici. Hæc est sacerdotale ornamentum, quod super veste podêris debet fulgere,ut illam constringat, hoc est, super vita sacerdotali, aut eam secundum rectam disciplinam ordinet & componat. De hac dicebat S. Cyprianus serm. de Pudicitia: *Honor est corporum ornamentum meorum. sanctitas sexuum, hostis immunditiæ,loricæ pudoris, pronuba sanctitatis, repudium turpitudinis,abolitio scandalorum, pax virtutum, mater innocentiæ, dilectionis parens, quæ soli Deo placere quærit.* Hanc ergo docuit omnes S. Iacobus, & maximè Sacerdotes, quia eis necessaria est in omni functione, imò in omni conversatione. Vnde ipsis videtur dicere S. Iacobus,vestitus podêre, & cinctus zona aurea inter candelabra septem, idem quod Apostolus: *Fratres, quæcumque vera,*
Philip.4. *quæcumque pudica, quæcumque sancta, quæcumque amabilia,quæcumque bona fama, si qua virtus, si quæ laus disciplinæ,hæc cogitate, hæc agite, & Deus pacis ac dilectionis erit vobiscum.*

PARS IV.

Cur oculi S. Iacobi ut flamma ignis. QVartò dicimus,*oculos ejus ut flammam ignis* Per id verò designamus duplicem in ipso zelum flammantem, zelum scilicet salutis proximi, & zelum gloriæ Dei. Hi sunt duo oculi, quibus Sacerdos in omnibus functionibus suis debet dirigi, ut placeant in conspectu altissimi. Zelus porrò ille duplex in S. Iacobo promicuit, & tanquam ignis flammescens alios accendit.

Zelus S. Iacobo duplex.

Zelus gloria Dei & animarũ. Inprimis, propter zelum à Domino eo loco Pastor fuit constitutus, ubi Dominus zelo zelatus pro

gloria Patris sui & pro salute gregis sanguinem fuderat, & animam posuerat. Ipse ergo vices Christi agens, & locum ejus sanguine sacratum tenens, amabat oves Christi, pro quibus continuò sese in sacrificium offerebat. Assiduè enim orans eas in humeris suis gerebat! unde diximus quod ex continua genu flexione ejus crura Cameli pellem fuerint duritie imitata. Nempe sicut camelis non possunt onera imponi, nisi flectant, ideoque à prima ætate id docentur, & hinc callum genua eorum contrahût: Ita S. Jacobus Ecclesiæ sibi commissum onus susciebat genu flexione! sicque genu flectens onerabat se peccatis populi sui, & pœnis pro illis debitis satisfaciebat, austera se macerans pœnitentia. sicut Petrum Dominus constituens Ecclesiæ suæ universalis Pastorem tertiò interrogavit de amore, antequam ei diceret. *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Sic etiam primariæ suæ Ecclesiæ fideles, primisque ovilis agnos & oves Jacobo non voluit committi, nisi quia zelo excellebat & amore, zelo gloriæ Dei amore salutis proximi, ut pasceret verbo, exemplo orationis subsidio. Quod quidem fecit non pauco tempore sed per viginti novem aut triginta annos, putatq; S. Epiphanius hæresi 78. eum ad decrepitæ usque ætatem pertigisse, fuisseq; nonaginta sex annorum, & hoc etiam in Rom. Breviario legimus. Quod si verum est, non solum jam dicemus oculos ejus fuisse flammam ignis, sed & caput ejus & capillos candidos instar lanæ & nivis ob canitiem scilicet, quod ipsum dicit S. Joannes de capillis illius qui ei apparuit vestitus podere & similis filio hominis. Itaq; S. Jacobus ardens zelo succesit Christo Domino Hierosolymis, tanquam frater fratri, ut secundum antiquæ legis figuram illi semen susciteret ex Sponsa sua, semen inquam spirituale quod ipsius nomen retineret, filios scilicet Christianos Christi nomine insignitos. Voluit Christus, quia paucos filios generaret, plures sibi per ardentem zelum Iacobi, qui frater Domini dictus est, sibi generari. Ideo S. Hieron. in c. 1. epist. ad Galat. dicit, quod eidem Christus filios matris Ecclesiæ commendavit.

Ioan. 21.

Ætas illius.

Apoc. 1.

Zelus ejus in martyrio.

Vlterius ejus zelus patuit in publica illa & expressa fidei professione, quæ martyrii ejus occasio fuit. Publicè enim congregatis Iudæis in die solemni prædicabat Iesum, & ejus fidē, & nonnisi per eum posse obtingere salutem, ipsumque in cœlo esse à dextris virtutis & potentiæ Dei, venturumque in nubibus Iudicem. Et quidem multi credidêrunt ejus testimonio, ex principibus etiam viris: ita ut ob ejus testimonium Deum laudibus in cœlum ferrent, & inclamarent. *O Sanna Filio David.* Quam vocem rursus non ferentes Scribæ aliqui & Pharisæi, de sublimi loco præcipitem eum dederunt, lapidibus quoque appetierunt, unusque de plebe Fullonis pertica in caput ejus impacta ei cerebrum excussit, in quo ictu animam reddidit. Videri potest Eusebius ex Clemente & Egesippo latius id describens l. 2 hist. cap. 22.

Denique, ejus zelus promicuit in oratione, quam postremam fudit imitans Iesum Fratrem & Dominum suum. Etenim vix semivivus existens, confractis cruribus jacens, manus tendebat ad cœlum, & cordis genua flectens pro salute populi sese persequentis dicebat: Ignosce eis Domine, quia nesciunt quid faciunt. Quicquid adhuc in se vigebat, manus, linguam, & cor Deo offerebat, gratiam ardenter postulans peccantib. in se. O verbum magnæ patientiæ, magnæ dulcedinis, magni amoris, indicibilis zeli & charitatis. Non enim suam sentit injuriam, non attendit pœnam; sed his à quibus patitur, ipse compatitur; his à quibus vulneratur, ipse medetur; his procurat vitam, à quibus occiditur. Sanguis ejus non est sicut sanguis Abel, inclamans vindictam, sed melius loquitur petens misericordiam. Atque piè credimus non irritam fuisse ejus vocem & petitionem, solet enim Deus suos etiam pro inimicis orantes exaudire, maximè in morte. Sic post similem Christi Domini orationem multi revertebantur percutientes pectora sua. Sic per orationem Stephani similem videre licet S. Pauli conversionem. Sic Paulo intercedente pro suo tortore, apparuit sanguis suus per modum lactis in ejus tunica, & baibari illius animam dulciorē efficiens, fidelem effecit cum sociis, inquit S. Chrysostomus. Similiter igitur aliquibus accidisse existimamus in nece Iacobi justi, ut irrita non caderet oratio, ad Deum ardente adeo zelo in extremo spiritu emissa. Oculi ergo ejus adhuc in morte flammabant, & scintillas ignis emittebant, non ad perdendum impios, sed ad accendendum ignem pietatis & charitatis in eorum cordibus.

Zelus moriens.

O Domine Iesu, qui dignatus es nos vocare fratres tuos, ut esses primogenitus in multis fratribus, fac ut te valeamus imitari, vel hunc præcipuū inter Fratres tuos S. Iacobum, qui per excellentiam, Frater Domini est nominatus. Fac nos tibi illiq́ue similes morum & gratiæ similitudine; ut vestiamur sicut & ipse veste justitiæ perseveranter, usque ad pedes, usque ad extremum vitæ; ut semper zonam auream & illibatam geramus castitatis & continentiæ, ut zelum exeramus in omnibus actionibus gloriæ tuæ salutisque nostræ; ut in oratione, patientia, spe, fide, charitate perseveremus, te laudantes, tibi benedicentes, donec nos digneris ex hac vita mortali evocare, & immortalitatis gloria donare, sicque inter fratres tuos æternum connumerare.

Conclusio.

IN FESTO S. PHILIPPI APOSTOLI. LECT. 24.

Sequere me. Ioan. 1.

ECclesia non solùm S. Iacobi hodie festivitatem celebrat, sed etiam S. Philippi immò eum primo loco nominat, quòd vocatione prior fuerit Iacobo, quodque à Christo immediatè vocatus fuerit, cùm ei dixit: *Sequere me.* Quis autem eorum in gloria præcellat, nobis non est disputandum,

Ioan. 1.

dum, ille solus novit qui est ponderator spirituum, & gratiæ ac gloriæ ex prædestinatione æterna distributor, in cujus domo mansiones multæ sunt, ut Evangelium hodiernum decantat; in cujus cœlo stella à stella differt à claritate secundum, mensuram lucis, quam potuit mutuare à Sole. De utroque igitur possumus dicere quod de Elia & Enoch dicitur: *Hi sunt duæ olivæ, & duo candelabra in conspectu Domini*, quia scilicet charitatis pinguedine & scientiæ salutaris luce totam Ecclesiam illustrarunt, & adhuc modo illustrant. Sive illud: *Illi sunt duo filij Olei, qui assistunt Dominatori universæ terræ.* Filij sunt Olei, hoc est filij pinguedinis, filij fertiles bonorum operum, qui multum fructum gratiæ protulerunt in conversione impiorum. Filij iterum olei, quia filij splendoris, luce vitæ & doctrinæ nobis prælucentes. Illi *assistunt Dominatori universæ terræ*, quia tanquam ejus legati per orbem terræ fidem & Evangelium propagarunt. *Assistunt Dominatori universæ terræ*, pro cujus gloria sanguinem fuderunt. *Assistunt Dominatori universæ terræ*, tanquam duo Cherubim ejus Propitiatorium & Arcam sustentantes. *Assistunt Dominatori universæ terræ*, tanquam duo Leones ejus thronum circumstantes. *Assistunt Dominatori universæ terræ*, pro Ecclesia universa orantes.

Apoc. 11. *Zach. 4.* *3. Reg. 6.*

Virtutes S. Philip.

Sed quoniam de S. Iacobo specialiter diximus; de Sancti Philippi virtutibus pauca delibamus.

Obedientia. *Ioan. 1.*

Primò, cernitur in eo perfecta obedientia. Cùm enim ei occurrisset Dominus, & dixisset: *Sequere me*, mox ipse secutus est cum gaudio & plena resignatione. Vocatus ab Oriente, non respexit ad Occidentem, vocatus à magni consilij Angelo, aliena consilia non est præstolatus; disrupit citò omnes compedes, nec tardo gradu secutus est Salvatorem. Sed an hoc fortè fecit ex cordis levitate? Absit. Tractus est virgatiæ, quæ & fortis est & suavis, corvinciens & mox vincens ut ad Deum veniat. Virtus multa erat in verbo Verbi, immò vel in facie radius divinitatis emicans, poterat statim quos volebat ad se trahere.

Charitas.

Secundò: cernitur in Philippo charitas & zelus alios attrahens & accendens. Dum enim ipse vocatus est, ignem concepit, sed illius ignis flammam & carbones in aliorum caput congessit. Invenit enim Nathanaelem, & quasi dies diei eructans verbum, lumenque ei de suo fundens lumine, attraxit eum ad IESUM. Thesaurumque reperit, gaudet ei prodere, fortumque deputat sine consorte eum possidere. Mox ergo quod didicerat docuit, quod acceperat erogavit. Magni certè nuntij bajulus fuit, qui eum se reperisse testatus est, quê ab origine mundi omnes sancti magno desiderio præstolati sunt, & tamen videre non potuerunt. Dixit enim Philippus Nathanaeli: *Quem scripsit Moyses & Prophetæ invenimus* IESUM. *Et adduxit eum.* Sic Christus tanquam magnes mysticus attraxerat subitò Philippum, illicò; mox etiam virtutem communicat attrahendi secum alium, sicut & Andreas adduxerat secum Petrum. Sic adimpleverunt illud: *Qui audit, dicat veni.* An verò hic Nathanaël à Philippo adductus, fuerit Bartholomæus, disputant Doctores. Negat Augustinus, qui dicit Dominum ad Apostolatum non elegisse peritos sicut fuit Nathanaël, sed rudes & illiteratos, ut confunderet mundum, & per insipientiam vinceret sapientiâ, ut vinceret hostes instar Sampsonis per Asini mandibulam, hoc est, per Apostolorum ignorantiam.

Ioan. 1. *Apoc. 21.*

Cũ Christo familiaritas.

Tertiò, cernitur in S. Philippo familiaritas grandis cum Christo Domino, tum ex eo quod in deserto cùm multitudo esset pascenda, & deficeret panis, Philippum quasi Consiliarium intimum interrogat: *Unde ememus panes?* Tum etiam ex eo quod Gentiles desiderantes videre IESUM ad Philippum accedunt, ut per eum ad Christum accessum inveniant. Tum denique ex eo quod liberè & cum fiducia Christum differentem de discessu suo ad Patrem, ausus est interrogare: *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Qua quidem interrogatione docuit nos ad Patris visionem adspirare, in qua nostra est felicitas sita. Quasi diceret: Te Domine jam vidimus & agnovimus, te dileximus & confessi sumus, & beatos fatemur oculos nostros qui te videre meruimus; jam nihil supereſt, nisi ut Patrem ostendas, tunc nobis ad beatitudinem nihil deesse arbitrabimur. *Laudandus ergo est qui visionem Patris cæteris omnibus anteposuit*, inquit S. Cyrillus Alexand. l. 1. in Ioan. cap. 37. Quia scilicet per hoc etiam docuit nos Patris faciem quærere, & illam cæteris omnibus præponere, quamvis non perfectè adhuc intelligeret, quomodo facies illa non corporeis, sed spiritualibus oculis esset cernenda & quærenda.

Ioan. 6. *Ioan. 14.*

Cõformis Christo in morte.

Quartò cernitur in S. Philippo gratia specialis, in illa conformitate mortis cum Christo, quia in Cruce sicut ipse mortuus est, ibique sese obtulit in perfecti amoris holocaustum; quod & Petro & Andreæ fuerat concessum. Secutus est ergo Dominum perfectissima sequela, in Cruce immolatus pro ejus gloria. Hæc latius de S. Philippo differenti facile est amplificare,

IN FESTO INVENT. S. CRVCIS.

LECT. 14. bipartit.

Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Iesu Christi. Gal. 6.

PARS I. *De inventione S. Crucis & subsecutis miraculis.* *S. Ambr. de morte Theodosii Imper.*

HElenam nobilissimam & religiosissimam Reginam, Imperatricem, Crucem Domini requisivisse & reperisse instinctu divino, pernotum est: Digaum autem est audire S. Ambrosium oratione in Funus Imp. Theodosij hac de re differentem. Sic rei gestæ negotium describit elegantissimè. Venit Helena, cæpit revisere loca sancta: infudit ei Spiritus ut lignum crucis requireret. Accessit ad Galatham, & ait: *Ecce laus pugnæ, ubi est victoria? Quæro vexillum salutis,*

& non invenio. Ego in regnis, & crux Domini in pulvere? Ego in aulis, & in ruinis Christi triumphus? Ille adhuc latet, & latet palma vitæ æternæ? Quomodo me redemptam arbitror, si redemptio ipsa non cernitur? Video quid egeris Diabole; ut gladius quo peremptus es, obstrueretur. Sed Isaac obstructos ab alienigenis puteos eruderavit, nec latere aquam passus est. Tollatur ergo ruina, ut vitæ appareat. Promatur gladius quo veri Golia caput amputatum est. Aperiatur humus, ut salus fulgeat. Quid egisti Diabole, ut absconderes lignum nisi ut iterum vinceris? Vicit te MARIA, *quæ genuit triumphatorem, quæ sine immutatione virginitatis edidit eum qui crucifixus vinceret te, & mortuus subjugaret. Vinceris & hodie, ut mulier tuas insidias deprehendat: Illa quasi sanctæ Dominum gestavit, ego ejus crucem investigabo. Illa generatum docuit, ego resuscitatum. Illa fecit ut Deus inter homines videretur, ego ad medium peccatorum, divinum de ruinis elevabo vexillum.* Sic loquentem introducit S. Ambrosius pientissimam Reginam, quæ tanquam mulier electa erat, ut cooperaretur ad culpam primæ mulieris reparandam, lignum scilicet vitæ ostendendo in quo redemptio consummata fuerat, & invitando omnes ad fructum vitæ ex eo carpendum, quandoquidem altera mulier lignum ostenderat alterum, ex quo peccatum & mortis fructum vir carperet. O admirabilis Dei dispositio, ut gratia & vita semper redeat eadem via qua mors & transgressio est ingressa! Si per lignum mors, per lignum vita, si per mulierem mors, per mulierem vita & gratia. Hoc patet quando per MARIAM tollitur opprobrium Evæ primariò, per Helenam quoque secundariò, restituentem lignum vitæ in lucem.

Prosequitur S. Ambrosius, & de hac Regina sic subjungit: Aperit itaque humum, decutit pulverem, tria patibula confusa reperit, quæ ruina contexerat, inimicus absconderat. Sed non potuit obliterari Christi triumphus: Incerta hæret ut mulier, sed certam indaginem Spiritus sanctus inspirat, eo quod duo latrones cum Domino crucifixi fuerint. Quærit ergo medium lignum, sed poterat fieri quod patibula inter se ruina confunderet, casus mutaret & inverteret. Redijt ad Evangelij lectionem; invenit quia in medio patibulo titulus prælatus fuerat: *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* Hinc collecta est series veritatis, titulo crux patuit salutaris. Hoc est, quod patentibus Iudæis Pilatus respondit: *Quod scripsi, scripsi*, id est, *Non ea scripsi quæ vobis placerēt, sed ea quæ atus futura cognosceret; non vobis scripsi, sed posteritati, propemodum dicens: habeat Helena qua legat unde crucem Domini recognoscat.* Invenit ergo titulum Regem adoravit non lignum, qui hic gentilis est error & novitas impiorum, sed adoravit eum qui pependit in ligno scriptus in titulo. Hæc Ambros.

Addit tandem, quod S. Helena non solùm lignū, sed & clavos quibus crucifixus fuerat Dominus, quæsivit, & invenit. De uno clavo frænos fieri præcepit, de altero diadema intexuit: unum ad decorem, alterum ad devotionem vertit. Misit itaque filio suo constantino diadema gemmis insignitum, quas pretiosior redemptionis divinæ gemma connecteret. Misit & frænum. Vtroque usus est Constantinus, & fidem ad posteros transmisit Reges. Tunc completum dicit idem S. Ambrosius illud Propheticum: *In illo die erit quod super frænum equi est sanctum Domino.* Vnde rursus subjungit: Principium itaque credentium Imperatorum, sanctum est quod super frænum; ex illo fides, ut persecutio cessaret, devotio succederet. Sapienter Helena egit, quæ crucem in capite Regum levavit & locavit, ut crux Christi in regibus adoretur. Non insolentia ista, sed pietas est, cùm defertur sacræ redemptioni. Bonus itaque clavus Romani Imperatoris, qui totum regit orbem ac vestit Principum frontem, ut sint prædicatores, qui persequutores esse consueverunt. Rectè in capite clavus, ut ubi sensus est ibi præsidium. In vertice corona, in manibus habena. Corona de cruce, ut fides luceat: habena quoque de cruce, ut potestas regat, sitque justa moderatio, non injusta præceptio, hæc iterum S. Ambrosius.

Rationem quoque moralem postmodum subjicit, quare ex clavo frænum factum sit? Quæro, inquit ipse, quare sanctum super frænum, nisi ut Imperatorum insolentiam refrænaret, qui quasi equi in libidines adhinnirent, quod liceret illis adulteria impunè committere? Quæ Nenorum, quæ Caligularum, cæterorumque probra comperimus, quibus non fuit sanctum super fræum? Quid ergo aliud egit Helenæ operario ut fræna dirigeret, nisi ut Imperatoribus omnibus sancto dicere spiritu videretur; *Nolite fieri sicut equus & mulus*, sed in fræno & camo maxillas eorum constringeret, qui se non agnoscerent Reges, ut regerent sibi subditos? *Prona enim potestas in vitium ferebatur, & more pecudum vaga sese libidine polluebant. Ignorabant Deum, restruxit eos Crux Domini, & revocavit à lapsu impietatis. Exuerunt se camo perfidiæ, susceperunt frena devotionis & fidei.* Hæc diserte & sanctè Doctor sanctus.

Cæterum licet S. Ambrosius mentionem non faciat, nisi tituli Crucis quo agnita illa est, certum tamen etiam est ad majorem rei securitatem per miraculum agnitam Crucem, & ab alijs duabus Crucibus latronum per illud certò distinctam fuisse. Nam, ut in Breviario Romano habemus in lectionibus hodiernæ festivitatis. Macarius Ierosolymorum Episcopus factis Deo precibus singulas cruces cuidam fœminæ gravi morbo laboranti admovit; cui cum reliquæ nihil profuissent, adhibita tertia Crux statim eam sanavit. Cœpitq; mulier magnificare Dei potentiam, sanitate perfectè recepta per domum alacriter ambulans. Hanc autem orationem præmiserat S. Macarius defixis humi genibus apud ægram coram Regina Helena, & ejus comitatu: *Tu Domine, qui unigenitum Filium tuum salutem*

Zach. 14. Similiter interpretantur S. Cyrillus, Greg. Turonen, & alij.

Cur ex clavo frænum sit factum. Psal. 31.

Crux Christi quomodo præ reliquis cognita.

salutem humano generi per passionem crucis conferre dignatus es, & nunc in novissimo tempore adspirasti in corde ancillæ tuæ perquirere lignum beatum, in qua salus nostra pependit; ostende evidenter ex his tribus quæ crux fuerit ad Dominicam gloriam, vel quæ exstiterit ad servile supplicium, ut hæc mulier quæ semivivæ decumbit, statim ut eam lignum vitæ contigerit, à mortis janua revertatur ad vitam. Testis est Rufsin. l. 1. hist. cap. 17. & ex eo Baronius tom. 3. a. 326. Addit S. Paulinus epist. 11. & Severus Sulpitius lib 2. histor. & ex illis Baronius, etiam cuidam corpori jam emortuo applicatas fuisse has cruces, sed cùm utraque crux latronis cadaver tetigisset, nihil effectum fuisse, quasi earum ligna mors spernere: at verò ad salutaris ligni attactum mortem profugisse, funereque excusso corpus erectum stetisse cum omnium admiratione redivivum. Et certè utrumque signum conveniens fuit, quandoquidem per sanctæ crucis virtutem à gravi morbo peccati ad sanitatem animæ, immò à morte perpetua ad participationem æternæ vitæ resuscitatus est mundus. Unde S. Paulinus sic hac de re loquitur: *Experimento resurrectionis inventa & probata Crux Christi est, dignoque mox ambitu consecratur conchita in Passionis loco Basilica quæ auratis coruscat laquearibus, & aureis dives altaribus, arcano positam sacrario crucem servat: quam Episcopus Vrbis ejus quotannis, cum Pascha Domini agitur, adorandam populo Princeps ipse venerantium promit.* hæc ille, Nempe Regina Helena tot miraculis voti compos effecta, mirificum templum regiâ ambitione construxit in loco ubi Crucem repererat. Et eo tempore Constantinus legem sancivit, ne crux ad supplicium cuiquam adhiberetur: ita res quæ antea hominibus probro & ludibrio fuerat, veneration & gloriæ esse cœpit. Quæ omnia hodiernâ festivitate recoluntur.

Supplicii crucis cur nunc abolitum.

Illud etiam notatu dignum est; quòd Gentiles in Crucis loco marmoream Veneris statuam collocassent, ad tollendam memoriam Passionis Domini, item ad præsepe Salvatoris simulachrum Adonidis, denique in loco resurrectionis, simulachrum Iovis. Quæ omnia sustulit Helena post centum circiter octoginta annos, memoriam tum Nativitatis, tum Passionis, tum Resurrectionis Christi Domini pientissimo zelo renovans, Voluit verò Christus sic ostendi, non Iovem tamquam cæli Dominum, non Adonidem, aut Cupidinem, nec Venerem, fictitios factitiosque Deos, adorandos esse aut colendos, sed se verè Cœli & Terræ Deum esse, quod ostendit tum per terræmotum in resurrectione, tum per suum ad cœlos ascensum Manifestari quoque voluit per Helenæ factum se Deum esse sacri amoris, explosa Adonide & Cupidine, quod etiam in sua ostenderat Nativitate & Passione ac Cruce. In passione enim nudatus & velatus est nostri Deus occasione amoris; & in cruce habet arcum unde ejaculatur sagittas in corda dura filiorum hominum ut adamantem redamant. An non igitur sese ibi repræsentat instar Cupidinis, ut nos excitet, transfigat, inflammat amore sui amoris, amore veritatis? Sic etiam in morte & in resurrectione sua se gerit instar Adonidis. Fingebatur enim Adonidis fuisse filius Cypriorum Regis, Veneris amasius, in juventute pulcherrimus, sed dente Apri occisus, quem Venus planxit quasi mortuum, sed mox recepit cum gaudio redivivum. Fœminæ & viri libidinosi simili planctu Venerem celebrabant, eamque sibi propitiam reddebant. Hæc quidem fabulosa sunt de Adonide & Venere, Christo autem morienti & resurgenti conveniunt. Hic est enim ille Adonis, quem animæ piæ & sanctæ lugent tamquam Sponsum, quem in Cruce contemplantur mortuum, & in horto sepulcrum, sed mox etiam complectuntur novo cum gaudio resurgentem. O ergo infelices qui plangebant Adonidem in gratiam Veneris, de quibus Ezechiel agit. Sed felices, qui plangent hunc Adonidem nostrum Christum, animarum sanctarum Sponsum ex pietate, ut resurrectionis ejus & gaudij postmodum sint consortes. Inter has felices animas fuit B. Helena, quæ Christum mortuum luxit, & Crucem requisivit, lectum morientis Sponsi, locumque resurrectionis ejus ac Nativitatis expulsis idolis illustravit.

Idola in inventione crucis sublata.

Zzech. 1.

PARS II.

Cur honoranda crux, & in ea gloriandum?

SIcut quia Christus Dominus humiliavit se usque ad mortem, mortem autem Crucis, ideò Deus exaltavit illum, ejusque gloriam admirabili modo toto propagavit orbe: ita quia ipsa Crux instrumentum fuit hujusce humiliationis, voluit eam per contactum & aspersionem divini sui sanguinis sanctificatam, rutilare in universo mundo, & coli speciali honore. Antea Crucis probrosissimum erat supplicium, sed Christus illud reddidit gloriosissimum; sicque *quod hominibus stultum erat & infirmum voluit ut esset Dei sapientia & virtus.* Ideo dicimus cum Apostolo: *Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri* IESV *Christi, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra.* In illa gloriabatur S. Helena, ideo tanto studio requisivit, tantis impendijs adornavit, tanto honore coli voluit. In illa jugiter gloriatur Ecclesia Sponsa Christi, ideo ei ultra hebdomadam sanctam, quæ cruci sacra est, ulterius festum *Inventionis* festumque *Exaltationis* dedicavit. Certè multiplex occurrit ratio speciali ter Crucem Domini tantis refertam mysterijs speciali honore colendi.

1. Cor. 1. Galat. 6.

Crux honoranda. 1.

Primò, quia Crux est *Altare gloriosum*, ab æterno destinatum & electum, ut in illo Christus summus Sacerdos offerret sacrificium inter omnia sacrificia excellentissimum consummativum omnium sacrificiorum; quo pacificaturus erat quæ in cælis & quæ in terris, reconciliaturus hominem cum Deo, remissionemque omnium peccatorum impetraturus. O felix altare, in quo talis hostia pro peccato, talis hostia pacifica, tale hocau-

Quia est altare glorioſum.

locaustum consummatum, offerri debebat pro totius mundi perfecta redemptione! O verè Ara cultu digna & honore, ad quam ascendit Sacerdos noster cum veste Poderis, in qua totum gerit Orbem terrarum, cum veste diversicolore, Carne sanctissima, varijs depicta livoribus, & cum Corona spinea tamquam Tiara in capite fixa, Sacerdotij ejus perpetuitatem designante. Felix qui tanquam Passer circa hoc Altare Domini virtutum nidum sibi invenit. Felix qui in ipso cor & animam quasi hostiam Christo conatur ex integro immolare, & immolati Agni innocentissimi sese cruore conspergere. Felicissimi qui Christum Sacerdotem summum perfectissimè sectati, per Crucis martyrium sunt sicut ipse consummati & immolati, in illa sola gloriantes.

Crucifixi pro Christo

Sic *Petrus* & *Andreas* glorioſæ in hoc Altari fuerunt victimæ, quia & in illo gloriatæ sunt ardentissimo amore. Notum enim est, quomodo Andreas Crucem salutarit, quomodo & Petrus inverso capite crucifigi & optarit & impetrarit. *Crux qua Regem præmisit ad sceptrum, utrumque militem evexit ad præmium & quos mundo consanguinitas una edidit, eadem triumphalis mers ad astra transmisit. Qui erant filij Ioannis, facti sunt filij Crucis*, inquit S. P. Damian.

Serm. de S. Andrea.

In eodem Altari immolati sunt *Philippus* & *Bartholomæus Apostoli*. Ille enim apud Hierapolim Asiæ civitatem, postquam fidem annunciasset & multos convertisset, tandem crucifixus & lapidibus obrutus, felici martyrio mortem obijt, Hic verò postquam per Armeniam majorem verbum Dei disseminasset, & Regem Polemium cum universa civitate Regia baptizasset, ab ejus Aſtyage fratre comprehensus, fustibus primùm cæsus, deinde cruci suffixus, è vivo corpore detractâ pelle, die sequenti abscisso capite est extinctus. Sic alij multi in Cruce optarunt mori.

Neque hic prætereundum quod de Henrico Garnetto Soc. IESV inclyto Presbytero publicatum est, qui hodiernæ festivitatis die, hoc est die Inventionis S. Crucis in Anglia, martyrium obijt glorioſè. Cùm enim ipse Socijs in Anglia per viginti annos magna cum laude in quotidianæ mortis periculis præfuisset, tandem anno 1606. die tertia Maij, martyrio fuit consummatus. Catholicus autem qui spectator aderat, purpuratam sanguine spicam ex lubstrato corpori Martyris stramine religioſè sustulit: quam domi dum conspicatur attentiùs, vividam Patris immaginem in ea expressam conspexit. Verticem capitis ingens cingebat corona. Crux in fronte rutilabat stellæ inclusa, signaculum utique cordis ipsius in quo fasciculus mirrhæ commorabatur, ut ideo etiam optata Inventioni Crucis dicata die martyrij palmam sic consecuturus. Sub mento Cherubinus videbatur alatus, vel Angelicam ejus puritatem, vel sapientiam & doctrinam, vel utrumque indicans. Quia enim ad justitiam eruditj multos, doctrinæ laureâ decoratus, quasi stella fulget in perpetuas æternitates. Imago vultus ejus in spica sæpius excusa per omnes Christiani orbis provincias sparsa est. Asserunt oculati testes adhuc modò in prototypo perdurare.

Corn. in 70. Apoc.

Secundò, Crux ideo honore speciali & cultu digna, quia *Thalamus & lectus est sponsi floridi*, in quo præ amore moritur, pias animas sanguine suo desponsans. Vnde quælibet anima ejus charitate vulnerata, illuc frequenter debet accedere, illudque ei ex amore pio occitere: *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Corona ejus sponsalitia spinea & aspera est, lectus durior, cincinni ejus pleni rore & guttis sanguineis, omnia amaritudine sunt referta: ideò sponsas suas ibi docet aut pati aut mori, si veræ Sponsæ esse velint tali thalamo desponsatæ; quem quidem thalamum semper memoriâ debent gestare, & in corde circumferre.

2. *Quia est lectus sponsi.*

Exod. 4.

Ea propter Christus Sponsus quodam die S. Claræ de Monte falco apparuit cum cruce, & dixit ei. *Sponsa mea Clara quæsivi lectum soliditum, in quo hanc crucem planarem, & inveni cor tuum ubi eam figere peropie: sed oportet te in hac cruce mori, si Sponsa, Filia, & Hæres esse velis.* Quid verò inde secutum fuerit, attende Crucis & passionis mysterium adeò cordi gestavit impressum exindè, ut quicquid comederet, vel biberet, amarum ei in memoria Dominicæ crucis & passionis foret. Nec de ea audiebat, nec loquebatur sine lachrymis, nec vel Sponsi patientis imaginem contemplari poterat sine illis. Atque ita Sponsi sui stemmata & lectulus Sponsalitius ejus cordi fuère infixa, ut post mortem in corde ipsius inventus fuerit IESVS crucifixus, tresque clavi cum lancea, spongia, & arundine, ex una parte cordis. Ex altero verò cordis parte cernebatur columna cum coronâ spineâ & flagellum ex quinque chordis serantque in corde ipsius instar nervorum quorundam impressa hæc omnia signa, Sponsi sui stemmata & insignia.

Arma passionis in corde S. Clarę sunt inventa.

3. *Quia est sedes sapientiæ.*

1. Cor. 2.

Tertiò, ideo Crux speciali cultu & honore digna, quia *Sedes & Cathedra est Sapientiæ*, ex qua docuit, ex qua docet etiam nunc, ex qua docebit in sæculi finem, immò usque in æternum: *Nihil æstimé me scire judicavi inter vos nisi* IESVM, *& hunc crucifixum*, dicebat Apostolus: sed per IESUM crucifixum, perque ejus crucem, tamquam cathedram, omnem discebat sapientiam, omnia mysteria à sæculis abscondita noverat. Vnde dicit: *Prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Christum Dei virtutem & Dei sapientiam.* Sic S. Bonaventura cùm rogaretur à S. Thoma Aquinate, ut ostenderet libros è quibus sublimem & Seraphicam illam scientiam hauriret, quâ toti erat Orbi admirabilis, cistulam aperiens ostendit ei crucem, & in ea crucifixi imaginem lacrymis, osculis detritam; asseruitque ad pedes ejus.

1. Cor. 1.

ejus se omnem discere sapientiam, & hunc esse librum in quo potissimum studeret. Similiter etiam S. Dominicus respondit, interrogatus unde sermones illos sapientiâ plenos eliceret, quos populo tanto cum fructu proponebat; dixit enim se eos legere *in libro charitatis*, quem Dominus expandit omnibus legendum ex sublimi cathedra Crucis. In illa etiam cathedra gloriabatur S. Andreas totâ die docens & expandens cum Christo manus ad populum non credentem, sed contradicentem sibi; imò per triduum in illa docuit, donec ultimum exhalaret spiritum. O ergo Cathedra Crucis, speciali honore digna, è qua adeo multi & excellentes viri hauserunt scientiam salutis, quam in plebem Domini refunderent!

4. *Quia est currus gloriæ Christi. Isai. 9.* *Factus est Principatus ejus super humerum ejus* Item & illud de eadem interpretantur SS. Patres: *Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit in ligno.* Licet enim illud *in ligno* jam non habeatur in nostra versione, ita tamen legunt S. Justinus, Cyprianus, Lactantius, Leo, Augustinus, Plusquam antiquum & Hymnos Passionis, putantque additum id spiritu prophetico à 70. Interpretibus, quia in textu Hebraico non habetur, Justinus tamen dicit id fuisse Hebræos crucis æmulos. Denique illud quoque rectè de cruce & crucis prædicatione rectè intellexeris: *Virgam virtutis emittet Dominus ex Sion: Dominare in medio inimicorum tuorum*, quasi dicat: Sceptrum potentiæ tuæ regalis, Sceptrum fortitudinis, Vexillumque gloriæ & virtutis ex civitate & monte Sion incipies extendere & propagare per Duces tuos & Apostolos, & tibi acclamabitur vox illa triumphalis: *Dominare in medio inimicorum tuorum:* Quasi dicatur:

Psal. 95. *Psal. 109.*

Dominare Fili David per crucem tuam & ejus prædicationem, super omnes Reges elevans thronum, in eorum frontibus figens illud gloriæ tuæ signum.

Dominare Rex pacificè per crucem tuam, *pacificans quæ in cœlis & quæ in terris*, totumque Satanæ suppeditans Regnum, ipsum Satanam ducens in triumphum, & in ligno triumphans de eo. *Coloss. 2.*

Dominare Fili MARIÆ in medio hæreticorum & Judæorum te blasphemantium, legant, velint, nolint, collitus scriptum in cruce tamquam regio sceptro: IESVS *Nazarenus Rex Judæorum.* *Ioan. 19.*

Dominare Galilææ in medio infidelium tibi olim rebellium, *& scabellum pedum tuorum adorent*, quoniam sanctum est, & pulverem pedum lingant.

Dominare Nazarene per crucem tuam, tamquam gloriæ tuæ vexillum, in medio Julianorum & quorumlibet Tyrannorum & Persecutorum; agnoscant Virgam virtutis tuæ, quam emittis ex Sion civitate sancta, quam etiam tandem emittes ex Sion cœlesti, ut perfectè tibi subjiciantur hostes tui. Hoc enim signum erit in cœlo cùm Dominus ad judicandum venerit, signum & vexillum victoriæ perfectæ, sceptrumque potentiæ, cui nemo poterit resistere. An non ergo illud modò dignum est speciali cultu & honore, quòd pii tunc spectabunt cum jubilatione; impii verò cum horrore?

5. *Quia est arbor vitæ in medio Ecclesiæ.* *Quintò*, Crux honore & cultu speciali digna censetur, quia est velut *Arbor vita plantata in medio Paradisi*, hoc est in medio Ecclesiæ, ex qua fructum potest colligere quicumque voluerit. Fructus autem ejus multiplices sunt, & quodammodo innumeri. Redemptio mundi, hominumque justificatio, & glorificatio, ab hac arbore tamquam fructus dependent; totius Orbis conversio per crucem & crucis prædicationem effecta est, in quo patuit admirabilis fructus crucis tamquam Arboris vitæ, quæ vitam potuit dare mortuis. Tot millium virginum trophæa, tot martyrum victoriæ, tot Sanctorum triumphi, fructus fuêre collecti è cruce. De die in diem animæ piæ fructum colligunt ex hac arbore suavissimum & pretiosissimum. Unde possunt illud meritò dicere: *Sub umbra illius quem desideraveram sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Gloriantur ergo hæc in sola cruce D. IESV Christi, in qua est salus, vita, resurrectio nostra; sicque gloriantur in illa tamquam Arbore vitæ. *Multiplex fructus crucis.* *Cant. 2.*

Gloriabatur in illa S. Didacus Ord. S. Francisci, quia ejus totum solatium, & meditationis primarium objectum erat in cruce, & Domini passione. Hanc meditabatur brachiis in modum crucis compositis ardentissimo affectu, & postea memor eorum quæ intus senserat, mirè efficacia de tormentis Christi in cruce proferebat. Ideo inter manus gerere solitus fuit crucem ligneam, ut semper in oculis & memoria gereret IESVM Crucifixum; nec enim aliud se scire cum Apostolo profitebatur. Consideratione quoque crucis ferebatur ad martyrium miro amore, ut posset illud etiam Apostoli in veritate dicere: *Christo confixus sum cruci.* Eapropter procurarat sibi licentiam adeundi infideles, quod fecit progrediens in Canariam magnam, sed ibi martyrio animus non defuit, animo martyrium defuit. Tandem Deus eum gravi morbo afflixit. Cum verò morti vicinus foret, Crucem amplexus & exosculatus, in vitale lignum oculis defixis verba illa magno pietatis spiritu pronuncians expiravit: *Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera, quæ sola fuisti digna portare Regem cœlorum.* *S. Didaci Ordinis Francisci amor erga Crucem.* *Gal. 2.*

Amavit ergo ipse Crucem, amarunt & omnes Sancti, amare debent & omnes Christiani,

quia dixit Dominus omnia se velle ad se trahere è cruce & per crucem : *Ego si à terrâ exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum.* Quapropter inter elogia Crucis prosequens S. Chrysostomus sic ait: *Crucis spes est Christianorum, resurrectio mortuorum, vita desperantium, baculus claudorum, consolatio pauperum, refrenatio divitum, destructio superborum, adversus dæmones triumphus, periclitantium portus, obsessorum murus, Regum magnificentia, insensatorum sapientia, Martyrum gloria, Virginum castitas, gaudium Sacerdotum, Ecclesiæ fundamentum*; hæc inter plura alia loco citato.

Ioan. 12.

Elegia S. Crucis.

Hom. 4. de Cruce.

Absit itaque nos gloriari nisi in cruce Domini nostri IESV, sicut dicit de se Apostolus : Quasi dicat.

Galat. 6.

Gloriandum in Cruce, cũ S. Paulo Apost.

Glorietur mundus in scientia, & homines mundi quantum voluerint glorientur in ea ; ego autem nonnisi gloriabor in Cruce Domini, quia nihil aliud profiteor me scire nisi IESVM, & hunc Crucifixum, ibi vera sapientia.

Glorietur mundus & homines mundi in coronis & sceptris, in honoribus & sublimitatibus; ego autem gloriabor in abyssali contemptu & abjectione, quam disco à Christi Domini cruce, gloriabor in ejus corona & arundine.

Glorietur mundus & homines mundi in sua nobilitate, in suo stemmate ; In cruce Christi gloriabor, quia ibi nobilitas mea, ibi mea sunt stemmata, & insignia Patris mei: Ibi disco vanitatem contemnere & veritatem adamare.

Glorietur mundus in divitiis, in lectis aureis & eburneis ; ego in cruce Domini gloriabor, quia ibi divitiæ ejus & meæ ; ego gloriabor in aspero ejus lecto, quia tota ibi requies mea & consolatio.

Glorietur mundus & homines mundi in voluptate & arridente delectatione carnis : ego hanc scileam salsamque reputo, & irrideo, ego glorior in cruce Domini, & in asperitate ac doloribus Crucifixi, quia ibi solidum cordis gaudium reperio.

Glorietur denique mundus & homines mundi in sua libertate ; ego gloriabor in humili obedientia & profunda submissionis servitute, triplicique clavo refigurationis, judicii, voluntatis, sensuumque omnium lubenter affigam cruci, ut servus sim Crucifixi.

Ex his ergo omnibus patescit quòd solida sit in cruce gloria, quam ambire debent omnes Christiani, & quòd fructuosum sit in illa frequenter meditari, ejusque dimensiones mysticas contemplari. Ideò dicebat Apostolus: *Flecto genua ad Patrem, ut possitis comprehendere quæ sit longitudo, & latitudo, sublimitas & profundum, scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi.* Hæ omnes dimensiones in Christi cruce continentur, ut alibi diximus, & ibi amor Christi mirè longus & latus, sublimis & profundus cernitur, ideo & nos amorem reddere ei debemus longum & latum, sublimem & profundum.

Ephes. 3.

EXpunge Domine IESV Christe, de corde nostro vanam omnem gloriam, & fac ut verè gloriemur in te, & in cruce tua: tanquam in *Altari*, in quo salutis nostræ hostiam Patri obtulisti: tamquam in *Thalamo & Lectulo*, in quo animas nostras tibi despondisti : tamquam in sublimi *Sede & Cathedra Sapientiæ*, ex qua nos veritatem omnem docuisti: tanquam in *Vexillo gloriæ tuæ*, per quod de hostibus nostris trophæum revexisti : tamquam in *Sceptro & Virga virtutis tuæ*, quâ pios regere, & impios corrigere decrevisti : tamquam in Arbore vitæ, ex qua fructum salutis nos carpere voluisti. Fac ut in illa agnoscamus stemmata & nobilitatem nostram, honorem & gloriam generis nostri, divitias & opes, omniaque bona quæ præparasti diligentibus te. Flecto genua cordis mei, ut des nobis omnibus cognoscere quæ sit crucis longitudo & latitudo, sublimitas & profundum, sicque assequamur perfectionem Christianam in ea designatam. Da nobis agnoscere & assequi fidem in profunditate, spem in sublimitate, charitatem in latitudine, perseverantiam in longitudine. Et quia in his omnibus nostra consistit perfectio, fac ut quatuor crucis cornua, sint velut scutum quo protegamur adversus tentationes, virtutes istas Christianæ professionis evertere conantes. Sic læti tandem intuebimur hoc signum crucis, cùm ad judicandum veneris, tamquam signum nostræ redemptionis, & vexillum æternæ salutis, sub quo gloriabimur per sæcula sæculorum.

Conclusio.

DE SANCTÆ CRUCIS VARIIS PER ORBEM PARTIBUS. Appendix.

ET DE CORONA DOMINI.

MIrantur plerique sacratissimi ligni Crucis tot in locis & basilicis esse partes, ut plures ex una tot in partes dissecta cruces fieri possent. Vix est enim Regio in qua vigeat Christiana Religio : vix civitas, aut templum celebre, in quo non pars aliqua asservatur, & venerationi exponitur. Quapropter advertendum, quòd nemo olim Jerosolymam loca sacra veneraturus adiret, qui non exposceret, velut in itineris & laboris sui memoriam & sacram remunerationem, sanctæ Crucis frustulum aliquod. Cùm verò innumeri tunc accederent, vel doctrinâ, vel sanctitate, vel nobilitate illustres. Hinc factum est, ut universum penè orbem ligno crucis repleverint. Sic crux quæ vel Iudæorum invidia; vel alia de causa diutius occulta sub terram manserat, tandem divina providentia in lucem prodiens fulgoris sui radiis universum orbem illustrat. S. Cyrillus catecheseos quartâ sic de hac re loquitur : *Beatus hic Mons Golgatha, in quo nunc, propter illum qui crucifixus*

Catechesi decima. *fixus est in illo, applaudimus: & ligno crucis universus terrarum orbis per partes repletus est.* Et rursus: *Lignum crucis ad hodiernum diem apud nos apparens, & apud eos qui secundum fidem ex illo capientes hinc universum orbem ferè jam repleverunt.* Fuit autem ipse oculatus testis eorum quæ circa lignum crucis gesta sunt, quia Hierosolymitanus Episcopus. Benignus igitur Dominus ac Redemptor noster pro Christiani populi solatio sanctæ cruci suæ eam virtutem conferre dignatus est, ut Fidelibus ubicumque existentibus, lignum suum per partes commodaret, nulla sui imminutione, nulloque detrimento accepto. Hoc ipsum testatur disertis verbis S. Paulinus: *Crux in materia insensata vim vivam tenens, ita ex illo tempore innumeris penè quotidie hominum votis lignum suum commodat, ut detrimenta non sentiat, & quasi intacta permaneat, quotidie dividua sumentibus, & semper vota venerantibus.* Rationem autem & causam hujus virtutis permanentis, & inconsumptibilitatis, affert his verbis. *Sed istam impatribilem virtutem, & indevitabilem soliditatem de illius profecto carnis sanguine bibit, quæ passa mortem non vidit corruptionem.* Hæc ille.

Epist. 11. ad Severum.

Nec illi difficile potuit esse orbem ditare, Crucis diviso ligno undique, qui quinque panibus quinque hominum millia potuit saturare. Sed & similiter testatur Beda lib. de locis sanctis, c. 7. vestigia Domini in monte Oliveti in die Ascensionis ejus impressa per annos septingentos mansisse integra, licet Fideles terram illam haderent devotionis gratia, & domum referrent pro participanda benedictione. Sic & S. Huberti Stola, & multi cerei in Belgio imminuti manent, licet aliquid detrahatur.

An fortè etiam de Corona spinea idem dicere possumus quod de Cruce, partes ejus quodammodo impleviisse orbem sine diminutione; aut particulari sanè Dei miraculo & benignitate id fieri? Certè adeo variis locis, vel in solo Belgio, coluntur Spinæ notabiles de Corona Domini, ut vix aliud dici possit quàm quod de Cruce Domini, si junctim consideremus primarias partes Galliam possidere, & in aliis regnis partes multas venerationi publicæ exponi. Atque eadem ratio militare potest pro Corona, quam S. Paulinus affert de Cruce: *quia & ipsa de illius carnis sanguine bibit, quæ passa mortem, non vidit corruptionem.* Primarias porrò partes Galliam habere, & thesaurum Regis sacratum in Sancto Sacello reconditum illas possidere, his verbis testatur Genebrardus lib. 4. sui Chronici. *Coronam Domini S. Ludovicus Rex à Græcis redemit, & Lutetiam asportari præcepit; cui ipse obviam comitantibus Episcopis & Proceribus Regni cum lachrymis multis venit, nudis pedibus, undique affluente & genua populo procumbente.* Quod autem in Belgica Provincia multæ partes notabiles sint, constat ex Auctoribus qui de Sacratiis Belgicis scripserunt, eorumque diplomata viderunt.

1. Lovanii PP. Societatis exponunt veneratione publicæ Ramulum quemdam Coronæ Domini, è quo procedunt spinæ duæ.

2. Namurci in Diplomate Henrici Imp. Constantinopolitani inter Reliquias, quas Philippo Marchioni & Comiti Namurcensis transmisit, sic legitur: *Mitto vobis de sacrosanctis Reliquiis imperialis Palatii, de spinis Domini, de veste purpurea Iesu Christi, de pannis infantiæ Salvatoris, de linteo quo præcinxit se in Cœna.*

3. Malbodii in nobili Ecclesia S. Aldegundis colitur *Spina Coronæ Iesu, cruore ejus adhuc aspersa,* & magna veneratione custoditur.

4. In Monasterio S. Adriani Gerardi montibus cum notabili parte S. Crucis exponitur Spina Coronæ Domini.

5. In Monasterio S. Huberti Andaini proponitur adoranda Spina una integra de Corona sacratissima Salvatoris.

6. Ecclesia S. Bartholomæi Bethuniæ asserit & ostendit se ex eadem Corona Spinam unam possidere. Sic & Sanctimoniales Belliloci, nunc Duaci agentes, magnificiunt Christi Coronæ Spinam unam apud se.

7. PP. Dominicani Gandavi Reliquias habent Spinas duas de dicta Corona cum parte Crucis: quod donum à Maximiliano Cæsare Nicolaus Brugmannus ejusdem Ordinis Episcopus, & Confessarius Imperatoris, impetravit. Sic & Brugis Ecclesia Cathedralis aliquid exponit de Spinea Corona Redemptoris, & de Spongia qua potatus fuit felle & aceto.

8. In Montis S. Eligii Monasterio prope Atrebatum adoratur Spina una Coronæ Domini à S. Ludovici Francorum Rege dono accepta, prout patet ex ipsius literis testimonialibus patentibus, & signatis anno Domini 1261.

9. Epternaci cum partibus vivificæ Crucis ostenditur Spina una satis oblonga de Christi Corona. Item in Gemblacensi Monasterio duæ Spinæ. Item in Lætiensi Monasterio inter eximias Reliquias proponitur de spinea Salvatoris Corona pars per Theodorum Orientis Patriarcham, Archiepiscopum Hierosolymitanum, & per Henricum Imperatorem anno 1208. accepta.

10. Tungris & Trajecti in S. Servatio similiter exhibentur cum solemnitate partes de Spinis Domini. Item Insulis in Flandria Spinam unam Franciscani proponunt. Mechlinenses etiam unam, largitione Caroli Audacis Ducis Burgundiæ acceptam.

14 Franciscani quoque Valencenenses Spinam unam auro gemmisque ornatam possident; *quæ singulis noctibus feriæ sextæ Parasceves per integram horam rubea & sanguinolenta stupendo miraculo apparet, cum alias esset aridior.* Testis est Gonzaga, & alii. Gonzaga in hist. Seraph.

Denique, in Monasterio Wevelghemiensi prope Cortracum Sanctimoniales Cistertienses

magno devotionis affectu tenent Ramusculum trium Spinarum ejusdem preciosæ Coronæ. Prætereo alias nonnullas Belgicas Ecclesias, quæ de Spinis Domini gloriantur. Sed si in Belgio, ut dixi, tot in locis de Spinis Salvatoris & Corona ejus fit gloriatio, quid in aliis provinciis & regnis? Et quomodo tot loca replevisse gaudio potuit, sine speciali miraculo & providentiæ, sanctissima Corona?

Quicquid sit hac de re, scimus quæ passionis Christi instrumenta velut trophæa quædam victoriæ permanserint, eademque toto orbi facta fuerint conspicua & proficua: ex quibus velut è perennibus fontibus fluenta miraculorum & gratiarum eruperunt. Nam ipsas spinas Coronæ IESV, Columnam ad quam alligatus est, Arundinem, Spongiam, diligenter asservata tradit S. Gregorius Turonensis, de gloria Martyrum, cap. 7. & Beda, de locis sanctis, cap. 20. Tunicam etiam militibus datam, à Christianis redemptam & asservatam, tradit idem Turonensis, cap. 8. suis temporibus in Galatia fuisse. Sudarium etiam, quo caput ejus in sepulchro involutum fuit, quod divina virtute illæsum fuerat ab igne, translatum fuisse ad posteros, testatur Beda de locis sanctis c. 5. Ab hoc diversum est illud Sudarium, quod faciei Dominicæ sanguinolentæ admotum effigiem retinuit, ut habet traditio Christiana, idque factum fuit à Berenice, quæ & vulgo Veronica dicitur. Permansit etiam integra findon illa, quæ corporis Dominici delibuta unguento in sepulchro posita fuit velut operimentum, & in se imaginem jacentis Domini in sepulchro expressit, asservaturque summo in honore in Ecclesia Taurinensi, de qua alibi dixi.

Sic propter IESVM Christum crucifixum hæc omnia meritò coluntur, maximè autem Crux, tanquam Altare, in quo seipsum voluit Patri sanctificare & immolare, prout alibi dixerat de suis: *Ego sanctifico me pro eis.* Hinc factum est, ut *tamen.* & partes Crucis veritatem suam miraculis probarint.

Notabilis pars S. Crucis à Philippo Comite Namurcensi ad Floreffiensis Cœnobium delata, multas cruoris guttas, anno 1240. in præsentia tam Religiosorum, quam Parochorum, in die sacro Inventionis S. Crucis stillavit. Quapropter in theca argentea, in qua hæc pars ligni vitalis honorificè custoditur, hi versus exarati leguntur antiquo stylo:

Hæc Crux, quæ luxit nobis, bis sanguine fluxit,
Quam scio quod tinxit Christi cruor ac benedixit.

Refert quoque S. Paulinus, se per frustulum S. Crucis restinxisse incendium grande, quod è casa vicina relata in suammet domum irrumpebat, violento impetu cuncta depascens. Miraculum istud ipse perpetuæ memoriæ versibus his consecravit in Natalitio S. Felicis.

Ipse domum remeans, medium sed grande saluti
De Crucis æterna sumptum mihi fragmine lignum
Promo tenonsq; manu adversis procul ingero flammis,
Vt clypeum retinens pro pectore, quo tegerem me,
Arceremque hostem collato umbone relisum
Crederet, nec donatis mihi sed vendita Christo
Grates, & justas dare laudes Omnipotenti.
Nostra salus æterna cruce Christi & nomine constat.
Inde fides nobis, & in hac Cruce nixa pericla
Profuit. & nostram cognovit flamma salutem.
Multa manus crebris tunc illa incendia vastis
Aspergens, largis capiebat vincere lymphis.
Sed licet exhaustis perfurent fontibus imbres,
Vicerat ignis aquam; nos ligno eximimus ignem.
Omnia ligna vorans ligno Crucis uritur ignis:
Quamque aqua non poterat, vicit brevis hastula flammam.

Hæc S. Paulinus.

Denique, in celebri Cœnobio S. Amandi Ordinis S. Benedicti, non procul à Tornacensi civitate, inter sacras Reliquias adorandam exhibent notabilem partem vitalis ligni sanctissimæ Crucis per ignem olim probatam, ita ut manserit illæsa in flammis, sicut olim Rubus Moysis in medio ignis, Deo sic veritatem Crucis suæ probante, & Rubi miraculum antiquum renovante.

IN FESTO S. IOANNIS BAPTISTÆ. Luc. 26. 5. part.

Quis putas puer iste erit? Nam & manus Domini erat cum illo. Luc. 1.

FIlii Adam & Evæ non solent nasci sine gemitu & dolore, sine lachrymis & clamore. Nascendo enim trahere secum incipiunt longam ærumnarum catenam antiquo Parentum delicto fabricatam, quæ non deserit eos à die exitus de ventre matris usque in diem sepulturæ. Iam quasi præsentire videntur, & agnoscere veritatem illius Elogii Mortalium sortem describentis: *Homo natus de* *Iob. 14.* *muliere brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.* Propterea eos mox natos natura impellit ad lachrymas & ploratum. At nonnulli hoc notarunt masculos inclamare plorando, AA, fœmellas, EE, *Holcot. in* quasi hi Adam, hæ autem Evam incusent. Vnde & *c. 7. Sapient.* ille versus.

Inclamant E, vel A, quæque nascuntur ab Eva,

O verè origo miseranda Mortalium, dum pariuntur cum dolore ad dolores, dum eduntur cum gemitu ad gemitus, dum ad pericula producuntur cum periculo generantis, dum in ipso ortu jam occasum nunciant per lamenta! Nec Reges aliud habent initium; quia nec aliam habent sortem quam miserandam, nec alium finem quam mœrori sociandum. Audi Ecclesiasticum: *Grave jugum* *Eccli. 40.* *super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum* *usque in diem sepulturæ, à sedente super sedem gloriosam* *usque ad humiliantem in terra & cinere ab eo qui per-*

portat coronam & utitur hiacintho usque ad eum qui vestitur lino crudo: hoc est, à Rege & Principe usq; ad vilissimum & paupertimum, qui inter pulverem & sordes habitat, linoque grosso & vili sese induit præ paupertate. Exemplum in seipso statuit Rex Salomon, pronuncians de se: *Sap. 7.* *Sum quidem & ego mortalis homo similis omnibus, & ex genere terreni illius qui prior factus est. Et ego natus accepi communem aërem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus omnes plorans.* Hæc de se & de omnibus mortalibus pronunciat Salomon, mœrorem esse nativitatis humanæ individuum comitem declarans.

At non mirum, si contra legem communem & ordinariam electi hujus infantis nativitatem gaudio & exultationi speciali associatam dicamus. Speciale enim ejus privilegium fuit, quod prius divinam sensit gratiam, quam humanam miseriam: prius particeps factus fuit lucis cœli, quam lucis hujus sæculi: prius cœpit vivere Deo, quam sibi: prius meruit nunciare futura, quam videre præsentia. Si ergo sexto mense exultavit in utero matris gestiens Salvatorem nunciare & præcurrere, an non exultavit jam ex utero quasi ex ergastulo egrediens, ut officio suo fungeretur? Propterea dicitur: *Multi in nativitate ejus gaudebunt.* Multi utique, quia infans ipse non est sine gaudio, qui omnes gaudio debet afficere, ipsum annuncians gaudii auctorem. Nec est sine gaudio mater, cui opprobrium sterilitatis aufertur per talem sibi natum infantem. Nec pater, cui per ipsum vincula linguæ solvuntur, ut possit magnalia Dei decantare. Sed neque cognati & vicini & alii, qui audierunt de infante isto, temperarunt sibi à gaudio & exultatione, quia *manus Domini erat cum illo.* Quin & nomen ei datum cœlitus & ab Angelo annunciatum plenum erat lætitia. Ioannes enim gratiam sonat, quia filius potius fuit gratiæ quàm naturæ: in ejus nativitate gratia naturam quodammodo præcucurrit.

Propterea Ecclesia tanta cum lætitia & solennitate ejus celebrat Nativitatem, quòd privilegium est Christi, Deiparæ, ac Ioannis. Imò hoc festum Nativitatis S. Ioannis celebratum fuisse antequam celebraretur festum Nativitatis B. Virginis, colligitur ex S. Augustino serm. 20. de Baptista, ubi dicit: *Natalem S. Ioannis hodie celebramus, quod nullum unquam Sanctorum legimus fuisse concessum. Solius enim Domini & B. Ioannis dies Nativitatis in universo mundo celebratur.* Ergo Augustini tempore necdum in tota Ecclesia Virginis Deiparæ natalitius dies celebrabatur. *Ribad. testis est in festo S. Ioannis.* Tanta verò lætitiæ celebrabatur olim festum Nativitatis Ioannis, ut illud tribus Missis sicut Nativitas Domini decoraretur. Rationem tantæ festivitatis Guarricus Abbas his verbis producit: *Merito Nativitatem istam, quam mirabiliter operatur gratia, & miratur natura, solemniter venerator Ecclesia. Præsertim cum Christi Nativitatis, cujus gratia naturam reparavit per hanc pignora fidelia sibi videat esse promissa. Non ingratam se probat Ecclesia, sed fideliter agnoscit qua devotione, qua gratiarum actione suscipere debeat Præcursorem, per quem ipsum agnovit Salvatorem.* Hæc ille. Ambo scilicet mirabiliter nati, Præcursor & Salvator, Præco & Iudex, Lucerna & Dies, Vox & Verbum, Sponsus & Paranymphus, Servus & Dominus; de Virgine Dominus, de sterili Servus. Vnde per montana Iudææ divulgabatur hæc eius mirabilis Nativitas & unusquisque dicebat ad proximum: *Quis putas puer iste erit?* *Serm. 1. de S. Ioanne.*

Sed si plenius exoptamus scire quis sit iste puer, ut tanto magis eum beatum pronunciemus & honoremus, faciamus inquisitionem super ejus vita & gestis, & requiramus testimonia eorum qui probè eum nosse possunt, suntque testes omni exceptione majores. Hoc enim etiam in beatificatione & canonizatione Sanctorum solet Ecclesia practicare, ut tanto certius eis honores decernat & triumphos.

PRimò quidem interrogemus Patrem ejus: *Quis putas puer iste erit?* Iure eum interrogamus de hoc puero, nam vel solum ejus nomen pugillari inscribendo, qui Angeli dictis non satis credulus perdiderat promptæ modulos loquelæ, gratiâ Nomini Filii sui insertâ mox recuperavit peremptæ organa vocis. Tu ergo, ò Zacharia, esto nobis primus testis. Quid dicis de puero isto? Attendite: *Tu puer, Propheta Altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus, ad dandam scientiam salutis plebi ejus in remissionem peccatorum eorum.* Viden', quam disertè respondeat huic quæstioni: *Quis putas puer iste erit?* Et quidem hæc pronunciat non à se, sed à Spiritu Sancto, qui ei linguam dissolvit antea vinctam, & labia aperuit cordis ad enarrandum magnalia Dei erga hunc puerum. Et quia idem Spiritus qui ejus linguam fecit disertam, etiam infantis aures & præcordia aperuit, & intellectum ei dedit ab utero, ideo alloquitur infantem paucorum dierum, verè tamen capacem hujus igniti eloquii, & mellifluorum verborum horum: *In utero ad æterna lucis adspectum lucerna hac divinæ charitatis percepis incendium, tunc verò luminis est irradiata fulgore, atque gratia liquore completa;* inquit S. Laurentius Iustinianus, alludens ad illud de Ioanne dictum: *Illa erat lucerna lucens & ardens.* Meritò ergo verba hæc ad infantem hunc recens natum dirigimur, & quorsum in lucem editus sit, à Patre prædicitur. Quasi dicat: O parvule puer! O fili prædilecte! Quam feliciter nobis natus es & orbi universo, ut Propheta fis Altissimi Dei, & Prophetarum clausula? Præibis enim ante faciem Domini & Dei tui, ante faciem Messiæ, eique illius Præcursor. Præibis per ingressum in hanc vitam, per progressum, per egressum. Præibis conceptione, nativitate, baptismo, prædicatione, vita, morte, & ad limbum descensione. Præibis ante faciem Domini parare vias ejus, quia illi iter

PARS I. *Quis sit puer iste, testimonio patris sui Zachariæ.*

Luc. 1.

Iustin. serm. de S. Ioan.

Ioan. 5.

in

in hominum animos per pœnitentiam dabis & baptismum, & inclamabis omnibus: *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Præibis ad dandam scientiam salutis plebi ejus, scientiam Christi, scientiam salutis æternæ per Christum consequendæ, per quem & remissio dabitur peccatorum. O præclarum testimonium de Ioanne! Illud quoque verissimum esse, mox declaratum est. An non ipse Propheta Altissimi? An non Propheta ex utero à Domino constitutus & consecratus? *Prius quam te formarem in utero, novi te, & antequam progredereris, sanctificavi te.* Hoc si de Ieremia, magis de Ioanne verum est. Hinc & ipse introducitur, dicens: *Attendite populi de longè, Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei, posuit os meum quasi gladium acutum & sagittam electam.* Novit eum Dominus ex nomine, quia Ioannis nomen ei voluit imponi, quod gratiam significat, quia gratia illum nobis dedit, gratia in utero sanctificavit, gratia in lucem edidit, gratia semper in eo fuit, & quia gratiæ legem prænunciavit: novit quoque ex nomine, quia præ cæteris Prophetis non solum gratiæ nomen, sed & dona ipsi communicavit. Posuit os ejus quasi gladium acutum, vitia secantem, & animas penetrantem. Quapropter inclamat: *Securis ad radicem arboris posita est. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, ea scindetur, & in ignem mittetur.* O gladium acutum! O sagittam corda penetrantem! Multi enim his verbis sunt conversi.

Ierm. 1.

Isa. 49.

Luc. 13.

PARS II.

Quis sit puer iste, testimonio Malachiæ.

SEcundò, quia testimonium, parentum & agnatorum in jure solet esse infirmum & suspectum, interrogemus antiquiores extra cognationem aut propinquitatem. Audiamus Prophetam Malachiam introducentem Dominum, sic de Ioanne loquentem: *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam.* An non & hic præclarum est & dilectum testimonium? De Ioanne autem id intelligendum fidei est, ita explicante Christo. Sed cur Angelus nominatur? Certè Origenes to. 5. in Ioannem, & nonnulli alij ex antiquis, tantum tribuerunt sanctitati Ioannis, & huic de ipso testimonio, ut existimarint Ioannem quasi Angelum fuisse terrestrem & incarnatum, sicut Deus incarnatus fuit Christus. At certum est, Ioannem Angelum fuisse non natura, sed gratia & officio. Explico id particularius.

Malac. 3.

Matt. 11. S. Ioannes cur Angelus dicatur.

1. Angelus officio.

1. An non Angelus officio, quandoquidem Legatus fuit Dei ad homines, ut illos ad Christum adduceret, divinaq; ejus mysteria nunciaret? Equidem homines à peccatis ad viam æternitatis dirigere, divinaque nunciare, in mysterijs Altissimi alios illuminare & perficere, Angelicum planè est officium. De Ioanne autem dicitur: *Multos filiorum Israel convertet ad Dominum, & ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda Patrum in filios, & incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.* Nunquid ad hæc omnia facienda quasi Angelus cœlitus est missus, cœlitusque edoctus est? Aptè ergo de ipso dicitur: *Ecce ego mitto Angelum meum.*

Luc. 1.

2. An non Angelus gratia & sanctitate, innocentia & puritate, vita & conversatione? Parcissimi fuit cibi, & instar Angeli quasi sine potu & cibo vixit, ejusque vita fuit continuum quoddam jejunium. Fuit quoque purissimus & castissimus instar Angeli. Castitas enim & virginitas Angelorum est vita: *Si differt homo & Angelus, differt non felicitate, sed virtute. Nam etsi illius castitas felicior, hujus tamè fortior esse cognoscitur,* inquit S. Bernard. Neque solum castitatè servavit Ioannes, sed etiam pro illa sanguinè oppignoravit & vitam; nam ideo martyrio affectus est, quia adulterium castitati adversum reprehendit. Denique conversatio ejus magis cum Angelis fuit quàm cum hominibus. Nam à pueritia in desertum secessit, & Angeli ejus curam suscepêre. *Non tecto induit, nec lecto, non mensam vel aliquid hujusmodi requisivit, sed Angelica quadam vita in carne mortali resplenduit,* inquit S. Chrysostomus: Dicit Nicephorus lib. 1. c. 14. Ioannem annum cum dimidio agêtem una cum matre Elizabetha, in speluncam quandam ad regionem montanam venisse, fortasse Herodis sanguinolentâ effugiens manum, atque exinde in solitarijs locis lubenter versari solitũ esse, Angeloque duce usum in remotiores recessus sylvarum secessisse. Idem dicit Cedrenus in compendio historiæ additque Elizabetham post quadraginta dies in eadem speluncam obiisse, & Angelum curam Ioannis suscepisse. An non ergo Angelus meritò vocatur, sic inter Angelos à puero conversatus, sic castus, sic innocens, sic sanctitate eminens ut Angelus? Audi Chrysologum: *Ioannes schola virtutum, magister vitæ, sanctitatis forma, virginitatis speculum, castitatis exemplum, Patrum via, peccatorum venia fidei disciplina, major homine par Angelis, legis summa, Evangelij sator, Apostolorum vox, silentium Prophetarum, Lucerna mundi, metator Christi, totius modius Trinitatis.* Hæc ille.

2. Gratia & sanctitate.

Epist. 2.

Hom. 10. in Matt.

Ser. 127.

3. An non Angelus Ioannes, quandoquidem sicut Angeli infantiam non habuêre, sed cum perfecta natura, ratione & judicio usuque liberi arbitrij creati sunt, ita & Ioannes pactos tantum habuerit menses infantiæ? Sexto enim mense visitatus à Christo, mox sanctificatus est, & ex utero prophetat, Christum agnoscit salutat, adorat, exsilit præ gaudio, usumque rationis obtinet. Huncque usum rationis perdurasse in infantia multi autumant, & secessus ille in desertum in infantuli ætate videtur ejus rei esse indicium. Sic perseveravit & in gratiæ luce, quam nunquam peccati mortiferi caligine obtenebravit, sed instar Angeli in illa confirmatus fuit. Denique, sicut Angeli perpetuò vident faciem Dei, ita Ioannes à puero divinæ deditus fuit, contemplationi, instar unius ex Cherubinis, qui semper in Arcam & Propitiatorium fixum habent intuitum. Meritò ergo honoratur nomine Angeli, testimonio prophetico.

3 Nondum natus Christum agnoscit & adorat.

Ter-

PARS III. *Quis sit iste puer testimonio Evangelistarū.*

TErtiò, si quis non est contentus antiquis Prophetarum testimonijs & de Ioanne pronunciatis olim oraculis, Evangelica adjicere possumus testimonia, quæ Ioanni encomia clara vocum harmonia concelebrant. Quatuor enim Evangelistarū musica in decantanda Ioannis laude mirè consonat. Matthæus & Lucas multa de ipso enunciant præconia: Marcus suum ab ipso felicibus auspiciis Evangelium orditur. Ioannes verò, cum in divinum Verbum oculos aquilinos alasque sublimes intendisset, mox ad Ioannem illos convertit, & inspiciens eum cum literis legationis suæ, de ipso insonat: *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes, hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* Ecce Ioannes de Ioanne quale testimonium perhibet, à Verbo ad Vocem Verbi manifestatricem transiens, à Rege ad Præconem, à Sole ad Auroram? Ecce hi duo Ioannis nomen obtinentes, quasi duo Cherubini expandunt alas, & vultus in propitiatorij intendunt, alas mentis, alas amoris in Christum erigunt, & fidele ei testimonium præstant. Sed & unus Cherub. de altero testimonium perhibet luculentum, Evangelista Ioannes de Ioanne Baptista, dum dicit ipsum à Deo missum ut lucem demonstraret & Verbum. Quia vero tanta & ipse Baptista luce fulgebat, ut Iudæi putarent ipsum esse Lucem, sive Messiam; ideo addidit Evangelista: *Non erat ille Lux.* Quæ negatio non ad ejus spectat depressionem, sed ad exaltationem & laudem: indicat enim tantum in Ioanne fuisse virtutis splendorem, ut maximam de se admirationem concitarit & Messias visus fuerit. *Non erat ille Lux, & erat lux. Non erat lux increata, & omnium creatrix; sed erat lux creata, & emanans ab increata.* Non erat Sol, sed erat Mons radijs Solis illustratus, ut prior radios exciperet & in alios refunderet, lucemque eis nunciaret. Non erat ille lux, sed lucerna à luce incensa testis lucis, & illum demonstrans quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Ille erat lucerna ardens & lucens, & voluistis ad horam exultare in luce ejus*, dicebat Dominus Iudæis. Hoc est, erat lucerna clara & illustris posita super candelabrum, ut præluceret omnibus ad cognoscendum eum qui mittendus erat, ardens per internam charitatem & lucens per exteriorem doctrinam, ac per exempla virtutum: Vos lætati estis de tanta luce, sed tandem contemnere eam cœpistis, ideo ad horam fuit exultatio vestra; nam cum venisset neque manducans neque bibens, dixistis, *Dæmonium habet*: cum ad ejus honorem & admirationem id referre, Deumq; in eo glorificare debuissetis.

Ioan. 1.

Aug. in c. 1. Ioan.

Ioan. 5.

Matth. 11.

PARS IV. *Quis sit iste puer testimonio Ar-*

QVartò, quia hominum testimonio acquiescere nolunt nonnulli, interrogemus Angelum: *Quis putas puer iste erit?* Testimonium perhibebit Gabriel, ejus nuncians miraculosam & conceptionem & nativitatem, sicut & Christi; idque factum est non in loco prophano, sed in templo, à dextris altaris thymiamatis, cum præclara laude pueri nasciturj. De hac re sic loquitur B. Petrus Damiani: *Non est silentio transeundum, quam solemni glorificatione pueri hujus in hunc mundum nunciatur ingressus. Adest Angelus Gabriel à superiori cœlorum cardine Domini fortitudo, descendens stat à dextris altaris incensi. Nec quilibet Angelus, sed ille sublimior, qui B. Virgini nuncium attulit singulare, & electus est ut nunciaret militem, qui nunciare debebat Regem.* Certè licet Angelus tam Isaac quam Sampsonis conceptionem nunciarit: in hac tamen re Ioannem dignitate præcedere, ex ipsis constat circomstantijs. Ipse enim ab Archangelo in loco digniori, tempore sacratiori, apertiori miraculo prænunciatur & prædicatur. Immo si Christi annunciatio fit in thalamo, Ioannis fit in templo, ita ut ex hac parte excellat Ioannis gloria.

chang. Gabrielis. Luc. 1.

Sed quod testimonium dat ei Angelus? Multiplex utique testimonium virtuti ab ejus Angelo perhibetur: inter cœtera autem dicit: *Hic magnus erit coram Domino, & replebitur Spiritu Sancto adhuc ex utero matris suæ.* Quid est, *magnus erit coram Domino?* Simpliciter de Christo dixerat Angelus, *Hic erit magnus*, quia ipse est cujus magnitudinis non est finis, qui & in se magnus est, & quoad nos magnus. De Ioanne autem dicitur, quod magnus sit futurus coram Domino, quia à Domini magnitudine ejus dependet magnitudo, sicut radius à Sole, sicut rivulus à fonte, sicut ramus à radice. Coram ipso ergo, & per ipsum, & in ipso magnus erat futurus Ioannes. Parum ei erat, si magnus foret coram hominibus opinione sanctitatis, quia fallax est humani judicij censura & trutina; & parum est magnum esse coram hominibus, id autem sumus quod coram Deo sumus. Magnus ergo Ioannes coram Deo, & ideo verè & absolutè magnus. Non ambiebat magnus esse coram mundo, quia mundum, & omnia quæ mundi sunt, deserebat, contemnebat, conculcabat, reputabat ut stercora. Non quærebat magnus esse coram hominibus, quia Iudæis eum pro Messia recipere paratis, & ad horam in luce ejus exultantibus contradixit: *Non sum ego Christus.* Ac de se interrogatus, non aliud dixit quam *Ego vox clamantis.* Non volebat magnus esse coram seipso, quia de se dicebat: *Non sum dignus corrigiam calceamenti solvere illius qui post me venturus est.* Magnus ergo erat, sed coram Domino magnus, ab eo sanctificatus, electus & consecratus, ut Propheta & plus quam Propheta, ut Præcursor & Baptista, ut Vox Præco, ut Amicus Sponsi & Sponsæ Paranymphus. Denique, ita magnus erat coram Domino, ut ejus nomen prius in cœlo scriptum fuerit quã in terra, prius ab Angelo quam ab hominibus usurpatũ. Magnus ergo fuit in oculis Dei, qui adeo parvꝰ fuit in oculis suis. Sed & sicꝰ magnꝰ est in cœlo corã Domino, triplici aureola Virginitatis, Martyrij, Doctoratus, ipsum adornante; liliis, rosis, violis, ejus verticem coro-

ibid.

Quomodo S. Ioannes magnus coram Domino.

Ioan. 1.

nantibus Lilium symbolum est candidæ virginitatis, Rosa rubicunda martyrij & charitatis, Viola splendens doctrinæ cœlestis. Hæc omnia in eo sunt, quia Virgo fuit, & Martyr, & Doctor.

PARS V. *Quis sit iste puer testimonio Christi.*

POstremò, si non sufficiant nobis hominum & Angelorum testimonia, interrogemus Filium Dei, non potest falli, quia Sapientia; nec fallere, quia Veritas est. Quid ergo ad hæc respondet quæstionem: *Quis putas puer iste erit?* Audi eum: *Inter natos mulierum*, inquit, *non surrexit major Ioanne Baptista.* O testimonium super omnia testimonia, ore Veritatis depromptū! En qualem Ioannes sortitus est laudum suarum præconem! Non solum Prophetas, aut Angelos, sed Filiū ipsum Dei habet Encomiastem. Beati omnes fuēre, qui ore Domini meruerunt commendari & laudari. Non enim ipse solet sicut homines inaniter laudare, aut otis vano obsequio gratiam captare, aut transitoria tantum laude commendare: sed si quos laudavit, etiam eorum laudem æternitati consecravit; fuitque laus illa quodda initium & symbolum æternæ electionis eorum. Sic Petro dicit: *Beatus es Simon Barjona.* Sic Nathanaëli testimonium perhibet: *Ecce verè Israelita, in quo dolus non est.* Sic Centurionis fidem collaudat, & Magdalenæ dilectionem. Hæc omnia ad laudem æternam spectabant, cujus jam quoddam pignus eis dabat Dominus. Sed sic eos felices pronunciamus quos laudavit Dominus, quā meritò super omnes id de Ioanne asserimus, quem non semel tantum aut cursim brevi commendavit elogio; sed frequenter, idque pleno apud plebem sermone, ejus laudes decantavit. Commendavit enim à constantia, asserens eum non esse arundinē vento agitatam. Comendavit ab austeritate & pœnitentia, dicens non esse mollibus vestitum, aut delicijs enervem. Commendavit à sapientia, pronuncians eum esse Prophetam, & plusquam Ptophetam. Commendavit à munere & puritate, dicens esse Angelum missum ante faciem suam, quasi à latere Legatum. Sed hæc omnia & alia quæ dici poterant, abbreviavit. Verbum æternum in hoc verbo: *Inter natos mulierum non surrexit major.* Laudatur fides Abrahæ, obedientia Isaac, patientia Iacob. castitas Ioseph, mansuetudo Moysis, pietas Samuelis, Eliæ zelus, sanctitas Davidis, cæterorum quoque Patriarcharum & Prophetarū merita apud Ecclesiasticum per varia capita celebrantur: Sed omnes istæ priscorum virtutes, omniaque merita, in uno Ioanne reperiuntur, omnesq; vel antecellit, vel primos saltem adæquat. *Cui nullum præposuit in præconio Christus, nullum ei prælaturus est in præmio?* ait S. Hilarius Arelatensis.

Matth. 11.

Ioan. 1.

Matth. 11.

Quod si quæras, an etiam Apostolos Ioannes præcedat in gratia & gloria? Respondeo ex verbis Domini non posse id evinci, quia Dominus eum comparat solum Prophetis antecessoribus, asseritque nullum ipso ex illis majorem. Sic enim expresse dicit S. Lucas: *Major inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptista, nemo est.* Ex quo infertur ipsum eos antecellere, quia probabilis habet Theologorum quorundam opinio, in patria nullos esse æquales: Quod etiam asserit Auctor operis imperfecti sub nomine S. Chrysostomi; & Franciscus Maironis Doctor Theologus ex antiquis eandem sententiam attribuit S. Dionysio. Quantum ad Apostolos de illis non agit Christus, sive illis Ioannem non comparat. Unde an illos in gratia vel gloria excedat, certò asseri non potest, sed à divina pendet prædestinatione nobis incognita. Nonnulli tamen ex Doctoribus tam antiquis quam novis in affirmantem partem propendent. S. Ambrosius sic loquitur: *Præcellit cunctis Ioannes, eminet universis, antecellit Prophetas, supergreditur Patriarchas, & quisquis ex muliere est, inferior est Ioanne.* Clarius & expressius S. Theodorus Studites hoc asserit, dicens: *Et Prophetis & Apostolis & aliis omnibus revera prior est magnus Præcursor; illis quidem ut sequens, his verò ut præcedens.* Favet S. Petrus Damiani, sic de Ioanne differens: *Vnus est & secundum non habet, qui choris intertextus Angelicis sublimioris coronæ titulis universitatis humana transcendit ascensum. Considera mansiones regni, & universum ordinem humanæ generationis obambula, & Ioannem tam novis quam veteribus videbis esse præpositum vel æquatum.* Denique hanc communem Doctorum sententiam appellat Ioannes Exius hom. 6. de S. Ioanne Baptista, quæ asserit ipsum post Christum ac Mariam sanctissimum esse. Gerson quoque tract. 4. super Magnificat, thronum Luciferi in ordine Seraphinorum eum occupare existimat, cui subscribit Franciscus Maironis. Cum enim ex omnibus Ordinibus aliqui ceciderint, etiam ad omnes Ordines aliqui assumendi sunt ex hominibus qui occupaturi sunt loca Angelorum. Maria super omnes choros est, Ioannes ergo videtur primum occupaturus locum in primo choro secundum horum sententiam.

Luc. 7. Abul. Matth. 11. Op. temp. in c. 11. Matth. Mairon. ser. de Baptista. De præcedentia S. Ioan. in gratia præ reliquis.

P. Dam. hom. de Baptista.

Quicquid sit de his, scimus quod ad sublimem valdè gloriæ gradum evectus sit Baptista, quodque ipsi sit propinquus divinitati. Quapropter quos post se traxerit exemplo, juvabit merito, commendabit suffragio, nec repulsam poterit pati, qui propinquus omninò est & acceptissimus Regi summo. Ejus ergo sectantes vestigia, ad eum dirigamus & vota, auxilium petamus ab illo, qui adeo potens est, & toto cordis desiderio clamemus:

Conclusio.

ODivine Præcursor, ò Baptista, ò Præco summi Regis, ò Legate, & Angele ante faciem sio. Domini, ad præparandas vias ejus & illuminandum eos, qui in tenebris & in umbra mortis sedebant! Fac nos audire vocem tuam, vocem pœnitentiæ, vocem judicij vocem clamoris in deserto, ut possimus feliciter dirigere pedes nostros in viam pacis & æternitatis. Et quoniā adventū primū sentiens Salvatoris, exultasti gaudio magno in Spiritu sancto.

Sancto, illo replens & Spiritu matrem effice ut vero spirituali gaudio tuam celebremus Nativitatem, & cum adfuerit Dominus in secundo adventu suo, possimus ei occurrere cum gaudio, ipsamque tota tecum benedicere æternitate.

Lect. 27.

IN FESTO SS. PETRI ET PAVLI.

Constitues eos Principes super omnem terram.
Psalm. 44.

De titulis SS. Petri & Pauli.

SAnctorum Apostolorum Petri & Pauli merita & heroica gesta, gratiam & gloriam, laudes & præconia, unâ celebrat festivitate Ecclesia: tum quia amor Christi & zelus gloriæ Dei eos sic indivisos voluit, sicque confœderavit, *ut uno die, uno loco, unius tyranni toleraverint sententiam, & sanguinem profuderint*, prout dicit S. Maximus hom. 5. de Petro & Paulo: tum quia *de eorum meritis atque virtutibus nihil diversum, nihil debemus sentire discretum, nam illos & electio pares, & labor similes, & finis fecit æquales*, ut loquitur S. Leo serm. 1. de Petro & Paulo. In hac igitur die, aureâ luce & roseo eorum cruore condecorata, in qua per crucem alter, alter ense triumphat, laudes eorum junctim decantemus, ex sanctorum Patrum scriptis.

1. *Duo lucidissimi oculi Ecclesiæ.*

Dicamus *primò* cum S. Leone Pontifice, in corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, hos censeri tamquam duos oculos lucidissimos & radiantissimos. Sic enim loquitur S. Leo: *In horum excellentia Patrum merito est excellentius gloriandum, quos gratia Dei in tantum apicem inter omnia Ecclesiæ membra provexit, ut eos in corpore cui caput est Christus, quasi geminum constitueret lumen oculorum.* Hi sunt oculi vigilantissimi & perspicacissimi quibus ab hostibus, à vitiorum & errorum incursantibus malis, sibi prospexit Ecclesia suis in primordiis. Hi sunt oculi quibus potuit clarè videre quæ ad fidem spectant, & Dei gloriam. Hi sunt oculi vigilantes pro toto corpore; præsentia & futura sagacissimè contemplantes, sublimia & profunda cœlesti luce suâ penetrantes. Hi sunt *Oculi Columbæ*, *Cant. 7.* simplices & puri, lucidi & in cœlum semper erecti. Quia nos docuerunt hi Apostoli oculos in sublime semper erigere, & Deo gratias agere pro singulis beneficiis, sicut columba pro singulis granis. Docuerunt nos cum simplicitate & puritate intentionem tanquam oculum cœlo inferre, æterna considerare, æternitati prospicere. Denique, hi sunt duo illi oculi Ecclesiæ, de quibus in Canticis dicitur: *Oculi tui sicut piscina in Hesebon, in porta filiæ multitudinis.* *Cant. 7.* Oculi enim hi instar duplicis piscinæ semper fluentes fuêre lachrymis, quasi aquis puris, quibus eluerent sordes vitiorum, quibus & totum corpus Ecclesiæ, quoad fieri posset, immaculatum redderent. Suo enim exemplo provocavit multitudinem ad lachrymarum salubrem fontem, per quem est ingressus in civitatem cœlestem; quia per lachrymarum fluenta jungimur Christo, qui est porta & Ostium per quod multitudo debet ingredi. Quomodo S. Petrus fuerit tamquam Piscina fluens oculis, notum est ex S. Clemente afferente genas ejus cavatas fuisse ex cõtinuo fletu; qui fletus Gallo canente quotidie recrudescebat. De S. Paulo etiam Apostolorum acta & ejus epistolæ testantur, quomodo in membrorum Christi consideratione peccata defleret, ut ea eluere quasi aquis piscinæ mysticæ fluentibus in gratiam multitudinis. Sic enim ait: *Multi ambulant quos sæpe vobis dicebam, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est, quorum gloria in confusione eorum.* Item sic alloquitur suos: *Non cessavi per triennium nocte & die monens cum lachrymis unumquemque vestrum.* Quem locum expendens S. Chrysost. hom. 12. in epist. ad Colossenses sic loquitur: *Ex quo fonte emanarunt tanta fluenta, ut ex illius oculis lachryma? Quem fontem vis comparare cum his lachrymis? Eumne qui est in Paradiso, qui irrigat universam terram? Sed nihil dices æquale.* O ergo præclari oculi Petrus & Paulus continuò aquas salubres emittentes instar fontium, vel piscinarum, in gratiam multitudinis & corporis totius Ecclesiæ!

Fletus S. Petri.

S. Pauli lachryma.

Philip. 3.

Act. 20.

2. *Duo ubera Ecclesiæ.*

Dicamus *secundò*, hos Apostolos esse *duo Vbera*, quæ Sponsus admiratur, & laudat in Sponsa. Etenim hi sunt qui lacte doctrinæ cælestis Ecclesiæ novellos filios aluerunt, donec in perfectam ætatẽ eos perducerent. Audi Apostolum Petrum primitivos fideles ad hæc ubera sugenda invitantem: *Quasi modo geniti infantes, sine dolo, rationabile lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem, si tamen gustastis quam suavis est Dominus.* Audi & Apostolorum Paulum similiter suos alloquentem: *Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi.* Et iterum: *Facti sumus in medio vestrum, tamquam si nutrix, foveat filios suos. Ita desiderantes vos cupidè volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras.* Hoc lacte instar uberum plenus erat Apostolus Paulus, cujus caput gladio excisum, non sanguinem, sed lac dedit, inquit S. Chrysostomus, & in terra tres saltus faciens, quasi tres lacteos fontes elicuit. Audi Gilbertum Abbat. ser. 31. in Cant. super illud Cantici Pulchræ sunt mammæ tuæ. *Mammæ plures, quia debet esse varia uberum temperatura pro sugentium qualitate diversa. Vide quomodo Paulus Iudæis factus est Iudæus, iis qui sine lege quasi sine lege, infirmis infirmus. Nonne tot applicat ubera discipulis, qui in se tot transformat genera? Quid aliud molitur temperatura tam multiplici, nisi ut leniter & lactis mora teneris auditorum animis ejus doctrina influere. Tot videtur abundare mammis, quot modis arte ingeniosâ capacitate sa infirmorum cooptabat*, hæc ille. O verè Ecclesiæ fœcunda ubera, Petrus & Paulus, mirabili sapientiæ & doctrinæ fœcunditate ac ubertate primos fideles Ecclesiæ, primos filios reficientia & adhuc modò lac suavissimum fundentia in salutem omnium electorum, & Filiorum Dei.

1. Pet. 2.

1. Cor. 3.

1. Thess. 2.

3. *Duæ olivæ oleum Ecclesiæ ministrantes.*

Dicamus *tertiò*, hos Apostolos rectè designari per duas illas Olivas ad dextram candelabri & ad sinistram ejus, de quibus dicitur : *Isti sunt duo filii Olei, qui assistunt Dominatori universæ terræ.* Hi nimirum Apostoli duo, duæ sunt Olivæ oleum Ecclesiæ lampadi perpetuò ministrantes, ut lucem proferant his qui in tenebris & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes eorum in viam pacis & æternitatis. Lampas enim ardens super candelabrum aureum, & septem ejus lucernæ mysticam interpretationem habent. Candelabrum mysticum est Christus lampadem sustinens, hoc est Ecclesiam divini spiritus luce ardentem. Septem lucernæ, quæ candelabro innituntur, septem sunt Sacramenta, & septem Spiritus S. dona, quibus mentes hominum illuminantur. Hæ olivæ quæ à dextris & à sinistris oleum ministrant lampadi, nonne hi Apostoli sunt, qui variis exemplis atque doctrinis, scriptis suis & meritis, Ecclesiæ lampadi oleum gratiæ infundunt, & impetrant liquorem cœlestem, ut numquam lux ejus desinat? Propterea igitur aptè *Filii olei* vocantur, quia uncti, & unctione aliis impetrantes; vel ut alia lectio habet, *Filii splendoris & claritatis*, quia sunt splendidissimi, & splendorem Ecclesiæ conferunt admirabilem. Denique tertia lectio habet : *Isti sunt filii misericordiæ*, quia oleum misericordiæ solet esse symbolum. Vnde ad hunc locum videtur allusisse Ecclesiasticus, dum ait: *Isti sunt viri misericordiæ, quorum pietates non defuerunt.* Quem locum interpretans S. Bernardus, dicit id rectè attribui Sanctis Petro & Paulo, triplici de causa. *Sunt enim hi viri misericordiæ*, inquit ipse, *sive quia misericordiam consecuti, sive, quia misericordia pleni, sive, quia misericorditer à Deo donati sunt.* Quomodo viri sint misericordiæ Petrus & Paulus, quia misericordiam consecuti, pernotum est. Nam fatetur Paulus de se : *Fui iniquus, & blasphemus, & persecutor, sed misericordiam sum consecutus.* Exploratum id etiam & periculum de Petro, quem Deus oculis misericordiæ nisi respexisset æternum periisset. Quomodo autem viri sint misericordiæ, quia pleni misericordia tanquam oleo effluente, & quia à Deo misericorditer nobis donati, explicat S. Bernardus his verbis : *Scimus quod viri isti nec sibi vixêre, nec sibi mortui sunt, sed ei qui pro ipsis mortuus est, magis autem nobis omnibus. Facit pro nobis eorum vita & doctrina, & mors ipsa. Etenim in conversatione continentiam, in prædicatione sapientiam, in passione patientiam nobis beati Apostoli contulerunt. Quæ etiam usque hodie conferre non cessant, misericordia pleni, & sanctarum orationum fructibus.*

Eccli. 44.

SS. Petrus & Paulus viri misericordiæ. 1. Tim. 1.

Bern. ser. 3. de Petro & Paulo.

4. *Duæ columnæ domus Dei.*

Dicamus *quartò*, hos duos Apostolos esse *duas Columnas*, Templum, sive domum Dei, hoc est Ecclesiam fulcientes & firmantes, duosque parietes, unum ex Gentibus, alterum ex Iudæis complexu suo stabilientes. Quapropter rectè dixerimus eos designari per duas columnas, quas erexit Salomon in egressu templi à se extructi, & in modum lilii coronavit. Vnam vocavit *Iachin*, alteram vocavit *Booz*. Iachin autem idem est quod *Firma erectio & directio*: Booz idem quod *Fortitudo in eo*. Hæc autem nomina his columnis indidit Salomon, ut votum suum indicaret se nimirum peroptare firmitatem & stabilitatem templo suo, eamque quodammodò hoc monumento portendere. An non aptè SS. Petrus & Paulus, primarii Ecclesiæ novellæ Apostoli, columnis istis indicantur? Nonne contemplatione ad superna erecti fuêre, & totum Ecclesiæ ædificium direxêre? Nonne fide fortes fuêre & opere, lapidibusque electis firmitatem contulêre? Verè ergo nomen *Iachin*, id est, Directio, verè nomen *Booz*, id est, Fortitudo, eis convenit. Duæ sunt columnæ, quia Gentes & Iudæos fulciunt; Petrus Iudæos, Paulus Gentiles ad Christum adducit, & in eo firmat, imò uterque utrosque. Rursus vna Columna est à dextris, altera à sinistris, quasi demonstrantes per prospera & adversa nos firmari in Deo, nec adversis debere dejici, nec prosperis nimium elevari. Sunt etiam hæ Columnæ ante fores templi, ut omnes invitent & inducant in templum. Omnia certè hæc SS. Petro & Paulo apprimè conveniunt: Columnæ sunt aureolis & liliis coronatæ, cujus coronationis festivum diem hodie recolimus. Verè Columna Petrus, cui à Domino dictum est : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni cœlorum.* Verè Columna Paulus, de quo S. Chrysostomus : *Paulus cœli civis, Ecclesiarum Columna, Angelus terrestris, homo cœlestis.* Et hom. 32. ad Rom. de utroque Apostolo sic loquitur, quorum corpora tamquam sacratissima pignora Roma obtinet : *Non ita cœlum splendescit quando radios suos Sol ex sese dimittit, sicuti Roma duas illas lampades ubique terrarum effundens. Considerate quale spectaculum visura sit Roma in resurrectione. Hinc rapietur Paulus, inde Petrus, in occursum Domini. Propterea celebro hanc urbem, non propter copiam auri, non propter columnas, sed propter Columnas illas Ecclesiæ.*

3. Reg. 7.

Matth. 16.

Chrisost. homil. de laudib. Pauli 10.

5. *Duæ tubæ cœlestes.*

Dicamus *postremò*, hos duos Apostolos esse duas Tubas cœlestes, quibus Evangelii vox mox toto insonuit orbe. Nam S. Petrus non solùm Iudæos docuit & convertit, sed etiam Romanos & Anglos; scripsitque epistolas suas ad omnes, quamvis maximè ad eos qui conversi ad Christum jam erant dispersi per Ponum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, & Bithiniam, quos paulo ante converterat. Certè de omni natione quæ sub cœlo est, adfuerant nonnulli ejus prædicationi, quando in die Pentecostes convertit tria millia, & die subsequenti quinque millia. Postmodum autem per discipulos à se missos fundavit per totum orbem Ecclesias, & fidei verbum propagavit; nam & S. Maternus ab eo missus fuit ad has Belgicas & Leodienses partes tubam insonans S. Petri. Paulus quoque Doctor Gentium è cœlo constitutus, classicum cœleste quoquoversum intulit, ut omnes sub jugum mitteret veritatis : *Postquam siluit os Stephani, mox sonuit tuba*

1. Pet. 1.

Act. 2. & 4.

tuba Pauli, inquit S. Chryſoſt. hom. de ejus converſ. O ergo cœleſtes, & efficaces Tubæ, Petrus hinc, inde Paulus! O Principes terræ glorioſi, ubique fidei hoſtes expugnantes, contra idola, errores, viria dimicantes, Infernum & Satanam. Principeſque hujus mundi, & Principes tenebrarum debellantes. Vtriuſque unica cura fuit ad cœlorum regnum omnes convocare, januam eis demonſtrare & aperire, Ducéſque ſe eis vitâ, doctrinâ, exemplo præbere, & præire. Vnde Fortunatus Venantius ſic de Petro & Paulo canit:

Venant. Fortunatus lib. 8. carm.

Cœlorum portæ, luci duo lumina mundi.
Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus.
Inter Apoſtolos radianti luce coronas.
Doctior hic monitis, celſior ille gradu.
Corda per hunc hominum reſerantur, & aſtra per illum:
Quos docet ille ſtylo, ſuſcipit ille polo,
Pandit iter cœlis hic dogmate, clavibus alter:
Eſt via cui Paulus, janua fida Petrus.
A facie hoſtili duo propugnacula præſunt,
Quos fides turres Vrbs Caput Orbis habet.

Hæc de laudibus Sanctorum Petri & Pauli conjunctim; ſed de illis etiam ſigillatim pauca hic delibo; innumera enim ſunt eorum encomia, quæ integris libris nonnulli proſequuntur. Vnde ſancti Petri nonnulla privilegia nobis obiter ſufficiet explicare, & poſtmodum etiam de virtutibus ac prærogativis ſancti Pauli paucas proponere, & in medium producere.

DE S. PETRO.

LECT. 28. tripartita.

Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam Matth. 16.

PARS I. *De privilegiis S. Petri in vita.*

TRiplicia privilegia poſſumus in S. Petro Apoſtolo annotare, quibus à Domino ſpecialiter fuit condecoratus. Quædam enim ſortitus eſt in vita, quædam in morte, quædam poſt mortem. In vita quidem præterquam quòd vocatus fuerit ſpeciali Domini voce inter primos ad Apoſtolatum, qui eſt ſuprema in Eccleſia Chriſtiana dignitas, hoc habuit præter cæteros privilegii, quòd ſpecialiter fuerit à Domino conſtitutus *Petra, Fundamentum, Caput Eccleſiæ*. Vnde & ei nomen immutavit tamquam ſpecialis Patrinus, voluitque ut ejus nomen proprium foret Petrus, cum antea Simon vocaretur. Hoc imitantur Supremi Pontifices, novum nomen in ſua inauguratione accipientes. Dixit ergo ei Dominus: *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferni non prævalebunt adverſus eam.* Quaſi dicat, interprete S. Leone ſerm. 3. in anni verſatio aſſumpſuæ: *Cum ego ſim inviolabilis Petra, ego lapis angularis qui facio utraque, unum ego fundamentum præter quod nemo poteſt aliud ponere: tamen tu quoque petra es, quia meâ virtute ſolidaris, ut quæ mihi poteſtate ſunt propria, tibi ſint mecum participatione communia.*

Matt. 16.

Petra erat Chriſtus, inquit Apoſtolus; à Chriſto petrâ, nomen petræ mutuat Petrus. O innuncupatione novi nominis felix Eccleſiæ fundamentum! O beatum nomen, quod os Domini nominavit! Petrus quidem ex ſe pulvis erat & cinis, arenaque mobilis, ſi vires proprias ſpectemus, ideoque omne ædificium in eo ſitum mutabilitati foret obnoxium & nutabilitati, ſed qui priùs erat Simon, id eſt obediens, quia illicò Chriſtum vocantem ſecutus eſt, nunc Petrus dicitur, & ſit Petra inconcuſſa, illo ſic volente qui poteſt perfectiſſimam ſoliditatem dare etiam arenæ. Vnde dicit: *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Quaſi dicat: Ego, ego ſum, qui te petram conſtituo: ego, ego ſum qui iſtud ædificium conſtruam. Nemo dubitet de ejus ſoliditate, illa enim inviolabilis erit me ſtructore & auctore, & nemo illam poſſet impetiri præter me. *Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant qui ædificant eam*, illo autem ædificante, fruſtra agit quiſquis nititur diruere. *Nec portæ inferi prævalebunt adverſus eam.* Egredientes ex inferis hæreſes, perſecutiones, diabolicæ molitiones non ei nocebunt, non prævalebunt. Non dicit, non oppugnabunt, vult enim oppugnetur, ut magis eluceſcat à ſe fundatam. Pluvia, flumina, venti irruerunt in domum illam: ſed fruſtraneo & irrito conatu, quia non ſuper labilem initiata erant arenam, ſed ſupra firmam petram perfectè conſtructa.

1. Cor. 10.

Pſal. 126.

Matt. 7.

Nam velut alliſos Mons videt fluctus & undas,
Sic ſtat in mediis hæc benè firma malis.

Oppugnabunt ergo portæ inferi & Principes eorum hoc ædificium Eccleſiæ, at non expugnabunt: *Sæpè expugnaverunt me à juventute meâ, etenim non potuerunt mihi.* Non deerunt qui dicant: *Eviscerate, eviscerate uſque ad fundamentum in ea*, ſed irritus erit conatus; quia allidentur ad petram, & petra conteret eos. Adveniet generatio & generatio in eam irruens; ſed præteribit inſtar torrentis ad tempus perſtrepentis, ipſa autem in æternum ſtabit. Generatio Ariana, Neſtoriana, Pelagiana, Lutherana, Calviniana inſurget adverſus eam, poſt Nerones, Diocletianos, Maximinos; ſed tandem evaneſcunt omnes, illâ perdurante & perſtante.

Pſal. 128.

Pſal. 138.

Ex hoc porrò Chriſti promiſſo & ſpeciali erga Petrum beneficio, multæ ejus deducuntur prærogativæ, multaque divina dona in eo præeminentia agnoſcuntur.

Inprimis enim illi tamquam Petræ & Fundamento totius Eccleſiæ, tamquam Apoſtolorum Capiti & Principi, fides eminens & indefectibilis à Chriſto collata eſt, aſſiſtentiaque Spiritus ſancti infallibilis ad regendam Eccleſiam, & docendum ea quæ fidem concernunt, ita ut in ea non poſſit errare. Quod etiam ejus eſt conceſſum ſucceſſoribus. Quapropter iturus Chriſtus ad crucem dicebat Petro: *Ecce Satanas expetivit vos ut cribaret ſicut triticum, ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua; & tu aliquando converſus confirma fratres*

1. *S. Petro Eccleſiæ capiti aſſiſtentia S. Spiritus infallibilis collata.* *Luc. 22.*

fratres tuos. Quasi dicat petoptat Satanas tentationum impulsu vos exagitare, & sicut triticum excutiuti è cribro aut vanno, ita è fidei vanno vos excutere molitur. Et ego pro omnibus quidem rogavi, sed pro te specialiter, ô Petre, quem Caput cæterorum discipulorum meorum esse volui, ut fides tua non deficiat. Quapropter tu aliquando conversus à peccato negationis, confirma in fide orthodoxâ, & in iis quæ ad salutem spectant, fratres tuos, non solùm Apostolos, sed & omnes Fideles. *Exurge pœ conversionem, & bibe de fonte misericordiæ; sed in eadem mensurâ quâ propinatum est tibi, remetire eis, & ad formam tuam qui ceciderat adjicias ut resurgat*, inquit Arnoldus Carnotensis. Certè fidei suæ eminentiam aliquoties Petrus ostenderat supra cæteros. Inprimis cùm Dominus de manducatione carnis suæ necessaria ad salutem differuisset, multique discipuli ejus offensi sermone eum desererent, interrogavit duodecim; *Numquid & vos vultis abire?* Respondit verò ei tunc Simon Petrus: *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æterna habes; & nos credidimus, & cognovimus, quia tu es Filius Dei*. Quibus verbis dilucidè extollit Christi excellentiam, commendat doctrinam, profitetur fidem, ostenditque amorem à tali Magistro inseparabilem. Et quidem omnium vice loquitur, quasi reliquorum Apostolorum os, & quia ardens erat præ cæteris fide & charitate. Vlterius fidei suæ eminentiam & fervorem ostendit maximè in hodierno Evangelio. Interrogabat Dominus, quid de se homines sentirent; variasque retulerunt discipuli plebis opiniones; quod scilic. quidam eum Eliam, quidam Hieremiam, quidam Ioannem Baptistam, aut certè unum ex Prophetis antiquis asserent: ex æstimabant aliquem ex his resuscitatum, vel secundùm hæresim quandam tunc vigentem defunctorum animas transmigrare in alia corpora. Postmodum interrogat quid ipsimet opinarentur, quidve asserent? Tunc Petrus unus pro multis, & unus præ multis responsum dedit: *Tu es Christus Filius Dei vivi*. O professionem claram fidei, quâ divinitas in Christo abscondita enuntiatur, & ipsum Trinitatis mysterium insinuatur! Quasi dicat Petrus: Ego asseveranter pronuncio te non esse Ioannem Baptistâ, aut Eliam, aut Hæremiam, aut unum ex Prophetis, sed Messiam Filium Dei vivi, Filium Patris æterni, ab æterno genitum Deum de Deo lumen de lumine, Deum vivum de Deo vivo, Deum verum de Deo vero. Fides nostra duo primaria mysteria profitetur; mysterium Incarnationis & Trinitatis. Petrus meminit personæ Patris & Filii, & tacitè ac consecutivè Spiritus sancti, qui est nexus & amor Patris & Filii: mysterium autem Incarnationis fatetur, dum dicit; *Tu es Christus*, oleo scilicet invisibili Spiritus sancti unctus secundùm humanam naturam. O fidem Domini ore laudatam, cœlesti Patris dono acceptam, Spiritus sancti gratia in corde Petri firmatam, qui & ideo *Barjona*, id est, filius columbæ specialiter audit! De hac fide Petri eleganter Fulgentius lib. 3. ad Trasimundum Regem c. 15. ubi ait: *Nec hoc prætereundum existimo, quòd Christo primium se filium hominis nuncupanti, Petrus dicit: Tu es Christus Filius Dei vivi. Nam Filius Dei humanitate susceptâ debuit in se sacramentum magnæ pietatis ostendere: homo verò redemptus debuit in filio hominis veram divinæ Nativitatis substantiam prædicare; ut dum à Redemptore beneficium gratuitæ miserationis effunditur, à redempto divinæ confessionis obsequium redderetur.*

Eminentia fidei S. Petri.

Ioan. 6.

Matt. 16.

Mysterium Incarnationis & Trinitatis professus S. Petrus.

Illud porrò notatu dignum est, quòd non sine mysterio Christus hîc pronunciatur à Petro *Filius Dei vivi*. Neque solum id vulgari sensu accipiendum est (quasi tantummodò sic vocet eum Petrus ad distinctionem idolorum & falsorum Deorum, qui sunt Dii mortui) sed ad sublimiorem est assurgendum, quandoquidem hæc vox adeò sublimiter à Christo laudatur, è cœlo esse perhibetur, specialemq; remunerationem accipit, tamquam vox fundamentalis fidei, doctrinæq; salutaris. Itaque dum Princeps Apostolorum cœlitus edoctus à Patre hâc professionem facit nomine suo & totius Apostolici Collegii, vocare censendus est Christum *Filium Dei vivi*, ad distinctionem eorum qui sunt filii Dei non per naturam sicut Christus Dominus, sed per adoptionem, non per essentiam, sed per participationem; de quibus dixit Dominus ipsos etiam esse Deos, per divinæ scil. naturæ consortium, quod per gratiam adoptionis nanciscuntur. Christus ergo specialiter *Filius est Dei vivi*. Hi autem qui per adoptionem filii sunt, specialiter dici possunt *filii Dei morientis, aut filii Dei mortui*. Ipsi enim sunt geniti per Deum in cruce morientem, ipsi filiationem suam adepti sunt per Deum crucifixum & mortuum. IESVS autem genitus est Filius Dei per Deum vivum & immortalem, per eum qui in se vita & primum vitæ principium est, qui Filio suo eamdem secum dat vitam, ut nobis communicet eam per gratiam, quam habet ipse per naturam. Quia verò vitam illam gratiæ, quæ ad vitam perducit æternam, nobis Filius noluit impertiri, nisi per mortem suam, ideo dicimur *filii Dei morientis*, quia mors ejus principium est vitæ nostræ; & per illam Filii Dei efficimur. An non admirabilis generatio quæ producitur moriendo? An non de illa dicitur: *Generationem ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium.* Generavit ergo admirabili generatione filios suos, semen longævum & benedictum, quando de terra viventium abscindebatur, quando in crucis thalamo emoriebatur. Itaque Christus Dominus est Deus vivus de Deo vivo, in æternitate à Patre genitus; sed & ipse quoque est Deus moriens filios generans morte suâ in cruce. Ipse est ita Filius Dei viventis, ut nõ sit Filius Dei morientis; quia ne quidem secundùm humanitatem dici potest Filius Dei mortui aut morientis, sicut omnes alii homines, tum quia non est filius per adoptionem, tum quia gratiam quam habet creatam, & infusam in animam

Christus cur filius Dei vivi dicatur.

Isa. 53.

mam & humanitatem, non habet nisi à vita Dei simpliciter, nec venit illa per mortem Dei, sicut vita & gratia omnium aliorum hominum. Ergo rectè à S. Petro asseritur non sine mysterio, Filius Dei vivi, ad distinctionem nostri, sive ad distinctionem omnium aliorum Dei filiorum per adoptionem, per quam sunt filij Dei morientis.

Hæc est ergo confessio Petri, quam caro & sanguis non revelavit, sed Pater cœlestis, ob quã Christus Dominus Petrum beatum prædicavit, quam primatu Ecclesiæ & traditione clavium regni cœlestis remuneravit, quam indebilem & in æternum permansuram voluit; quia in Ecclesia vox illa jugiter perseverabit, & per illam efficietur Ecclesia supra Petrum constituta, & supra hanc fidei confessionem fundata inviolabilis contra omnem violentiam Tyrannorum & hæreticorum ac infidelium. De quo sic loquitur S. Chrysostomus: *Tempestates susceptit Ecclesia, sed non mergitur. Jacula in eam mittuntur, sed non perforatur: machinamenta præparantur, sed turris non elidit ur. Unum sermonem locutus est Piscator, & sicut Turris immobilis perseverat. Quanti Tyranni verbum hoc delere conati sunt, sed non potuerunt? Supra petram enim Domini fundatum erat. Considera tyrannos, Regum diademata, gladios, bellatorum dentes, caminos, sartagines, & omnia machinamenta parata Pharetram suam evacuavit diabolus, sed nihil Ecclesiam læsit, quia porta inferi non prævalebunt adversus eam.* Chrysost. serm. de Pentecost.

Secundò, ex illo promisso Christi & beneficio speciali erga Petrum, quo eum constituit Ecclesiæ Petram & Fundamentum, Apostolorum Principem, & totius sui gregis Pastorem, sequitur datam ei cœlitus fuisse non solum eminentem fidem, sed etiam ardentem præ cæteris charitatem; hæc enim charitas congrua est, imò & necessaria est ad pascendum Dominicum gregem. Propterea illam explorabat Dominus in Petro trinâ interrogatione: *Simon Ioannis diligis me plus his?* Quam interrogationem tertiò præmittendam duxit antequam ei diceret: *Pasce oves meas.* Cujus rei hanc rationem affert S. Augustinus: *Redditur negationi trinæ trina confessio, ne minus amori lingua serviat quàm timori; & plus vocis elicuisse videatur mors imminens, quàm vita præsens; & sit amoris officium pascere Dominicum gregem, si fuit timoris indicium negare Pastorem.* Ita S. Auguſt. tract. 123. in Ioan. Alteram rationem producit S. Bernardus ser. 76. in Cantica his verbis: *Non otiosè toties repetitum est in commissione ovium, Petre amas me? Ac si diceret Dominus: nisi testimonium perhibente tibi conscientia quòd ames me, & valdè ac perfectè ames, hoc est plusquam tua plusquam tuos, plusquam te, & hujus repetitionis mea numerus impleatur, ne quaquam suscipias curam hanc, nec te intromittas de ovibus meis, pro quibus effusus est sanguis meus.* Hanc charitatem & zelum ardentem ostendit S. Petrus in finem usque vitæ, tam erga Agnos (hoc est imperfectos & recens ad fidem conversos, quos invitabat ad ubera quasi modò genitos infantes) quàm erga oves, hoc est erga perfectos & robustiores, atque etiam erga ipsos inferiores Pastores, qui Oves rectè dicuntur tamquam gignentes Christo agnos, hoc est Fideles. Quapropter hos sic ex fervore charitatis & zeli alloquitur; *Seniores qui in vobis sunt obsecro consenior & testis Christi passionum, & ejus quæ in futuro est gloriæ communicator, Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè sed spontaneè secundum Deum.* Quasi dicat: Obtestor vos, & per sacra omnia adjuro, per ipsam Passionem Christi cujus testis sum, per ipsum sanguinem quem pro grege fudit, per gloriam quam exspectamus, & cujus ego in monte suavitatem prælibavi, pascite & regite Fideles curæ vestræ commissos, providentes, superintendentes, supervigilantes, non invitè & ægrè, sed spontaneè & alacri charitate, juxta Dei voluntatem, non aliud spectando quàm ejus gloriam. Hoc ipse monebat Pastor ovium, Pastor Pastorum, quod suo exemplo prædocebat; nam & instar primi Pastoris Christi pro grege & fide stabilienda sanguinem fudit, & mortem in cruce obijt miro zelo & charitate. Ideo ergo à Domino ovilis totius Pastor fuerat constitutus, quia in tantum præcellebat charitate, quantum Saul corporis magnitudine.

2. *Ardens charitas S. Petri præ cæteris.* Ioan. 20. Cur S. Petrus ter interrogatus an diligat Christum. R. 1. R. 2. 1. Petr. 5.

Tertiò, ex illo Christi beneficio & promisso secura est in Petro non solùm gratia efficax verbi ad convertendos infideles, & confirmandos fideles, sed etiam specialis gratia miraculorum. Gratia efficax verbi divini in eo satis patuit, quòd in diebus Pentecostes duplici concione octo millia ad Christum converterit, ut supra diximus. Patuit & efficacia verbi ejus erga Ananiam & Sapphicam, quos fraudantes de pretio agri ita voce suâ perculit, ut subitò expirarent. Gratia autem miraculorũ ita in eo eminuit, ut primum miraculorum post Christi ascensum ed. disse legatur, dum in testimonium recentis fidei claudum sedentem ad Portam Speciosam templi subitò cum omnium admiratione sanavit, dicens: *In nomine Iesv Christi Nazareni surge & ambula.* Testantur quoq; Acta Apostolorum in plateis certatim infirmos fuisse positos, ut saltem umbra Petri transeuntis obumbraret eos & sanaret. *Si tantam habuit in Petro efficaciam vel sola inanis quædam species vacua imaginis*, ut loquitur S. Aug. serm. 28. de Sanctis, *quantum magis nunc plenitudo virtutis?* Notum est de S. Materno ad evangelizandum Belgis & Germanis misso, in itinere febre correpto & mortuo, per solum Petri baculum resuscitato. Denique, & ante passionem Dominus voluit ipsum super aquas ambulare, sicut & ipse ambulabat, ut jam eum suum designaret Vicarium miraculorum gratia speciali pollentem, teste S. Bernardo.

3. *Efficax gratia verbi & miraculorum in S. Petro.* Actor. 5. Actor. 3.

Ex his igitur omnibus patent multiplicia privilegia Petri durante vita, quæ hic breviter recolligimus. Privilegium ergo Petri.

Privilegia S. Petri durãte vita.

1. In speciali ad Apostolatum vocatione & electione:

ctione: *Erat pernoctans in oratione Dei, & cum dies factus esset, vocavit discipulos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit, Simonem quem cognominavit Petrum.* Ecce primus omnium nominatur Petrus, non fortuitò, sed divino consilio.

Luc. 1. *Vide etiã Matth. 10.*

2. In novi nominis nuncupatione: *Vocaberis Cephas.* Item: *Tu es Petrus.* Idem est Cephas & Petrus sive Petra.

2. 3. In primatus adoptione, & clavium cœli ei facta traditione. Qui claves habet, in domum potestatem habet, vel in urbem, si urbis ei claves dantur. Petrus inauguratur per claves, quia in regnum cœleste nos admittit, vel etiam quia in Ecclesiam, quæ Regnum cœlorum dicitur: quia cœlestem habet Regẽ, cœlestes leges, cœlestia instituta, cœlestia promissa & præmia, & ad hoc nititur ut homines cœlestes efficiat, quia de cœlo est, & de cœlo loquitur, & ejus conversatio in cœlo est. Notat verò Origenes hom. 6. in Matth. differentiam, cum dicitur Petro: *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Apostolis autem: *Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Hic in singulari dicitur, *in cœlo*, ibi in plurali, *claves regni cœlorum.* Audi verba Origenis: *Non modica differentia est, quod Petro data sunt claves non unius cœli, sed multorum cœlorum, ut quæcunque ligaveris super terram sint ligata non solum in uno cœlo, sed in omnibus cœlis. Ad eos autem qui multi sunt ligatores & solutores in terra, dicit ut alligent non in cœlis ut Petrus, sed in uno cœlo, quia non sunt in tanta perfectione sicut Petrus, ut alligent in omnibus cœlis.* Hæc ille. Nempe Petrus super omnes Ecclesias potestatem habet, ideoque super omne regnum cœlorum. *Sententia Petri præcedit sententiam cœli,* inquit S. Bernardus, ser. 1. de Petro & Paulo.

Ioan. 1. *Matth. 16.* *3.* *Ibid.* *Matth. 18.*

4. In deambulatione super aquas, item & in miraculosa piscatione, quâ Petri navicula, in quam ascenderat Dominus, adimpleta fuit, quando ei stupenti & ad pedes Domini procedenti dictum est: *Noli timere: ex hoc jam homines eris capiens.* Significabantur exuberantis Ecclesiæ initia in hac Petri navicula piscibus plena.

4. *Luc. 5.*

5. In tributi solutione: Accesserunt enim ad Petrum qui didrachma accipiebant, & dixerant: *Magister vester non solvit didrachma.* Ait: *Etiam.* Cum autem intrasset domum, prævenit eum Iesus, dicens: *Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum, à filiis suis, an ab alienis?* Et ille dixit: *Ab alienis.* Dixit ei Iesus: *Ergo liberi sunt filij. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & primum piscem qui ascenderit, tolle, & aperto ore ejus invenies staterem, illum sumens da eis pro me & te.* Pro aliis non solvit, qui pro Petro solvit, volens Petri super cæteros excellentiam ostendere, ut notat S. Ioannes Chrysostomus.

5. *Matth. 17.*

6. In lotione pedum, hanc enim à Petro inchoasse Christum S. Augustinus testis est, ut & hunc primò doceret, quod qui major est, debeat fieri sicut minor, & *qui præcessor est, sicut ministrator.* Hoc concernebat Petrum, quem cæteris Superiorem fecerat Dominus; concernebat & ejus in primatu successores qui exemplo Christi & Petri informati aliis lavant pedes. Addit Evodius Episcopus Antiochenus, & Clemens Alexandrinus, Petrum baptismate à Christo fuisse ablutum, idque privilegij habuisse, inter cæteros Apostolos, quos Christus non propria manu, sed per Petrum baptizavit.

6. *Luc. 22.*

7. In accepta certitudine de peccati sui remissione, quam & confirmavit Dominus apparens ei mox à resurrectione, & quidem primò inter Apostolos; ad quem & miserat mulieres resurrectionis primò testes. Confirmavit quoque eandem peccati remissionem dum post suam resurrectionem tertiò eum interrogat de amore, & tertio dicit ei, *Pasce*, Pastorem universalem eum instituens, qui conversus confirmare posset fratres suos.

7. *Ioan. 21.*

Denique, privilegium ejus patuit in Verbi divini prædicatione, & animarum adeò fœcunda conversione, in Matthiæ quoque electione, ac in miraculorum planè admiranda potestate. Insuper & in Concilii primi Ierosolymitani sessione, ac de Legalibus facta resolutione. Ubi primò Petrus in medio Apostolorum & Seniorum sic loquitur: *Viri fratres, vos scitis quoniã ab antiquis diebus Deus elegit in nobis per os meum audire gentes verbum Evangelij & credere. Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit dans illis Spiritum Sanctum sicut & nobis, & nihil discrevit inter illos & nos fide purificans corda eorum. Nunc ergo quid tentatis imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus salvari quemadmodum & illi.* Hæc S. Petrus, cui mox subscripsit Iacobus Episcopus Hierosolymitanus.

8. *Act. 15.*

PARS II. *De privilegio S. Petri in morte ejus.*

QUantum ad privilegium mortem concernens, illud non in postremis numerandum est, quod dignatus sit ei Dominus illam ipsi ante revelare, & de electione & perseverantia certum ipsum reddere. Quapropter sic loquitur: *Iustum arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione, certus quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod & Dominus noster Iesus Christus significavit mihi.* Monebat porrò Fideles, ut satagerent per bona opera certam facere suam vocationem & electionem, quando jam ipse certus erat Domino revelante suæmet electionis & perseverantiæ Magnum id certè beneficium quia sine speciali gratia, *nemo scit an odio an amore sit dignus?* sed omnia in futurum servantur incerta. Quapropter & Apostolus dicebat: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicavero, ipse reprobus inveniar.* Propter hanc quoque incertitudinem continuis lachrymis sese respergebat Arsenius. Multi quippe, qui tanquam sidera effulgere videbantur, tandem in fine tenebris & atra obducti

1. *2. Pet. 1.*

Mori S. Petro revelata.

Eccl. 9.

1. Cor. 9.

obducti caligine, à cauda Draconis in abyssum pertracti. Hæc quoque est ratio cur S. Franciscus duobus circiter annis ante mortem certior factus de sua perseverantia & prædestinatione octiduo exaltarit in spiritu, continuò cum jubilo inclamans: *Laudetur Dominus, laudetur Dominus.* Tantoque perfusus fuit gaudio, ut nec Horas Canonicas persolvere, nec comedere, nec quicquam aliud agere posset, quam cum mentis admirabili jubilatione Dominum laudare, & gratias agere.

2. *Genus mortis revelatum S. Petro. Ioan. 21.*

Ulterius, non solum dicimus, quod S. Petro ex privilegio speciali revelata fuerit mors instans, sed etiam genus mortis, martyrium scilicet crucis, quod scire debebat ad imitationem & sequelam perfectam Christi. Ipse quondam illud genus mortis Petrus insinuarat dum dixerat: *Cum esset junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis.* Addit Evangelista: *Hoc autem dicebat, significans qua morte clarificaturus esset Deum.* Et cùm hoc dixisset, dixit ei: *Sequere me.* Quid est, Sequere me? An non per mortis idem cum Christo genus hæc sequela rectè intelligitur? Audi Tertullianum in Scorpiaco c. 14. *Orientem fidem primus Roma Nero cruentavit. Tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci astringitur.* Item de præscript. c. 16. *Roma Petrus Passioni Dominicæ adæquatur.* Hæc nempe est sequela, de qua Christus Petro. Audi & aliam historiam.

3. *Christus apparuit S. Petro ante martyrium suum.*

Apparuit Christus Petro paulò ante mortem & martyrium rogatu Fidelium è carcere fugienti. Quem cum agnovisset Petrus, interrogavit: *Domine, quo vadis?* Respondit Dominus: *Vado Romam, iterum crucifigi.* Intellexit ergo tunc se vocari ad crucem, ideoque in carcerem redijt, & cruci postea affixus fuit. Extat Romæ in via Appia Sacellū in hujus apparitionis memoriam; ubi & vestigia Domini venerantur Fideles. Illam etiam historiam enarrant SS. Ambros. ep. 33. Gregor. in Psal. 4. pœnitentialem. Egesippus lib. 3. de excidio Jerusalem, & alij. Neque tamen existimo, hanc esse apparitionem & revelationem, de qua loquitur S. Petrus in Epistola 2. quia jam epistola illa antea conscripta erat. Sed non infrequenter Petro Christus apparuit, ideoque alia revelatione id ei potuit prius revelare, paulò autem ante mortem memorem quoque eum reddere de mortis genere.

4. *Carceris sui custodes meruit convertere.*

Denique, & hoc privilegij circa mortem Petri agnoscimus, quod carceris custodes Processum scilicet & Martinianum cum alijs quadraginta meruerit convertere, ac repentè è saxo fonte exorto (qui adhuc modò visitur) eos baptizare, atque ad martyrium animare. Ita enim à Petro morti jam vicino conformati sunt in fide, & in nominis divini invocatione, ut non aliud in tormentis inclamarent, quā illud: *Sit nomen Domini benedictum.* O Petri mors felix, quæ tot alijs potuit veram vitam parere! O felix victima Petrus in cruce, quam secutæ sunt tot animæ ab ipso converſæ, Christoq; per martyrium dicatæ & immolatæ! O verè beata mors, cui præsens Christus affuit, ut Romæ fieret crucifixus! Sicut enim in Stephano fuit lapidatus, in Bartholomæo excoriatus, in Iacobo decollatus, sic & in Petro fuit crucifixus, tanquam scilicet caput in membris. Ideo dicebat Petro: *Vado Romam iterum crucifigi.*

Vt pedibus sursum crucifigeretur, rogaverit.

Hoc verò prætereundum non est, Petrum rogasse, & impetrasse, ut capite in terram verso crucifigeretur, pedibusque sursum. Quod quidem ex humilitate rogavit, ne Christo adæquaretur, & quia, inquiebat ipse, cum Christus è cœlo descenderit, meritò erectus fuit crucifixus, ut & terram aspiceret, pro qua moriebatur, Calvariamque Adæ, quam suo respergebat cruore, ego autem in cœlum iturus opto illud respicere, pedesque sursum illuc dirigere. De hac re sic loquitur S. Chrysostomus: *Gaudeas Petre, qui ligno crucis fruitus es ad similitudinem Magistri, Recta quidem figura sicut Dominus crucifixus voluisti, sed magis inverso capite, velut à terra in cœlum iter parans. O clavos illos beatos, qui membra illa sanctissima pertransierunt!*

S. Petrus in cruce inversus umbra Christi.

Aptè hic Petrus in cruce inversus, ut membra Christi consideratur. Nam quando quispiam est in sublimi vertice, umbra quæ ab ejus corpore fit, cadens per declive inversam repræsentat figuram illius corporis, & inversis vestigijs exprimit corpus cujus est umbra. Huc alludere videtur S. Ambrosius in Psal. 118. octonario 21. dum sic loquitur: *Non fuit opprobrio Petro crux Christi, quia tantum ejus gloria delit, ut Christum inversis honoraret vestigiis, metuens ne si ea specie crucifixus esset, qua Dominus, affectasse Domini gloriam videretur.* De Christo ergo & Petro, tanquam corpore & umbra, sic canere possumus:

Vmbra suum corpus sequitur sub Sole, vicissim
Corpus & hanc, sequitur sic quoque Petre Deum
Vmbra fugis? Sequitur. Sequeris? Fugit ordine verso,
Iunctī eritis, sed cum lumina Sol retrahet.

PARS III. *De privilegijs S. Petri post mortem.*

POstremò dicamus, quod post mortem hoc privilegij datum sit cœlitus S. Petro, quod ejus meritis Roma Romanumque Imperium fidem Christianam susceperint: adeo ut Roma, tanquam civitas regia & sacerdotalis per sacram B. Petri sedem caput Orbis effecta, hoc consecuta fuerit, *ut latius præsideret religione divina, quam dominatione terrena*, inquit S. Leo, cui consonat illud S. Prosperi.

Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris.
Fastu caput mundo, quicquid non possidet armis.
Relligione tenet.

Meritis S. Petri Roma & Romanum Imp. fidem suscepit.

Roma sanguine Apostolorum Petri & Pauli irrigata, tot lilia Virginum, tot rosas purpureas Martyrū protulit, ut trecenta millia Martyrum enumeret, quorum vel ossa & pulveres condit & asservat, vel cruore aspersa fuit. Ideo S. Catharina Senensis per plateas Romanas procedens, non sine sensu intimæ pietatis

pietatis singula figebat vestigia dicens: *Ego Calco sanguinem Martyrum.* Sicut ergo Christus Dominus voluit Orientis Regionem suo Sanguine fundare in fide, suaque illustrare Passione; *sic & Occidentis plagam vice sui Apostolorum sanguine illuminare dignatus est*, inquit S. Maximus, Christus ergo fidei primaria fuit Petra, & Sanguis ejus cæmentum quo lapides electi in unâ Ecclesiam coalescerent. Sic & Petrus Petra fuit secundaria, sanguis quoque ejus cæmentum quo Ecclesia firmaretur, & inviolabilis fieret adversus omnes impetus inferorum. Hinc etiam Petri sanguis & fides animavit & firmavit triginta tres Summos Pontifices, qui eum secuti sunt non solum ad cathedram, sed etiam ad martyrium, & mortem intrepidam. Immò sanguis ejus semen fuit innumerabilium Christianorum, qui ad crucem usq; & necem pro fide decertarunt, & trophæa retulerunt. De quo iterum S. Leo: *Duo ista præclara divini germina seminis*) loquitur de Petro & Paulo) *in quantam sobolem germinarunt, beatorum millia Martyrum protestantur, quis Apostoli eorum amuli triumphorum urbem nostram purpuratis & longè latèque nitentibus populis ambierunt, & quasi ex multarum honore gemmarum consorto uno diademate coronaverunt.* Quomodo meritis Petri & Pauli Ecclesia tandem creverit in gentem magnam, notum est ex conversione Constantini Imperatoris, quæ potissimum fuit per apparitionem SS. Petri & Pauli ei in somno factam; quorum imagines ubi repræsentavit S. Sylvester, mox agnovit & ejus monitis acquievit Constantinus.

Ser. 1. de Petro & Paulo.

Null⁹ Pontificum nomen S. Petri assumpsit.

Rursus privilegium Petri manet, quod nemo hactenus Pontificum ejus nomen assumpserit: speciali honore dignum voluit Dominus nomen illud primitus ei datum ob specialem confessionem mysterij incarnationis, cujus notitiam cœlitus acceperat à Patre ut testatur Christus. Habet tamen prophetia quædam S. Malachiæ Ordin. S. Benedicti, quam refert Arnol. Wion in ligno vitæ l. 2. c. 40. ultimum Pontificem fore Petrum Romanum. De quo ita vaticinatur: *In persecutione extrema S. R. E. sedebit Petrus Romanus, qui pascet oves in multis tribulationibus, quibus transactis Civitas Septicollis diruetur, & Iudex tremendus judicabit populum suum.* Secundum hanc prophetiam primus Pontifex Petrus, ultimus erit & Petrus. Manet quoq; Petri privilegium, quod nullus Summorum Pontificum hactenus ejus annos attigerit in Pontificatu, nemo tamdiu Ecclesiam rexerit, nec ullus, ut piè existimat Ecclesia, ad illos regiminis Petri annos est perventurus. Hinc Pontifici, dum inauguratur, acclamari solet: *Beatissime Pater, annos Petri non videbis.* Certè experientia tot jam centenorum annorum persuadet, divinum providentiam arcanè ita disposuisse, ut nemo Pontificum adæquet annos Petri, qui sedisse traditur annis 25. Proximè aliqui successerunt; nam Adrianus I. annis 23. sedit, Alexander III. annis 21. S. Sylvester & S. Leo annis 20. Alij ferè paucioribus nonnulli paucis mensibus vel diebus, nemo Petri annos attingere potuit.

Nullus Pont. annos S. Petri attigit.

Hujus rei duplex ratio afferri potest. Prima est, quam jam insinuavimus, scilicet ob honorem S. Petri, qui primus Pontificatum Romæ constituit, ut sicut dignitate & meritis, ita etiam reliquos omnes suos successores annis superet. Altera est, ut moneantur hi, qui in tanto sunt culmine constituti, humilitatem conservare, & despecto honore terreno cœlestem ambire, quandoquidem principatus eorum adeo sit brevis moræ. Sic respondit B. Petrus Damiani Alexandro II. interroganti cur Pontifices tam paucis annis viverent: *Hoc cœlestis judicij ordo deposuit, ut humano generi metum mortis incuteret, & quam despiciendæ sit vita temporalis gloria in ipso gloriæ principatu, ac veluti Sole deliquium patiente, evidenter ostenderet.* l. 1. ep. 17.

1. *Ob honorem S. Petri.*

2. *Vt & Primates mortis meminerint.*

Denique, Petri dignitas & prærogativa in ipso ejus sepulchro cernitur, quod dum ossa & pulveres recondit, per orbem gloriam spargit, & è quocunque terræ angulo Fideles allicit, ut venerabundi adventent, & pedem ejus pulverem lingant. Quot Reges & Principes illuc accessêre? Audi S. Augustinū: *Nunc ad memoriam Piscatoris flectuntur genua Imperatoris: ibi radiant gemmæ diadematis, ubi fulgent beneficia Piscatoris.*

S. Petri dignitas in eius sepulchro.

Novum est de Constantino, quomodo octavo post baptismum die venerit ad locum sepulchro Principis Apostolorum consecratum, ubi depositò diademate vim lachrymarum humi jacens profudit, sumptoque ligone terram eruit, & inde duodecim terræ cophinis in honorem duodecim Apostolorum ablatis, locum Ecclesiæ designavit, & ædificavit magnificè. Quam nostro sæculo Pontifices de novo à fundamentis ampliarunt; Vrbisque & Orbis quoddam miraculum constituerunt.

Notum etiam est, referente S. Chrysostomo, tantum honorem Apostolo detulisse Constantium Constantini filium, ut Constantinum patrem ausus non fuerit tumulare intra Basilicam Apostoli, sed in ejus atrio. Existimavit, inquit Chrysostomus, ingenti honore filius se affecturum patrem, si eum in Piscatoris vestibulo poneret. Si quod Imperatoribus sunt in aulis lanitores, hoc in sepulchro Piscatoribus sunt Imperatores.

Chrysost. hom. 26. in 2. ad Cor.

Propter hæc omnia meritò Petro dicimus idem quod Christus: *Beatus es Simon Bar-jona.* Vtique beatus es, quia à Domino vocatus, obediens factus es, & verè *Simon*, quia Simon obedientem significat.

Beatus es, quia Bar-jona, id est filius columbæ cœlestis enim Columba, hoc est Spiritus Sanctus, te totum suis adimplevit donis & gratiis.

Beatus es, quia non Caro & Sanguis, sed Pater cœlestis de divinis te instruxit mysterijs.

Beatus es, quia Petrus & Petra, super quam ædificatur Ecclesia, contra quam portæ inferi non prævalebunt.

Beatus es, quia tibi traditæ sunt claves regni cœlorum;

lorum, potestas peccata remittendi, & potestas miraculorum cum efficacia Verbi divini tibi specialiter est commissa.

Beatus es, quia Pastor Pastorum, cui non solum Agni, sed & Oves, & Oviam Pastores sunt ad pascendum commissi.

Beatum os & lingua, pronuncians: *Tu es Christus Filius Dei vivi. Beati oculi*, toties rigati lachrymis contritionis. *Beatum cor*, quod adeo ardentis zeli fuit & amoris. *Beata brachia*, vinclis pro Christo constricta. *Beati pedes*, pro illo cruci confixi. *Beatus sanguis*, talem in Ecclesia fructum ferens, seminis instar sacri. Immò *beata & umbra*, ægros sanans; *beata & vincula*, quorum vel rasura ejicit dæmonia.

Cõclusio. O Beatissimæ Apostolorum Princeps, & Dominici gregis Pastor, nos sumus Agni tui, tuæ curæ commissi. Effice meritis tuis, ut verè Agni simus per mansuetudinem, patientiam, candorem. Dirige nos ad vera pascua, & impetra, ut in fidei à te facta confessione semper perseveremus, ut in spe viva etiam per fluctus hujus sæculi ambulemus, ut in perfecto amore, propter quem electus es, proficiamus. Aspice quoque ex alto Ecclesiam tuam, & Naviculam multis agitatam turbinibus ab infidelibus & hæreticis, à vitiorum & errorum inundantibus fluctibus, & deduc eam, nosque in ea, ad securum æternitatis portum, in quo triumphantium Nautarum valeamus celeusma perenniter in laudem Dei, tuamque decantare.

DE S. PAVLO.

Lect. 29. *Vas electionis est mihi, ut portet nomen meum coram Regibus, & populis, & filiis Israël.* Act. 9.

De virtutibus S. Pauli.

INnumeræ sunt virtutes, quæ in D. Paulo emicant, quia à Deo positus fuit tanquam perfectum speculum & exemplar omnis virtutis à nobis imitandum. Propterea ipse terde se dicebat, non ex philautia aut ambitione, sed ex Spiritus divini inspiratione: *Imitatores mei estote sicut & ego Christi.* Ita super ipsum effloruit sanctificatio Christi & Dei, ut anima ejus velut benedictionis irriguus hortus & paradisus fit, omni genere virtutum floridus & fœcundus, omni gratia & perfectione refertus, undique spargens odorem suavitatis, quo animas in sui considerationem & admirationem pellicit. In ipso enim lilium sapientiæ & castimoniæ effulget, in ipso redolet viola humiliatis, myrrha pœnitentiæ, rosa purpureæ charitatis, palma patientiæ, heliotropium devotionis, hyacinthus cœlestis conversationis. Quos quidem flores etiam nobis licet colligere ad imitationem, & in sinu nostro reponere. Ingredi lubet in hunc Hortum odoriferum gratiarum & virtutum S. Pauli, & ex multis floribus paucos colligere; ut corollam conficiamus vertici ejus sacro imponendam ad præmium, cordi nostro appendendam ad exemplum.

1.Cor.4. 1.Cor.11. Philip.3.

Primò quidem inter S. Pauli prærogativas maximè fulget sapientia cœlestis, & scientia mysteriorum Dei, quam de cœlo hausit. Super omnes enim homines, super omnes Apostolos, immò & super Angelos hac in re excelluit. Vnde fatetur, quod eam non didicerit, nec ab hominibus, nec ab Apostolis, nec ab Angelis, sed immediate à Iesu Christo Filio Dei, & Sapientia Patris æterni. Iesus Paulum per se instruere dignatus est ita eminenter & abundanter, ut & ab ipso aliquid posset in Angelos refluere. Quapropter dicit: *Mihi Sanctorum minimo data est hac gratia in Gentibus evangelizare, ut innotescat Principatibus & Potestatibus per Ecclesiam multiformis Sapientia Dei secundum præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Iesu.* Quando in tertium cœlum raptus est Paulus (hoc est in paradisum sive cœlum empyreum) ad fontem sapientiæ æternæ os apposuisse censendus est, & hausisse tanta copia, ut totam Ecclesiam implere posset, eandem refundens sapientiam, & eructans mysteria abscondita à sæculis. Sublimissimè enim posimodum disserut de ineffabilibus mysteriis, de gratia, de prædestinatione, de reprobatione, de Gentium vocatione, de Christi redemptione, de ejus œconomia & dispensatione in carne, de Angelorum ordinibus, de Episcoporum muniis, de Hierarchia Ecclesiæ & ejus regimine, de his etiam quæ futura erant in ea. Propterea de eo sic fatur S. Hieronymus ep. 61. ad Pammachium: *Paulus vas electionis, tuba Evangelii, rugitus Leonis nostri, flumen eloquentiæ Christianæ, qui mysterium retrò generationibus ignoratum, & profundum sapientiæ & scientiæ Dei magis miratur quam loquitur, quem quotescunque lego, videor mihi non verba sed audire tonitrua.*

1. Cœlestis sapientia.

Gal. 1.

Iesus S. Paulum instruxit.

Ephes. 3.

Fatetur in illo raptu Paulus se audisse *arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Doctor totius Orbis futurus in Beatorum schola magisterio & gradu admirabili consecratus est & inauguratus, ut è cœlo referret sapientiam, quam hominibus communicaret. Vidit interim & audivit, quæ communicare non satis posset. Vnde postea admirans exclamat: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his qui diligunt illum.* Et iterum alibi: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* Vnde nonnulli ex Sanctis existimant Paulum vidisse divinam essentiam, & in illa edoctum fuisse de mysteriis absconditis, & gloria divina, gloriaque hominibus præparata; ideo enim raptus videtur in locum Beatorum videntium Deum; ideo etiam dicit se audisse arcana, quæ homini loqui non licet, sive ineffabilia; sola autem essentia divina videtur inter illa numerari, quæ non licet fari cum attributis suis infinitis & incomprehensibilibus. Hanc sententiam docuit S. Augustinus ep. 112. Clemens, Anselmus, & multi alii cum S. Thoma.

2.Cor.12.

1.Cor.2.

Rom.11.

An S. Paulus divinam essentiam viderit.

Quicquid sit de hac sententia: (Num Paulus viderit essentiam divinam perfectè sicuti Beati, quamvis solum in rapt.) de qua utrinque Theologi disputant:

2.2.q.175. art.5.

tant: certum interim hoc est, Paulum instar Aquilæ in cœlum volasse & in Solis æterni radios hxisse intuitum, sublimissimæ inde instructum fuisse, ut cœlestem sapientiam ad Ecclesiam referret novus Doctor. Quocirca possumus ei illud ænigma Ezechielis Prophetæ adaptare: *Aquila grandis, magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam Cedri. Summitatem frondium ejus avulsit, & transportavit eam in terram Chanaan, in urbe negociatorum posuit eam.* Aquila utique grandis Paulus Aquila cui Dominus magnas alas indidit magnamque velocitatem, ut ad Libanum, ad locum Beatorum evolare posset. Quis novit *Viam Aquilæ* hujus in cœlo? Sed quid ibi egit? *Tulit medullam Cedri, summitatemque frondium*; id est medullam mysteriorum didicit, & de divina Sapientia elicuit illam, tanquam de Cedro sublimissima, cum circumstantiis particularibus tanquam frondibus floridissimis. Quid deinde? Detulit hæc ad terram Chanaan, hoc est ad terram negociatorum, ad Ecclesiam scilicet, ut inde feliciter Ecclesia negociaretur, & omnium hominum salutem faciliter promoveret; ideo omnibus de Ecclesia dicit Dominus: *Negociamini dum venio.*

Ezech. 17.

Luc. 19.

2. Charitas in Christum. Rom. 8.

Secundò, in S. Paulo inter dona cœlestia eminuit in Deum & Christum amor, charitasque ardentissima, insuperabilis, inseparabilis. Propterea inclamat: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum, quod neque mors, neque vita, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.* Quasi dicat: Mihi certò persuadeo, quod neque mors comminata, neque vita promissa, neque cœli, neque inferi, nec ulla alia, quæ fingi posset creatura, à charitate Dei nos valebit separare. An hæc tantum sunt verba aërem verberantia, aut jactationis vento tumida? Verè amore divino incensus Paulus omnes tyrannos, omnes labores & pericula, omnes cruciatus & supplicia, quasi ludum puerorum autumabat: provocabatque totum infernum & mundum, quasi ad duellum, hoc amore illos superare decernens. Quocirca S. Chrysostomus hom. 2. de laudib. S. Pauli, hanc charitatem & amorem exaltans dicit: Hujus rei studio non tantum urbes, gentes, exercitus, provincias, pecunias, potestates, velut arenam vilia reputavit; sed & pro Christi dulcedine non Angelorum aut Archangelorum admiratus est dignitatem. Quod enim majus erat omnibus, Christi amore fruebatur. Cum hac dilectione magis esse extremus optabat, immò ex numero punitorum, quam sine hac socius Dominationum & Principatuum aut summo sublimari honore. Perfrui enim charitate Christi, hoc illi vita erat, hoc mundus, hoc Angeli, hoc præsentia, hoc futura, hoc regnum, hoc promissio, hoc innumera bona. Ita Chrysost.

Eandem ob causam scribens ad Philippenses sic de se Paulus prædicat: *Mihi vivere Christus, & mori lucrum.* Quasi dicat: Mea vita est Christus, amor meus Christus est, desiderium omne meum est Christus, meum velle, meum operari Christus est, meumq; omne bonum: nihil aliud præter eum sapio, cogito, loquor, operor, spiro. Certè ita Christum amabat, ut totus in eum transformatus videretur: Christusque ejus esse mens, anima, spiritus, vita videbatur, quandoquidem per eum operabatur mirabilia, loquebatur divinissima, patiebatur homini vix toleranda. Hinc & illæ ejus voces. *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.* Et iterum: *Christo confixus sum cruci. Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri IESU Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundi.* Et rursus alibi: *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* Quare rectè de eo canere illud possumus:

Philip. 1.

Philip. 2. Galat. 2. Galat. 6.

2. Cor. 13.

Vrit amor, me torquet amor, sum factus amoris
Alter amor; nostri est victor amoris amor.

Tertiò, ex hac charitate erga Deum exorta est 3. Charitas erga proximū. ardens illa charitas erga proximum zelusque incomparabilis salutis omnium. Sicut enim ferrum in igne totum, totum ignis efficitur; sic Paulus charitate succensus, totus effectus est charitas, inquit S. Chrysostomus homil. 1. de laudib. Pauli. Item hom. 22. ad pop. sic de eodem loquitur: *Christum in se habebat loquentem terrestris Angelus, & cœlestis homo, receptaculum Spiritus S. qui in corpore corruptibili Paradisum habitavit, zelo incomparabilis, charitate magnus, Ecclesiarum Dei sollicitus curator, orator pretalis, imbecillium deductor, credentium parentibus, Judæorum redarguitio, nostrum omnium sagena, post mortificationem Doctor, & post mortem Præco, qui nobis demonstravit quomodo in cœlos ascendere oporteat.* Omnes utique ad Deum adducere, ad Christum conabatur convertere; alæ igneæ ei erant ad volandum quocumque; ignitum eloquium ei commissum erat ad convertendum quoscunque. Vnde ei convenit, quod in Canticis dicitur: *Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum.* Alia lectio habet: *Alæ ejus, alæ ignis.* His alis per varias Orientis & Occidentis plagas citò volavit, ut igne divini amoris omnes inflammaret. Vnde de eo dicere longè majore ratione possumus, quod de Elia: *Surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ejus quasi facula ardebat.* Siraptus est Elias in turbine ignis, & in curru quorum igneorum, ita ut in raptu ei inclamaret Eliæus: *Pater mi, Pater mi, currus Israël & auriga ejus:* certè in cœlum raptus est Paulus, & inde rediit igneus totus, ut verbum ejus quasi facula arderet, & cæteros inflammaret. Illi quoque dicere unusquisque potest: *Pater mi, Pater mi, currus Israël & auriga ejus.* Ipse est enim Ecclesiæ currus & auriga in cœlum subvehere eam nitens per quosliber anfractus. Ipse est Pater

Cant. 8.

Eccli. 48.

4. Reg. 2.

Fidelium

Fidelium orbe toto, de quo sic loquitur S. Chrysostomus: *Quasi universum mundum genuisset, sic currebat, sic festinabat omnes in regnum Dei inducere, docendo, pollicendo, orando, supplicando, terrendo, damones animarum corruptores fugando. Aliquando epistolis, aliquando sermone & præsentia, nunc per discipulos, nunc per semetipsum conabatur erigere labantes, firmare stantes, humi jacentes erigere, sanare contritos, torpentes oleo exhortationis animare.* Quod si aliqui ei adversabantur, tanto magis eorum miserabatur insaniam. Sicut enim aliquis indulgentissimus pater afficitur erga filium phreneticum, cujus quanto magis conviciis ictibusque pulsatur, tanto magis eum deflet; ita Paulus eos, à quibus affligebatur, tanquam malè sanos conabatur curare per majora tormenta pietatis. Sæpe lachrymabatur & vehementer dolebat pro illis, ac penitus diffecabatur, cum illos pereuntes videret. Hoc est, quod alicubi dicit: *Non cessavi per triennium cum lachrymis monens unumquemque vestrum.* Et iterum: *Multi ambulant, quos sæpe vobis dicebam, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi.*

Act. 20. Philip. 3.

Vtique juges lachrymarum fontes ex eo non diebus solum, sed & noctibus etiam affluebant, producente eos zelo & charitate: omnique muliere parturiente vehementius affligebatur in singulis, propter quod etiam dicebat: *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus.* Hac etiam charitatis flamma succensus optabat millies mori pro eorum qui sibi adversabantur, salute; immò optabat, si opus foret, gehennæ incendia subire. An non hoc indicat, dum ita scribit: *Veritatem dico, in Christo non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia in Spiritu sancto, quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Quid ais, Paule, inquit S. Chrysostomus, Nonne jam dixisti? Quis nos separabit à charitate Christi? Imò ait: Quia amo Christum, cupio separari à fruitione Christi, ut plures imò omnes eum laudent & ament. Quia nos longè sumus ab hac dilectione, idcirco intelligere hæc ejus dicta non possumus. Ita S. Chrysost.

Galat. 4.

Rom. 9.

O quam nobile fuit cor Pauli, quam amplum, quod Cor totius Orbis recte dixeris. Adeo enim latum fuit, ut in se susceperit integras urbes, populos & gentes. Cordis illius pulverem videre vellem. (Inquit S. Chrysostomus hom. 32. in epist. ad Rom.) dissolutum videre vellem cor istud erga unumquemque pereuntium accensum & ignitum, secundo parturiens filiorum abortus, Deum videns, Hostiam factum, cœlis ipsis sublimius, orbe latius, radiis solaribus exhilaratius, igne ferventius, adamante solidius, fluvios emittens aquæ vivæ, non terram rigans sed animas hominum. Vnde non solum fluvij sed & fontes lachrymarum noctes atque dies emanarunt. Cor, inquam, quod novam vitam non hanc nostram vixit. *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.* Cor itaque Christi erat cor Pauli, tabulaque Spiritus S. atque charitatis volumen. Ideo dicebat: Cor meum dilatatum est. Hæc S. Chrysost.

hom. 3. de laud. Pauli.

Cordis S. Pauli amplitudo.

Quartò, emicuit in S. Paulo patientia, ut ipse dicat Patientiam in omnibus adversitatibus, laboribus, ærumnis, cruciatibus, fuisse signum speciale Apostolatus sui. *Signa Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia.* Quasi dicat: Stemmata & insignia, in quibus glorior, & quibus me Dominus insignivit & decoravit, dum ad Apostolatus dignitatem evexit, non alia sunt quam in contemptu, in persecutione, in plagis, in periculis, in ærumnis invicta patientia. Hæc meum scutum, mea arma, meum vexillum, quo glorior, & contra mundum & infernum depugno. Dux omnigenæ patientiæ sub Christo sum Imperatore ab ipsomet inauctoratus, certantibus omnibus præpositus, & ad imitationem propositus. Vnde Christus, quando Paulum elegit ad Apostolatum de illo dixit: *Ego enim ostendam ei, quanta oporteat pati pro nomine meo.* Hoc fuit Elogium Nobilitatis Paulinæ, insignibus Apostolatus ejus à Domino inscriptum velut Symbolum sub Stemmate; OPORTET PATI PRO NOMINE MEO. In illud Symbolum semper conjiciebat oculos & animum Paulus, & ideo infatigabilis fuit, tandemque post innumera certamina subscripsit: PLVS OMNIBVS LABORAVI. Nempe fideliter divinæ gratiæ cooperatus est, ita ut Apostolatus gratia nunquam in eo vacua fuerit, aut ociosa, quia in laborando & patiendo fuit assiduus & indefessus.

4. Patientia S. Pauli. 1. Cor. 12.

Act. 9.

Quapropter particulatim labores & sudores, certamina & agones, pericula & ærumnas recensens, sic ait: *in laboribus plurimus, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui. In itineribus sæpè, periculis fluminum, periculis latronum, &c. in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in frigore & nuditate, &c.* Ex his interim omnibus eripiebat eum Dominus, ut animaretur semper ad majora patiendum. Nam sicut flamma eo magis augetur, quo plura ligna admoventur; sic & ardor patiendi pro Christo laboribus & tribulationibus non poterat latiari. Poterat ergo & ipse imperatorium illud dictum sibi adscisere: PLVS VLTRA, avidus semper progredi ad portandum nomen IESV Christi coram Regibus & populis, & pro illo nomine nova pati. Ad quem progressum, novæ patientiæ ipsa elementa videbantur ei formulari. Vnde & Augustinus serm. 29. de sanctis, de S. Paulo è naufragio & fluctibus ad prædicandum & patiendum emergente, sic eleganter loquitur: *Petrus ambulare super aquas debita soli Deo potestate præsumpsit, & rerum obstante natura per insueti maris novas vias pendulum inferens gressum, tumentia maris dorsa calcavit. Sed non minor Paulus, quem velut novi Testamenti Ionam die ac nocte per maris profunda*

2. Cor. 11.

Ex adversis S. Paulus erectus, ad graviora animatus.

al. 2.

profundâ factarum absorbuit fluctus & reddidit, quasi sacrum depositum violare non audens: quia famulatrix eum unda custodiem illæsum, populorum prædicationibus reservabat. Hoc nempe fic volebat fieri etiam per miraculum Dominus, ut ostenderet nobis omnibus, quanta oportet pro nomine suo pati.

In adversis S. Paulus gloriatur.

Porrò hæc patientia in Paulo erat planè heroica; patiebatur enim non solum lubenter, sed etiam exultanter. Gloriabatur in tribulationibus, persecutionibus, passionibus, magnoque ac celso animo se in omnibus gerens, Tyrannos ac populos spirantes furorem velut quosdam culices æstimabat, mortem verò & cruciatus ac mille supplicia quasi ludum putabat esse puerorum, dummodo propter Christum aliquid sustineret. *Tunc enim amplectebatur lubenter*, inquit S. Chrysostomus, *& decorabatur vinctus catenâ, magis quam diademate coronatus. Etenim coarctatus carcere habitabat cœlum, ac libentius verbera excipiebat & vulnera, quàm alibi gravia diripiunt: dolores non minus quam præmia diligebat, cum ipsos utique dolores loco duceret præmiorum; propterea enim & illos gratiam nominabat.* Hæc ille. O quantum, quamque frequenter gloriatus est in hoc titulo: *PAVLVS VINCTVS IESV CHRISTI!* Concludamus igitur, & ad eundem modum quo dicebant nonnulli discipuli, *Invenimus Messiam*, quod est interpretatum *Christus*, dicamus & nos, Invenimus Doctorem Gentium in fide & veritate, qui plus omnibus suis Coapostolis laboravit illum verum Athletam Christi, doctum ab illo, unctum de illo, crucifixum cum illo, gloriosum in illo, in theatro hujus mundi (qui spectaculum factus est, & Angelis, & hominibus) legitimè magno agone certantem, & palmam supernæ vocationis sectantem, ut nos ejus vestigia pede presso sequamur. Eandem enim quam nos habet naturam, idem corpus, eandem animam: nec erimus gratiæ exortes divinæ, si ei cooperari velimus ad imitationem.

hom. 2. de laudibus Pauli.

Chrysost. specialiter coluit S. Paulū.

Quapropter nos ad hanc imitationem invitans S. Chrysostomus, dicebat: *Flagro amore hujus viri, & propterea continuò versatur in ore meo, & quasi in archetypum aliquod exemplar in ipsum adspicions, admiror in hoc viro miram affectionum collocationem, fortitudinis excellentiam, amoris in Deum fervorem, & arbitror quod unius hominis omnes virtutes congregavit & perfecerit.* Unde & Damascenus de Imaginibus orat. 1. testatur, S. Chrysostomum in Musæo suo habuisse imaginem S. Pauli, in eamque continuò, oculos intendisse & animum, sive orando, sive scribendo: quare ab eo multa eductus est specialiter, & per eum tantam hausit sapientiam & eloquentiam, ut *Os aureum* in miliari meruerit. Similiter & S. Dominicus eum specialiter coluit, ejus Epistolas omnes memoria tenens, & illas Fratribus quos ad prædicandum mittebat, commendans, ut verum spiritum ad concionandum inde haurirent, unde & ipse hauserat. Nam apparuerat S. Paulus Dominico, & ei suum obtulerat librum ad concionandum quasi ipsum Prædicatorum Magistrum sic conferans, dum Ordinem suum initiaret: S. Petrus dederat ei suum baculum, ut peragraret Provincias ad conversionem animarum.

Similiter S. Dominicus.

Neque verò sufficit affici D. Paulo, ejus verò virtutes non imitari, quia tunc potius nostram censetur deflere infelicitatem. Sic Andronicus Imp. in Paulum pius erat, & ei imaginem auream in templo 40. Martyrum erexerat; sed Pauli pietatem non sectabatur. Ideo imago illa ante mortem Andronici lachrymas fudisse vita est, quasi illam mortem portenderet. Terserunt famuli lachrymas imaginis, at illa profundebat uberiores, tanquam si vivens in ea Paulus ex viscenbus pietatis Imperatoris in se pii, sed alias impii, necem doleret & fleret. Testis est Nicetas lib. 1. Sic & adhuc si posset modò ex compassione multos defleret, qui ejus quotidie verba audiunt & monita, nec respiscunt, sicut olim flebat *inimicos Crucis Christi, quorum Deus venter est, quorum gloria in confusione, qui terrena sapiunt.* Ipse est enim de illis Angelis, sive Nunciis & Legatis pacis, de quibus Propheta: *Angeli pacis amarè flebant*, cæcitatem scilicet eorum, qui pacem nunciatam respuebant.

Non sufficit affectus in S. Paul. sed & virtutes ejus imitanda.

Philip. 3.

Isai. 33.

Quintò, excelluit in S. Paulo castitas; fuit enim cœlebs & virgo tota vitâ, ut tradit S. Hieronymus contra Iovin. & S. Ambrosius in c. 7. ad Corinth. & passim SS. Patres. Satis id colligitur ex eo, quod proponens consilium virginitatis & castitatis, dicit: *Volo omnes esse sicut meipsum, sed unusquisque habet donum à Deo, unus sic, alter sic.* In hac castitate perfectus fuit, licet continuam luctam habuerit cum stimulo carnis, quem cum rogaret à se auferri, dixit ei Dominus: *Sufficit tibi gratia mea. Virtus in infirmitate perficitur.* Hanc etiam conservabat continua carnis maceratione: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverò, ipse reprobus efficiar.* Vitabat etiam omne periculum; hinc noluit sese comitarentur piæ mulieres ad ministranda alimenta. *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi sicut & cæteri Apostoli? Ego autem nullo horum usus sum.* Omnem scilicet suspicionem voluit à se amovere, nec castitati aut famæ voluit ullum periculum esse.

1. Castitas S. Pauli.

1. Cor. 7.

2. Cor. 12.

2. Cor. 9.

Ibid.

Interim ad castitatis lauream multas mulieres & virgines invitabat. Nã & S. Tecla juveni & nobilissimo & ditissimo desponsanda audito Paulo ardenter de virginitate differente, relicto Sponso ad Christi Sponsi cœlestis thalamum advolavit, eique sese voto virginitatis sacravit: ideoque à Matre & Sponso accusata, maxima tormenta subiit & superavit, ignes, serpentes, leones, ursos, in quibus astitit ei Christus præ se ferens vultum S. Pauli eam confortans. Stetit ergo columna immortalitatis pudicitiæ, & impietatem prostravit, ideoque miris laudibus eam extollunt SS. Patres, quia & leones ob virginitatem ejus pedes osculati sunt, & ignis non nocuit,

Ad castitatem provocat alios.

nocuit, sed potius veneratus est ejus castitatem, & sanctitatem.

Sic etiam Paulus pellices Neronis ad castitatem induxit & Religionem Christianam, ita ut ulterius non potuerit eis persuadere Nero, ut ad se redirent, & ad priores illecebras: ideoque incensus est contra Paulum Nero, quia illarum maxime unam deperibat. Et hæc causa fuit necis Pauli, ita ut non solum pro fide, sed etiam pro castitate Martyr occubuerit. Propterea S. Chrysostomus vocat eum, *Hostiam castitatis.*

S. Paulus hostia castitatis.

Hæ itaque sunt virtutes S. Pauli è multis paucæ hic propositæ: etenim in earum catalogum texere nec liber unus sufficeret, nam omnis in eo virtus excellunt. Quapropter concludo cum Chrysostomo ho. 8. de laudib. Pauli: *Cui te, ô S. Paule, justorum veteris vel novi testamenti audeam comparare? Omnium quippe virtutum, quasi in area quadam, sed cum multo cumulo condidisti. Licet quis contra te sigillatim justorum appendat chorum, inveniet trutinam virtutum ponderibus à tua parte depressam.* Postmodum S. Chrysostomus comparat S. Paulum Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Angelis, sicque prosequitur: Paulus verè secundus Abel, verum non semel sed per singulos dies immolatur. Paulus alter Noë, sed absq; arcâ insurgêtes in se undas impietatis enavigans. Paulus alter Abraham, non modo à patria, vel gente, sed post vocationem ab ipsa vita abscissus. Paulus alter Isaac, sponte in hostiam colligatus. Paulus alter Iacob, quasi pro uno quodam totius mundi grege invigilans. Paulus alter Ioseph, spirituali fame tabescente mundo veritatis alimenta distribuens. Paulus alter Moyses, omnes gentes à tyrannide diaboli ad Christum reducens. Paulus alter Aaron, totius mundi populis munctus Sacerdos. Paulus alter Phinées, impietatem Iudæorum & Gentium uno fidei mucrone confodiens. Paulus alter David, qui velut Goliam in certamen diabolum provocat. Paulus alter Elias, clarius raptus in cœlos: Alter Elisæus, gentes ab interna lepra purgans. Paulus alter Petrus, de cœlo ad Evangelium vocatus. Paulus alter Gabriel, Christi ortum cunctis gentibus nuncians. Paulus alter Michael, qui Christianorum Dux esse fortitus est. Addit tandem S. Chrysostomus: *Etsi Angelorum, etsi justorum circumvolem Choros, non invenio comparationem, cui non cumulo meritorum Paulus occurrat.*

Comparatio S. Pauli ad alios Sanctos.

Cont. 8.

TV Domine Iesv, qui Paulum vas electionis tibi fecisti, ut porteret nomen tuum coram Regibus & gentibus, & ostenderes ei quanta oporteat pro nomine tuo pati, da nobis ejus audire monita & sapientiam, ejus imitari charitatem, & zelum ardentem, ejus sectari patientiam & fortitudinem, ejus adamare castitatem & puritatem; ficq; Paulinis vestigijs fac nos inhærere, ut nunquam à te separemur, sed te cum illo adorare, laudare, æternumque benedicere valeamus.

IN FESTO VISIT. B. M. V.

Exurgens Maria *abijt in montana cum festinatione, &c.* Luc. 1.

Lect. 2. 3. tripart.

MAgnifica fuit Lectica Regalis, quam sibi fabrefieri jussit Salomon, ut gloriam suam ostentaret filiabus Ierusalem, in illa procedebat *Rex pacificus & magnificus, cujus vultum desiderabat universa terra.* De illa sic dicitur: *Ferculum fecit sibi Salomon de Cedris Libani, Columnas fecit argenteas, Reclinatorium aureum, Ascensum purpureum, media charitate constravit propter filias Ierusalem.* Ferculum hoc (à ferendo dictum) ex cedris Libani, hoc est, lignis pulcherrimis, imputribilibus, suavissimisque odoris erat fabrefactum artificiosissimè. Cernebantur & in eo Columellæ splendidissimæ ex argento, sive in inferiori parte ad sustinendam aspidem, hoc est, curvaturam rotarum, sive in superiori, sive ad sustentandas cortinas & alia. Reclinatorium autem (sive locus post humeros, in quo corpus reclinatur & requiescit) erat ex auro purissimo. Locus verò medius erat adornatus varijs symbolis & monilibus pretiosis amorem attrahentibus, vel quasi Gallicè diceremus: *Il estoit paué comme de quarreaux d' amour: Il estoit deuersifié comme de nœuds d' amour au milieu.* Et hoc propter filias Ierusalem, quæ Regis & Lectuli videndi desiderio afficiebantur. Vnde & subditur: *Egredimini Filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater sua.* Simul videte magnificentiam & gloriam Lecticæ in qua procedit: oculos & cor allicere illa potens est.

De itinere Mariæ in montana. Cont. 3.

Ferculum istud, sive Lectica Regia, Symbolum est Beatissimæ Virginis, quam Rex noster Pacificus Christus elegit, ut in ea quiesceret, & per eam gloriam suam ostentaret, & ad nos adventaret ac oculos cordaque nostra caperet, Attende singula.

Ferculum Salomonis est B. M. V.

1. Hanc ipse *fecit sibi*: nemo præter ipsum potuit talem efficere, talem adornare Lecticam in qua quiesceret. Nunquid per Architectos nobile istud & nobile Ferculum Salomonis fabrefactum fuit? Sed non sine mysterio dicitur, quod *Ferculum fecit sibi Salomon*, quasi ipsemet fuerit Architectus & Faber talis operis: in figura scilicet hoc sic exprimitur, quia in veritate noster Salomon Architectus fuit & Faber Ferculi hujus sui, id est Virginis.

2. Dicitur *ex Cedri Libani* incorruptibilibus & suavissimis odoris fabrefacta hæc Lectica. Per hoc incorrupta Virginis puritas, tam corporis, quam mentis designatur, quæ ubique suaveolentem odorem spargit.

3. *Columnæ in eâ argenteæ*, dona sunt Spiritus S. quæ & eam exornant, & ad procedendum agilem & volubilem reddunt, & firmâ faciunt ac constantem. Dona enim Spiritus S. animum ad omnia divina

divina promptum reddunt, fulciuntque. & in gratia confirmant, ac mirum decorem conferunt.

4. *Reclinatorium aureum* in MARIA donum est contemplationis, in quo excelluit super omnes Sanctos, sicut aurum excellit super omnia metalla. In hoc dono tanquam Reclinatorio sibi miré complacet, & pacificè quiescit Rex noster Pacificus.

5. *Ascensus purpureus* varijs gradibus distinctus, varias designat in MARIA virtutes, quibus sese disposuit, ut ad eam venitet & ascenderet Dominus. Gradus hi sunt humilitas, fides, spes, puritas, obedientia; qui gradus omnes sunt adornati purpura regia, quia purpureo Christi sanguine illas virtutes MARIA promeruit.

6. *Medius locus totus charitate est stratus*, & adornatus, quia charitas & amor divinus cernitur in Virgine in meditullio cordis; imò supra & infra charitas & amor cernitur, quia omnes ejus actiones etiam infimæ, per charitatem & amorem adornantur. Ideo alliciuntur filiæ Ierusalem, ad eam tum contemplandam, tum adamandam, tum imitandam! ubique in ea sunt nodi amoris propter filias Ierusalem, ut corda earum in amorem Regis Pacifici illectentur, & firmiter ei illigentur.

In hoc ergo Ferculo progreditur hodie in montana Rex ille desiderabilis. O si contemplari liceret ejus pulchritudinem, & diadema quo coronatus est! Sed, heu, clausus portatur in hoc Ferculo, nec cortinæ adhuc apertæ sunt. Aperient illas Ioannes & Elizabeth, & quantus sit ille qui ibi latet, omnibus manifestabunt, exultantes præ gaudio. Aperiet & appensum velum MARIA, nobis aperiens mysterium in se latens, in laudes Regis Pacifici & Magnifici erumpens, ac decantans; *Magnificat anima mea Dominum, quia fecit mihi magna qui potens est.* *Luc. 1.* Sequimini toto affectu & desiderio, ô filiæ Ierusalem, & aures cordis aperite ad præconia quæ dantur MARIÆ ab Elizabetha, quæ dantur Christo à MARIA Sequimini Regem Pontificum in sua Lectica gestatum; & si festinare nimis vobis videtur, *Cant. 1.* ita ut eum consequi vix possitis tardo vestro gressu & molimine, dicite ei; *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Etenim fragrantissimum emittit odorem: *Myrrha & gutta & casia à vestimentis ejus*, quibus delectantur filiæ Regum, quæ sunt ejus pedissequæ, honorisque Domicellæ. *Psal. 44.*

Prima processio, quam instituit Deus, sacrus homo Itaque intueamur oculis fidei & sanctæ contemplationis acie spectemus solemnem & sacratam processionem in montana Iudeæ, in domum usque Zachariæ, quam primam instituit factus homo in tempore, qui à Patre procedit Deus in æternitate. En progreditur Rex Regum cum Regina Cœlorum in montana, progreditur Sol cum Luna, sed Luna gestat utero illum, quem nube tegit Solem. Procedit IESVS cum MARIA in montiū solitudinē, suam adhuc abscondens lucem. Nec tamen ita se abscondere potest, quin Ioannes ejus præsentiat adventum & gressum, imò & vocem. Ait enim: *Vox dilecti; Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Similis est dilectus meus capreæ hinnuloq; Cervorum.* *Cant. 2.*

Sed quæritur, quo comitatu, quave societate MARIA hoc iter confecit? *Qua societate sit*

Respondeo *primò*. Non videtur adfuisse Ioseph, nec conscius adhuc mysteriorum fuisse. Si enim in domum usque Zachariæ comitatus fuisset Virginem, audivisset Elizabethæ vocem Matrem Dei inclamantis ad se venisse, audivisset & MARIÆ canticum Matrem Dei se agnoscentis, & id publicantis, Spiritus divini impulsu eam ad id perurgente. Hæc autem non cognovisse adhuc Ioseph, ex eo colligitur, quòd ubi vidit tumescentem MARIÆ uterum, in suspicionem anxiam incidit, nolens quidem traducere, sive diffamare, cogitans tamen occultè dimittere eam. Si ergo conscius fuisset mysterii, in has mentis agitationes non incidisset, ignarus autem divini fœtus esse non poterat, si in domo Elizabethæ his quæ tanto peracta sunt gaudio, interfuisset. Voluit itaque divina providentia, necdum vel à MARIA, vel ab Elizabetha Ioseph um de tanto instrui mysterio ab Angelo postmodum specialiter informandum. Quæ informatio Angeli toti Orbi posterioribus sæculis erat profutura, tanquam confirmatio per testem omni exceptione majorem omnium illorum quæ jam peracta erant, sive Angelo nunciante, sive Elizabethæ exultante in Matris Dei salutatione. *hoc iter confectum R. 1.* *Matth. 1.*

Respondeo *secundò*, MARIAM non cum multo comitatu adivisse domum Zachariæ, licet transeundum esset per montana. Scilicet IESVS MARIÆ, sufficit MARIA IESV; multam societatem non requirit, quæ *ascendens per desiderium delicijs, affluens innititur dilecto*, cui vicissim dilectus innititur. O quoties toro cordis anhelitu repetere potuit illud in hoc primo suo itinere: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Nempe totum illi configit, in illo occupatur toto itinere, cū illo intimos sermones miscet, contemplans mysterium mysteriorum in se recens peractum. Ipse ei totū solatium est in solitudine, tota requies in lassitudine, refrigerium totum in respiratione, tota umbra in æstu & Solis ardore. Meritò ergo potest dicere quod Sponsa: *Dilectus meus mihi, & ego illi qui pascitur inter lilia*, quasi dicat: Ipse me impellit, & ego illi lubens obedio: ipse me regit, ego illum porto, ipse me in oculos benignitatis convertit, ego in illum respicio: ipse mihi dilecti onem impendit, ego purum amorem, amori puro refundo: ipse mihi lux & vita est, ego illi me totam consecro. Et quia *pascitur inter lilia*, circumdo & fulcio cum floribus Sanctorum desideriorum, lilijs cœlestium cogitationum, violis humiliam affectuum, & nihil nisi ejus respicito gloriam. Invitabat MARIA scandens in montana omnes creaturas ad divinam secum laudem. Ac inter cætera poterat specialiter dicere cum pueris Babylonijs: *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate* *R. 2.* *Cant. 2.* *Cant. 2.* *Dan. 3.*

altare eum in sæcula: Benedicat terra Dominum, laudet & superexaltet eum in sæcula: Benedicite montes & colles Domino, benedicite universa germinantia in terra Domino. Hi sunt sacri affectus, hæc sacra alloquia, quæ ei etiam pro vehiculo in hoc itinere confragoso. Iterum contra æstum & Cant. 7. lassitudinem poterat dicere: *Sub umbra illius quem desideraveram sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.*

R. 3. Respondeo *Tertio*: Non defuisse MARIÆ comitatum & societatem Angelorum, Regi novo & Reginæ cœlorum obsequentium. Sic enim introducens Pater primogenitum in orbem terrarum dixit: Heb. 1. *Et adorent eum omnes Angeli ejus.* Ecce in orbem terrarum Æternitatis Unigenitus introductus est, ut fiat MARIÆ primogenitus, in cujus utero jam est conceptus & formatus; non desunt ergo Angeli eum adorantes, ei ministrantes, eum subsequentes. An non hi sunt gressum & pulchritudinem, virtutumque odorem in MARIA admirantes, dicunt: Cant. 3. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrha & thuris & universi pulveris pigmentarii?* An non hi sunt de quibus mox ibidem subditur: *En lectulus Salomonis ambiunt sexaginta fortes, ad bella doctissimi sonentes gladios?* Hi sunt Principes cœlestem Regem suum & ejus Rhedam regiam circumeuntes, quasi bellatores inclyti, ad honorem & colloquium.

PARS II.
De causis itineris & sanctificatione S. Joannis.

Sicut Regis iter de loco in locum non solet esse sine negotio gravis momenti: sic nec prima hæc profectio Regis Regum cum Matre, hoc est, CHRISTI & MARIÆ, sine alto & cœlesti consilio est.

1. Causa. *Prima* ergo causa hujus profectionis festinæ fuit sanctificatio Joannis, ut à peccato originali expiaretur, & Spiritu S. repleretur adhuc ex utero Matris suæ, prout Angelus prædixerat Zachariæ. Adhanc ergo profectionem MARIAM urgebat intus infans conceptus, ut initium daret illi operi ad quod venerat in mundum. Ad hoc nempe 1 Joan. 3. *venit Filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli*, venit peccatores in libertatem asserturus, peccata expiaturus, animas sanctificaturus. Officium ergo Redemptoris & Sanctificatoris nondum natus exorditur ab anima Joannis. Protinus ut in mundum venit, sese in conceptione Patri obtulit, tamquam hostiam pro peccato; illudque tamquam juratum hostem, propter Psal. 39. quem in hanc arenam descenderat, expugnare cœpit, quia hæc erit voluntas Patris. Unde sic Patrem alloquitur; Hebr. 10. *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi*, sive ut ex 70. Interpretibus legit S. Paulus; *Corpus autem adaptasti mihi.* Quasi dicat. Aures equidem ad obediendum, corpus autem ad pugnandum & pariendum mihi fecisti, simulque ad immolandum. Quia igitur holocaustū ultra pro peccato non postulasti, repudians, antiquas victimas, insufficientes ad expiandum peccata, & sanctificandum animas; *Tunc dixi: Ecce venio.* In capite libri æternæ ordinationis tuæ scriptum est de me ut facerem voluntatem tuam, hanc ecce perficio, & munus meum inchoans, peccatum & Satanam è sua possessione deturbare festino.

Nempe adimplere debebat Christus mysticum illud nomen, quod ei apud Prophetam imponitur: Isa. 8. *Voca nomen ejus; Accelera, spolia detrahe festina prædare, quia antequam sciat vocare Patrem & Matrem, auferetur fortitudo Damasci, & direptæ spolia Samariæ.* Propterea ergo festinat, propterea cernitur saliens in montibus, transiliens colles: hæc est prima præda quam Satanæ eripit & inferno, anima Joannis à peccato originali liberata. Tamquam *Catulus Leonis Juda ad prædam ascendisti fili mi,* Gen. 49. Tamquam *Hinnulus cervorum*, velocissimè transilisti colles, ut pugnes contra serpentes. Tamquā *Semen benedictæ mulieris*, in anima Joannis contrivisti caput serpentis, sicut in præmordio sæculi ad Gen. 3. illum dictum erat: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, inter semen tuum & semen illius, & ipsa conteret caput tuum.* Sive, ut lectio Hebræa habet: *Ipsum semen conteret caput tuum.* Et quid est caput serpentis, nisi peccatum originis, ex quo tamquam capite vires omnes Satan expromit, virusque omne? An non illud contrivit Christus in Joanne, simulque Satanam expugnavit in virulento suo semine? Ecce non solùm *delectatur infans super foramine aspidis ab ubere*, sed etiam adhuc clausus Isa. 11. matris ventre *mittit manum suam in cavernam Reguli*, ut eum educat & proterat. Hæc sunt spolia quæ deripit jam ab utero, tanta cum festinatione, primo suo itinere.

Secunda causa itineris hujus fuit, quia voluit 2. Causa. Deus manifestari Virginis excellentiam, ut quæ solis Angelis erat cognita, jam etiam hominibus foret manifesta. Quid enim eā excellentius dici vel agnosci potuit, quandoquidem MATER DEI in domo Zachariæ agnoscitur & prædicatur? An non hic est. Titulus summus puræ quī potest competere creaturæ? An non infinitam quandā complectitur dignitatem, simulq; gratiam correspondentem quādam ratione infinitam? Hic titulus affinitatem primam, quæ eum Deo esse potest, continet, ideoque inæstimabilis est, summèque honorandus. Itaque poterat Christus sanctificare Joannem remanens in Nazareth cum Matre & in Matre: locorum distantia aut personarum non poterat ei esse remota. Quare ergo tantum subit laborem arduiitineris, Matrem absque dubio defatigantis? Nempe ut majori sibi Joannem vinculo obstringeret, simulque ut MARIÆ voce uteretur, tamquam primo instrumēto sanctificationis primæ à peccato, quā efficit in mundum adveniens. Voluit ergo agnosci eam electam esse non solum in Dei Matrem, sed etiam in hominum Mediatricem, per quam peccatores obtinerent veniam, justi ampliorem gratiam. Ipsa ergo incl oat voce sed erga Joannem officium Mediatricis, sicut & Filius ejus officium Re-

demptoris. Hoc hodie voluit agnosci, qui dignatus est in ea nasci, & Verbum quod se infudit utero Virginis, voluit per gratiam sanctificationis ab ea quodammodo refundi in animum Ioannis, ut ipse jam renasceretur spiritualiter, per eum qui necdum natus erat corporaliter. Maria ergo non solum est Mater Iesu, sed etiam Mater gratiæ in electis, Mater misericordiæ in peccatoribus. Hæc omnia patent in hoc itinere, quod non tam ipsa aggreditur, quàm Iesus propter ipsam, ut manifestet ejus dignitatem. Ipse ergo est qui eam urget ut exurgat, qui ipsam intus monet ut Ioannis & Elisabethæ domum adeat, ubi primò ejus applicentur decora & qualitates eminentes, magnâ voce, magno ardore, magnâ exultatione. Ipse est qui manere vult eam ibi quasi tribus mensibus, ut domus illa tantò majori repleatur benedictione, sicut repleta est (in figura hujus rei) domus Obededom. Arca ibi tribus mensibus manente.

2. Reg. 6. *Non enim sola est familiaritatis causa, quod diu mansit, sed etiam tanti vatis profectus. Nam si primo ingressu tantus profectus existit, ut ad salutationem* MARIÆ *exultaret infans, Mater repleretur Spiritu sancto, quantum putamus usu tanti temporis* S. MARIÆ *addidisse præsentiam*, ait S. Ambrosius in cap. 1. Lucæ.

3. Causa. *Tertia causa* hujus itineris fuit ex parte Virginis. Ejus enim humilitas & charitas eam impulit ad hoc iter, licet asperum & prolixum; quod aliqui existimant fuisse viginti duarum leucarum; tanta enim erat distantia à Nazareth usque in domum Zachariæ, quæ à multis putatur fuisse in Hebron civitate sacerdotali, illaque hic dicitur *Civitas Iuda*.

Baronius, Tolet. & alij. Patet verò humilitas Virginis, quæ cum salutari est ab Angelo, Deumque concepisset, nihilominus proficiscitur ut obsequium offerat, & ministerium quamlibet vile, Elizabethæ jam per uterum impeditæ Pater & charitas, cujus fervor non retardatur, aut infirmitate ætatis, aut verecundia virginitatis, aut labore itineris, aut quiete contemplationis: sed asperum iter ingreditur, ut mulieri provectæ ætatis & gravidæ Virgo servitium ancillare impendat, relinquens ad tempus contemplationis divinæ otium, ut charitatis sedulæ adimpleat negotium. Propterea igitur exurrexisse ipsa dicitur, quasi ab oratione ad inter se parans, ac à contemplatione ad actionem transiens, Mariæ & Marthæ officium sciens confœderare.

Docemur hic, licet omnia nobis prospera fœrent & felicia, nihilominus aliorum curam non esse negligendam, si nostrâ ope vel operâ, consilio vel auxilio indigeant, quamvis forte aliquod inde videatur oriri nobis dispendium. Quapropter monet Ecclesiasticus cap. 7. *Non te pigeat ministrare infirmo, ex hoc enim in dilectione firmaberis.* Docemur quoque operâ charitatis & pietatis cum fervore esse exequenda: nec progrediendum in via virtutis cum tepore: *Nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia.* Si laudamus alacres & diligentes in sæculi negotiis, cur tardi sumus & oscitantes in operibus bonis & negotijs Dei? *Maledictus qui facit opus Dei negligenter*, dicit Propheta secundum lectionem 70. Ierem. 48.

Porrò multa privilegia & mysteria hanc visitationem sunt consecuta, quæ paucis his verbis ab Evangelista comprehenduntur: *Vt audivit salutationem* MARIÆ *Elizabeth, exultavit infans in utero ejus.* Mysteria hanc visitationem sunt consecuta.

Primò non caret mysterio & privilegio exultatio infantis sex mensium in utero; usum enim rationis ei acceleratum significat. Modum autem hujus exultationis sic plerique explicant, quod in illa Mariæ salutatione Ioannes faciem ad Christum verterit in utero Mariæ clausum, eumque ex utero adorarit. Hæc autem faciei conversio non poterat esse sine Matris grandi concussione, quia traditur infans in utero habere faciem versam ad dorsum, seu ad renes Matris; & ita se vertens ad MARIÆ uterum, non potuit non commotionem grandem in Matre excitare, quæ suavissima tamen & gratissima fuit, ideoque exultatio tam infantis, quam Matris nominatur. De hac re sic Franco Abbas sermo 7. de gratia Dei: *Agnoscit servus Dominum nobiles Regem, præco Iudicem, & quia potest vocem exultatione scilicet gaudij, mundo inclamat adventum Iudicis sui. O novitas! ô miraculum! ô pulcherrimum & theatro mundi incognitum spectaculum! Parvuli in utero sibi invicem alludunt, sed non sicut Ismael cum Isaac alter alteri illudit. Ecce parvuli nostri, sicut illi in utero Rebeccæ contendunt, non tamen ut alter alterum supplantet, sed ut alter alterum mundo commendet.* Vtique Iacob & Esau spiritu ambitionis & contentionis repleti videntur ex utero, dum sese mutuò collidunt, & matrem turbant, ita ut diceret: *Si sic futurum erat, ut quid necesse erat concipere?* Sed spiritu charitatis Parvuli nostri se interius mutuo amplexu consalutant converso ad invicem vultu; mutuique amoris face incensi, cor cordi quasi porrigunt, propinquam congratulantes generis humani redemptionem. Itaque, si petis cur Ioannes in utero sic exultet? Respondebimus id factum esse, quia Solem videt licet in nubilo; Solem videt Ioannes, qui detinebatur in carcere tenebricoso, gestirque illum præcurrere, & omnibus nunciare. Quasi dicat, inquit S. Chrysostomus: *Video Dominum qui natura imposuit terminos, & cur expecto tempus nascendi? Novem mensium mihi tempus non est necessarium, in me enim est qui est æternus. Egrediar ex hoc tabernaculo tenebroso, rerum admirabilium compendiosam prædicabo cognitionem. Sum signum, significabo Christi adventum. Sum tuba proferam Filij Dei in carne dispensationem. Tuba canam, eo ipso paterna lingua benedicam. Tuba canam, & uterum maternam vivificabo.* Sic saltu & exultatione loquitur. Vix ipse vitam ducit, & Deum vitæ authorem vult prædicare. Nondum aspicit lucem, & Solem lucis authorem vult annunciare. Non mi-

1. S. Ioann. in utero exultat. Philosophus 1. 9. de animalibus. Gen. 25. Exultat quia Solem videt. Vide Brev. viar. in festo Visitat.

reris tamen si exultat, & adorat Deum ex utero matris, quandoquidem & Ionas adorare potuit ex utero piscis.

2. S. Ioan. in utero Spiritu S. repletur.

Secundò privilegium & mysterium in hoc refertur, quod puer iste ab utero Spiritu sancto repletur, & à peccato originali mundatur. Felix præsentia Iesu & Mariæ, quæ hunc effectum potuit producere: felix ingressus Domini, quocumque gratiam afferens & sanctificationem. Si enim iti Virginis uterum intrat. Spiritum sanctum eminentee eam sanctificantem adducit. Si in matre residens in domum venit Zachariæ, quantis eam adornat benedictionibus, non solùm matrem Spiritu sancto replens, sed infantem, ut adorans exultet suum conspiciens Sanctificatorem Agnovit utique Ioannes in utero sanctificatus authorem suæ sanctificationis, & mysterium divinæ Incarnationis. Voluit enim Christus illud mysterium omni hominum conditioni & sexui, omnique ætati manifestari, quod pro omnium salute erat ordinatum. Sic ab omni statu voluit infans odorari, tamquàm omnium Rex constitutus & inauguratus. Propterea adoratur, ab Angelis, tum in conceptione, tum in nativitate. Adoratur à stella & Magis adhuc recumbens in pannorum vilitate, tamquam à Nobilibus & Sapientibus Rex agnitus. Adoratur ab opificibus, quorum personam gerit Iosephus artis vir fabrilis. Adoratur à Pastoribus, qui vicem gerunt communis plebis. Adoratur à Viginibus & Conjugibus, quia ex parte harum, agnoscit eum Maria, & adorat eum ipsi Iosepho conjugata, & Virgo tamen immerata. Adoratur ab infantibus, quia ex parte infantium adorat eum Iohannes, maternum concutiens uterum ob præsentiam sui Regis Exultat ob liberationem à peccato, exultat ob sanctificationem quam percipit ab utero, exultat ob donorum cœlestium communicationem ei factam à Domino, magno certè cumulo. Quidni exaltaret tantis benedictionibus adimpletus? Longè ergo Ioanni aliter contigit quam olim Adamo, qui cùm vocem Domini audisset, tremore concussus dicit; *Domine audivi vocem tuam & timui eò, quòd nudus essem.* At Ioannes auditâ Christi voce per os Mariæ, non timet, sed miro exultat gaudio, quia advenit ejus nuditatem operturus veste gratiæ. Adam de publico in absconditum fugit, Ioannes de uteri penetralibus, ut se Domino offerat gestit erumpere.

Christus infans ab omnibus voluit adorari.

Gen. 3.

3. S. Ioan. in gratia cõfirmatus.

Tertiò in hoc quoque mysterium cernitur, quòd Ioannes in gratia confirmatur ad visitationem Iesu & Mariæ, ita ut deinceps nunquam commiserit peccatum mortale. Nempe à facie Domini fugit Satan exultante Ioanne, sed sic fugit, ut numquam valeat reverti, ullamque hic possessionem rursus obtinere, Spiritus malus fugit à Saul cithara David sonante, sed numquid iteum potuit locum unde fugerat, repetere? Spiritus malus fugit à Ioanne, fugatus Virginis voce resonantis instar citharæ: sed absit ut possit redire.

Dagon cecidit coram Arca, truncusque factus est, nec potuit sese redintegrare; sic & Satan coram Maria Divinitatis Arca ita pedes manusque perdidit, ut in hanc animam Ioannis ulterius non potuerit vel reptare. O felix anima, tot gratiæ donis adornata & in Deo confirmata, saltans instar Davidis, coram Arca, & præsentes omnes replens exultatione! Verè *huic domui salus à Deo facta est, eò quod & ipse sit filius Abrahæ, qui exaltavit ut videret diem istum; vidit, & gavisus est.* *Luc. 19. Ioan. 8.*

PARS III
De voce Elisabeth in laudes M. V.

DE infante exultante dictum est, nunc de matre differendum; de qua Evangelista: *Repleta est Spiritu sancto Elizabeth, & exclamavit voce magna: Benedicta tu inter mulieres & benedictus fructus ventris tui.* Exubera vit in matrem gratia filio collata, ut & ipsa Dominum & Matrem ejus agnosceret, ac inciperet prophetare eodem spiritu quo filius. *Quacunque enim dixit: Elizabeth prophetica ad* MARIAM, *non verba fuerunt Elizabeth, sed infantis. Os autem Elizabeth tantum ministravit, sicut & os* MARIÆ *ministravit Filio Dei qui erat in utero ejus,* inquit Theophylactus in hunc locum. Sic communiter docent & loquuntur SS. Patres. Audi Originem hom. 7. in Lucam: *Non est dubium,* inquit, *quin quæ tunc repleta est Spiritu sancto, propter filium sit repleta. Neque enim mater primùm meruit Spiritum sanctum sed cum Ioannes clausus utero Spiritum sanctum accepisset, tunc & illa post sanctificationem filij repleta est Spiritu sancto.* Idem dicit S. Ambrosius: *Vocem prior Elizabeth, sed Ioannes prior gratiam sensit.* Explicat id latius S. Bernardus exemplo Lucernæ ardentis, cui comparat Christus Ioannem: *Ille erat lucerna lucens & ardens:* Sic verò hoc amplificat Doctor mellifluus serm. 1. de Nativ. Baptistæ: *Fuit jam tunc in utero ardens lucerna, sed interim adhuc sub modio, donec super candelabrum poneretur, & lateret omnibus qui erant in domo Domini. Tunc solum potuit illuminare multum suum. Soli lucere matri, magnum ei gaudii sacramentum revelans novæ exultationis motu. Unde hoc mihi, inquit, ut veniat mater Domini mei ad me? Quis tibi indicavit matrem Domini mulier sancta? Unde me nosti? Vt facta est, inquit, vox salutationis in auribus meis; exultavit infans in utero meo. Illuminavit ergo jam tunc medium sub quo latebat: paulò post mundum novis illustrata fulgoribus.* *Ioan. 1.*

Neque verò sine mysterio dicitur Elizabeth, Spiritu sancto ex ubertate filij repleta, exclamasse voce magna. Quid enim egebat MARIA, tanta vocis exaltatione & contentione? Hujus ergo vocis sic exaltatæ variæ possunt reddi rationes. 1. *voce magna exclamavit*, quia magnitudo vocis signum est magnæ affectionis. 2. *Voce magna*, quia magna & inusitata ei revelata erant mysteria. 3. *Voce magna*, quia erat vehemens Spiritus impulsus ad hæc propalanda. 4. *Voce magna*, quia per eam loquebatur *Vox clamantis in deserto.* 5. *Voce magna*, quia

Elisabeth cur magna voce exclamavit.

quia sicut cordis, sic & oris debebat esse sonora lætitia. 6. *Voce magna*, quia hæc vox totum debebat resonare per orbem. 7 *Voce magna*, quia vox ista debebat surdos hæreticos confundere. 8. *Voce magna*, quia magnas Virginis laudes non poterat adæquare. Equidem per omnium ora usque in sæculi finem hæc vox sonora Ioannis & Elizabethæ in laudem MARIÆ decantatur: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Debetque omnes animare Christianos, ut eadem devotione, eodem spiritu & ardore, eâdem mentis lætitiâ valeant hanc salutationem Deiparæ præsentare. Sic enim potuerunt non solum Satanam, sed etiam ejus assecias, qui de MARIA malè loquuntur, confundere. Propterea namque eâdem voce Angelus & Elizabeth utuntur in MARIÆ benedictione, *ut ab Angelis & hominibus simul benedicenda & honoranda monstretur*, inquit S. Ambrosius. Auspicatur itaque suam salutationem Elizabetha ab ea parte quam postremam Angelus habuit. quod mirabiliter factum est, quasi colloquio interfuisset Angeli cum MARIA. Nempe idem spiritus est afflans & impellens Elizabetham, qui afflavit & Angelum; ideoque iisdem utèrque verbis utitur, & MARIÆ congratulatur: *Benedicta tu in mulieribus*, Nec mireris quod Angelus hæc verba non addiderit: *Benedictus fructus ventris tui*, necdum enim Virgo Filium conceperat, cùm ab Angelo salutationem accepit, sicut quando ab Elizabeth accepit congratulationem.

Cur Maria benedicta inter mulieres.

Sed cur MARIAM benedictam inter mulieres pronunciat Angelus, pronunciat & Elizabetha? Numquid non benedicta est etiam super Angelos, & super omnes electos? Numquid in capite libri æternæ prædestinationis & benedictionis divinæ prima post filium scripta est, omnes alios præcellens donis gratiæ & gloriæ? Equidem. Sed respiciebant tam Angelus quam Elizabeth ad dignitatem Matris Dei, quæ solis mulieribus poterat competere. Respiebant quoque ad primam mulierem, quæ per peccatum introduxit maledictionem, cui opponitur Maria inter mulieres benedicta, quia maledictionem sustulit per mulierem introductam.

Malè ab Eva bonâ à Maria.

Vade si prima mater est mortis & morientium, hæc Mater est vitæ & viventium: si prima lachrymas & miserias attulit originalis noxæ, hæc gaudium & divitias protulit cælestis gratiæ: si prima spinas germinavit pungentes cū lolio, hæc rosas dedit odorantes cum liliis: si prima serpenti consensit se venenio inficiens cum suo semine, hæc caput contrivit serpentis prose & suo semine. Ergo benedicta inter mulieres, quæ opprobrium abstulit inductum per mulierem, & exorta est inter illas tamquam rosa inter spinas sine spina. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Benedicta super omnes mulieres, sive spectes fœcunditatem & maternitatem; sive consideres castitatem & virginitatem, sive æstimes sapientiam & prudentiam, sive intuearis pulchritudinem & gratiam *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Multæ toto studio sibi merita comparaverunt & virtutes, sed nulla ô MARIA, accessit ad cumulum tuum; *Tu supergressa es universas*, tam recentes quam antiquas, Pulchra filia fuit Agnes, divitiis admodum ornata cœlestibus, specialis & dives filia Cæcilia, castitate & meritis præclara; opulenta & benedictionibus cumulata filia Catharina; nobilis & illustris filia Agatha, & millenæ aliæ: sed opibus, meritis castimonia, gratia tam externa quam interna, *Tu supergressa es universas.* Speciosa fuit mulier Sara, speciosa Rachel, speciosa Rebecca, benedictionibusque divinis refertæ fuerunt ac eorum familiæ; sed *Tu supergressa es universas.* Ob sapientiam & decorem commendata olim & benedicta fuit Esther, Abigail, Iudith, aliæque mulieres fortes & generosæ, sed *Tu supergressa es universas*, sapientiâ, decore, benedictione.

Cant. 2.

Prov. 31.

Omnes status fœminarum supergressa est M.V. Conjugatas.

Quod si in particulari hæc vis intelligere, attende singulos status fœminei sexus, & videbis quantum MARIA fœminas supergressa sit universas, sublimior dignitate, & excellentior virtute. Numquid tres status sunt mulierum, Conjugium. Viduitas, Virginitas? Primò conjugatas benedictione longè superemines MARIA, quia virginitatem fœcunditati habet conjunctam; quod à sæculo non est auditum, ut eadem sit Mater & Virgo, in ea reperitur.

Partus & integritas, discordes tempore longo,
Virginis in gremio fœdera pacis habent

Iterum benedictione eas supereminet in hoc quod sine peccato concipit, sine dolore parturit, quod nullietiam alteri est concessum. Denique, prolis dignitate omnes antecellit. Si enim nonnullæ benedicuntur, quod Patriarchas genuerunt aut Prophetas, aut quod Orbi Reges dederint conspicuos; hæc Regem Regum, Prophetarum Dominum & Angelorum, totiusq; sæculi lucem peperit, cœlo & terra eam benedicente. Propterea eam hic benedicit S. Elisabetha, exclamans: *Vnde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Quasi dicat: Quæ opera mea? quid boni feci, ut hoc promererer? Ego quidem sat me felicem existimabam divino beneficio, quod prolem gesto magnum quiddam sæculo futuram, sed quonam meo merito tanta mihi contigit felicitas, ut Mater Domini mei ultro veniat ad me? Meū erat ad eam properare, & uterum talem fructum portantem tota cordis vocisq; contentione beatificare. Brevi verborum compendio MARIÆ dignitatem comprehendit, dum hunc ei titulum affigit, *Mater Domini mei.* Non enim eam poterat, altius commendare & extollere, quia hic titulus excedit omnem altitudinem, quæ post Deū dici potest vel cogitari: ex illoque titulo omnes prærogativæ, omnia dona cœlestia, omnes gratiarum excellentiæ, omnes benedictiones in MARIAM, profluxerunt, tanquam ex fonte.

Hinc effectum est, ut post Elizabetham (quæ prima hoc mysterium erat agnoscere post Angelum

sum & MARIAM, benedixerint specialiter Deum & hanc Matrem omnes mulieres quæ aliquatenus intelligere potuerunt dignitatem huic titulo annexam in fœminei sexus honorem redundantem. Quapropter dicebat S. Hugo Episcopus Lincolniensis : *Satis à fœmineo sexu Deus diligi promeruit, cum nasci de fœmina dignatus est. Nam cum viro concessum non sit, ut sit Dei Pater : hoc concessum est fœmina, ut sit Dei Mater.* Ergo pergite, ô devotæ mulieres, in conjugio benedicite Mariam cum Elizabetha, quæ tamquam Præcentrix & Choraga vocè exorditur laudis & benedictionis. Benedicite, vocemque & mentem extollite cum muliere Evangelica beatificantes ejus uterum & ubera. Benedicite eam magno affectu, magnaq; pietate cum Ecclesia Catholica, quæ in finem usque sæculi optat ejus laudes ab omnibus quidem, sed maximè à devoto fœmineo sexu reiterari, imò millies millies q; repeti. Benedicite eam, ut ipsa vobis in conjugio fœcunditatem, felicitatem, omnigenam q; impetret benedictionem. Illi proles vestras offerte, ut ipsius benedictione in timore Dei educari, & in via salutis prospero gressu possint pergere, ac tandem Angelicæ loca obtinere sub Angelorum Regina.

Surius 6. 13. vitæ ejus.

Luc. 11.

Secundò, Viduas longè superat benedictione, ideoque & viduis à ipsa benedicitur, quæ inter omnes mulieres est benedicta. Sic benedixit eam in templo post Elizabetham Anna vidua, dum filium suum templi Dominum venisset oblatura. Meritò certè eam intuentur, ejusque laudes & præconia decantant viduæ, quandoquidem eis data est ut pietatis exemplum, ut forma morum, ut virtutis omni statui viduali congruæ pellucidum speculum. Docet enim eas silentium, pudicitiam, orationem, patientiam, jejunium, solitudinem, columbinum gemitum, fiduciam in Deum, omniaque alia religionis vel pietatis exercitia, quia in his omnibus excelluit. Ergo pergite, ô viduæ devotæ, benedicite MARIAM cum Elisabetha, benedicite cum Anna vidua, sub ejus institutione & magisterio discite in solitudine Deo vacare, patientiam fovere, gemitum turturis in cœlum edere, operibus pietatis & misericordiæ incumbere, castè & pudicè vivere, omniaque vestra in Deum referre, & huic Matri divinæ gratiæ commendare. Ipsa vobis erit Consolatrix in afflictione, Protectrix in adversitate, Lux in caligine, Dux in itinere, ut ipsius præeunte benedictione valeatis viam æternæ felicitatis certius reperire.

2. Viduas.

Tertiò, Virgines MARIA longè antecellit, tum ob fœcunditatem conjunctam virginitatis, quia Mater & Virgo, quod aliis virginibus non potest convenire: tum ob puritatem, quam nunquam aliæ virgines assequentur, quia tanta est, quanta major sub Deo nequit intelligi: tum ob primatum & prioritatem, quia prima virginitatem creditur vovisse, nullo præcedente vel præcepto vel concilio vel exemplo. Quapropter omnes alias virgines suo attraxit exemplo, vexillum erigens Virginitatis, sub quo ipsa Duce jam securè possent militare, quod factum est à millenis millibus; eas ergo suo censetur genuisse prævio exemplo. Propterea à Virgineo choro nocte dieque benedicitur, & inter omnes mulieres benedicta pronunciatur. Quia enim *viderunt eam filiæ Sion*, ideò *beatissimam prædicaverunt, & Reginæ laudaverunt eam.* Hoc est, quia filiæ pietati addictæ, & tamquam reginæ carni & passionibus dominantes, MARIÆ perfectiones contemplantur, easque ad imitandum præ oculis habent, non possunt non in ejus benedictiones & laudes erumpere, tamquam Matris & Principis chori virginei ac virtutis omnigenæ. Pergite ergo ô Virgines piæ, MARIÆ laudes jugiter decantate, eam inter mulieres benedictam, magna voce, magno affectu, cum Elizabetha pronunciate. Illi vos ex integro vovere, ut ipsius exemplo & auxilio puritatem illibatam possitis conservare. Illa vobis aderit, ut caput serpentis valeatis conterere, & victoriam contra Sathanam, Mundum, Carnem reportare. Ipsa benedictione sua efficiet, ut possitis tamquam *Lilia inter spinas* sine læsione pertransire, ac tandem inter parthenios Angelorum choros perpetim ejus laudes purissimè, altissimè, perfectissimè resonare.

Cant. 6.

3. Virgines.

Cæterùm, ut concludamus, cur MARIA inter mulieres benedicta pronuncietur, rationem subdit Elizabeth, quia *benedictus fructus ventris tui*; ideo enim ipsa benedicta, quia fructus ejus benedictus origo est omnis benedictionis in eam redundantis. Unde & ille dicitur benedictus sine limitatione, non benedictus inter filios hominum sicut MARIA inter mulieres, quia per ipsum non solum omnes gentes benedicendæ sunt; sed etiam omnis benedictio in cælo & in terra ab ejus plenitudine est derivata. Atque solus hic fructus ventris benedictus est quia reliqui ex concupiscentia nati sub maledictione nascuntur, nisi per Fructum hunc MARIÆ liberentur. Vide autem quam aptè Filius MARIÆ significatur nomine *Fructus*.

Filius M. V. nomine fructus significatur.

1. Sicut ex arbore fructus oritur sine læsione, ita Christus ex Virgine.

2. Sicut arboris à fructu est pulchritudo, ita Virginis à Christo.

3. Sicut fructus Evæ attulit maledictionem; ita fructus MARIÆ benedictionem.

4. Hic est fructus, quem qui edunt, fiunt Dii, divinæ consortes naturæ.

5. Hic est fructus primigenius in florido gratiæ Vere exortus.

6. Hic est fructus primigenius, inter natos omnes perfectione primus.

7. Hic est fructus benedictus in colore, odore, sapore. Meritò ergo Elizabetha inclamat: *Benedictus fructus ventris tui.* Vis scire quomodo benedictus sit in colore? *Candidus est, & rubicundus, electus ex millibus.* Quid candor nisi ejus innocentiam & puritatem designat? Quid rubos nisi ejus justitiam & charitatem, qua purpureus factus est tam

Cant. 5.

in Circumcisione, quam in Passione ? Si fructus arboris vetiæ adeo speciosus erat & delectabilis mortis fructus ; quanto magis fructus hic vitalis rapiens Angelorum & Electorum oculos rutilo suo colore ? Novo enim jugiter desiderio in eum desiderant prospicere. Vis etiam scire quomodo benedictus sit in odore ? Odorem suaveolentem spargit his qui longè, illumque mirè adauget his qui propè. Ejus fragrantiam sentiebat à longè Isaac, pronuncians prophetice : *Ecce odor filii mei, sicut odor* Gen. 27. *agri pleni, cui benedixit Dominus. Nondum spectem fios ille agri inuerat, & jam dabat odorem suum, quem sic præ gaudio exclamans præsensit spiritu, corpore marcens, sanctus & senex Patriarcha, caligans visu odoratu sagax*, inquit S. Bernardus serm. 47. in Cant. Illius etiam odorem præsentiebat à longè alter Propheta illoque exhilaratus dicebat : *Ego au-* Abac. 3. *tem gaudebo in Deo Iesu meo.* Mox verò ortus iste fructus ita longè lateque odorem fudit, ut totum impleret orbem, nam & Reges à remotissimis partibus ad se odorandum adorandumque pellexit. Et sicut fructus manu attactus pressusque magis redolet, ita hic fructus deceptus ex arbore crucis, lancea punctus, varieque pressus, majorem afflavit toto orbi odorem, fragrantia sua innumerabiles ad se trahens, & in sui amorem rapiens, imò odore mortuis vitam affians. Denique, vis scire quomodo benedictus sit in sapore? Scito, non esse similem fructibus illis, qui circa Sodomam oriuntur, suntque speciosissimi, sed si gustes, cinerem sentis & fœtorem. Etenim de hoc Fructu scriptum est: *Qui edunt* Eccl. 24. *me, adhuc esurient.* Nihil gustatur suavius quam Iesvs Dei & Mariæ Filius. Esurientium esca est suavis palato sano : gustatus novum excitat appetitum, & orexin delectat, impertiens omnem saporem suavitatis. Experiuntur illi, qui avidè illum comedunt sub umbra Sacramenti, & dicunt : *Fructus* Cant. 2. *ejus dulcis gutturi meo.* Benedictus ergo fructus, pios reficiens in tempore peregrinationis, electos in die æternitatis ; quia in ejus gustu consistit solatium peregrinantium, in ejus visione & fruitione beatitudo electorum,

Conclusio. O Maria, Arca sanctificationis. Mater divinæ gratiæ, digneris nos visitare cum Filio, ut mundemur à peccato, ut sanctificemur cœlestis gratiæ dono, ut repleamur Spiritu S. Nos cum prole pia benedicas Virgo Maria, ut te & Prolem tuam cum Elizabetha benedicere valeamus, illiusque ac tuas laudes decantare, quia in Matrem elegit te suam, ac in Mediatricem nostram. Benedictus uterus, benedicta ubera tua, quæ lactaverunt æterni Patris Filium. Benedicta in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Misericordes oculos ad nos converte, & fructum illum benedictum nobis post hoc exilium ostende, O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria !

DE EODEM FESTO.

Magnificat anima mea Dominum. Luc. 1. Lect. 30. tripartita.

Amans silentii erat Maria, quia illud virginalem decet modestiam. Quapropter de ea testatur Evangelista, quod cum mysteria multa vel audiret, vel contemplaretur coram oculis suis peracta : *Conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Pudica Virgo non evulgabat, sed conferebat quæ facienda legerat. cum his quæ facta cognoscebat, & in silentio adorabat, exspectans tempus congruum quo Deus ea vulgari vellet. Dum in Nativitate Angeli canunt, Pastores annunciant, cœli loquuntur, stella prædicat, Simeon & Anna prophetant, & loquuntur omnibus qui expectabant redemptionem Israël, Maria in silentio *conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Deique magnalia honorabat magis silentio, quam loquela. Hanc Mariæ modestiam, pudicumque cum humilitate silentium commendans S. Bernardus, advertit quater tantum loquentem toto Evangelio exhiberi : semel cum Angelo Incarnationem Filii Dei nunciante, & consensum expetente ; iterum cum Elizabetha eam magnificis verbis salutante ; rursus cum Filio recens invento in templi adytis, materno affectu ad id urgente ; denique in nuptiis, necessitate conjugium id exposcente. Et quidem paucis ubique verbis suam ostendit sapientiam. Nam cum Angelo dixisset : *Quomodo fiet istud?* suo timens virginitatis voto, Angelusque exposuisset modum, respondet paucis : *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Cum autem reperisset Filium tanto affectu requisitum, non aliud dicit: *Fili, quid feci sti nobis sic? Ego & Pater tuus dolentes quærebamus te.* In nuptiis autem tria verba dicit Filio : *Vinum non habent.* Tria quoque ministris: *Quodcunque dixerit facite.*

Pars I. Dei, pars Cantici B.M.V. Luc. 2.

Magni filentii fuit M.V.

Quater locuta in Evang.

At hic verò, quasi abrupto silentio, decem verba mysterii & sapientiæ plenissima velut Psalterium decachordum enunciavit, in laudes Dei erumpens. Exarsit ignis in corde ejus, ignis lucidissimus & ardentissimus divini amoris, & has scintillas foris excitavit. Eructavit cor ipsius verbum bonum, unde dicando se & opera sua Regi, facta est lingua ejus quasi *calamus Scribæ velociter scribentis.* Psal. 44. Et quidem singula verba à Spiritu Sancto cor & linguam Mariæ motitante dictata scripsit. Lucas, ab eodem Spiritu specialiter edoctus, & posteritati consignavit in finem usque sæculi decantanda. Ea propter Ecclesia hoc canticum quotidie in divino officio vespertino repetit, quod in vespere mundi Maria cecinit ; idque stando facit, ob ejus eminentiam. Nam in eo non solum redduntur gratiæ ob beneficia Mariæ collata, sed etiam ob beneficia tori humano generi exhibita per incarnationem Filii Dei : per quam maximè *suscepit Israël puerum suum*, hoc est populum suum fidelem, indi-

vi-

visso & divino fœdere illum adstringens, & ad se reducens, *recordatus misericordiæ suæ.* Cantet quantum voluerit Debbora sonorum suum canticum ob devictum Sisaram Chananæorum Ducem: Cantet *Judic. 5.* *Exod. 15.* gloriosè Maria soror Moysis ob submersum Pharaonem: Canticum edat Anna mater Samuëlis ob *Iudic. 16.* conceptum post sterilitatem. Longè eas eminet *1. Reg. 2.* Maria hoc suo cantico, quia longè excellit hoc beneficium. Omne aliud canticum antiquum est; hoc novum novo spiritu depromptum ob beneficium & victoriam omnes alias superantem, & liberationem populi Dei. Omnesque mulieres quæ cantica ediderunt, Mariæ hic canentis non nisi figuram gesserunt.

Nec mireris Mariam hic præter morem suum silentium abrupisse, audita enim salutatione Elizabeth, qua Matrem Domini appellavit, qua beatam prædicavit, qua fide fortem laudavit, qua infantis exultationem publicavit ad ejus vocem factam, non amplius tacere poterat divina dona quæ perceperat; & quæ virginali pudore acceptum oraculum tegebat silentio jam congruo tempore patefecit. Gratissimus ejus animus tantis beneficijs exornatus, cum vidit illa per Spiritum Sanctum dictata, & per Elizabetham pronunciata, non debebat intra zelare claritatem cœlestis flammæ, qua corpus & anima intus ardebat. Erumpit ergo in vocem exultationis & gratiarum actionis ne ingratitudine aut silentio obstruat fontem divinæ miserationis, cœlestisque gratiæ.

Sed ponderemus singula verba, sunt enim mysterijs gravida, per illam enunciata quam Spiritus Sanctus replevit. Sub singulis verborum horum foliis latet mel devotionis, sub exteriori cortice latet medulla perquam suavis. Excutiamus ergo folia, corticemque discindamus.

Primò, cum dicit: *Magnificat anima mea Dominum*, idem est, ac si dicat: O Elisabeth, tu me magnificas ob dona cœlitus mihi communicata, tu beatam me pronuncias, & super omnes benedictã: ego verò de his omnibus nihil mihi arrogo, sed totum in Deum Auctorem horum donorum refundo. Rivulos gratiæ & benedictionis in me plenissimè fluentes fonti reddo, ut fluere perseverent. Ideo non solum voce & lingua, sed & totius animæ intimis affectibus illi gratias ago, illumq; magnifico & glorifico, altè & magnificè eum prædico, in ejus laudes me totam effundo. Sciebat Maria scri- *Eccli 43.* ptum: *Glorificantes Dominum quantumcunque potueritis, supervalebit enim adhuc, & admirabilis magnificentia ejus: Benedicentes Dominum exaltate* *Psal. 33.* *illum quantum potestis, major enim est omni laude*; ideo quodammodo nobis dicit: *Magnificate Dominum meum, & exaltemus, &c.* Sciebat quoque quod uberior gratia illis obvenire solet qui grato animo gratiam accipiunt, quodque dum grata recordatione agnoscunt donatorem, illum ad majorem elargitionem astringant. Sciebat denique, in injuriam redundare auctoris, se se tumidè extollere de ejus *Hab. 2.* donis; hoc enim est propter. *Solem sibi affulgentem Lunamque clarè incedentem osculari manum suam ore suo, qua est iniquitas maxima & negatio contra Deum altissimum.*

Secundò, cum dicit: *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo*, idem est, ac si dicat: Tu asseris, ô Elizabeth cognata charissima, infantem tuum ob meam vocem in utero exaltasse; spiritus autem meus longè magis exultat in Deo salutari meo, quia exultationis causam in visceribus meis gesto. Illum porro, illum glorifico, in illo exulto, qui vocat, sanctificat, salvat ab utero. Verè hæc exultatio in Maria longè superavit & sublimior fuit exultatione Ioannis; quia ejus anima & spiritus quodammodo absorbebantur in abysso divini amoris, divinæq; Bonitatis. Quapropter B. Rupertus Cant. 1. sic de Virgine loquitur: *O beata Maria, inundatio gaudij, vis amoris, torrens voluptatis totam te operuit, totamque obtinuit, & servasti quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* Futuræ nempe gloriæ quædam fuit inchoatio in hac exultatione Mariæ. Si Israëlitæ tantoperè exultant in captivitatis suæ reversione, ita ut dicant: *Psal. 125.* *Tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione: Magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes*, quanto magis exultavit Maria novum depromens canticum, cum jam Dominus inciperet convertere captivitatem mundi, & redemptionem inchoaret in sinu ipsius? Docet nos hic interim Maria, in quo consistat vera exultatio & lætitia: non in bonis utique hujus sæculi, non in possessionibus, non in honoribus, non in voluptatibus & vanitatibus, sed in Deo salutari nostro, sive in illo, cui possumus dicere: *Deus, Deus salutis meæ.* In illum debent omnes animæ vires intendere, in illo exultare, illum magnificare, intellectus excellentiam contemplando, memoria ejus beneficia recolendo, voluntas in ejus amorem se totam effundendo; denique lingua & vox ejus laudes decantando, & tota ipsa vita omne momentum, in ejus honorem impendendo. In quo enim magis exultandum est, quam in eo qui est salus, redemptio, felicitas, vita, gloria nostra in tempore & in æternitate?

Tertiò cum dicit: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*; non tam hic accipienda est humilitas ut virtutem significat, quam ut significat exiguitatem & vilitatem, quomodo Christus dicitur reformaturus *corpus humilitatis nostræ*, hoc est cor- *Phil. 3.* pus nostrum vile & ignobile; non enim videtur Virgo humilitatem suam prædicare, cum id non sit humilitatis. Idem ergo est, ac si diceret, oculos suos plenissimos misericordiæ & bonitatis dignatus est in me abjectam ancillam conjicere, tanto magis obstringor eum magnificare. Unde Interpres Græcus sic habet: *Quia ego sum ad tantum officium? Ipse respexit, non expectavi; humilis enim eram & abjecta, nunc à terra in cœlos transeo, & ad arcanum*

ancillum ministerium trahor. Agnoscit ergo MARIA vilitatem suam & indignitatem, & eam opponit divinæ magnitudini, quasi dicat: Cum adeo sit magnus, adeo abjectam respicere non est dedignatus. Sic ergo agnoscit vilitatem, non prædicat suam humilitatem, quæ sola inter virtutes seipsam ignorat; & qui solet eam prodere, solet eam perdere. Vult indicare, se non suis meritis Matrem effectam, sed tanto fuisse indignam beneficio.

Eadem humilitatem Deus in M. V. respexit.

Interim verum est, Deum virtutem humilitatis in virgine MARIA respexisse, sicut & superbiam in primæva Eva despexisse. *Placuit Deo, quod in fœmineo sexu tantam humilitatem invenit, à quo initium superbiæ humano generi superveniens totam massam corrupit,* inquit Rupertus Cant. 1. Respexit ergo eximiam hanc Virginis humilitatem, & approbavit, sicut dicitur respexisse ab Abel, & ad munera ejus: eodem enim teste Ruperto, *Humilitas Virginis Deum unicè delectavit velut suavissimus odor, qualis de nullo unquam spiravit, vel spirare potuit sacrificio.* Fœtor autem superbiæ eum offenderat in Eva, ideo ei displicuit, eamque despexit cum tota progenie; sed tandem placatus est, & è cœlo attractus humilitatis odore è corde Virginis spirante. Unde illi (interprete S. Bernardo) convenit illud: *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus meus dedit odorem suum.* Audi Bernardum: *Bonus humilitatis odor, qui de hac valle ploralionis ascendens, perfusis circumquaque vicinis Regionibus, ipsum quoque regnum accubitum grata suavitate respergit.* Quid est accubitus Regis, nisi cor vel sinus Patris? Dum ibi esset Filius, odore virgineæ humilitatis attractus & delectatus descendit in uterum Virginis. Virgo igitur respexit suam indignitatem, Deus respexit Virginis humilitatem: *Ad quem respiciam, nisi ad humilem corde?*

Gen. 4.

Cant. 1. Ber. ser. 45, in Cant.

Isa. 66.

Quartò, dum dicit: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Vox est admirantis divinam erga se munificentiam, simulque propheticè prænuntiantis, quid posteritatibus sæculis sit futurum. Verè enim accepto per universum orbem Evangelio, quotquot ex universis populis & linguis fuêre nationes, beatam prædicaverunt illam, cujus Deus humilitatem respexit, quam in Matrem Redemptor elegit. A solis enim ortu usque ad occasum nomen ejus quasi cordibus Fidelium est inscriptum, ejusque memoria quasi mel in ore est, melos in aure, jubilus in corde.

4.

Unde & hoc adverte, ex quatuor primis generalibus Conciliis totius orbis, omniumque nationum, quæ S. Gregorius veneratur tamquam quatuor Evangelia. Primum Concilium Nicænum congregatum fuisse pro defensione honoris Patris ac Filij, ad tuendam scilicet Patris ac Filij consubstantialitem & æqualitatem contra Arium: Secundum, ad tuendam Spiritus Sancti Divinitatē contra Macedonium, scil. Constantinopolitanum Tertium Ephasinum, ad tuendam Matris Dei dignitatem contra Nestorium, ubi multa de laudibus Virginis dicta sunt, & beatam tunc eam proclamaverunt totus orbis nationes, sicque & ibi adimpleta fuit MARIÆ prophetia. Sed adhuc illa quotidie adimpletur ab Oriente usque ad Occidentem, à Meridie usque ad Septentrionem, dum ejus laudes resonant etiam ignoti antea populi, Indi, Iapones, Sinæ, & alij remotissimi. Sed numquid singulis fæculis in honorem Virginis Basilicæ eriguntur & Oratoria, Congregationes, Sodalitia, Ordines Religiosi, Altariaque & Imagines visitantur magno populorum concursu, ubi illustria orbe toto radiant miracula? Ergo meritò pronunciat MARIA: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Neque verò solum generationes terræ eam benedicunt, sed etiam generationes cœli, hoc est Angeli & electi omnes, item & generationes quæ sub terra sunt, quæ in purgatorijs locis animæ degunt, eam beatam dicunt: ad eam enim respiciunt, sive qui in cœlo, sive qui in terra, sive qui sub terra sunt, qui per eam benedictionem consequuntur beata prædicant ejus viscera, quæ portaverunt æterni Patris Filium; ejus ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum, ejus brachia, quæ toties amantem puritatis amore sanctissimo sunt complexa.

Multi alij eam maledicunt, qui sunt de semine Draconis habentis os apertum ad blasphemandum contra Deum & tabernaculum ejus. Quod est Dei tabernaculum, nisi MARIA, in qua filius Dei requievit. Hanc Draco infernalis blasphemat, ejus hostis perduellis. Ipse paratus est ad devorandam hanc mulierem stellis coronatam, ex ore flumen blasphemiarum emittens ad absorbendam eam, hoc est ad absorbendam ejus laudem toto orbe resonantem De ejus sub semine hæretici, qui *Pallium laudis & honoris,* quo adornatur per Filias Sion, ab ea auferre conantur. At non mirum, si non parcant Virgini, qui non parcunt Virginis Filio multa blasphemantes de eo. De his conqueri potest. *Filij mei pugnaverunt contra me.* Filij enim sunt Ecclesiæ per baptismum, & pugnant contra Matrem suam, contra Ecclesiam & contra MARIAM. O generatio spuria & maledicta! *Generatio, qua Patri suo maledicit, & qua Matri sua non benedicit,* quia Deum facit peccati auctorem, & Matris Dei impedit benedictionē: *Generatio, qua sibi munda videtur, & non est lota à sordibus,* dum per externā & imputativam justitiam ac specialem fiduciam se justificari putat: *Generatio cujus excelsi oculi & palpebræ erectæ,* quia superbia mater est hæresis, & tamquam fumus putet semper ascendens obscurare conatur Solem & Lunam, Christum & Virginem, Deum & Ecclesiam. *Generatio, qua pro dentibus habet gladios, & commendavit molaribus suis ut comedat inopes de terra;* quia gladio linguæ omnia sacra conscindit, & audientium animas simplices veneno suo inficit.

Apoc. 12.

Cant. 5.

Cant. 8.

Ibid.

Ibid.

Quin-

Quintò, dum dicit: *Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus*, rationem reddit cur beata sit appellanda, ob mysterium scilicet Incarnationis, quod in ejus utero est perfectum; ex quo innumera sequuntur Dei magnalia & mysteria, est enim illud origo & radix aliorum mysteriorum. Et quia in isto mysterio relucet potentia & sanctitas Dei adoranda, ideo dicit ab illo peractum esse qui potens est, & cujus nomen factum est: verè enim Dei perfectionis in hoc opere admirabiliter relucent, & maximè potentia & misericordia, bonitas & sanctitas. Hinc cum illud rememorat Ecclesia sancta, cum Angelis & Archangelis, cum Cherubim & Seraphim, cum Thronis & Dominationibus, aliisque cœlestibus choris inclamat: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, pleni sunt cœli & terra gloria tua, O Sanna in excelsis, Benedictus qui venit in nomine Domini, O Sanna in excelsis.* Quia ergo hoc mysterium Incarnationis, per quod reddebatur Mater Dei, ab omnipotenti manu procedebat, & ad animarum sanctificationem ordinabatur, ideo illud in se perfecisse asserit illum qui potens est, cujus & nomen sanctum est, & propter hæc mirabilia in sæcula sæculorum sanctificandum dicit ac glorificandum. Vis autem in particulari videre, quam magna fecerit Dominus cum Maria.

Magna, quæ Dominus cū Maria fecit.

1. Ab æterno eam prælegit, ut esset Filij sui Mater.
2. Oraculis figurisque plurimis eam præsignari voluit.
3. Ab originali peccato mirificè præservavit.
4. Ab omni etiam macula veniali custodivit.
5. Spiritu Sancto abundantissimè replevit.
6. Matrem effecit & Virginem reliquit intemeratam.
7. Felicem ei partum sine dolore contulit.
8. Lac de cœlo suppeditavit, ut lactaret Angelorum Regem.
9. Morientem à corruptione & fœtore fecit immunem.
10. In corpore & anima eam in cœlum assumpsit.
11. Et eam exaltavit super omnes choros Angelorum.
12. Eam effecit Portam, per quam homines cœlum ingrederentur.

Hæc sunt pauca inter innumerabilia magnalia, quæ Deus operatus est in Virgine nostra, quæ & nos ad laudem debent accendere, quia propter nos hæc operatus est Deus, ut in fructum & salutem nobis cederent. Ipsa ergo tanquam Præcentrix cecinit, ut & nos corda & voces conjungeremus admirantes hæc magnalia, & Deum ob id glorificaremus cum ipsa, & per ipsam, laude perpetua. Nam & hæc ejus laudatio in Deum refusa non peribit, sed perennabit, quia etiam nunc ipsa agnoscit, & dicit: *Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus.*

Fecit mihi magna in prædestinatione, in capite libri scribens de me, nomen ibi meum inscribens.

Fecit mihi magna in conceptione, dum me Mater sterilis speciali benedictione concepit.

Fecit mihi magna in nativitate mea, dum cœlitus mihi nomen imposuit, & Angelorum obsequium dedit.

Fecit mihi magna in præsentatione, dum in suam me tutelam & singularem favorem, cum virginitatis voto suscepit.

Fecit mihi magna & stupenda in Angelica annunciatione, dum me Dei Matrem constituit.

Fecit mihi magna in Elizabethæ cognatæ visitatione, dum per vocem meam Ioannem sanctificavit.

Fecit mihi magna in sua nativitate, dum cœlesti me luce circumdedit, & Angelico cantu agnosci voluit.

Fecit mihi magna in purificatione, dum Simeonis & Annæ laudibus sonoris me & filium meum propalavit.

Fecit mihi magna in Ægypto, dum idola & eorum oracula contrivit.

Fecit mihi magna in sua resurrectione, dum primò mihi apparuit, & meas lachrymas absterst.

Fecit mihi magna in ascensione, & Spiritus Sancti missione, dum me Matrem omnium fidelium illuminavit & accendit, ut omnium etiam Doctrix efficerer.

Fecit mihi magna in morte, dum corpus mox & animam assumens super omnes Angelicos ordines exaltavit.

Facit mihi adhuc quotidie magna, dum mea intercessione captivus redemptionem, æger consolationem, peccator peccati remissionem, justus gratiæ accretionem consequitur, dumque innumera propter me patrat miracula qui potens est, & sanctum nomen ejus.

Nemo ergo dubitet, illam multa posse apud Filium, qui tot magnalia in illa operatus est, & adhuc Quotidie operatur. Quapropter S. Anselmus lib. de excellentia Virginis c. 12. sic eam deprecatur: *Rogamus te, Domina, per ipsam gratiam, quâ te pius & omnipotens Deus sic exaltavit, & omnia secum possibilia esse donavit, quatenus id apud ipsum nobis impetres & obtineas, ut plenitudo gratiæ quam meruisti, in nobis sic operetur, quo participium beati præmij nobis misericorditer quandoque condonetur.* Nempe abdat Dei potentia per Virginem in electos suos: & qui virtuti Virginis detrahit, idem Dei potentiæ derogat, cum eam elegerit, & tot gratijs exornarit feceritque ei Dominus magna qui potens est.

Pars II. *Explicatur hic 2. pars Cantici Mariæ.*

A Specialibus in se collatis donis, ad generalia erga humanum genus tum beneficia, tum judicia sermonem convertit Maria. Quasi dicat: Non soli mihi facit magna qui potens est, sed in omni gente & progenie, *qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi.*

1. Maria Dei misericordiam prædicat.

Primò igitur misericordiam Dei prædicat, dum dicit: *Et misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum.* Eluet nimirum divina misericordia in sui diffusione, quia in omnes generationes, & in omnia exundat sæcula, & adest religiosè se colentibus hoc est quod dicitur, *Timentibus eum.* Quapropter rectè attribuimus misericordiæ Dei admirabilem longitudinem & latitudinem, sublimitatem & profunditatem.

Misericordia Dei longitudo Psal. 102.

Longitudo ejus in hoc consistit, quod sit æterna, prout Psalmista testatur: *Misericordia Domini ab æterno usque in æternum super timentes eum.* Ex eo tempore quo Deus est, misericordia ejus erga nos est, & in æternum perdurabit; & ita sine principio est & sine fine. Decrevit enim ab æterno nos de miseria damnationis liberare, & æterna felicitate beare: *in charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui.* Quasi dicat: Ab eo tempore quo Deus sum, & quo me dilexi; te quoque adamavi, & misertus sum tui; non ergo me, si & ego reposco amorem tuum ab eo tempore quo homo es, & quo potes amare, amoremque amori rependere. Propterea tam sæpe nos invitat Propheta & Rex ad gratitudinem, & hujus misericordiæ adeo diffusæ considerationem: *Confitemini Domino,* inquit ipse, *quoniam in æternũ misericordia ejus.* An non hoc ipsum vigesies & septies repetit Psalmo 135. per singulos versus?

Ierem. 31.

Psal. 135.

Latitudo.

Latitudo consistit in eo, quod se extendat ad omnes homines, cujuscumque status sint aut conditionis, cujuscumque sub cœlo nationis, qui timent eum, hoc est, qui eum colunt & adorant. Omnia utique beneficia, quæ olim ante legem, & sub lege, & quæ tandem post Christi adventum obvenerunt, misericordiæ divinæ adscribenda sunt. Incipe à primo homine. Cur mox à peccato divina eum non absorbet vindicta? Noluit hoc misericordia, exspectans ad pœnitentiam. Quid Noë à diluvio, Loth eripit ab incendio? Nonne hæc ipsa misericordia? Quis liberavit Abraham ab Ur Chaldæorum, & ab eorum illæsum igne? Quis Iacobum à furore Esau, Ioseph à carcere: Quis populum ab Ægyptiaca servitute, aut à Babylonica captivitate? Divina certè misericordia. Sed in Christi incarnatione, cujus fructus copiosissimus diffusus est in omnes progenies, qui magis elucet quam divinæ misericordiæ latitudo? *Misericordia Domini plena est terra Deus, qui dives est in misericordia, cum mortui essemus peccati, convivificavit nos in Christo,* inquit Apostolus. Meritò ergo MARIA Prophetissa cecinit (hanc scil. divinæ misericordiæ latitudinem gravissima mente considerans:) *Et misericordia ejus à progenie in progenies, timentibus eum.*

Psal. 32.

Ephes. 2.

Sublimitas.

Sublimitas hujus misericordiæ consistit in sublimibus donis & beneficijs, quæ ab illa procedunt dum per hanc misericordiam sublevamur ad excellentem dignitatem Filiorum Dei, & ad æterni honoris & gloriæ sublimitatem. Hæc est enim misericordia, quæ prædestinat, vocat, justificat, tandemque glorificat & coronat. *Benedic anima mea Domino, qui coronat te in misericordia & miserationibus,* ait Psaltes.

Psal. 102.

Profunditas.

Profunditas denique misericordiæ hujus elucet in profunda Dei ipsius humiliatione, dum misertus nostri suscipit nostram naturam. Elucet quoque in profundis mysterijs, quæ nobis exhibet misericordiæ hujus symbola, maximè in sacramento Eucharistiæ, fonte profundissimo misericordiæ. Denique & in abysso incomprehensibili misericordiæ, per quam omnia vertit in bonum nostrum, afflictiones, tentationes, miserias, imò & ipsa peccata. *Confiteantur ergo Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus erga filios hominum,* quia verè *Misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum.*

Psal. 106.

Sed sicut divina misericordia admirabiles has habet dimensiones, sic & MARIÆ Deipara misericordia easdem habet sibi communicatas; quia per ipsam Dei misericordia diffunditur à progenie in progenies super timentes eum: Vnde hæc de re sic differit S. Bernar. *Quis misericordiæ tuæ, ô benedicta, longitudinem & latitudinem, sublimitatem & profundum queat investigare?* Postmodùm has explicans in particulari dimensiones sic subjicit: *Longitudo ejus usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis. Latitudo ejus replet orbem terrarum, ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra. Sublimitas ejus civitatis superna attingit restaurationem. Profundum ejus sedentibus in umbra mortis obtinuit redemptionem. Per te cœlum repletum, infernus evacuatus, instaurata ruinæ Ierusalem, miseris data vita.* Sicut ergo MARIA de Domino canit: *Misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum*; sic & de ipsa nos canere possumus; *Misericordia ejus à progenie in progenies invocantibus eam.*

2. Divinam potentiam decantat.

Secundò decantat MARRIA divinam potentiam, quam ostendit Deus; tum adversus dæmones superbos tum etiam adversus Iudæos nimium tumidos & elatos: *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui: Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.* Per brachium suum, hoc est per Filium incarnatum. Pater Æternus dæmones confundit, dispersitque cogitationes cordis superborum illorum spirituum, sive ipsorum consilia & machinationes efficiens ut alium longè sortiantur exitũ quàm cogitarant. Solet in sacris eloquijs Filius *Domini Brachium* nominari, sicut & Spiritus sanctus dicitur. *Digitus Dei*; quia sicut brachium à corpore promanat, ita & Filius à Patre procedit, & sicut digitus à corpore & brachio, ita Spiritus sanctus à Patre & Filio, inquit S. Hieronymus in cap. 52. Isaiæ. Denique quia Pater per Filium potentiam & fortitudinem suam ostendit, sicut homo robur suum per brachium extentum. Dicitur & Verbum incarnatum *Brachium* ratione humanæ naturæ, quæ est velut organum conjunctum Dei, sicut brachium est organum cõjunctum hominis: & sicut homo per brachium tanquam per instrumentum

Brachium quid hic significet.

mentum conjunctum operatur; ita Verbum divinum operabatur per humanam naturam sibi copulatam, potentiæ suæ miracula.

Isai. 52. Ipsi igitur convenit illud Isaiæ: *Consurge, consurge, induere fortitudinem Brachium Domini; consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum. Nunquid non percussisti superbum, vulnerasti draconem? Nunquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis, qui profundum maris viam posuisti ut transirent liberati?* Vocat Propheta Pharaonem *Superbum*, quia nolebat Dominum agnoscere vocat & *Draconem*, quia mersus est in aquis, & percussus à brachio Domini, Israelitico populo per mare traducto, & in libertatem asserto. Invitat ergo Brachium Domini, hoc est Filium Dei, ut sicut antiquis id fecit temporibus, ita nunc exurgat quoque, & innovet signa, immutet mirabilia, illumque qui est *Rex super omnes filios superbiæ*, simulque Draco antiquus, confundat, conterat, plectat & evincat, liberando populum de ejus tyrannide.

De quibus superbis hic M.V. meminerit.

Ps. 1.

Iob 41. Hoc prævidens futurum Maria, tanquam Prophetissa dicit in præterito pro futuro; *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos*; omnia enim hæc ante oculos ejus obversabantur, & licet futura adhucerant, erant tamen ei tam certa, quàm si jam fuissent. Quamvis & ad præteritum id referre liceat, quando Lucifer superbiæ Princeps

Isa. 42. dicens ab initio, *Ascendam in cælum, & similis ero Altissimo*, dejectus est cum suis complicibus in profundum inferni, postmodum adhuc ejiciendus cum confusione à Christo ex animabus & corporibus hominum, tanquam à brachio virtutis divinæ.

Ps. 2. Potest quoque id de superbis Iudæis intelligi, quos in lege, & in templo in sacerdotio suo gloriantes, per omnem dispersit Regionem vagos vilesque. Ubi nunc sacrificium & Sacerdotium de tribu Levi? ubi templum? ubi regnum & sceptrum? ubi

Mich. 7. lex cum suis cæremoniis, in quibus adeo gloriabantur, ut dicitur *Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini?* Nihil horum omnium eis relictum est, nisi fæces aliquæ & reliquiæ immundæ. Certè Propheta nobilis de eorum genere vocat eos

Isai. 49. *Faces*, dum dicit: *Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Iacob, & faces Israel convertendas, dedi te in lucem gentium*, &c. Fæces vocat, quia velut sordes & fæces fœtidæ dispersæ sunt super terram, ab omnibus, vilipensi & conculcati. Fæces quoque vocat, quia de omnibus prærogativis olim à Deo

Malac. 2. concessis nihil eis residuum est, nisi reliquiæ quædam fœtidæ dicente eis Domino, *Projeci à me stercus solemnitatum vestrarum.* Ergo ipsi modò attendere deberent ad lucem Evangelij, & ad servos missos ad suscitandas tribus Iacob, & convertendas fæces Israel dispersas. Sic & de ipsis prædixerat Rex

Psal. 89. & Propheta: *Disperge illos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine.* Ad quem versum Prophetæ & Parentis sui videtur alludere hic Maria, dum canit eos dispergendos & deponendos de sede. Hunc autem locum Davidis fusè interpretatur S. Augustinus de Iudæis.

Potest quoque universim de omnibus superbis Mariæ vox intelligi, quia generaliter verum est, quòd superborum & arrogantium machinationes & consilia, quasi turbine arreptas paleas, huc illuc dispergit Deus, & eos confundit tandem, imò & è culmine superbiæ deturbat. Sic pronuntiatur apud Iob: *Dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod ceperant.* *Ps. 3.* *Iob. 5.*

Quid superbis Aman, & maligna consilia moliris contra Mardochæum? Disperdet Deus tumidas cogitationes cordis tui, & deponet te de sede honoris, exaltans humilem Mardochæum. *Exempla superborum depositorum.*

Quid vobis arrogatis, ô Chore, Dathan, & Abiron, & superbo consilio contemnitis Moysen & Aaron? Ipsi propter humilitatem & mansuetudinem coram Deo & populo exaltabuntur; vos autem terra cum familiis absorbebit in pœnam superbiæ & inobedientiæ.

Quid ita exaltas cor tuum, ô Nabuchodonosor, contra Deum? Deponêris de sede, & solio, ac cum belluis ejicieris, ut instar bovis fœnum comedas.

Quid blasphemas per superbiam, ô Sennacherib! Dissipabuntur omnia tua consilia, & funesto fine interibis, è filiis in templo Dei tui interemptus.

Quid exaltaris, ô Holofernes? Caput tuum mulier humilis amputabit, & confusionem tibi inducet; eamque qui potens est, exaltabit, quoniam non potest falli illa Prophetæ sententia: *Populum humilem salvum facies, & oculos superborum tu humiliabis.* *Psal. 17.* *Eccl. 10.* Nec illa: *Radices gentium superbarum arefaciet Deus*, &c. Quod multis exemplis posset demonstrari, sive de Tyrannis, sive de Hæreticis, sive de Iudæis, aut aliis quantumlibet potentibus loquamur.

Sic & illud quod sequitur: *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes*, potest intelligi de dæmonibus, qui conditi fuerant in deliciis & divitiis, quorum loco homines pauperes & nudos vacuosque omnibus bonis adsumpsit. Potest & intelligi de Iudæis, qui scripturis, lege, sacerdotio, sacrificio divites se jactabant, quos inanes & vacuos è domo sua ejecit; loco verò eorum Gentiles, verbo Dei, cognitione mysteriorum, doctrinâ sacrâ, gratiâ cœlesti replevit, ac pane Eucharistico, qui antea erant inopes & famelici. Similiter & id verum est de hæreticis & infidelibus, qui scientiâ inflantur sine charitate, apparentiaque habent tantum Sacramenta, & speciem quandam verbi divini, non veritatem. Vnde tandem invenient se vacuos & inanes, vanis & imaginariis scripturarum interpretationibus se pascentes, quæ nonnisi sunt filiquæ prodigi, non satiantes. Atque ipsi decepti à spiritu mendacii se putant divites, antiquis Ecclesiæ Patribus sese anteferentes, sed verè vani & vacui sunt, furfure non frumento se pascentes, tandemque agnoscent quam inanes fuerint & insipientes,

dum hi quos indoctos, idiotas, miseros & pauperes vocabant, & despiciebant, bonis omnibus cumulatos fateri cogentur.

3. *Tertiò*: Tandem concludit MARIA, & dicit: *Suscepit Israel puerum suum recordatus misericordiæ suæ sicut locutus est ad Patres nostros Abraham & semini ejus in sæcula?* Quasi dicat: Vt ostenderet se misericordiæ suæ non esse oblitum, quam promiserat Patriarchis, Abrahæ & aliis, de Christo ex semine eorum nascituro, suscepit per incarnationis beneficium Israëlis populum tanquam Pater filium & puerum suum derelictum, cui jam se specialem auxiliatorem ostenderet, & fautorem, & amatorem, & in promissam hæreditatem infallibilem Ductorem. Solet appellare Israelem, sive populum Israelitam, non solum servum suum, sed & puerum, & filium, per teneritudinem amoris. Hinc illud: *Osc. 11.* *Quia puer meus est Israel, dilexi eum, ex Ægypto vocavi filium meum.* Suscipiens ergo ex illo populo carnem & naturam humanam, illum specialiter se adamare ostendit, tanto sibi astringens fœdere: *Heb. 2.* *Nusquam Angelos apprehendit, semen Abrahæ apprehendit*, tanquam manum porrigens jacenti vel tanquam labentem fulciens, ut posset dicere: *Domine dextera suscepit me: Susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.* *Psal. 17.* *Psal. 3.* Exaltatus est enim populus Israel, si intelligere voluit, in eo quòd ex ejus semine Filius Dei carnem assumpsit, non ex alia natione: in eo quoque quòd duodecim Apostolos ex Israelitis elegit, sicut & Virginem Deiparam, per quos salutem omnium procuraret: in eo denique quòd per seipsum voluit eis prædicare, dicens se non esse *Matt. 15.* *missum nisi ad oves quæ perierant domus Israel.* Quia hanc dignitatem noluerunt agnoscere, in locum eorum successerunt Gentes, sed tandem in fine sæculi, *cùm plenitudo Gentium intraverit, tunc* *Rom. 11.* *Israel salvus fiet*, & agnoscere dignitatem suam, suscipietur que rursus à Domino, tanquam æger à Medico, tanquam populus derelictus à Rege suo, tanquam filius à Patre, tanquam puer à Nutritio.

Sed quoniam per Israelem non solùm intelligitur is qui secundùm carnem, sed maximè is qui Israel est secundum spiritum, ut dicit Apostolus; dum suscepisse hic dicitur Israel puerum suum, omnes nos intelligimur qui fidem Israelis sequimur, qui Abrahæ semen & filij dicimur, in ipso benedicti qui Pater erat fidei Nos ergo in carne sua suscepit recordatus misericordiæ & promissionis factæ Abrahæ, nostram naturam assumpsit, nos benedixit, nobis manum porrexit, nos in humeros suscepit, nos divinæ adoptionis participes fecit, & hæredes regni. Ideo MARIA cantu suo ad gratitudinem nos excitare cupit, quod fiet, tot beneficia perpendendo, & eum qui suscepit nos adamando, donec possimus misericordias ejus in æternum cantare.

Conclusio. IMpetra nobis gratiam, ô MARIA, ut tecum valeamus magnificare Dominum, exultantes in Deo Salvatore nostro, & te cum illo, & per illum, beatam prædicare cum omnibus generationibus. Fac nos ex intimo corde agnoscere quanta fecit tibi Dominus propter nos, & adorare nomen sanctum ejus, misericordiamque decantare, quæ à progenie in progenies diffunditur tua intercessione. Denique, & hoc nobis impetra, ut simus de numero eorum qui humiliter de se sentiunt, & cœlestia dona esuriunt, simulque de Israel esse censentur, ad Dei visionem continuò adspirantes; ut tandem suscipiat nos Filius tuus recordatus misericordiæ suæ, & tuæ; sicque impleat nos bonis, & exaltet ad solium & gloriam æternitatis.

Exempl. DOcuit nos exemplo suo, tam Elizabeth, quam Maria, in visitationibus & beneficiis divinis Dei decantare laudes, deprædicare potentiam misericordiam, sanctitatem. Quod à Maria edoctus ejus devotissimus eliens S. Ioannes Damascenus, in Dei & Mariæ laudes devotissima edidit Cantica, postquam respexit & visitavit eum Dominus ex alto, & per Mariæ interventionem restituit ei dexteram impiè amputatam, *fecitque potentiam in brachio sancto* impii Leonis Isaurici Iconomachi instigatione exsecto, Res sic se habet.

Cùm desæviret Leo Imp. rugiens contra Imagines & earum cultores, Libellos epistolares propria manu scribebat S. Ioannes Damasc. ad tutandum imaginum cultum contra Leonem rugientem, spargebatque eos per Orbem, ut pios in doctrina recta confirmaret. Venit tandem in manus Imperatoris unus ex illis libellis propria manu Damasceni scriptis & signatis. Is non solùm furore leonino percitus, sed & serpentinâ versutiâ præditus, accersitis pleriisque Notariis scribendi peritissimis, jubet ut imitentur exemplar epistolarum Damasceni, tam in characteribus, quàm in stylo, quàm fieri posset perfectè. Id ubi comperit à nonnullis fieri posse, jubet ab eis exarari epistolam quasi ad se scriptam & signatam à Ioanne Damasceno, qua urgebat Ioannes ut exercitum mitteret Imperator, seque Vrbem Damascenam, Agarenis tunc subditam, ipsi facillimo negotio traditurum, utpote præsidio destitutam. Hanc ipsam fraudulentam epistolam misit Imperator ad Principem civitatis Damascenæ, ut Ioannem proditionis eum in discrimen vocaret. Hac epistolâ acceptâ, Barbarus Princeps Ioannem accersit, epistolam exhibet suâ manu scriptam & signatam, non posse inficiari asserit, cum nota esset satis manus & character ipsius. Ipse autem perlecta epistolâ formas suis similes esse fatetur, se tamen ignorare prorsus, nec quicquam ea de re unquam in mentem venisse, scire nihilominus, quod dolo, quâque ob causam hæc adversum se fabricata forent. Interim nullum purgationi locum dans præ indignatione Barbarus, jubet ei dextram amputari, & in foro suspendi. Cùm autem adversperasset, sperans indignationem sedatam, legationem misit Ioanni ad eum, in hæc verba: *Dolor mihi ingravescit, & excrucior intolerabiliter, nec sublevari possum acerbi-*

tatis

tatis aculeo, quamdiu preciosa mihi manus in aere pendet. Hanc mihi donari jubeas, ut homo ea conditâ, doloris acrimonia relaxetur. Cessit tyrannus precibus, redditaque est viro justo manus.

Hâc acceptâ, ipse in Oratorium domesticum ingreditur, pronoque corpore ante imaginem Virginis MARIÆ provolutus, excisam manum pristinæ commissuræ admovens, cum lachrymis ad ejus misericordiam hunc in modum recurrit: *O Domina, & castissima Mater, quæ Deum meum peperisti, divinarum imaginum causa dextra mihi amputata est, scis enim quid Leonem in furorem contra me conjecerit. Ergo succurre, & manui meæ medelam adhibe. Dextra excelsi, quæ ex te incarnata est, tuâ intercessione, facit magna, quia potens est. Tuo itaque rogatu meam obsecro dextram sanet, ut tuas Filiique tui laudes & cantica litteris consignet, atque orthodoxo cultui sit adjumento.* Hæc cum lachrymis pronuntians, obdormivit. At in somnis imaginem Deiparæ videt, lætis oculis ipsum intuentem, ac dicentem: *Ecce sanitati restituta est manus. Iam ergo eam scribæ velociter scribentis calamum effice; juxta promissum tuum.* Experrectus, cum sanatam cognovisset, *exultavit in Deo salutari suo*, ac ipsius Matre, quoniam *fecit ipsi magna qui potens est*, & superbum Leonem *dispersit mente cordis sui*, impium superbi cordis sui, & furibundæ mentis consilium irritum reddens. Tunc ergo utramque manum in cœlum tollens, totâ nocte canticum novum Domino decantavit, dicens: *Dextera tua, Domine, magnifica est in fortitudine, dextera tua meam sanavit, ac per eam hostes, qui tuam genitricisque MARIÆ imagines inhonorant & effringunt, conscindet ac confringet.* Erat itaque illi nox ea, dies, & non nox; ac lumen, & non tenebræ, poteratque dicere cum Psalte: *Nox sicut dies illuminabitur. Nox illuminatio mea in deliciis meis.* Erat ibi vox epulantis, & sonus exultationis, vox salutis, & canticum laudis in tabernaculo viri Iusti; quemadmodum & in Tabernaculo Zachariæ resonabat canorè vox Elizabet MARIÆ, in die visitationis divinæ.

Ex vita S. Damasceni c. 12. & 14. apud Sur. Psal. 138.

IN FESTO S. BONAVENTVRÆ.

14 Iulii. LECT. 3. tripart.

Ille erat lucerna ardens & lucens. Ioan. 5.

PARS I. *Quomodo luxerit in statu privato religionis.*

QVi ab infantia offeruntur Deo per pietatem sinceram parentum, specialem solent consequi benedictionem; cœlestemque gratiam nanciscuntur per varietates ætatum eos manuducentem, & protegentem. Nempe pergrata est Deo talis oblatio, qui corda & ora parentum solet respicere, dum filiorum corda & ora necdum profari valent coram ipso. Sic gratissimum fuit cœlo, quod S. Aletha, sive Alisa, mater S. Bernardi, mox ut ipsum ac fratres suos partu ediderit, manibus propriis Deo obtulerit, & exinde eos tanquam rem sacram, suæ cœlitus depositam & consignatam custodiæ, pio affectu respexerit. Hæc enim fuit origo gratiæ subsecutæ, & conversionis à sæculari vita Orbi admirandæ.

Sic etiam acceptum fuit Deo, quod S. Elzearium ea hora qua peperit mater, cum ferventi devotione & gratiarum actione obtulerit, dicens: *Gratias tibi ago Domine Deus pro hoc filio gratia tua mihi donato, rogoque ut eum tibi servum acceptias, & tua benedictionis ei gratiam largiaris. Quod si tu nosti eum forte divinæ tuæ voluntati rebellem, ubi sacro baptismate erit candidatus, sine mora eum è medio tolle. Satius enim est eum innocentem, & nullis propriis auctum meritis tecum vivere, & mundo emori, quàm in hac mortali vita te offendere.* Gratissimam vero fuisse Deo hanc oblationem, satis probant divina sanctitatis indicia, quæ in Elzeario adhuc infante sunt observata. *Surius in vita ejus.*

Similiter S. Gregorius Nazianzenus legitur mox natus à matre Deo fuisse oblatus; S. Maurus etiam Deo & S. Benedicto à Patre Eutichio, Adde S. Franciscum de Paula, S. Nicolaum de Tolentino, innumerosque alios, quorum progressum in sanctitate felicem per varias ætates cœlestis direxit gratia, intuitu paternæ vel maternæ pietatis, per quam primitus ab infantia oblati fuerant.

His adnumeramus S. Bonaventuram, qui infans à matre Deo & S. Francisco oblatus fuit, dum in mortis ageret periculo. Vndè sanus effectus vocatus est Bonaventura. Rem sic enarrant Annales Minoritarum. Cùm quadriennis langueret ad mortem, nec ulla spes vitæ aut medicorum remedium superesset, pia mater precibus & meritis S. Francisci puerum commendavit, vovens si sanum reciperet eidem se oblaturum, ejusque Ordini. Mœrentem consolatus S. Franciscus, pro puero oravit, & impetravit, puerque repentè sanus exiliit. Quo repentino gaudens mater miraculo, futuraque prophetans, patrio dixit idiomate: *O Bonaventura!* Ac ei deinceps hoc nomen adhæsit, nam priùs vocabatur *Ioannes.* Vnde in priscis codicibus inscriptum legimus: *Fr. Ioannes Bonaventura.* Sed cum Deo juvante omnia ei feliciter succederent, factum est ut communiter *Bonaventura* à Latinis & Italis ac à Græcis *Eutichius* id est, bonæ fortunæ, sive *Fortunatus* appellaretur. De hac re sic loquitur ipse S. Bonaventura in historia minore, quam de B. P. Francisco scripsit: *Voto pro me languente gravissimè, ad B. Franciscum emisso à matre, cum adhuc essem puerulus; ab ipsis sum mortis faucibus erutus, & in robur vitæ incolumis restitutus. Quod cum viva memoria teneam, vera nunc confessione profiteor; ne tantum beneficium retinens, sceleris arguar, ut ingratus.* Ita ipse. *S. Bonaventura puer Deo oblatus à matre.* *Wading. an. 1221. in Annal.*

Ex hac Matris oblatione, Deique cum Francisco acceptione, originem duxêre tot gratiæ cœlestes in Bonaventuram profusæ. Sic de Francisco dicere possumus quod olim de Elia: *Sustulisti mortuum ab inferis de sorte mortis in verbo Domini Dei.* Puerum viduæ Sareptanæ Elias verbo, id est, invocatione *Vide Officium Minorum inf. Octav. Bonav.* *Eccli. 4.*

3. Reg. 17. Dei suscitavit. *Expandit se, & mensus est super puerum tribus vicibus, & clamavit ad Dominum, & ait: Domine Deus meus, revertatur obsecro anima pueri hujus in viscera ejus; & exaudivit Dominus vocem Eliæ.* Non quidem emortuus fuerat adhuc Bonaventura, attamen eum sors mortis manebat, & inferni, hoc est sepulchrum. Sed Sanctus Franciscus, quasi incumbens super eum jam spiritum exhalantem, in nomine Trinitatis, novum ei spiritum reddidit meritis suis; non solū spiritū vitæ mortalis, sed & spiritum suum, sive gratiæ specialis spiritum, qui effectus suos producere debebat, cum in ordinem religiosum instituti sui adscriptus foret. Quod factum est mox à juventute, circa annum ætatis ejus vigesimum secundum. Tunc namque habitum religionis Sancti Francisci susceptit devotissimè, memor illius: *Vovete & reddite Domino Deo vestro*; hoc est, memor voti materni, quo oblatus fuerat Domino, & Francisco. Nec solum habitum susceptit, sed & spiritum induit Francisci, zelumque religionis ejus.

Psal. 75.

Habitum & spiritū S. Francisci induit. S. Bonav.

Dicamus ergo *primò*, quòd ex eo tempore Deus eum elegit & evexit, ut accenderet tanquam lucernam ardentem & evexit ut candelabrum. Non voluit ut diutius hæreret sub modjo sæculi, præclaræ indolis dotibus præditus: sed in religione S. Francisci constituit eum tanquam in domus suæ lucido candelabro. Quapropter ex eo tempore lucescere cœperunt in eo dona gratiæ divinæ, & omnium oculos in se convertere. Agnoscebatur enim in ipso mira modestia, obedientia, humilitas, despectus sæculi, castimonia, verborumque gratia cum charitatis splendore consederata. Propterea dicimus eum non solum habitum, sed & spiritum Francisci induisse. Multiplex certè spiritus per varia hominum genera potest distingui, qui unumquemque agit, sed uniformiter ad meliora.

Spiritus multiplex.

1. Est quidam spiritus humanus & terrenus, dum quis solùm nititur, humano spiritu & lumine; in terrenis rebus sapiens & prudēs: hunc à suo judicavit ordine extraneum S. Franciscus.

2. Est spiritus brutalis & jumentorum, quem homines nonnulli sequuntur, passionibus se suis mancipantes, & quasi jumenta in stercore suo computrescentes; hunc odio est prosecutus.

3. Spiritus Satanæ, quo quis Deo planè est adversus per spiritum superbiæ, invidiæ, erroris, hæresis, blasphemiæ; hunc super omne detestabile est detestatus.

4. Spiritus Dei, à quo spirituales dicimur, & filij Dei: *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Hunc sectari oportet.

Rom. 8.

Hic porro spiritus Christi diversa habet dona gratiarum, secundùm varia in Ecclesia vitæ genera, & varios status. Licet enim unus sit Spiritus sanctus, dat tamen unicuiq; statui donum suum, quod spiritum sive gratiā illius status vocare possumus: Hoc dono adjuti vocationis suæ munia ritè obeunt, tam in sua, quàm in proximorum salute obeunda. Atque propterea variæ sunt religiones, & singulis singulæ dantur regulæ propriæ, ad quas vitam componant, & secundùm quas suæ & aliorum saluti consulant. Vnde aliter id præstatur à Franciscanis, aliter à Benedictinis, aliter à Carthusianis, aliter à Iesuitis; aliter à Bernardinis, aliter à Norbertinis; & sic de cæteris religionibus. Qui verò sunt ejusdem religionis, eundem quoad potest fieri spiritum debent participare, eademque gratia vitam formare, juxta spiritum & regulas Fundatoris sui.

Sic Ioannes in Evangelio dicitur *spiritum Eliæ* habuisse; quia non solum amictum Eliæ habuit pelliceum, sed & duram ac solitariam vitam sectatus est, sicut & ipse; similemque zelum habuit docendo populum, & filios Israel ad Deum convertendo; similem quoque libertatem spiritus, dum hic arguit Herodem, ille Achab Regem, dum uterque fœminam patitur adversam, hic Herodiadem, ille Iezabelem. Similia ergo in utroque dona, similis animus, similis zelus, similis spiritus: unde Ioannes potius dicitur spiritum habuisse Eliæ, quàm Davidis, aut Abrahæ, aut Moysis, similior in modo agendi & gratia vitæ. Luc. 1.

Sic dicimus S. Bonaventuram spiritum Francisci participasse, propter contemptum sæculi in eo vigentem, affectum paupertatis eum consolantem, spiritum puritatis & innocentiæ in eo relucentem, spiritum zeli cum gratia & stimulo verborum torpidos excitantem, spiritum mansuetudinis & affabilitatis tristes consolantem, spiritum humilitatis omnes in sui amorem suaviter allicientem.

Hi sunt radij, quos à primæva conversatione è candelabro religionis vibravit, hæc lucerna ardens & lucens. Hic radiis præluxit omnibus quæ in domo sunt, hoc est, omnibus fratribus suis, dum adhuc in inferiori statu & ætate ageret. Quapropter in eum oculos intendens sagaciter Alexander de Ales irrefragabilis Doctor appellatus; dicere solebat de ipso adhuc discipulo suo, ob dona gratiæ & innocentiæ ab ejus facie non solum interna, hoc est animi & mentis, sed etiam externa oris & corporis, promicantia. *Ecce verè Israelita, in quo dolus non est; non videor quodammodò ipso Adam peccasse.* Nihil veteris Adam in eo agnoscebatur, nulla corruptio, nihil turbulentum, nihil immodestum, nihil inverecundum, nihil mundanæ concupiscentiæ. Nihil nisi castum, pium, innoxium, angelicum, & gratiæ plenum, in ejus conversatione splendebat, cum eloquii melle & sapore.

Denique, in sancta sua vocatione progrediens, quasi *lux crescens usque ad perfectum diem*, omnem vitam suam in Dei certa cognitione versari voluit: ad quam assequendam, per sacrarum Scripturarum assiduam meditationem, per lectionem, orationes ac contemplationes intendebat. Tantamque sub Magistro suo Alexandro de Ales doctrinæ perfectionem brevi tempore assecutus est, ut septimo Prov. 4.

sui

sui, ingressus anno Magistrorum Ordinis conformi judicio delectus, libros sententiarum in Vniversitate Parisina explicuerit præclarissimè, magistralemque cathedram ascenderit. Verùm non solùm ei Alexander ab Ales Magister fuit, sed etiam ipse Deus in oratione & contemplatione. *Vbi Deus Magister est, quàm citò discitur quod docetur*, inquit S. Leo.

Serm. de Pentec.

PARS II. *Quomodo luxerit in statu Doctorali.*

DIcamus ergo *secundò*, in hoc candelabro Doctoralis gradus S. Bonaventuram Lucernam ardentem & lucentem fuisse : ardentem quidem charitatis ardore, lucentem verò luce sanctitatis & scientiæ, & qua quaversum per orbem lucem illam suam & ardorē diffundentē. Nec enim ipsius splendorem illi solùm persenserunt qui in domo privata & humili religionis cum ipso & coram ipso agebant; sed etiam illi qui in angulis remoti orbis delitescebant. Vt autem intelligas quomodo lucens fuerit & ardens, adverte quosdam inveniri qui lucent & non ardent, quosdam è contra qui ardent & non lucent. Sapientes nonnulli lucem quamdam emittunt, sed inanem, nec cum ardore conjunctam divinæ charitatis. Aliqui simplices in privato genere vitæ agentes ardent, sed quia quasi sub modio agunt, alijs non lucent. Vel, ut dicit S. Gregorius homil. 5. in Ezechielem, carbonibus ardentibus similes esse censentur, qui locum non illustrant. Sic & his contingit, quia sibiipsis solis in silentio vivunt, ardorem intra se continent, alijs autem lumen non exserunt. Hi ergo propriè lucernæ non sunt. At S. Bonaventura utrumque in se habuit, ut arderet lucidissimè, & luceret ardentissimè, quod paucis contingit.

Quidam lucent, & non ardēt; quidam contra.

Etenim multi sunt in sublimi positi, qui potiùs fumigant, quam lucent, de quibus S. Bernardus sic loquitur : *Taceo vulgus, volem taceo filiorum hujus sæculi multitudinem, in ipsas Ecclesiæ columnas volo oculos elevve. Quem mihi ostendas, vel de illorum numero qui videntur dati in lucem gentium, non magis de sublimi fumantem, quàm flammantem. Si hi qui lumen esse debent, tenebræ sunt, quanta sunt tenebræ! An illos lucere dixerit, qui præsum æstimant pietatem qui in hæreditate Domini, non quæ sunt Domini, sed quæ sua sunt quærunt? Immò bene est, si ab altenis cor manusque contineant* hæc S. Bernardus. Certè hi non sunt digni nomine lampadum aut lucernarum, licet in sublimi appareant, quia plus habent caliginis, quàm lucis, plusq; nocent quam docent. Atq; his præferendi qui sub modio sese occultant, hominibus ignoti, sed Deo noti, qui etsi nullos doceant verbo, seipsos tamen docent in silentio. Et propterea eos comparat carbonibus, sed incensis, S. Gregorius. Illi porrò excellunt, & Ecclesiam longè amplius adjuvant, qui Deo hominibusq; cogniti, & exemplo, & verbo alijs præsucent, animarumque saluti cum luce & ardore excubant. Audi verba S. Gregorij super illud : *Aspectus animalium quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum.* In hæc verba sic disserit : *Sunt plerique sanctorum ita simplices ut occulti. sunt magna silentio se contegentes, ut vix eorum vita ab alijs agnosci possit. Quid isti, nisi bonis incensi, quid etsi fervorem spiritus habent, exempli flammam non habent, neque in alienis cordibus tenebras peccatorum vincunt, qui vitam suam scire refugiunt? Hi autem qui lumen boni operis & virtutum exempla, per vitam & verbum, errantibus demonstrant, verè Lampades appellantur. Carbones ardent, sed loci in quo jacuerint tenebras non appellunt. Lampades, quia magno lumine resplendent, diffusas circumquaque tenebras effugant.* Ita S. Gregorius. His conformiter loquitur S. Bernardus serm. de Nativit. S. Ioannis : *Est tantùm lucere vanum, tantùm ardere parùm, lucere & ardere perfectum.*

Bern. præfat. in vitam S. Malach.

Exech. 1. Greg. homil. 5. in Exech.

Hæc itaque perfectio ardoris & lucis conjunctim apparuit in S. Bonaventura; ideò per suorum mandatum superiorum jussus est in sublime conscendere doctoralemque lauream suscipere. Quod factum est de eodem die quo S. Thomas de Aquino, ejus coævus & familiaris, eam pariter suscepit suorum etiam superiorum jussu. Vnde & hoc ei inspiratum fuit pro Themate assumendo in isto die celebri Vniversitati Parisiensi : *Rigans montes de Superioribus suis, &c.* Sic duo Religiosi, Ordines duo præclara lumina produxerunt eodem tempore, toto orbe rutilantia religione & doctrinâ, Thomam & Bonaventuram, duosque montes eminentes, irriguos, & fertilissimos. Sic enim loquitur de illis Sixtus V. in Bulla quâ præcipit ut S. Bonaventura cum S. Thoma inter Ecclesiæ Doctores recenseantur. *Isti sunt duæ olivæ, & duo candelabra in domo Dei lucentia qui & charitatis oleo & scientia luce totam Ecclesiam collustrant. His singulari Dei providentia eodem tempore, quasi duæ stellæ exorientes; ex duabus clarissimis Regularium Ordinum familiis prodierunt. Hi duo cùm essent coævi, iisdem studijs dediti, condiscipuli, simul Magistri, pari ratione à Gregorio X. cum ad Concilium vocarentur honorati, in hac peregrinatione fraterna caritate, spirituali familiaritate, sanctorum laborum societate conjuncti fuerunt : denique pari gressu ad cœlestem patriam commigrarunt* hæc Sixtus.

S. Bonav. fuit lucerna ardens & lucens.

Vnde dicta in festos S. Thom. Psal. 103.

An. 1588.

Antea trahebatur Currus gloriæ Dei, sive Currus Ecclesiæ, quatuor equis, ne hæreret inter salebras, inter anfractus errorum, inter circuitus hæreseon. Advenerunt & alij validissimi equi, mirè adjuvantes hunc currum in cursu suo, conjunctis viribus suis cum prioribus quatuor. Per hos equos intelligo Ecclesiæ Doctores, qui quatuor primarij enumerabantur : quibus post multiplicatos errores hi duo accesserunt, validissimè pro Ecclesia & fide pugnantes, & de hoste tartareo triumphantes. Hi sunt equi Eliæ ignei, tandem in cœlum transvecturi currum qui de cœlo est. Hi etiam designari possunt per equos rufos, varios, albos, quos vidit Zachariæ, de quibus dicitur : *Isti sunt quos misit Dominus ut perambulent terram.* Sua enim doctrina.

Zach. 11.

doctrina orbem perambulant, ut pacem nuntient & salutem; sicq; quiescat terra ab erroribus tumultuosis, ab hæretibus, à vitijs pacem perturbantibus. Itaque & hi duo perambulant in tertiam, tanquam equi veloces, nuncij pacis & salutis: Sed & simul *assistunt dominatori universæ terræ, tanquam duo filij olei*, sive ut alia lectio habet, *Filij splendoris*, hoc est splendidi & clari, illustres & celebres. Denique alij vertunt, *Filij pinguedinis*, quia fertiles futuri in Ecclesia & fructuosi omni tempore, unctionis divinæ participes, quæ eos de omnibus docet. Hæc omnia olei nomine designantur, quia in oleo est nitor, oleumque lucem & ignem fovet, denique alit & impinguat.

Zach. 4.

Si quis particularius scire desideret quomodo S. Bonaventura lucerna fuerit ardens & lucens, filiusque splendoris & unctionis; consideret scripta ejus plena luce, plena ardore, plena unctione, plena pinguedine spiritus & gratiæ. In his lectorem attentum non solum illuminat & docet, sed etiam accendit & ungit, movendo ad pietatem; ut non solum efficiat filios splendoris & lucis per scientiam, sed etiam filios olei & unctionis per devotionem. Hic est totus ejus scopus in libris omnibus suis. Quam ob causam nomen Seraphici Doctoris sortitus est, quia postquam tanquam Cherubinus illuminavit, tanquam Seraphinus ardens corda frigida accendit. Verum igitur est de ipso quod de Elia dixit Ecclesiasticus: *Surrexit quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat.* Si ergo in privato sermone, sive in publico, sive in libris editis, solitus est verbis suis & scriptis velut fulgur commovere, velut coruscatio illuminare, velut ignitum jaculum penetrare. O verè Seraphicum virum! O Lucernam lucentem & ardentem, abundantem oleo, hoc est charitatis nutrimēto! Oquam meritò sublimi in candelabro positus fuit, cui tam ardens & lucens virtus communicata erat ad producendam lucem flammantem!

S. Bonaventur Doctor Seraphicus dictus.

Eccli. 8.

In typico Moysis tabernaculo mensa stabat auro tecta, panes continuæ propositionis, versus plagam Aquilonarem: è regione verò mensæ aureum fulgebat Candelabrum, multis adornatum lucernis, in latere Australi. Mensa illa accipitur à nonnullis quasi adumbrans Sacram Scripturam, quæ verè aurea est, omni erroris scoria carens, & divina auctoritate refulgens, in qua Deus verba sua velut cœlestes panes proposuit. Sic interpretatur S. Greg. l. 17. Moral. cap. 17. E regione mensæ aureum fulgebat candelabrum, & ardentes lucebant lampades: quia scripturæ sacræ mensa luce indiget, quâ illius caligo illuminetur. Sacri Doctores librorum sacrorum Interpretes aureæ sunt & fulgentes lucernæ, juxta mensam, sive Scripturam sanctam, ut omnem dispellant caliginem hæreticorum artificio inductam, fidemque orthodoxam tueantur, ac pellucidam reddant. Quapropter Sapientia sic loquitur: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Talis lucerna fuit S. Bonaventura, qui præclaris lucubrationibus sacros libros fidemque veritatis illustravit hæreticorumque fumum fuliginosum tèrramq; fuliginem effugavit. Verè tota ejus fuit mens, totusque scopus tot opusculis pientissimis, tot commentarijs doctissimis & clarissimis, elucidare sapientiam, & ad ejus lucem omnes invitare, ad ejus amorem omnes accendere. Meritò ergo de eo pronunciamus: *Illa erat lucerna ardens & lucens*; lucerna non sub modio, sed super candelabrum, cujus lux semper ardet, semper *lucet coram hominibus, ut glorificent Patrem qui est in cœlis.*

Num. 8.

Ecclı. 24.

Hanc enim semper gloriam ambivit, nunquam propriam; & ideo lucem suam semper conservavit, nunquam perdidit; nullus eam ventus potuit extinguere, nec adversitatis, nec prosperitatis. Multi in sublimi positi qui lucere videntur veram perdunt lucem, dum propriam ostentant lucem. Ventus inanis gloriæ, antea superbiæ, eam extinguit, & in fumum convertit ad fœtorem. Unicuique ergò attendendum est contra impulsum ventorum; sed qui in sublimi agunt sollicitiorem curam ejus rei debent gerere. Propterea dicebat S. Bernardus: *Si ego latens in caverna, & velut sub modio, non quidem lucens; sed fumigans tamen impulsus ventorum & tentationum nec sic declinare sufficio, sed vento agitatus huc illuc circumferor; quid positus supra montem, positus supra candelabrum?* Ab his ventis superbiæ & cenodoxiæ se tutum conservavit S. Bonaventura admirabilis humilitatis tegmine; quantò enim magis scientia & auctoritate emerserat, eò magis humilitate mentis deprimebatur. Non erat inflatus scientia & eruditione, sed inflammatus Spiritus sancti gratia & charitate. Propterea nec vilia ministeria domestica fastidiebat, nec humilitatis obsequia erga ægros, etiam contagiosos. Partem diei eorum obsequijs gaudebat impendere, & reliquum lectioni & interpretationi publicæ. Sic ubique lucebat, & domi in privato, & foris in publico officio, ubique glorificabat Patrem qui in cœlis est, contemnens propriam gloriam & honorem.

Lux S. Bonav. nunquam fuit extincta.

Epist. ad Henric. Senonem.

Dicamus *tertiò* fuisse *Lucernam ardentem* non solum in candelabro Doctoralis gradus, sed etiam in sublimiori gradu & candelabro, dum Generalis totius Ordinis fuit electus, ac postmodum ad Cardinalitiam dignitatem & Episcopalem evectus. Non ambivit hos gradus, sed timuit. Malebat in nidulo suæ religionis mori, quam in monte collocari. Vnde jam recusarat antea Eboracensem in Anglia Episcopatum, attendens manum scribentem, contra candelabrum, tenentem pondera & bilancem, quibus expendi debent, hi qui in Ecclesiæ candelabro sublimi constituuntur. Tunc que visa ejus constantia & humilitate ei dictum est à Clemente IV. *Sta in testamento tuo, & in illo colloquere, & in opere mandatorum tuorum veterasce.* Verum non potuit detrectare postea obedientiam Superiorum suorum, sive dum in Generalem omni

PARS III. *Electus in Generalem & Cardinalem quomodo luxerit.*

Eccli. 35.

omnium Patrum consensu fuit electus, sive dum à Pontifice Gregorio X. Cardinalitio pileo, & Episcopali pallio est amictus. Sciebat illud Augustini: *Otium sanctum quærit charitas, negotium justum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam sit nullus imponas, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati.* Aug. 19. de civit. c. 19. Imposita est ergò ejus humeris sarcina, ab eo cujus est onera secundum vires unicuique distribuere. Elevata est in sublime Lucerna, ab eò cujus est in Candelabro lucernas collocare, & accendere. Obtemperandum ergo fuit, luxuq; tantò ardentius fundi debuit omnibus qui in domo sunt, quantò sublimior locus extitit ex quo illa conspicienda præluxit.

Anno itaque trigesimo quinto ætatis, decimo tertio ingressus in religionem, dum in Capitulo Romæ convocato, Reverendissimus P. Ioannes de Parma, allegata impotentia Officio Generalis renunciasset (secedens in solitudinem dictam Græcio amore contemplationis, ubi & Angeli ejus sacrificio ministrasse leguntur) ex tanta copia sanctorum ac eruditorum virorum, quibus religio in sua novitate florebat, Bonaventura omnium calculo sine contradictione est subrogatus. Quanto vero ardore, quantaque luce hoc ministerium gesserit, testantur ejus acta, quorum memoria in Ordine Franciscano celebris permansit, & perennabat.

Contigerat in Ordine S. Francisci, terrorem primitus nonnihil deficere. Sicut enim contingit in rebus naturalibus & artificialibus usu temporis aliquis defectus vel corruptio, sic & immortalibus ac spiritualibus. Ferrum quamlibet solidum tempore aliquid cedit, rubigineque vel usu exeditur. Hebr. 8. Domus cura & arte fabre facta sensim deficit, nisi restauretur continuò. Immò *quod antiquatur & senescit propè interitum est*, teste Apostolo. Nec senescere necesse est, sed solus in ætate progressus, continuus est defectus. Processu enim temporis calor & humor primogenius deficit, nisi restauretur. Sicut ergo in vita corporali, sic est & in spirituali, quàdam proportione. Primogenio calori respondet primus fervor spiritus, primigenio humori humilitatis & devotio mentis, &, quod tamquam pabulum est ferventis spiritus, ad vitijs contemplationis rerum cœlestium. Magnus ergo fervor est primordialis Ordinum religiosorum, sed & paulatim tepor irrepit, nisi assiduè renovent spiritum quasi juventutem, & continuò pugnent contra vetustatem. Hic enim tepor accidit multis de causis. *Primo*, ob liberi arbitrij instabilitatem, per quàm fit ut diu in eodem statu vix homo permaneat. *Secundo*, quia nullum violentum est perpetuum, violentiam autem quamdam sibi afferat homo necesse est in multis, si spiritus fervorem velit conservare. *Tertio*, quia gratia Dei, cùm sit donum supernaturale & divinum, in homine conversante in terris est quasi in alieno subjecto, & extra locum naturalem; ubi multiplex ei

Tepor in religione, ex multis causis oritur. 1. 2. 3.

contrarietas à concupiscentia carnis, à mundi illecebris, à fallacia dæmonis. Hanc autem contrarietatem perpetuò superare arduum est. *Quarò*, humanæ conditioni naturæ in terris est, ut licet per 4. gratiam sanetur quantum ad mentem, manet tamen corruptio quoad carnem, per quam servit legi peccati. Sic in vita spirituali semper est conflictus, cui advigilare continuò difficile est: semper est cursus, in quo lassati non paucis contingit: semper est navigatio adverso flumine, in qua perpetuitas conatus vix possibilis est. Anima igitur ob corporis molem lassatur, deficit, sese remittit, & quasi senescit; similisq; fit arcui qui sublata chorda in priorem figuram redit.

Non absonè à nostro proposito dixit Cornelius Tacitus: *Rebus cunctis inest quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita ut morum vertantur.* Hoc etiam in Religionibus sanctis advertimus: cui rei ut remedium afferat Dominus, qui non ignorat figmenti nostri instabilitatem, singulis penè sæculis aliquos providet viros zeli plenos, qui valeant deficientem varijs in Ordinibus instaurare religionem, & ejus juventutem renovare, ac deformia reformare, ut rursus evigilet morum censura, & pietatis vigor velut postliminij jure revocetur.

Ad hunc effectum suscitavit suo tempore S. Bonaventuram & in sublime evexit, in totius Ordinis præpositura eum decorans, ut velut ex altissimo candelabro totius familiæ Franciscanæ tenebras dissiparet flammante suo zelo. Quapropter quicquid sapientiæ, vigilantiæ, prudentiæ, quicquid lucis & ardoris potuit, in hoc impedit ut Seraphicum Ordinem suo redderet primævo splendori & fervori: eumque à fundatoris disciplina paululum declinantem, monendo, instando, castigando, ac operosiùs laborando ad meliorem frugem reduxit. In Capitulo generali, quod primum Narboniæ tenuit, S. Francisci religionem reformavit, & regulam exposuit, ordinemque in provincias & custodias taxavit & duas addidit, inquit Officium 4. die inf. oct. Ac deinceps non destitit, scriptis, litteris, monitis, convocationibus, omnem opem & operam præstare, ut reformationem cœptam promoveret. O quot flammas, quotque emisit hæc lucerna radios, ut scintillas, ut omnium corda accenderet, & caliginem, quam injuria vel incuria temporum affricuerat, dissiparet! Vtique ipse fuit lucerna ardens, totum se in Dei obsequium consumens, vires, omnes, ac vitam. Verè indefessus fuit, atque de ipso illud Propheticum pronunciare possumus; *Vocaberis Ædificator sepium, avertens semitas in quietem.* Alludit Propheta ad venias, quasi dicat: Tueris Occultor aditus, & Isai. 5. dissipator semitarum, per quas belluæ & hostes in vineas & domos irrepunt, ideoque eris auctor quietis. Vinea Ecclesia est. Vinea Religio est, Restauratores ergo disciplinæ Ecclesiasticæ & religiosæ obstruentes aditus per quos vita & dæmo-

nes irrumpunt, & sartam tectam illam custodientes, meritò illud audiunt: *Vocaberis ædificator sepium, avertens semitas in quietem.* Licet hi quandoque ab indisciplinatis vocentur. *Viri rixæ & perturbatores*, quia nimirum eorum perditam libertatem perturbant & amputant. Ideo Propheta, ex quodam naturali sensu doloris dicebat: *Væ mihi mater mea, ut quid me genuisti Virum rixæ.* Quasi dicat. Omnes me Virum rixæ vocant, & eis odiosum & opprobrio, quia nominationes divinas eis infinuo.

Hier. 15.

S. Bonav. ædificator sepium fuit.

Talis ædificator sepium & murorum, ad observationem perfectam regulæ Minorum, fuit S. Bonaventura, restaurans dissipata, infirma confirmans, disrupta consolidans, depravata convertens. Et quamvis Virum rixæ eum nonnulli inclamarint, strenuè nihilominus decretavit adversus venenosas oppugnationes temerariorum obtrectatorum, qui impudentiùs ota solverant, & artificiosis calumnijs belligerabant. Pugnavit scripto publico adversus quendam Giraldum de Abbatis villa, Theol. Magistrum, qui libellum pernicioſum contra Minores ediderat. Atque ille non longè post, justo Dei judicio meritas sceletis pœnas dedit, paralyticus & miseranda lepra respersus, in quibus ærumnis vitam finivit.

Ex his ergo omnibus satis liquet, quomodò in omni statu & gradu Lucerna fuerit, decem & octo annis Religionem S. Francisci in regimine illustrans doctrina & exemplis. Sed & postmodum evectus ad Cardinalitiam dignitatem, lucem toto orbe dedit, in Concilio Lugdun. difficultates tenebrosas dissolvens, quæ in Ecclesia erant præsertim cum Græcis: ubi & præclaram orationem habuit proposito illo themate: *Exurge Ierusalem & circumspice ad Orientem, & vide collectos filios tuos ab Oriente usque ad Occidentem.*

Vide latius Officium die 6. inf. Oct.

Baruch. 5.

Tandem extingui visa est hæc lucerna per ægritudinem lethalem anno ætatis 53. non sine luctu universalis Ecclesiæ, ita ut passim diceretur cum lamento: *Extincta est lucerna Israel.* Nam & Pontifex Gregorius X. lachrymis ejus mortem est prosecutus, ejusque exequijs interfuit. In quibus Cardinalis Ostiensis Petrus de Tarantasia Ord. Prædic. missam celebrans & sermonem proferens, illud assumpsit: *Doleo super te Frater mi Jonatha.* Inter cætera autem, ejus commemorans gratias & dona, asseruit virtutem magnetis instar habuisse; quia solo visu & eloquio in sui amorem alliceret quocunque, ita ut illi mox cederent, ejusque sententiam amplecterentur & consilium, & propterea ejus eloquia & consilia Græcis reducendis plurimum contulisse. Idcircò benedicta ejus lingua centum sexaginta annis post mortem integra & recens est reperta, æquè ac cor, & caput, in ejus translatione anno 1434. Atque ita de ipsa possumus dicere, quod ipse de lingua S. Antonij Paduani, quam 32. anno à morte repererat incorruptam. *O lingua benedicta, quæ Dominum semper benedixisti, nunc patet quàm grata ei fueris; quantique apud eum meriti!* Hæc dicens cum lachrymis, exosculabatur eam.

2. Reg. 21. Fuit hic Cardinalis Pont. dictus Innocent. V. 2. Reg. 1.

Concludamus, & dicamus, per mortem non esse extinctam lucernam hanc ardentem, sed altiùs elevatam, ut luceat in perpetuas æternitates, & ut nos exultemus ad lucem ejus, non ad horam, sed in sæculum sæculi. Micat enim meritis, micat exemplis, micat gloria & luce æterna supra horizontem nostrum. Micat Religioni, micat sæculo, micat cælo, micat toti Ecclesiæ, totique Orbi, Tempori micat & Æternitati. Ergo ad eum vota convertamas.

O Lucerna ardens & lucens, illumina tenebras nostras, nostrum excute teporem. Accende ignem, quo ardens fuisti, in cordibus nostris terrenis & frigidis: ignem quem Dominus voluit te in terram mittere, dum in terra ageres. In cœlum Te tunc elevavit, ut efficaciùs illum in terram mittere è cœlo valeas tuis precibus. Errores ergò dissipa caliginosos in Ecclesia, doctrina tua, & luce, ac meritis, & effice, ut prævia tua luce ad lucem pertingamus æternam.

IN FESTO B. MARIÆ MAGDALENÆ. LECT. 32.

Lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, &c. Luc. 7.

I. PARS. *Quomodo Maria Mag. lacrymis dedos Christi rigarit. Rom. 6.*

PRæclarum est, & seriâ considerationedignum Apostoli Pauli monitum, concernens eos qui peccatis quandoque se contaminârunt, vel etiam in illis insipienter partem ætatis traduxerunt. Sic eos monet: *Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ: Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.* Idem est ac si dicat: Non impono vobis onus importabile à quo possitis vos excusare, sed propono & exposco à vobis id quod humanũ, ad æquum & moderatum, ac facile est: ut scilicet eodem conatu, eisdem animæ viribus, eisdem quoque membris servire Deo studeatis, quibus antea peccato serviviſtis. Hoc obsequij impendite justitiæ & sanctificationi, quod impendistis immunditiæ & iniquitati: Vniuscujusque membri ministerium quod exhibuistis vitijs, nunc exhibete virtutibus. Si lingua assuevit antea juramento, murmuri, blasphemiæ contra Deum, nunc assuescite eam sedulò ad Dei laudem & benedictionem continuam. Si os apertum fuit ad detractionem & scandalum proximi, nunc impendite illud seriò ad ejus ædiacationem. Si manus protendebantur ut aliena diriperent, nunc protendantur ut propriâ largiantur: si fortè vindictæ servierint aut immunditiæ, nunc serviant charitati & puritati, corporisque macerationi. Si oculi ad illicita convertebantur, nunc ad flenda peccata flectantur, & in cœlum revertantur. Si

pedes

pedes prurientes erant ad malum & ad vanitates, & prodigè opes impendebantur; nunc alacres sint pedes ad currendam viam salutis, & opes expendantur ad misericordiam inopum. Denique, si vires & ingenium, aliaque dona naturalia in Satanæ ministerio fuerunt, nunc Dei obsequio sincerè impendantur. An non id justum est? an non humanum, & humanæ rationi consonum? An minus poterat peti, ut eluëretur macula præterita, evaderetur pœna æterna, acquireretur gratia; simulque vita perpetua? Certè Propheta plus exigebat, dum dicit: *Baruc. 4.* *Sicut sensus vester fuit ut erraretis à Deo, decies tantum iterum convertentes requireretis eum.* Quasi diceret: Si lapsi estis, oportet fortiùs resurgere, & decuplare cursum in stadio obsequii divini & veræ virtutis. Sed S. Paulus humanæ se accommodans imbecillitati, par solummodò studium erga Deum requirit illi quod fuit erga peccatum.

Hæc omnia considerans Magdalena peccatrix, ut exhiberet, juxta monitum Apostoli, membra sua justitiæ servire & sanctificationi, sicut exhibuerat, immunditiæ & iniquitati, celeri gressu accessit ad Dominum, stetitque retrò secus pedes recumbentis, oculos urgens ad fletum, capillos impendens ad ministerium, manus occupans per unguentum, os admbens ad pedes osculandum, cor offerens contritum & humiliatum. Hæc quidem in domo Simonis leprosi, ubi meruit audire sibi esse remissa peccata. At nihilominus postmodum, ut etiam Prophetæ monito perfectè obsequeretur & quæ errarat à Deo, decies tantum iterum requireret eum, post conversionem adiit desertum, & in vastam altissimi montis speluncam se conferens, triginta annos impendit admirabili pœnitentiæ & divino obsequio ac amori, ab omni hominum disjuncta consuetudine: quotidieque per id tempus ad audiendas cœlestium laudes septies in altum ab Angelis offerebatur. Hæc post Christi mortem, dum elegit ad pedes Domini continuò sedere, tamquam eligens optimam partem; numquam ab eis separanda, nisi separaretur à vita. Sed quoniam de prima ejus conversione nobis hic sermo, juxta Evangelicam historiam contemplemur membra ejus feliciter sanctificationi servientia, quæ servierant impuritati. 1. Oculos lachrymis fluentes 2. Capillos tergentes lachrymis lotos pedes. 3. Manus unguentum adhibentes. 4. Cor dilectione ardentissimum.

Impuri prius oculi, nunc lacrymarum fontes sunt.

Primò igitur consideratione digni sunt oculi Magdalenæ, qui cùm prius fuerint impuri amoris faces, nunc sunt lachrymarum fontes. O quàm uberes profudêre rivulos hi fontes? Quàm frequenter illa lachrymis & fletui indulsit in recordatione prioris vitæ! Sed pretiosæ hæ fuerunt lacrymæ, pretiosi rivuli quasi rivuli aquæ vivæ, quia potuerunt maculas & reatum mortis eluere, & in vitam usque æternam salire. Si non essent pretiosæ hæ lachrymæ è fontibus his vi doloris & amoris eductæ, non posuisset illas Dominus ante se, quæ retrò secus pedes ejus erant effusæ. Certè illas posuit Dominus in conspectu suo, & in conspectu Pharisæi, & omnium astantium, aut accumbentium, dum dicit Simoni: *Aquam pedibus meis non dedisti, illa autem ex quo intravi non cessavit lachrymis rigare pedes meos.* Vide quàm Christo gratæ sint hæ lachrymæ, ita ab eo collaudatæ, ita acceptatæ, non solùm tamquam in lavacrum pedibus profusum, sed etiam velut in vinum ab ipso in hoc convivio convivis repræsentatæ. Potuit utique Magdalena cum certitudine illùd postmodum pronunciare: *Deus vitam meam annunciavi tibi, posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.* *Psal. 55.* Si teste Bernardo, *Lachryma pœnitentium vinum sunt Angelorum*, quia his maximè delectantur tanquam liquore pretioso quem possunt offerre Deo, quidni etiam dicere possumus: *Lachryma pœnitentium vinum sunt Regis Angelorum*, quandoquidem nihil ei offerri gratius potest? Audi S. Chrysol. *Pharisæi dominum Christus intrat, non accepturus Judaicos cibos, divinam misericordiam largiturus: non accubuit poculâ soporata melle, floribus odorata sumpturus, sed pœnitentis lachrymas ex ipsis oculorum fontibus potaturus. Delinquentium gemitus esurit, sitit lachrymas pœnitentium Deus.* *Serm. 9.* Hoc sciebat Magdalena, quæ eas cum fiducia recumbenti Domino offert in convivio, ut dignetur ponere illas in conspectu suo, & convivantibus proponere.

Magdalena lacryma sacrificium Deo.

Sed non solùm ad tempus eas in conspectu suo posuit Dominus, imò in æternum servat tamquam quid pretiosum, tamquam acceptabile sacrificium. Audi quod hac de re legimus in lib. de Viris illustribus Ordinis Cistertiensis. Frater quidam pro peccatis contristatus, fletibus finem imponere recusabat, quia sine cordis contritione sciebat non obtineri peccati veniam. Cum verò, *Volumen timoris Dei, in quo sunt scripta Lamentationes & Væ, salubri amaritudine diu ejus conscientiam amaricasset; per divinam gratiam Membra charitatis Dei, in quæ scriptum est Carmen*, facta est in devotione cordis ejus tamquam mel, dulcis. Nam in sua amaritudine solatus est eum DEUS, quia nocte quâdam vidit Dominum IESUM, quasi sacris vestibus indutum, offerentem sacrificium. Vertens autem se ad populum, rollebat calicem de altari, & cunctis adstantibus offerebat videndum. Nihil verò in illo erat præter lachrymas, quibus Magdalena ejus pedes rigârat in domo Simonis. Cumque Frater dictus ad pedes Domini positus hæc videret, percunctatus est: *Obsecro Domine, cur ostendis calicem illum cum lachrymis?* Respondit Dominus: *Ut sciant omnes quantum placeat cordis contritio, ad exemplum pœnitentium tamdiu servavi lachrymas hujus peccatricis ad pedes meos pœnitentis.* *Ezech. 3.* Hæc ibi.

Quæ petit, lacrymis impetravit.

Gratæ igitur sunt semper Deo lachrymæ; multipliceisque Magdalena dum fudit, semper quod desiderabat, impetravit. Lachrymis compassionis super Lazarum, ejus resuscitationem obtinuit.

Lachrymis doloris super Christum meruit consortium Crucis. Lachrymis amoris ad sepulchrum, meruit nuntium resurrectionis. Lachrymis compunctionis ad pedes Domini indulgentiam impetravit. Et hæc quidem plenissima fuit indulgentia, omnia ejus obliterans peccata, ita ut propterea rursus possit dicere : *Deus vitam meam annunciavi tibi, posuisti lachrymas meas in conspectu tuo*; vel ut alia lectio habet : *Posuisti lachrymas meas in libro tuo.* Ad quem verò effectum in libro ? Ad obliteranda peccata ibidem scripta ab eo cui dicit Iob : *Scribis contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.* Ætatis ergo lubricæ peccata omnia lachrymis compunctionis delevit Magdalena retrò pedes Domini. Audi S. Chrysost. *Peccata tua in libro scripta sunt, lachrymas mitte, & purus liber invenitur spongia instar sunt lachrymæ. Magna lacrymarum est vis. Vis dicam ? Martyrium munus est virtutis maximum quia Martyres sanguinem fundunt : at peccatores lacrymas fundunt. Et ut quanta sit vis lachrymarum intelligas, meretrix illa sanguinem an fudit ? Lachrymarum fontes fudit, & sic peccata diluit.* Hic ergo primus fuit fructus lacrymarum Magdalenæ : non enim solum illis abluit pedes Domini, sed & animam suam à sordibus peccatorum emaculatam reddidit. Nam ideo lavit pulverem pedum Christi lachrymis suis, nec pedes illi ob peccata sua pulvere aspersi, contra ipsam tandem testimonium darent, & pulvis ille excuteretur in eam in opprobrium sempiternum. Sic enim dixerat Dominus Apostolis quot mittebat ad animarum conversionem : *Quicunque non receperint vos, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos.*

Propterea monebat S. Ambrosius lib. 2. de pœnitentia Magdalenæ exemplo, ut lacrymis pulverem istum & peccata nostra diluamus ; Ita ipse loquitur : *Absterge lacrymis peccata tua. Sic mulier in Evangelio fœtorem sui erroris absterst, sic culpam diluit, dum lachrymis pedes* IESV *lavit. Vtinam mihi quoque lutum pedum tuorum reserves Domine* IESV, *quos dum in me deambulas coinquinasti. Vtinam sordes vestigiorum tuorum detergendas mihi offeras, quas ego actu meo totis affixi gressibus. Sed unde mihi aqua viva, quâ tuos possim lavare pedes ? Si aquam non habeo, habeo lachrymas, quibus dum tuos pedes lavo, utinam me ipsum diluam ; & mihi dicas : Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum.* Rursus idem S. Ambrosius inquirit, cur non lavit pedes suos Christus cum discipulis suis in ultima cœna ? Respondet huic ipse quæstioni : *Ideo non lavit, quia nobis servabat eos lachrymis lavandos.* Sed an forsitan ideo non lavit, quia jam à Magdalena loti erant & terst, & nemo pretiosiùs eos lavare posset nemo puriùs tergere ?

Sed quoniam hanc æquare non possumus, (quæ omnibus magisterium præstitit, non solùm lachrymis lavando pedes Domini & eos tergendo, sed etiam pretiosè ungendo) rogemus ut lachrymas det compassionis super nos, sicut super Lazarum, qui figuram gerebat peccatoris. Lachrymas ejus acceptabit Dominus pro nobis, quandoquidem nostræ desint lachrymæ ; dignabiturque venire ipse, & super nos illachrymari, ut absterganter peccata nostra ut dissolvantur vincula, ut fœtor absteigatur cadaverosus, & reddatur vita ac salus ; sicque transeamus antea vincti ; de sepulcro ad libertatem, de tenebris ad lumen de operibus mortuis ad vitam & gratiam spiritualis resurrectionis. Hoc potest Christus voce sua efficere, hoc Magdalena lachrymis suis impetrare si mores mutare velimus, & eam cum devotione crebrò invocare.

Audi hujus rei memorabile exemplum ex Chronicis Carthusianorum. Quidam Stephanus nomine, Flander natione, Clericus in sæculo, omnibus erat deditus flagitiis, nec ea quæ salutis erant, audire volebat. In beatam tamen Magdalenam singulari ferebatur devotione, in cujus honorem quotannis jejunabat in vigilia festivitatis ejus. Cùm autem semel Magdalenæ tumulum visitaret, apparuit ei ipsa, nec ex toto dormienti, nec ex toto vigilanti, lugubres gerens oculos quasi lachrymis immadentes, duorumque Angelorum à dextra & à sinistra sustentabatur præsidio. Dixitque ipsi : *Quare, ô Stephane, indigna meis meritis facta rependis ? Cur labiorum meorum instantia nullâ compunctione moveris ? Ex quo amore meo flagrasti, unica fui pro te in cœlis apud Deum mediatrix & advocata. Surge ergo, conscientia noxas detege, & pœnitentiam age, nec ego te deseram, donec Deo plenè fueris reconciliatus.* Mox ergo ipse tantam sibi sensit infundi gratiam, ut in animum induxerit sese Dei perpetuo mancipare obsequio. Itaque sæculo abrenuncians, aliis & pœnitentiæ & perfectissimæ vitæ exemplar fuit. In ejus autem morte visa est Maria Magdalena juxta feretrum cum Angelis adstare, ac ejus animam quasi columbam candidam, cum laudibus in cœlum efferre. Nimirum is qui fuerat antea tamquam niger corvus crocitans, intercessione Magdalenæ recensitus est inter *columbas lacte lotas ; quæ residunt juxta fluenta plenissima* lachrymarum.

II. PARS. *Cur capillis suis pedes Christi terserit.*

SEcundò contemplemur capillos Magdalenæ, de quibus dicit Evangelista : *Lachrymis rigabat pedes, & capillis capitis sui tergebat.* Quia illi capilli servierant vanitati & peccatis (vexillum enim superbiæ fuerant & vanitatis, multasq; animas implexuerant, & ad luxuriam pellexerant) ideo vult ut jam serviant Christi obsequio, & dedicat eos humilitati ac veritati. Nihil enim vult ultra apud se manere impurum, nihil quod in Redemptoris non vertatur obsequium. Ideo impuritatem crinium lavat unda lachrymarum, sicque eos lotos impendit ad Domini pedes tergendos. De hac re sic loquitur S. Chrylologus. *Capillis capitis sui tergebat pedes Domini, ut juxta Psalmistam verticem capilli, ex quo ambulaverat in delictis suis, in sanctis-*

Ioan. 11. Luc. 23. Ioan. 20. Luc. 7.

Psal. 55.

Iob. 13.

Hom. 2. in Psal. 50.

Fructus lacrymarum S. M.

Luc. 9.

Ambr. l. 6. in Lucam c. 7.

Dorlandus Cluniac. Cart. l. 5. Iacobus de Voragine c. 90. de M. Magdalena.

Cant. 5.

Psal. 67.

Serm. 93.

sanctitatem tali verteret servitute. Verè servitus humilis & Christo gratissima, quam Christus coram Pharisæo sic collaudat: *Intravi domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti; hæc autem lachrymis rigavit pedes meos, & capillis capitis sui tersit.* Hoc amplificans S. Paulinus sic alloquitur Pharisæum: *Tu Pharisæe, pedes Christi nec linteo, illa crine detersit. Quos tu indignè nec manibus contingere voluisti, illa oculis & crinibus mulcere non destitit.* Epist. 4. *At certè tu potius hoc ministerium in domo tuæ hospitii recepto debuisses, si vel exemplo Patrum fas hospitale servasses. Sed sufficit vobis ad superbiam jactare Patrem Abraham, & ideo te illa prævenit, qua affectu fidelis se potius Patris tui filiam comprobavit: à quo te degenerem etiam ista inhumanitas arguit, quâ dedignatus es lavare pedes Domini, cum & Abraham Angelorum & Dominus laverit & servulorum.*

Felix igitur Maria Magdalena, & sapiens, felices quoque capilli ejus, qui cùm antea fuerint aliis laqueus, & quidam luxuriæ nidus, nunc illis illaqueat sibi Christum, vel potiùs se Christo illis colligat. Certè de ea verè Christus potest dicere: Cant. 4. *Vulnerasti cor meum in uno crine colli tui, in uno oculorum tuorum.* Quasi dicat: Vno ictu & jactu oculi in me, & uno ferto crinium tuorum potuisti me vulnerare, ad me accurrens charitate vulnerata, flentem oculum in pedes meos convertens, & crines impendens ad tersionem. Itaque quod dicitur, *in uno crine*, id est, uno flocco crinium, sive in una trica quâ musti crines colligantur in unum. Sic cùm Iudic. 16. de septem crinibus Samsonis fit mentio, per septem crines intelliguntur septem tricæ & flocci colligantes crines Samsonis, ut patet ex septem Interpretibus. Solent amantes magnificare capillos amasiarum suarum, immò & illos pretiosè servare, si quos in pignus amoris possint ab eis habere. Ita maximi facit Christus Magdalenæ amantis capillos, sic sibi amorosè impensos & dicatos. Res quidem vilis capillus videtur, cum & capitis sit quoddam excrementum: Quanti tamen Deus fecit crines Sampsonis notum est ex historia ejus. Non enim solùm erant ornamentum capitis ejus, sed etiam Spiritus S. habitaculum, & omnium donorum sibi à Deo concessorum symbolum. Quantò magis æstimandi Magdalenæ crines, quibus tale Christo obsequium præstitit, quibus dignatus est ipse tergi? Certè, vel ex ejus solo attactu miram potuerant elicere sanctificationem & virtutem. Vnde Luc. 21. si ille omnibus electis dicitur: *Capillus de eorum capite non peribit*, quia omnes à Deo specialiter numerati sunt, nec inanis est coram Deo ullus eorum, & in resurrectione omnes reddentur, ut cum corpore glorificentur: quid de capillis Magdalenæ ita sanctificatis dicemus? An ullus illorum peribit? An non specialiter à Domino numerati sunt? An non specialis gloria in resurrectione corporis in illis refulgebit coram electis Dei? Propterea etiam hodie aliqui ex his capillis pretiosè asservantur in Ecclesia, quæ ei dedicata est in eo monte, ubi pœnitentiam totâ vitâ egit, in quo & omnes capillos perfectissimè Christo dedicavit, capillos inquam, omnes tam corporis quàm spiritus. Solent enim per capillos, tanquam per quoddam symbolum cogitationes in Scriptura S. designari, quas pedibus Christi totâ virâ consecravit & substravit Magdalena, & nos idipsum facere docuit:

Hinc ad exemplum Magdalenæ pœnitentis, & Christo sese offerentis Virginibus clausura ingredientibus, & vitam novam profitentibus, capilli tondentur: quos pedibus Christi jam censentur advolvere, non solum significantes se in illis nolle ultra gloriari, sed etiam omnem intentionem & cogitationem se illi vovere quem Sponsum eligunt. Nam & olim quoties vir aut mulier se Deo consecrabant, ut essent Nazaræi, oblato sacrificio tondebantur. Hæc enim sunt verba Dei ad Moysen: Num. 6. *Tunc radetur Nazaræus ad ostium tabernaculi fœderis cæsarie consecrationis suæ, tolletque capillos ejus, & ponet super ignem qui est suppositus sacrificio pacificorum.* Sic scilicet consecrabatur Deo cæsaries. Propterea etiam qui monastico instituto olim addicti erant, priùs tondebantur, ut docet S. Dionysius, Hierarchiæ Ecclesiast. c. 6. parte 2. & 3. ubi dicit: *Tonsura crinium, vitam mundissimam significat, & nullatenus fucatam, qua nullis fictis coloribus animo inductis deformitatem exornet, sed ipsa in seipsa ad exactam Dei similitudinem properet.* Sed & Vestales olim Virgines ad arborem, *Lotos* dictam, capillaturam suspendere solitæ erant, illiusque arboris Fructus adeo suaves fuisse dicuntur, ut non possent divelli quicumque eorum suavitatem degustassent, quin & patriæ oblivionem arbor illa inducebat. Certè Magdalena ad arborem crucis suam suspendit capillaturam, cujus fructus suaviores sunt quàm arboris Lotos, illique adhærens arbori, oblita est prioris vitæ, omniumque affectuum terrenorum. Quapropter cùm capilli, ut diximus, Symbolum sint cogitationum, de ea rursus verum est illud: Cant. 7. *Coma capitis tui sicut purpura Regis vincta canalibus.* Quasi diceremus: Cogitationes tuæ purpureæ sunt, sicut & Christi caro purpurea est in cruce, est enim ipsa velut purpureum paludamentum Regis nostri: tu verò de illa purpura semper cogitas, & in vulnerum ejus canalibus capillos animi tui, hoc est cogitationes immergis, ut eâdem tinctura amoris divini, eodem purpureo colore imbuantur. Iterum hic Magdalenam imitabantur animæ piæ, quæ nihil aliud cogitant, nihil aliud se scire profitentur nisi IESVM & hunc crucifixum, in vulneribus ejus hærentes & sanguine ipsius se continuò respergentes, foventes memoriam & vulnerum ejus, & cruoris tanto amore pro nobis effusi.

Virgines religionē ingredientes capillos, deponunt.

Et olim cæsaries Deo consecrabatur.

Virgines Vestales ad arborē suspendebant capillaturā.

Concludamus de his Magdalenæ capillis, & consideremus quàm longè feliciorem finem consecuti sunt, quàm capilli Absalonis, licet simili quondam servierint vanitati. Ecce coram oculis nostris pulcher inter adolescentes Absalon; Ecce &

Magdalena speciosa inter juvenculas: ambo propter speciositatem sunt celebres, ambo propter crines & cæsariem: utrobique mundanæ gloriæ & lasciviæ instrumentum capilli, utrobique indiscrimen animas adducunt discriminati crines. Sed vide differentiam, finemque longè diversum. Magdalenæ capilli ad arborem vitæ IESVM religantur, & quot ibi crines tot sunt vincula quibus Christo cor ejus colligatur, sicque fiunt instrumentum veniæ, qui prius vexillum erant lasciviæ. At verò cæsaries Ablalonis fit ei tandem laqueus perditionis, dum ad funestam arborem capilli casu colligantur, ubi miser pendulus hæret inter terram & cœlum, utroque indignus. Sic à coma arboris coma capitis ejus tenetur, ubi paternum diadema gestare ambiebat: ibique lucet justitia Dei, dum tot creaturæ Deo famulantur ad ejus vindicandam ambitionem. Mulus adducit, crines ligant, arbor suspendit, rami vindicant, terra non vult ultra parricidæ gressus suscipere, immò & Ioab transfigit, qui à Patre vineam antea impetrarat. Sic adimpletur illud: *Convertetur iniquitas ejus in caput ejus, & in vertice ipsius descendet.* O nimis plangendum adolescentem, adolescentem florem, qui adeo extremam venit in sortem! Seipsum agnoscere noluit, & suam deflere noxam, ideo tot lachrymis à Patre defletur, & quidem inconsolabiliter: *Quia sciebat ei obstructam exitum de ventre mortis mole criminis*, inquit S. Bernardus.

Comparatio Absolonis & M. Magdalenæ, & differentia.

Psal. 7.

Cum Magd. non pœnit. eũ Absalone pereunt.

O quam multi, ut Magdalena & Absalon, capillis & venustate abusi peccant; sed ut Magdalena non pœnitent, ideoque cum Absalone pereunt! Vnde fit monet Tertullianus in crinibus gloriantes. Quid crinibus vestris quiescere non licet, modò substrictis, modò relaxatis, modò suscitatis, modò elisis? Aliæ gestiunt in cincinnis coercere, aliæ ut vagi & volucres elabantur num bona simplicitate. Affigitis præterea nescio quas enormitates futilium atque textilium capillamentorum. Minus quod contra Domini præcepta contenditur. Ad mensuram neminem sibi posse adjicere pronunciatum est. Vos adjicitis ad pondus collyridas quasdam sputorum umbilicos cervicibus adstruendo. Si non pudet enormitatis, pudeat inquinamenti; ne exuvias alieni capitis, forsitan immundi, forsitan nocentis & gehennæ destinati, sancto & Christiano capiti suppares. Deus vos velari jubet, credo ne quorumdam capita videantur. Atque utinam miserimus ego in illo die exultationis vel inter calcanea vestra caput elevem, videre an cum cerussa & purpurisso & in illo ambitu capitis resurgatis; an taliter expictam Angeli in nubila sublevent obviam Christo. Hæc Tertull. Declamant & alij Patres acriter contra capillorum miram vanitatem, & contra cultum corporis ambitiosum. Videri potest S. Gregorius Nazianzenus Oratione speciali hac de re, & S. Cyprianus, Tract. de habitu Virg. Si verò id culpabile in fœminis, quanto magis in viris, qui se effœminant, apertam professi mulierositatem, ut loquitur Tertullianus? Audiant ergo viri, audiant & mulieres monitum S. Paulini ad Severum de Sampsonis & peccatricis capillitio: *Habeant sanè capillos, quibus juxta illam Evangelicam peccatricem vestigia Christi tergant, & sapientia pedibus implicentur, ut aliud nisi sapientiã amare, nisi virtutem amplecti, nisi pudicitiam osculari nesciant, & ut extremo saltem rore verbi cœlestis aspersa dicant: Ros qui abs te est, sanitas est nobis. Ornet Christi gratia, non capilli; castitatis gemma, non lapides; & operùm in his, non odorum flagret unguentum. Meminerint se filias illius Regis cujus gloria est ab intus; intelligant cur Apostolus eas velari voluerit, propter Angelos illos ad seductionem paratos, de quibus Sancti judicabunt. His enim petulantius infirmiora vasa pertentant, sicut non Adam sed Evam coluber est aggressus. Alioqui va unguento delibutis, & qui gloriantur in crinibus.* Hæc S. Paulinus.

Lib. de velo Virg.

Epist. 4.

1. Cor. 11.

1. Cor. 6.

Lib. de cultu fœminarum.

TErtiò, contemplemur manus Magdalenæ cum unguento pretioso ad unguendos pedes Domini. Hos jam lachrymis laverat, & capillis terserat, non quod linteum deesset (nam quæ attulerat unguentum pretiosum, etiam linteolum aut sudarium habere poterat) sed capillis propriis obsequium præstare Domino in satisfactionem prioris culpæ volebat. Nunc ulterius progreditur, & pedes Iotos honorat unguento odorifero. An quæris rationem? Inprimis, dici potest ex more antiquo convivii id fecisse, quandoquidem mos fuerit olim convivas ungendi. Hoc colligitur ex verbis Domini ad Simonem: *Caput meum non unxisti.* Significat Dominus hoc non esse insolitum, dum convivæ hilariter & liberaliter excipierentur. Confirmat & illud: *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis.* Idem est, ac si diceretur: Dum Rex in mensa recumberet, unguento nardi odorifero eum perunxi. Sumebant enim antiqui cibum recumbentes in lectis, cubito innixi, & in orbem circum mensam positi. Inde quoque colligere potes, quam facilè mulier ad pedes recumbentis retrò accedere potuerit, tum ut uberrimis lachrymis diluere, tum ut capillis tergeret, ac deinde unguento perungeret. Sic iterum accessit hæc Magdalena ad Christum recumbentem, habens unguenti pretiosi alabastrum, & effudit super caput recumbentis, & repleta est domus tota odore. Atque etiam tunc pedes unxisse indicat Ioannes, quod à more convivarum illius temporis non fuit alienum.

III. PARS. *Cur unxerit pedes Iesu.*

Olim fuit moris ungere convivas.

Cant. 1.

Matth. 26.

Ioan. 12.

Sed quoniam Magdalena non unxit hic caput, quod magis solitum fuit, sed tantùm pedes Domini, ideo unctio illa non tam convivalis pro more ordinario, quam mystica fuit & sacra. Hoc enim singulare in Magdalena reperitur, quod ad Christum advenerit non ad quærendam corporis sanitatem, ut alii, de quibus passim in Evangelio, sed purissima in Evangelio, sed purissima intentione

Vnctio hæc S. Magd. fuit mystica.

tione ad quærendam peccatis suis medelam, animæque sanitatem. Caput ergo si modo non unxit, humilitas in causa fuit, & ob peccata conceptus pudor erubescentia. *Non fuit ausa ad caput Christi venire, sed lachrymis pedes lavit, quasi vix etiam pedibus ipsis digna, præ tristitia operante pœnitentiam in salutem stabilem,* inquit Origenes, Propterea etiam retrò secus pedes Domini venisse, dicit Evangelista: *Quia reus animus post tergum stat ad veniam, qui per culpam novit se vultus fiduciam perdidisse,* inquit S. Chrysologus ser. 93. *Venit ergo satisfactura Deo, non homini placitura: venit pietatis illa, non voluptatis exhibitura convivium.* Itaque beatæ manus Magdalenæ preciosa nunc ferunt unguenta pedibus Domini, significatione mystica.

Tract. 35. in Matth.

Primò, ut manus quæ antea servierant peccato per impuros tactus, nunc serviant justitiæ, non solum capillos adhibendo ad tergendum sordes pedum Domini, sed etiam unguento illos cum pietate, & cum puritate tangendo. Inique ergo murmurat Pharisæus: *Hic si esset Propheta, sciret utique qua & qualis est mulier qua tangit eum.* Mulieres malæ tactus urit malè conscium, parem polluit, suspectum notat, hominum malæ voluntatis infamat: cæterum peccatrix fit bona, fit sancta, fit innocens, cùm tetigerit veniæ Largitorem. Stercora contingunt, sed non inquinant Solem. Medicum, cùm tangit vulnera, putredo non polluit. Iudicem, quamvis tangat reus, non potest maculare, cùm supplicat. Sic peccator, cùm Dominum tangit, non Dominum sordidat, sed ipse & peccato caret omni, & subitò rapit sanctitatem. Probat hoc mulier in profluvio sanguinis constituta, quæ ut tetigit fimbriam Domini, non fimbriam polluit, sed ipsa mox inquinamento vetustæ caruit Passionis. Ita hic ratiocinatur S. Chrysologus serm. 94. Rectè ergo mulier unguentum, quod sibi antea turpiter exhibuerat, jam Christi pedibus laudabiliter offerebat; ut quicquid servierat ad vanitatem & ostentationem mollitiemque carnalem, jam serviret ad sanctificationem & satisfactionem.

Secundò, ideo unguentum preciosum tulisse censenda est, ut fœtorem peccati, quo Deo maximè displicuerat, quantum in se est, hoc pietatis obsequio odorifero extinguat. Immò & fœtorem extinguere patat, quem toti dederat civitati impura sua conversatione, ita ut diceretur de ea: *Ecce mulier in civitate peccatrix*: De illis nimirum erat, qui diffluentes ad omnia oblectamenta dicunt: *Unguentis nos impleamus, non pratereant nos flos nostri temporis: coronemus nos rosis, antequà marcescant; nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra.* Sed dum unguentis odoriferis se replent, & rosis coronant, nonnisi fœtorem exhalant coram probis & sapientibus, contemnunturque & conculcantur; Nam, *quasi stercus in via mulier fornicaria conculcabitur.* Nihil nempe illâ vilius, nihil despicabilius, uihil fœtidius. Atque ut dixit S. Chrysost. *Sepulchra sunt meritricum diversoria, cum multo fœtore multa putredine sunt repleta.*

Sap. 2.

Eccli. 9.

Hom. 29. ad pop.

Tertiò, hoc unguento odorifero dare vult exemplum pœnitentiæ omnibus peccantibus, & illos suo odore ad Christum attrahere: Replevit enim totam domum odore hujus unguenti, hoc est totam Ecclesiam, imò & cœlum totum. Ideo potest dicere: *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis,* quia Christum Regem gratiæ & gloriæ hoc odore attraxit ad sibi impertiendam peccatorum remissionem, simulque Angelos ad contemplandam odoriferam ejus pœnitentiam, humilitatem, charitatem. Denique hæc unguenta Magdalenæ in hunc usque diem spirant, & in sæcula spirabunt odorem suavissimum, ita ut illi dicere possint, quælibet animæ pœnitentes: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.*

Cant. 1.

Quartò, precioso hoc unguento ungit pedes Domini, quia jam agnoscit quâ illi sint speciosi, quamque preciosi. Novit jam illud: *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* Agnoscit se tenere pedes illius de quo scriptum est: *Egredietur diabolus ante pedes ejus, ante faciem ejus ibit mors.* Ideo & ipsa jacens ad hos pedes liberatur à dæmonis servitute, liberatur à peccati morte, & propterea ei dicitur: *Vade in pace.* Itaque quod facit hæc mulier, *non est mollis & carnalis obsequij, sed plena humanitatis est Sacramentum,* inquit S. Chrysologus, *quia in capite Christi Deus est, in pedibus evangelizantium pacem, per quos prædicatus venit ad fines terræ.* Beatæ ergo manus hujus mulieris, non quod candidæ sint, aut gemmis ornatæ, aut monilibus brachiolisque fulgidæ, sed quia unguentum ferunt omni sæculo duraturum in odore, totque mysterijs & sacris significationibus repletum in veritate.

Rom. 10.

Abac. 3.

IV. PARS. *Quomodo Mag. multum dilexerit.*

POstremò contemplemur cor Magdalenæ ardentissimo flagrans amore: Hunc amorem produnt oscula pedibus impensa Domini, & toties repetita: *Hæc ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos,* inquit Dominus. Non est locuta Maria ingrediens ad Dominum, sed tamen omnis ejus actio tacita est elocutio. Clamabat corde, ore dum figit oscula. Præ vehementissimo dolore cordis, præ contritione & confusione grandi, ne verbum quidem promit, sed intus animus se premit: & quia non potest dolor verbis exprimi, aut amor, vult ut illum eloquantur, quoad fieri potest, lachrymæ & fingultus: capilli, & unguenta, pedumque repetita oscula. Est autem osculum symbolo vel reconciliationis, vel amicitiæ, vel reverentiæ, vel devotionis. Omnia hæc in Magdalena reperiuntur, quæ osculatur pedes Domini in signum reconciliationis, in signum reverentiæ, in signum pietatis & devotionis, in signum denique perfecti amoris. Dicetur videtur cum S. Paulo. *illum amemus, quem amare debitum est. illum osculemur, quem oscu-*

Opuscula quæ symbolia.

Epist. 4.

oculari castitas est. Illi subjiciamur, sub quo jacere est supra mundum stare. Propter illum dejiciamur, cui cadere resurrectio est. Illi commoriamur, in quo vita est. Hæc erat loquela cordis & amoris ejus ad pedes Domini. Ferebat illa alabastrum visibile, unguento pretioso plenum: sed ferebat & alabastrum invisibile Spirituali unguento invisibili refertum, cor plenum scilicet aromaticis speciebus contritionis, & unguento amoris, mirum spirans odorem. *Hom. 6. in Matth.* *Eaque insecreto mentis agitabat, multo erant ferventiora illisque extrinsecus faciebat, multoque majora quæ tantummodo Deus ipse cernebat,* inquit S. Chrysostomus. Ideo Dominus testatur de ea: *Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* O præclara veritatis & sapientiæ, quæ falli nequit, aut fallere, testimonium, coram omnibus datum. Certè si cor ejus penetrare potuissent, qui malè de ea judicabant, & siniſtrè omnia interpretabantur, invenissent in corde ejus scriptum hoc Elogium *Dilexit Multum.* Non dicuntur ei peccata remissa, quia flevit, quia tersit, quia capillos impendit, quia unxit; sed quia *dilexit multum*: omnia ista operabatur intus ardens dilectio, nam & ista omnia exigua forent, nisi à dilectione procederent.

Omnium testimonio S. Magd. dilexit multum. Neque solùm Dominus, sed etiam quicunque postmodum Magdalenam contemplati sunt, aut cum ea sunt conversati, testimonium potuerunt ejus dilectioni perhibere.

1. Interroga Discipulos, quid de Magdalena sentiant? Respondebunt tibi: *Dilexit multum,* quia in die Passionis ardens amore adhæsit Cruci, cum nos frigidus pavor huc illuc dispersisset: & præ dilectione non sufficit ei semel Domini pedes tergere, sed & caput & pedes unxit jam instante Passione, quasi illi valedicens, quem diligebat anima ejus, & præveniens unctionem sepulturæ. *Matt. 26.*

2. Interroga Lazarum fratrem, ac Martham sororem, quid tandem sentiant, de sorore sua Magdalena, quem antea nullis monitis avertere potuerant à lubricis viis? Respondebit tibi Lazarus: *Dilexit multum,* quia sua dilectione vitam mihi à Dilecto suo impetravit. Respondebit idem & Martha, quæ non poterat eam vel ad morulam separare à pedibus illius, quem diligebat toto corde, ab ejus ore haurient verbum vitæ.

3. Interroga Matrem Domini, quid sentiat de Magdalena? Respondebit: *Dilexit multum,* quia & indivulsè mihi se præbuit comitem, dum Filius meus procederet ad Crucem, & Cruci mecum adstitit usque in finem, ejusque lachrymæ lacrymis meis semper comites fuêre.

4. Interroga alias mulieres Evangelicas, quid judicent de Magdalena? Respondebunt: *Dilexit multum,* nobis enim abeuntibus à monumento, illa noluit recedere, ibi flens præ amore, & huc illuc circumspectans, ut illum inveniret, quem diligebat anima ejus. Quæsivit & invenit.

5. Interroga Angelos, quid sentiant de Magdalena? Respondebunt: *Dilexit multum;* quia vidimus eam sepulchro adhærentem præ amore, & discipulis ac alijs mulieribus recedentibus non recedentem, & allocuti sumus eam ut consolaremur, sed nemo poterat tergere ejus lachrymas, nisi manus illius quem diligebat, præ cujus amore plorabat; quærebat Creatorem, nulla eam poterat consolari creatura.

6. Interroga rupes & arbores, cum quibus triginta annos egit in solitudine, quid de Magdalena dicant? Respondebunt: *Dilexit multum;* audivimus enim crebrò ejus clamorem præ amore & dolore, ob absentiam Dilecti. Echo amoris & doloris inter abrupta petrarum sæpius resonabat.

Videre ergo licet ex his, quam meritò cordi ejus circumscriptum dicamus illud Christi Elogium, *DILEXIT MVLTVM.* Etenim dilexit multum in conversione, quia ejus cor ardens erat amore, lachrymas stillans odoriferas, sicut solent rosæ in distillatoria fornace: *Factum est cor ejus tamquam cera liquescens,* ut in illo imprimeretur sigillum divini amoris & imago perfecta illius, propter quem priores omnes relinquebat amores, ornatus monilia, & quæcumque mundus æstimat. Dilexit multum post conversionem, quocumque sequens Dominum, & ad pedes ejus hærens, in triclinio, in patibulo, in sepulchro, in deserto. Si initio conversionis ei dictum est, *Dilexit multum*; quid post tot annos, quibus semper crevit in dilectione & sanctitate? Dilexit ergo constante & perseverante amore, ab eo tempore quo illum testata est lachrymis, unguento, osculis, capillorum tersione: nam ex eo tempore nunquam intepuit ejus amor, sed increvit. Sed dilexit multum in vita, & in morte, donec pertigit ad consummatam dilectionem in beata æternitate. O beatam cor, seraphico nunc incensum amore, sine dolore! *Psal. 21.*

Conclusio. O Beata Magdalena, ô Pœnitens sancta, concede nobis mutuò lachrymas tuas, ut eas valeamus Domino offerre, quia proprias nequimus reperire. Concede & capillos illos beatos, quibus Domini pedes valeamus tergere, nosque illi, & ipsum nobis, felici vinculo colligare. Præbe & mutuò unguentum tuum odoriferum, quo & ejus pedes & caput valeamus ungere, ut illius odore nostrorum fœtor dissipetur peccatorum, ficque Christi bonus odor in nobis fiat in acquisitionem vitæ. Denique, da nobis partem flammæ è corde tuo exsilientis, qua accendamur vera dilectione, & Christum sequamur, sacri Deum amoris, tuo præeunte exemplo, in nostra conversione, in vita, in morte, in tota denique æternitate.

* *
*

ORA-

ORATIO AD S. MAGDALENAM 30. versibus constans: In honorem annorum 30. quos in deserto peregit.

Dulcis amica Dei, lachrimis inflectere nostris,
Atque humiles attende preces, nostraque saluti
Consule: namque potes, nec enim tibi tangere frustra
Permissum, gemitusque pedes profundere sacros,
Et nitido siccare comâ, ferre oscula plantis,
Itaque caput Domini pretiosos fundere odores.
Nec tibi congressus primos à morte resurgens,
Et voces audire suas, & membra videre,
Nequicquam dedit atherei Rex magnus Olympi.
Viderat ille cruci harentem, nec dira paventem
Iudaica tormenta manus, turbaque furentis:
Sed mœstam intrepidamque simul, digitisque cruentos
Tractantem clavos, replentem vulnera fletu.
Viderat hæc, inquam, dum pectora fida suorum
Diffugerent, pellente metu. Memor ergo revisit
Te primam inter alios. Tibi se prius obtulit uni.
Te quoque digressus terris, & ad astra reversus,
Annis ter denis aluit sub rupe jacentem,
Divinis contentam epulis, & rore salubri,
Hic inclusa lubens, longis vestita capillis,
Veste carens alia, ter denos passa Decembres
Diceris: hic non fracta gelu, nec victa pavore.
Nempe famem frigus, durum quoque saxa cubile,
Dulcia fecit amor, spesque alto pectora fixa.
Hic hominum non visa oculis, stipata caterva
Angelicis, septemque die subvecta per horas,
Cœlestes audire choros, alterna canentes
Carmina corporeo de carcere digna fuisti.
Dulcis amica Dei lachrymis inflectere nostris:
Iunge tuas lachrymas, & respice vota precantis.

IN FESTO S. IACOBI.

LECT. 3. 2. tripart.

Ego primogenitum ponam illum, excelsum præ Regibus terræ. Psal 80.

PARS I.

VArij tituli dantur Apostolis à SS. Patribus, deprompti ex sacris Literis. Vocantur enim Principes Ecclesiæ. Legati pacis Filij columbæ, Angeli veloces, Prædones veritatis, Satores immoralitatis, Dictatores fidei, Amici & Filij Sponsi, Legislatores Orbis, Lux mundi, Sal terræ, Cæli animati, Pugiles, & Athletæ militiæ cœlestis, Secretarij Verbi divini, Fundatores & Patres Religionis, Cooperatores Dei, Cardines Orbis novi, Organa Spiritus Sancti, Triumphatores fœculi, Victores & Dominatores inferni.

Apostoli vocantur Primogeniti.

Certò hi, alijque innumeri tituli jure eis competunt. Cæteris autem nunc silentio involutis, attribui meritò dicimus eis hunc titulum gloriæ & honoris, *PRIMOGENITE INTER FILIOS DEI.* Hoc ut plenius intelligamus in memoriam revocandum est id, quod sæpe sacræ Literæ nobis indicant, Christum scilicet desponsasse sibi sacro matrimonio Ecclesiam Sponsam dilectissimam. Hoc verò matrimonium inchoatum fuit incarnatione, restificatum in cruce, consummandum tandem perfectè in glorificatione. Ex hoc quoque matrimonio multi exorti sunt Orbe toto filij. Vnde huic Sponsæ per Prophetam dicitur: *Lava in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi, Filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent.* Sive, ut alia habet lectio: *De latere surgent:* Hebræa enim lectio idem significat, ac si dicas: *Iuxta latus nutrientur.* Psal. 60.

Quare vocati Primogeniti.

Inter hos ergo filios *Primogeniti* dicuntur Apostoli, quia primi semine incorruptibilis verbi Ecclesiæ à Christo Domino sunt geniti, primi ad fidem vocati ab ipso, & super omnes alios Ecclesiæ filios primatum consecuti. Quapropter Ecclesiam alloquens Rex & Prophera in Psalmo 44. (qui instar Epithalamij pro his nuptijs Sponsi Christi decantatus est (sic dicit: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: constitues eos Principes super omnem terram: memores erunt nominis tui Domine.* Quasi dicit: O Christi Sponsa, quam felix est connubium tuum cum cœlesti Sponso! Orientur enim ex his nuptijs pro antiquis illis Patriarchis novi filij; Apostoli scilicet, eminentiores illis futuri, quia principatum sortientur super universum Orbem. Et tu destinabis illos, ut toti Orbi leges ferant, scribantque illas in tabulis cordis, per quas totum Orbem sibi subjicient; eruntque hi filij Principes, quasi omnium fratrum Primogeniti. Psal. 44.

Privilegia Primogenitura.

Olim Primogenitura inter Fratres maximi fiebat, varijsque erat adornata privilegijs. Hinc ex utero contendebant Iacob & Esau de Primogenitura.

1. Constituebatur primogenitus tamquam familiæ Princeps & Dominus.

2. Sacerdotium primogenituræ annexum erat.

3. Ius ad hæreditatem duplicem, vel ad principalem speciale habebat.

4. Ius quoque ei competebat ad paternam benedictionem.

Hæc omnia satis patent in Esau & Iacob; quia cum Esau vendidisset illi jus primogenituræ, mater ei tradidit vestes optimas & odoriferas Esau, quas fuisse sacerdotales, multi sacri Interpretes docent. His vestitus benedictionem à Patre poposcit, & obtinuit, specialiter stabilitus in hæreditate fœcundâ, frumenti, vini & olei, cum benedictione roris cœlestis. Ac deinde constitutus est Dominus Fratrum suorum, coram quo deberent incurvari, illumque agnoscere & adorare ut Principem suum. Gen. 27.

Applicantur Apostolis.

Simili modo dicimus Apostolos esse Fratres nostros Primogenitos, quibus specialis benedictio data est à Christo in familia sua, specialeque jus & auctoritas alios dirigendi & gubernandi: quia constituti sunt Principes nostri, quibus debemus incurvari & submitti. Hoc est quod dicitur: *Constitues eos Principes super omnem terram, memores erunt nominis tui Domine, Propterea populi confitebuntur tibi* Psal. 44.

in æternum, & in sæculum sæculi. Ipsi quoque sunt Sacerdotes & Sacerdotum Duces, primi dignitate, primi gratia, primique gloria: qui illos benedixerit, erit benedictus; qui maledixerit, maledictus. Ea propter posset Christus de illis dicere, quod de Ruben dicebat Iacob: *Ruben primogenitus meus, fortitudo mea, prior in donis, major in imperio.* Apostoli enim Filij primarij sunt, in quibus cernitur fortitudo Christi & Ecclesiæ. Quia fides & Ecclesia Christi in illis consurgit, adeo fortis & roborata ut inferi portæ & vires omnes non valeant prævalere. Ipsi sunt in donis primi. Vnde dicit de se & illis Paulus Apostolus: *Nos ipsi primitias Spiritus habentes, legatione fungimur pro Christo.* Quod verum est, non solum quia prius tempore Spiritum Sanctum cum donis suis perceperunt, sed etiam quia plenius & perfectius dona illa participarunt: nam & in fructibus quod prius ad maturitatem pertingit, pinguius esse solet, & magis gratum acceptumque. Certè Apostoli tantis divinæ gratiæ donis à Spiritu S. repleti sunt, ut non solum Sanctos veteris Testamenti, sed etiam novi Testamenti superarint, abundantiusque præ illis Spiritum sanctum participarint, quacunque dignitate fulgeant, sive Martyrij, sive doctrinæ, sive virginitatis, ut asserit S. Thomas in c. 8. epist. ad Rom. Datur equidem unicuique gratia secundum mensuram donationis Christi; ille porro dat illam secundum munus ad quod eligit. Cum autem ad summam Apostolatus dignitatem electi sint, ut fundaretur in illis Ecclesiæ fides, & immediatè ad orbis conversionem & salutem Legati mitterentur, ideo eis abundantiorem gratiam præ cæteris Sanctis dedisse censendus est. An non abundantius participant de fluentis, qui proximiores sunt fonti? An non plenius participant de Sole & ardore, qui viciniores sunt Soli: An non membra digniora & viciniora capiti, eo magis participant de influxu vitali? Christus ergo cum sit Sol, Fons, Caput nostrum in ordine gratiæ, censetur Apostolis, tanquam ipsi conjunctis proximus, etiam copiosius influxisse dona cœlestis gratiæ. Ergo unicuique Apostolorum comparatione Sanctorum inferioris ordinis rectè illud convenit: *Prior donis, major in imperio.* Quare major in imperio? Quia Apostolica dignitas Principatus fuit super omnem terram à Deo constitutus, & primogenituræ huic adnexus.

Quare advertendum est, Apostolos quidem omnes Petro tanquam Capiti Ecclesiæ subditos fuisse, attamè cum illo parem potestatem in multis habuisse. Primò quidem prædicandi Evangelium in toto orbe, *ad obediendum fidei in omnibus gentibus*; hoc est, ut sua prædicatione inducerent omnes gentes ad se submittendum, & ad credendum Evangelio. Secundò fundandi ubique Ecclesias; hoc est creandi ubique Episcopos & Presbyteros, instruendique ritum sacrorum & sacramentorum, totum denique ordinem Ecclesiæ disponendi. Tertiò mandandi & prohibendi, puniendique ubique fideles omnes. Et in his omnibus Principatus eorum super omnem terram consistit, tanquam qui Vicarij & Legati à Christo in universum Orbem constituti erant, ejus personam & auctoritatem repræsentantes, sicut Legatus Regis personam repræsentat. Propterea igitur unicuique eorum dicimus, *Major in imperio, Prior in donis*, cum Apostolica dignitas summa fuerit in Ecclesia.

Non negamus tamen, Petro ob Capitis supremam & inter cæteros Apostolos eminentem auctoritatem specialiter etiam convenire illud: *Tu Primogenitus meus, prior in donis, major in imperio.* Item & illud: *Tu Fortitudo mea, Principium doloris mei.* In ipso enim tanquam petra fortissima Ecclesiam fundavit Christus, sed doloris initiū Christo fuit ejus negatio, quam antequam pateretur, Petro significat, non sine interno dolore & cordis percussione. Initium ergo doloris Petrus, qui post tot dona & privilegia Magistrum erat abnegaturus. Sed quid est; quod subditur: *Ascendisti cubile Patris tui, effusus es quasi aqua ne crescas.* Certè hoc in ejus opprobrium dicitur, ob congressum cum Bala uxore Patris sui Iacob, quæ luxuriâ effusus incestavit, ideoque tribus Ruben una fuit ex minimis. Hoc tamen S. Petro in bonum sensum trahendo accommodari potest. Ascendit ipse crucem cubile Christi Patris sui, sanguisque ejus effusus est instar aquæ. Imò lachrymis effusus est instar exundantis aquæ tota vita sua, quas & renovavit in cruce. Dicitur autem ei: *Ne crescas*, tum ut admoneatur humilitatis, qui per præsumptionem peccavit; tum ut significetur id, quod in ejus contigit passione. Noluit enim in cruce exaltari & crescere instar Magistri sui capite sursum; sed potius humiliari & decrescere, dum suppliciter rogavit & obtinuit, ut capite deorsum crucifigeretur. Sic quanto major fuit, tanto humilior esse voluit, suosque successores in Apostolatu & Pontificatu hanc humilitatem edocuit, Illius humilitatis æternum memores eos esse voluit, ne in dignitate sua nimium per superbiam crescant, nimiumque exaltentur. Hinc & in stercoraria lapidea in inauguratione collocantur, eisque decantatur in S. Ioanne Lateranensis: *Suscitans in pulvere egenum, & de stercore erigens pauperem.* Iterum stuppâ accensâ eis inclamatur: *Pater sancte, sic transit gloria mundi*: ne in sua superbiant celsitudine, per hæc monentur.

Itaque de singulis Apostolis verum est illud Domini apud Psalmistam: *Ego primogenitum ponam illum, excelsum præ Regibus terræ*; quandoquidem Primogeniti nomen eis ob rationes dictas aptissimè competat. Quod autem excelsi sint præ Regib. terræ, pernotum est, quia Reges & Principes, eorumque sceptra & diademata eis submissa videmus, & humiliter subdita. Regibus enim Apostoli imperarunt, & eos cum regnis & sceptris suis obedientiæ fidei subjecerunt. Quapropter respectu illorum Dij vocantur apud Psalmistam, eo sensu quo & Moyses dicitur constitutus Deus Pharaonis. Hinc illud: *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham,*

Gen. 49.

Rom. 8.
2. Cor. 2.

Apostoli abundantius cæteris Spirit. S. repleti.

Ephes. 4.

S. Petri eminens auctoritas.

Gen. 49.

Gen. 35.

Humilitas S. Petri aliis exemplo proponitur.

Apostoli in aliquibus parē potestatem cum S. Petro habuerunt.

Psal. 88.

Dij.

Psal. 46.

bam, quoniam Dii fortes terræ vehementer elevati sunt. Id est, ipsi Principes cum populis suis ad fidem venerunt, & dimissis Diis Patrum suorum, cum Deo Abraham, qui solus verus est Deus congregati sunt, & hoc per prædicationem Apostolorum. Illi enim tanquam Dii fortes terræ elevati sunt adeo vehementer donis gratiæ, sapientiæ, fortitudinis, donisque miraculorum, ut Principes populorum eis resistere non potuerunt. Hæc est expositio S. Chrysostomi in illum locum Psalmi. Nimis ergo confortatus est Principatus Apostolorum, quandoquidem & super populos, & super Reges, & super Dæmones potestatem sortiti sint. Dedit Dominus Apostolis potestatem super naturam, ut eam curarent; super elementa, ut ea immutarent; super Reges, ut eos converterent; super Dæmones, ut eos everterent; super mortem, ut eam contemnerent; super Angelos, ut corpus Domini consecrarent. Sic non mirum, quod ob hanc eminentiam Dii quandoque in sacris Literis nominentur. Nam & Gentiles, cum vidissent & audissent Listris Paulum & Barnabam, dixerunt: *Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos.* Et vocabant Barnabam Iovem, Paulum verò Mercurium, quoniam ipse erat Dux verbi. Sacerdos quoque Iovis, qui erat ante civitatem, tauros & coronas afferens cum populis volebat sacrificare, nisi impedivissent eos Barnabas & Paulus exilientes in turbas, & se mortales asserentes, missos ut annunciarent ab his vanis converti ad Deum vivum. Apostoli itaque aliquid divinum spirabant in vultu, voce, moribus, miraculis, ut viderentur non tam homines esse, quam Dii lapsi de cœlo, hominibus & Regibus excelsiores.

Potestas Apostolorum. Act. 14.

PARS II. *Tit. Primogenitt, specialiter S. Iac. convenire.*

PORRÒ sicut generaliter de omnibus Apostolis illud verificari ex dictis patet. *Ego primogenitum ponam illum, excelsum pra Regibus terra*: ita specialiter convenire id dicimus S. Iacobo Apostolo, cujus hodie memoria in benedictione est, Nomen enim Primogeniti ei ob varias causas rectè attribuitur.

1. Primò quidem, quia fuit à Christo vocatus inter primos ad Apostolatum, statimque eum secutus est, factus obedientiæ filius luciſque Primogenitus, exemplar aliis futurus.

2. Secundò, instar Primogeniti variis eum Christus favoribus est prosecutus. Nam ubi aliquod mysterium speciale à Christo peragitur ibi solet adesse Iacobus. In monte transfigurationis, in horto passionis, in suscitatione filiæ Principis Synagogæ assumitur Iacobus specialiter cum Petro & Ioanne, non sine mysterio, nec sine dilectione singulari. Sicut erjam Petro speciale nomen à Domino datur, ita & Iacobo, dum *Boanerges*, hoc est, Filius tonitrui. Filiusque lucis & fulguris nominatur. Et sicut Petrus primariam Vrbem Occidentis Romam sua illustrat passione; sic & Iacobus primariam Orientis Vrbem suo respergit illustremque facit sanguine.

3. Tertiò instar Primogeniti dilectissimus fuit Deiparæ Virgini, illa enim apparuit adhuc vivens Ierosolymæ S. Iacobo agenti Cæsaraugustæ. Cum obambularet circa fluvium tristis, quod paucos ad fidem converteret sua prædicatione, cumque ibidem orationi se dedisset, apparuit ei Deipara in Columna Iaspidis ab Angelis illuc deportata, divinas laudes mira decantantibus harmonia: Monuitque Iacobum, ut ibi Oratorium erigeret in honorem Deiparæ, quod ipsa ex tunc in protectionem suscipiebat, fore enim, ut Provincia illa postmodum converteretur, & Virgini devotissima existeret. Erexit ergo Oratorium Iacobus adhuc viventi Virgini, quod etiam modò existit, & vocatur S. *Maria de Columna*, quod quidem primum in Orbe fuisse exædificatum, tradunt Annales Hispaniæ. Vide Ribad. in festo S. Iacobi.

Quartò, ideo specialissimè S. Iacobus dicitur Primogenitus inter omnes Apostolos, de illoque verificari dicimus: *Ego Primogenitum ponam illum*, quia hæc est ejus specialis gloria & laus inter omnes Apostolos quod primus generosè martyrium subierit pro Christo, sicque primus æternitati est genitus per mortem & sanguinem, cæteris quasi Dux existens & Antesignanus.

Referunt nonnulli celebres Interpretes (explicantes illud Psal. *Facta est Iudæa sanctificatio ejus*) perſequentibus Israëlem Ægyptiis mare divisum fuisse coram eis in duodecim divisiones sicut erant & duodecim tribus. Eò non obstante formidolosi & divinæ potentiæ quodammodo diffidentes, non ausi fuêre ingredi mare & ejus siccatâ abyssum. Sed Aminadas Princeps de tribu Iuda animum cæteris addens, primus ingressus est cum vexillo, moxque aliæ tribus sunt secutæ. Quia autem Princeps ille cum tribu sua, tribu Iuda, primus forti animo ingressus est, ideo promeruit hæc tribus dignitatem regiam & principatum super omnes. Hinc etiam dictum putant: *Facta est Iudæa Sanctificatio ejus*, vel ut ex Hebræo legunt: *Facta est Iuda Sanctificatio ejus*, quia sua obedientia sanctificarunt primi Deum ingredientes mare hi qui de tribu Iuda erant, aliorumque rebellionem sedarunt nolentium ingredi.

Psal. 113.

Quicquid sit de hoc, ecce Iacobus primus est Dux & Antesignanus inter Apostolos, qui per mare rubrum sanguinis sui Christum sequitur, arduî itineris hujus nihil veritus difficultates, Christus ergo sic virga crucis aperuit viam in cœlum per asperas vias, hujus omninò vestigia primus sectari presso pede non refugit Iacobus, ut cæteris Apostolis, imò & fidelibus, sit exemplo, eisque calcar & animum adjiciat.

I. Iac. primus Apost. & Martyr.

An non ergo meritò Iacobus Primogeniti nomine & jure inter Apostolos gaudet? An non meritò dicit de eo Dominus: *Ego Primogenitum ponam illum*?

Primogenitus, quia primus inter illos æternitati genitus.

Primogenitus, quia primus per sanguinem adit hæreditatem.

Primogenitus, quia primus cruore suo fundat Ecclesiam.

Primogenitus, quia primus Patris sui bibit calicem.

Primogenitus, quia primus morte signat dilectionem.

Primogenitus, quia ut Sacerdos offert se primus victimam.

Primogenitus, quia cæterorum Princeps, primus assequitur lauream.

Primogenitus, quia prior in donis, major in imperio.

Certè etiam S Iacobo rectè potest dicere Dominus, quod Iacob enim dixit Ruben : *Tu primogenitus meus, fortitudo mea, principium doloris mei, prior in donis, major in imperio.* Ipse enim primus fortitudinem ostendit, qua propter Christum nullis oportet cedere tormentis, nec ipsi morti. Principium quoque censetur doloris Christi, quia ipse primus neci datus est inter præcipua membra Christi, hoc est inter Apostolos. Sicque quodammodo renovatus est Christi dolor, qui in suis patitur membris. Denique, *Prior est in donis*, quia non exiguum fuit donum pro illo emori inter primos, & gloriam assequi ante cæteros. Major quoque in imperio ea ratione dici potest, quia ab eo tempore, quo gladium passus est Herodis, & pro fide primus gladio caput objecit, datus est ei gladius in manus, quo adversus infideles pugnet. Quos gladio verbi ante mortem non vicit (quia paucos convertit) nunc gladio & armis vincit, imperioque quod apud Deum promeruit.

Gen. 49.

S. Iac. armatus gladio visus contra infideles.

Hinc toties adfuit auxilio contra infideles, præiens gladio & armis visibiliter, ut divini imperij fines prorogaret. Hispaniam enim à Mauris & Saracenis liberavit, visibiliter præcedens aciem Ramiri Regis. Nam ille anno Domini 834. cum innumeris Saracenis, ob recentem victoriam insolentibus & sibi insultantibus, monitu & invocatione. S. Iacobi consligens, eos omnes vel internecioni dedit, vel cepit, vel in fugam egit. Quapropter Hispani ejus opem ferventer implorant in præliis, quia contra fidei hostes sæpenumero victorias illustres ejus subsidio reportarent. Imò hoc S. Iacobo debet Hispania, quod in vera fide huc usque à tempore Apostolorum constans fuerit, ita ut ejus Reges *Catholici* specialiter intitulentur. Profectò Hispania quodammodo censetur basis & columen fidei & Ecclesiæ eam acriter propugnans, & ejus hostes, ubi potest expugnans.

Adde, non solùm tribuendum esse meritis & patrocinio S Iacobi quod post ejus mortem tota Hispania ad fidem sit conversa : sed etiam ejus meritis & patrocinio adscribendum est, quod Hispania fidem Christi cum æterni nominis gloria per Indias; tam Orientales, quam Occidentales propagârit, & hactenus longè lateque propagare nō desinat. Huic rei convenit illud : *Quis genuit mihi istos, Ego sterilis & non pariens, transmigrata & captiva : & istos quis enutrivit? ego destituta & sola : & isti ubi erant?* Ecclesia rei inexspectatæ magnitudine quasi attonita, & prælætitia exultans, sibi congratulatur, & salutis tantæ auctoribus, in conversione infidelium, & generatione novorum filiorum. Quasi dicat cum affectu & admiratione. Ego jam in Europa sterilis & non pariens, ego hæreticis pleraque occupantibus partim transmigrata, partim captiva : ego Christianis Regibus me deserentibus, immò oppugnantibus, destituta & sola : Quis ergo genuit istos? quis enutrivit? ubi erant? Quindecim sæculis sine his filiis sterilis permansi, quis ergo genuit eos? quis educavit? ubi erant isti. Nempe Hispaniæ & ejus Regibus hæc gloria debebatur, meritis & intercessione ac patrocinio S. Iacobi Apostoli sui, ut crucis vexillum incognitis autea populis inferrent, & Christi Ecclesiæque imperium dilatarent. Quod quidem ab ipsis factum est, magis quàm ab ulla natione, & magis quàm ab ullis Regibus à tempore Constantini Magni. Non solum enim ad Iapones & Indos sed etiam ad remotissimos Sinas Crucis & Crucifixi imperium & signa protulerunt, cum cœli & terræ applausu. De qua re ibidem fit mentio, dum dicitur : *Ego levabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum, & afferent filios tuos in ulnis, & ad filias tuas super humeros portabunt.* Quasi dicat : Tanquam boni Pastores oviculas hinc inde collectas ad caulas Ecclesiæ deferent, & signum meum, Crucis scilicet vexillum ubiq; erigent cum gaudio.

Isai. 49.

Isai. 49.

SAtis igitur ex hactenus dictis patet, cur aptè de S. Iacobo dicatur : *Ego primogenitum ponam illum.* Nunc explicandum restat, cur specialiter etiā de eo dicatur : *Ego ponam illum excelsum pra Regibus terra.* Licet enim hæc de Salomone dicta sint, conveniunt tamen etiam Apostolis, & maximè huic Apostolo. *Primò* quidem hoc videtur creditu satis difficile, si superficie tenus res consideretur, quia nihil abjectius, nihilque vilius visum fuit Apostolis, ita ut dixerit Paulus : *Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.* Quasi dicat : Tanquam excrementa, fæces, & sordes, quæ everruntur & ejiciuntur, sic nos mundus habet; habemur enim tanquam contemptissimi & abjectissimi, indigni hominum consortio, mundo ejiciendi & exterminandi. Et sicut peripsemata, hoc est ramenta vilissima abjiciuntur & calcantur ab omnibus, sic & nos. Tamen ipsi supra Solem oœlumque ambulantes & quæcunque sub inconstanti astro lunæ projecta sunt despicientes; Regibus erant excelsiores, tandemque Regna etiam & sceptra cum Regibus & Principibus sibi subjecerunt; gloriamque majorem affecuti sunt, quàm omnes Reges bellis, aut regia magnificentia & potestate. Quia memoria eorum æterna est & immortalis, etiam apud homines : Regnum autem memoria cineri & favillæ comparatur, quam ventus difflat, ideoque dicitur perire cum sonitu. Multi

PARS III.

Quomodo S. Iacobus sit excelsus pra regibus terra.

1.

1. Cor. 4.

Reges

Reges ac Duces heroicis gestis nomen suum immortalitati consecrare conati sunt: at in pulvere & terra oblivionis sepulti jacent, ita ut nec multorum nomina residua sint, nec agnita jam mortalibus. Quòd si quorundam superfit, fœtorem potius quam
Prov.10. odorem spargunt; ita ut verum sit illud: *Memoriam justi cum laudibus, nomen autem impiorum putrescet.* Viden' ergo quomodo ex parte Apostolos suos Dominus antea abjectissimos excelsiores fecerit præ Regibus terræ?

Secundò, quomodo eos excelsiores fecerit Principibus & Regibus terræ, ex eo patescit, quòd eos Judices fecerit totius orbis, Regumque & Principum infidelium eis obsistentium Vindices. An non
Psal.149. hoc cecinit Rex & Propheta: *Exultationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus. Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, ut faciant in eis judicium conscriptum; gloria hæc est omnibus Sanctis ejus.* Quasi dicat: Ipsorum os ad divinas laudes celebrandas sublimiter semper erit apertum; simul verò Deum laudabunt, & hostes suos ulciscentur, gladiosque ex utraque parte secantes stringent contra impios exprobrantes eis impietatem. Immò Principes infideles, Persecutores Ecclesiæ, ligatis manibus & pedibus in ignem & tenebras dejicient & proculcabunt. Hoc est enim judicium jam olim decretum & conscriptum, quod immutari nequit aut infringi. Hæc est gloria quam Sancti habebunt (maximè Apostoli) judiciariam potestatem posse in eos exercere, qui se injustè judicarunt & condemnarunt.

Sic igitur S. Iacobus Herode Rege excelsior, ejusque Iudex & Vindex constitutus, ligatis manibus & pedibus, in tartara tyrannum impium detrudet; & proculcabit irrevocabili decreto cum supremo Iudice Christo: quia ejus approbabit sententiam jam olim decretam ejus impietati. Vnde etiam S.
S. Iacobus cur pingatur habès gladium. Iacobus cum gladio pingitur, tum ut significetur quâ morte Deum glorificaverit, tum ut significetur ei à Domino gladius datus, hoc est potestas ad exercendam vindictam in eum qui gladio sæviebat in Christi Apostolos; tum Denique ut significetur gladius potens quo Ecclesiam protegit adversus infideles. O verè excelsum virum præ Regibus terræ! ò virum etiam Potentem in morte! Nam cùm ad mortem duceretur (quam eodem die contigisse quo Christi Domini mors contigit, hoc est 25. Martij tradit Ado in martyrolog. & Calixtus Papa 1. de Miraculis S. Iacobi) paralyticum suam opem invocantem sanavit, & suum lictorem osculo pacis dato ad Christum convertit, sicque socium passionibus effecit. Quod & Paulo Apostolo ac nonnullis aliis Martyribus contigit. Quapropter S. Nilus hom. 2. de Christi Ascens. Ecclesiæ comparat viti, quæ quo diligentius amputatur, eò fit fœcundior. Succidebantur enim Ecclesiæ palmites per martyrium, & fidei fructus augescebat, floremq; non marcescentem proferebat, *Stephanus tanquam vanus excidebatur, & alius Martyrum palmes pullulabat. Iacobus & Petrus resecabantur, & alius rursum Martyr exoriebatur, multiferque palmes è radice hac emittebatur. Vindemiebatur Paulus, & alius martyrii racemus matureſcens Thomas apparebat, undique radix vinderniata copiam uberiorem proferebat. Et quidem isti excisores brevi marcescentes exterminati sunt: hæc verò semper gravata fructibus, terra fines suis complexa est germinibus.* Hæc S. Nilus.

Tertiò, si vis videre quomodò excelsum fecit Dominus S. Iacobum præ Regibus terræ, considera ejus sepulchrum tot miraculis illustre, Christianorumque confluxu & peregrinatione solemni ex toto orbe admirandum. An non & illud Reges ac Principes sceptra sua & diademata submittunt pulveremque pedum ejus venerantur? An non dona ibi varia ex voto offerunt? Certè etiam illud hic verum
Isai. 49. est: *Reges videbunt, & consurgent Principes. & adorabunt propter Dominum, & sanctum Israel qui elegit te.* Et rursus: *Erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ. Vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.* Denique & illud: *Gentes quæ te non cognoverunt ad te current, propter Dominum Deum tuum & sanctum Israel, quia glorificavit te.* An non hoc impletur in varijs populis Germaniæ, Angliæ, Galliæ, Belgij, & alijs currentibus ad locum quem S. Iacobus corpore suo ac sepulchro consecravit? Quot millena Christianorum locum hunc frequentarunt maximâ devotione? Quot Reges & Principes eundem locum & præsentia sua & donis ampliſſimis exornarunt, & sic Ecclesiæ de Compostella, ubi corpus istud collocatum est, Nutritij fuerunt? ubi sunt sepulchra aut Pompei, aut Iulij Cæsaris, aut Alexandri, aut Herodis, aut aliorum Regum, sic vestigiis adventantium honorata? Excelsum ergo præ Regibus terræ reddidit illum Dominus, qui à terræ Regibus priùs despectus videbatur; ita ut hic cum admiratione
Psal.139. liceat exclamare: *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est Principatus eorum!* Etenim & per Principes vult hunc amicorum suorum Principatum exaltari. Audi specialiter de S. Iacobo.

Postquam Carolus Magnus multa acquisivisset regna, proposuit à præliis quiescere, statimque intuitus est in cœlo viam quandam stellarum, inci-
Ex Turpin. ejus histor. scriptore. pientem à mari Frisiæ, & tendentem inter Theutonicam & Italiam, inter Galliam & Aquitaniam, per Gasconiam, & Navarram, & Hispaniam usque ad Galeciam, in qua B. Iacobi corpus tunc latebat incognitum. Hanc viam per singulas noctes adspiciebat Carolus, & cogitabat quid significaret. Hæc cogitandi apparuit vir quidam præclarus nocte in ecstasi, dicens: *Quid agis fili mi?* Cui Carolus: *Quis es Domine?* Respondet: *Ego sum Apostolus Iacobus, alumnus Christi, frater Ioannis, quem Herodes Rex gladio peremit, cujus corpus in Galecia, quæ à Saracenis turpiter opprimitur, incognitum quiescit.* Vnde

Vnde miror quòd terram meam nondum liberaſti, qui tot urbes acquiſiſti. Quare tibi notifico, quòd ſicut Dominus potentiorem omnium Regum te fecit, ſic ad præparandum iter meum & liberandam terram meam te elegit, ut tibi coronam æterna retributionis præparet. Via ſtellarum, quam in cœlo vidiſti ſignificat quod cum magno exercitu ad expugnandam paganorum perfidiam, & liberandum iter meum, & adviſitandum Sarcophagum meum ab his oris uſque ad Galaciam iturus es, & poſt te omnes populi uſque in finem ſæculi. Taliter apparuit Carolo Apoſtolus tribus vicibus. Poſt hoc illuc cum exercitu magno perrexit; cumque obſideret Pampilonam tribus menſibus, & muri eſſent inexpugnabiles, oravit S. Iacobum pro expugnatione, & muri funditus corruerunt. Sic qui de Saracenis baptizari voluerint, reſervati ſunt ad vitam, qui reſpuerunt, occiſi ſunt. His auditis mirabilibus omnes urbes ſe dediderunt, & facta eſt tota terra ſub tributo. An non hic vides quam verum ſit: *Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt Principatus eorum?*

Neque parum ejus in gloriam cedit, quod hic Apoſtolus ſic honoretur concurſu peregrinantium; quod quidem olim oſtenſum eſt S. Gertrudi, ut refert ipſa lib. 4 Inſinuationum divinæ pietatis c. 48. ubi ſic habetur: Glorioſi Apoſtoli Iacobi Majoris feſto apparuit idem Apoſtolus, honorabiliter nimis exornatus meritis omnium peregrinorum, corporis ipſius ſanctas reliquias venerantium. Vnde ipſa multum admirans quæſivit à Domino: *Cur ipſum præ cæteris Apoſtolis tali honore extuliſſet, ut ſcilicet de longinquis regionibus populus ad ejus reliquias colendas concurrat devotiori ſtudio, quàm ad tumbas Principum Apoſtolorum Petri & Pauli?* Reſpondit Dominus. Ego hunc dilectum mihi Apoſtolum hoc ſpeciali privilegio inter cæteros ſublimavi, propter fervidum zelum quo incitabatur amore mei ad ſalutem animarum. Vnde quia æterna prædeſtinatione mea ita ordinante tam citò ſublatus eſt à corpore, quod non prævaluit, tantam multitudinem populorum ad fidem convertere ſicut ad laudem meam deſiderabat: voluntas ejus bona in conſpectu meo ſemper vigens & vivens, mihique per omnia placens, hoc promeruit, ut quod morte præoccupante in hac vita omiſit, hoc nunc poſt mortem ſuam uſque in finem mundi per hoc ſuppleatur, quòd tam multi ſignorum miraculis ad tumbam ejus crebreſcentibus moti, devotâ peregrinatione ipſum viſitantes à peccatis abſolvuntur, & in fide Catholica roborantur. Hæc ibi.

Porrò cum plerique peregrinationem illam impedimentis variis diſtenti inire non valeant, ut per merita ejuſdem Apoſtoli à peccatis poſſint abſolvi; conſultum eſt vice peregrinationis in honorem ipſius in die ejus feſto Sacramentum Dominicũ percipere, atque illud in laudem æternam Dei, & in augmentum beatitudinis & gloriæ Apoſtoli Iacobi offerre. Hoc enim cum feciſſet B. Gertrudis (quæ clauſtro & votis clauſtralibus prohibebatur peregrinari) mox ei poſt ſumptionem & oblationem diviniſſimi Sacramenti apparuit S. Iacobus inſtar præclari Principis, gratias immenſas referens Domino pro hac magnifica oblatione per vivificum Sacramentum in ejus honorem facta. Oravitque Dominum devotè, ut omnem effectum ſalutis quem ipſe pius Dominus per merita ſua unquam in aliquo homine dignaretur operari, hunc totum in anima hujus Virginis Gertrudis, ob honorem ſui Sacramentum digniſſimum tanta pietate offerentis, glorioſè operaretur. Ita refertur loco jam citato.

Concluſio, & ad Apoſtolum Iacobum vota converto, & dico: O glorioſiſſime Chriſto Apoſtole, ſpecialiter ab eo electe & dilecte, qui Primogeniti nomen & titulum jure obtines, quia primus martyrium & mortem pro illo ſubiiſti, quia primus ſanguine tuo inter Apoſtolos fidem & Eccleſiam ſanxiſti, quia primus calicem bibiſti, quia primus te in hoſtiam & victimam nomen Domini invocando, & calicem ſalutaris accipiendo obtuliſti, quia primus cruore tuo laureatus, quaſi veſte primogenituræ indutus, hæreditatem adiviſti; impetra nobis gratiam veſtigia tua ſectandi, pro Chriſto patiendi, amorem ipſius uſque ad mortem conſervandi. Reſpice quoque Eccleſiam Dei afflictam pro qua ſanguinem fudiſti, & tuere eam gladio poteſtatis tibi concredito contra infideles, contra hæreticos, contra impios. Et quia tu Patronus es peregrinorum, ſis nobis auxilio peregrinantibus in hoc exilio, ut manu tuâ ducente, tandem pertingamus ad illum locum ubi in tuo conſortio miſericordias Domini, & Canticum Sion poterimus decantare, de terra aliena in terram viventium & laudantium translati. Concluſio.

EODEM FESTO.

Acceſſit Mater filiorum Zebedæi cum filiis, adorans & petens aliquid ab eo. Matth. 20. LECT. 34.

AFfectum naturalem parentibus Deus inſerit, ut filiorum ſollicitudinem gerant, eiſque provideant: ſed affectus ille crebrò fertur ultra metam & regulam rectæ rationis, præpoſteruſque fit & fine ordine. Quid ita? Quia prius ſolliciti ſunt de hoc ſæculo quam de futuro, de tempore quàm de æternitate de terrenis quàm de cœleſtibus: magis ſatagunt pro opibus & honoribus eis acquirendis, quam pro timore Dei eis gignendo, veraque pietate inſtillanda, ut hæreditate æternâ non defraudentur. Sæpe etiam proles in quamliber ſortem & conditionem ſæculi intrudere conantur, modò honorabilis ſit aut proficua; nec attendunt, an ad eam vocentur à Deo an illius capaces, an non periculo ſalutis eam conſecuturi, an denique noxia tandem non ſit futura. Sic ſtolido quodam amore omnem movent lapidem, ut deſiderio ſuo ſatisfa-

PARS I. *Explicat. Evangelium feſti*

Inordinatus parentum affectus in prolem.

satisfaciant, & proles promoveant ad statum honoris in sæculo, vel Ecclesia, idque qualibet viâ vel industriâ. Audi S. Bernardum epist. ad Theobaldum Comitem, ubi rectè ostendit quomodo nesciunt materna viscera patientiâ in promotione filiorũ: quapropter etiã ante tempus dignitates eis meditantur, cùm vel solũ de toga & prætexta cogitare deberent. Sic enim scribit S. Bernardus, eo quòd Theobaldus Comes uxorque peterent commendari apud Eugenium Pontificem, ad dignitatem aliquam Ecclesiasticam filio adipiscendam: *Dignitates Ecclesiasticas non ignoro debere his qui eas dignè & secundum Deum administrare velint, & possint. Porrò eas acquiri parvulo Vestro precibus meis, vel vestris, non vobis justum, nec mihi tutum noveritis. Sanè cupio illi benè per omnia, sed ante omnia Deum. Ubi verò emerserit, videbo quid secundum Deum habere possit, probabo me amicum. Apud amatorem justitiæ in excusando eo quod pro justitia est, non mihi multùm laborandum. Vos autem apud Comitissam per ea quæ rescripsi habete me excusatum.* Vides quomodo mater illa dicebat, sicut & hæc: *Dic ut sedeat filiolus meus ad dextram*, sed respondet Bernardus: *Nescitis quid petatis.* Argutè quidam dixit, & huic propositio nostro non incongruè. *Nobilium quorundam matres, in Gallia & alibi difficiles & periculosos habent partus, quia mitrâ, pedo & insulis adornatos infantes gignere debent*: hisce enim Reges ex utero quosdam donant; ita ut nascatur ex tunc Episcopi, vel Abbates. O prodigiosos infantes! O Mater infulis ex utero cum prole egredientibus cruciandæ! Quam verè Ecclesiæ de his dixeris: *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij.* Pro Abbatibus & Episcopis dati sunt tibi pueri.

Bernard. epist. 271.

Quòd si de sæculi dignitate loquamur, quid non tentat Agrippina Mater Neronis ambiens imperium pro filio? Cùm enim quendam Astrologum consuluisset, & respondisset, *impetraturum quidem Neronem, sed Matri necem inflicturum*: Subjunxit ipsa; *Occidat, modo imperet.* O vocem infelicem, quam insatiata ambitio extorquebat! Dicebat ergo & illa mater: *Dic ut filius meus sedeat ad dextram.* Sed liceat ei respondeatur: *Nescis quid petas*; suo attamen insistit desiderio, quantumlibet noxio. O infelicem tali ambitione Matrem.

Sollicitudo quoque materna apparuit in Rebecca. Quid enim intentatum relinquit, ut filio suo Iacob, quem diligebat plusquam Esau, primogenituræ primatum procuret? Quo non astu utitur, ut non agnoscatur Iacob ab Isaac sed putetur esse Esau, ad quem benedictio primatus jure nativitatis spectabat? De hœdis optimis & industriè paratis portionem offert, quasi de venatione quam Isaac ab Esau expectabat. Circumdat collum & manus filij pellibus hædorum, ut Iacob pilosi Esau similitudinem induat. Denique, cũ formidaret Iacob maledictionem, si agnosceretur à Patre tanquam illusor, respõdet ipsa; *In me sit maledictio ista fili mi.* Certè maternus affectus mirè sollicitus hic sese ostentat, & immoderatus censendus foret, suscipiens maledictionis in se discrimen, & illi filium exponens, nisi inspiratione divina rei eventum matrem hanc agnovisse dicamus.

Gen. 27.

Sed Matrem filiorum Zebedæi importunè ad Dominum accedentem, & obsecrantem ambitiosè ut unus sedeat à dextris, alter à sinistris, excusare nõ possumus, nisi dicendo cum S. Ambrosio: *Hæreditario mulier delinquebat errore.* Considerate Evæ illius primæ mulieris hæredem transfusã in omnes immoderatæ cupiditatis successione labentem Matrem considerate, Matrem cogitate, cui pro filiorum honore sollicitæ immoderatior quidem sed ignoscenda mensura votorum est, quia ætate longæva, studio religiosa, solatio destituta, quando jam juvanda erat vel alenda validæ prolis auxilio, senectam solabitur filiorum mercede. Non ergo mirum quòd honorẽ appetit Mater pro filijs, quasi in mercedem sequelæ Christi, quia *appetentiam immodici honoris inolitam affectibus hominum Christus necdum suo cruore diluerat.* Necdum mulier hæc, sicut nec filij ex quorum voluntate petitio ista orta est, dum ducebat, Spiritum sanctum acceperant. Post illius enim descensum, nec Mater, nec filij ulterius similia appetunt, sed potius avidi sunt ad bibendum calicem Domini, & hoc ex voto Matris sanctissimæ. Si enim multæ Matres filios vel filias ad martyrium obtulerunt, & ad bibendum Domini calicem invitarunt (sicut de S. Felicitate, de S. Symphorosa, & alijs pletisque legimus) hoc fecêre ex Spiritus divini impulsu & ardore. Huic autem Matri filiorum Zebedæi Spiritus divini ardor non defuit, quæ multa pro CHristo in persecutione Christianorum prima pertulit: ætate ac labore fracta è Hierosolymis in Italiam venit nonagenaria; ibique in Domino piè obdormivit, sepultaque est Vetulis, ac ibidem maxima cum pietate colitur.

Ambros. lib. 5. de fide ad Gratiam.

Baron. Ribadeiner & alij.

Vide interim quomodo Mater ista favorem petens pro filijs prudenter se gerit, utrumque parem reddens, dum dicit: *Dic ut unus sedeat ad dextram, alter ad sinistram.* Non dicit, ut Ioannes ad sinistram, Iacobus ad dexteram sedeat, aut è contra: Occasio enim æmulationis & invidiæ inter fratres posset seri à Matre, si ipsa uni dextram procuraret, alteri verò solùm sinistrã depositeret. Vt hanc ergò devitet, arbitrio Domini relinquit, quis dextram, quis sinistrã assequatur, utrumque interim cum æqualitate quadã comẽdat, quasi utrumq; pari affectu diligens. Hoc si imitarentur parentes, pacem solidiùs domi conservarent, non huic magis quàm illi affectum, benevolentiam, beneficentiam impertientes, non hunc magis quam illum ditare conantes. Ob imparitatẽ enim affectus exhibiti erga proles, graves nonnunquam discordiæ inter fratres exoriri solent. Notæ sunt ex sacris literis dissensiones & jurgia contra Ioseph, quia plus cæteris Fratribus diligebat eum Iacob, quẽ in signum specialis dilectionis tunica polymita adornarat: propterea enim *non poterant ei fratres quicquam pacificè loqui.*

Pari affectu diligenda proles.

Gen. 37.

Illud

Ambitio sublimes malum multos invadit.

Illud quoque hic consideratione dignum est, quàm subtile malum sit ambitio, quæ etiam irrepere potuit in scholam humilitatis, in familiam Salvatoris. Hæc enim petitio Matris absque dubio ex filiorum ambitione procedebat; hinc & Christi Domini responsum ad eos dirigitur, *Nescitis quid petatis.* Immò Evangelista Marcus apertè tribuit filijs hanc petitionem, dum dicit: *Accedunt ad eum*

Marc. 10 *Iacobus & Ioannes dicentes. Magister volumus ut quodcumque petierimus facias nobis. At ille dixit: quid vultis ut faciam vobis? Et dixerunt: Da nobis ut unus ad dexteram tuam, alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua.* Ideo verò Marcus filijs hanc petitionem tribuit, licet fuerit Matris, ut patet ex Matthæo, quia instigantibus illis hoc mater proposuit. Ambitio ergo pestilens malum est in quemcunque statum irrepens, illumque inficere connitens, nisi vigil sit animus ut ei obstruat mox aditum. Sic in cælum sibi aditum invenit, & grandem ruinam induxit, invadens sublimes illas mentes, cœlestes spiritus, ipsum scilicet Luciferum cum consortibus. Postmodum in terra eadem pestis Paradisum ingrediens, qualem confusionem induxit? quali humanum genus contagio affecit?

Gen. 3. Peccarunt enim primi Parentes elatione & ambitione conceptâ è verbis serpentis, *Eritis sicut Dij*; & exinde omnis nostra ortum duxit ærumna. Denique ausa est in sodalitium & gymnasium Christi sese furtim insinuare; nam *contentio facta est inter eos*

Luc. 22. *quis videretur esse major*; & hi quoque discipuli clam & separatim ab alijs primatum petunt à Domino, matris interventu. Sed mox à Domino fugatâ est

Matt. 20. & eliminata è cordibus discipulorum, tam horum duorum quàm aliorum, de quibus dicitur: *Indignati sunt decem de duobus fratribus hæc audientes*, nec enim adeo secretè rem gesserunt, quin ipsi intellexerint, quid ageretur. Iesus ergo, cõvocans omnes, ut sanet hoc ulcus intumescens, dicens eis: *Scitis,*

Matt. 20. *quia Principes gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent in eos; non sic erit inter vos sed quicunque voluerit major fieri, sit vester minister, &c.* Sic dissensionem exortam vult humilitatis contentione sanare, quasi apto collyrio & cataplasmate.

Sed jam quoque antea binos illos discipulos reprehenderat separatim, atque etiam in illis omnes aliquid ambitiosè vel imprudenter exposcentes, vel exoptantes. Multi enim multa petunt à Deo, vel ab hominibus, & nesciunt quid petant; ideoque idem eis potest dici, quod his duobus Apostolis:

Multi quid petant, nesciunt. *Nescitis quid petatis*, quia non est eis salutare quod petunt, vel intempestivè petunt.

Gen. 30. O Rachel, tu petis liberos, & importuna es marito dicens: *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Nescis quid petis. Dabuntur tibi liberi, sed in partu morieris.

2. Reg. 8. O Israëlitæ, petitis importunè Regem à Samuële, & dicitis. *Constitue nobis Regem, ut judices nos, sicut & universa habent nationes.* Nescitis quid petatis. Sic enim abjicitis Dominum regnantem super vos, nec intelligitis tyrannidem, quam Rex in vos exercere valebit.

O Elia, petis animam tuam & vitam tolli, pertæsus hujus miseræ & ærumnosæ vitæ. Nescis quid petis. *Grandis adhuc restat tibi via*, toleranda ad- *3. Reg. 19.* huc ob Dei gloriam multa supersunt, ergo intempestivum est, quod postulas.

O Fili Prodige, tu Patri dicis: *Da mihi substan-* *Luc. 15.* *tiam, quæ me contigit.* Nescis quid petis Dabitur, tibi sed tuo damno, quia postquam eam dissipaveris, ad filiquas porcorum fames te amandabit.

O Petre, nescis quid petis, dum tria tabernacula *Matth. 17.* in monte vis construi, dicisque bonum illic esse. Nam intempestivus est affectus ille tuus in hoc sæculo felicitatem appetens: nec Christus tabernaculo est dividendus ab Elia vel Moyse, nec tu ab illis.

O Paule instanter Dominum obsecres, ut auferatur stimulus carnis à te: Nescis quid petis; nam hoc tibi non foret salubre. Sufficit ergo tibi gratia Christi, conducibilius est te hoc pati, quo cupis eximi. *Virtus enim in infirmitate perficitur.* *2. Cor. 12.*

O Filij Zebedæi, vos vultis de cœlo ignem advocare (instar Eliæ) in Samaritanos, Christum & ejus gratiam repellentes: *Nescitis quid peccatis*, vel ut dicit Dominus. *Nescitis cujus spiritus sitis.* Hic *Luc. 7.* enim vindictæ spiritus, non est spiritus Christi, qui totus mansuetus, non ignem vindicem, sed ignem spirat charitatis, etiam in hostes. Si hic fuit spiritus veteris legis quæ erat lex terroris: non est spiritus novæ legis, quæ lex est perfecti amoris?

Denique, utinam talem possem locum conscendere, talique pollerem voce, ut ad illorum aures penetrans, qui peritura sectantur bona; perituri cum illis efficaciter eis insinuarem illud ipsum Domini dictum: *Nescitis quid petatis.* Vos qui in Regia vel Pontificia aulâ tantis impensis, tantaque importunitate honorum gradus exposcitis, *Nescitis quid petatis.* Vos qui Reipublicæ prima munia tanto studio & anxietate quæritis, *Nescitis quid petatis*; quia ab altiori gradu ruina periculosior: *Honorumque fasces conscientiæ sunt falces*, imò spinæ sunt & vulnera. Vos qui totam immergitis mentem negotiationibus & lucris, opes appetentes, *Nescitis quid petatis*, Tum quia crebrò *lucrum in arca damnum est in anima*, tum quia caduca sunt, quæ petitis, & cum illis peritis, nec ad æterna mentem erigitis. Vos qui voluptates appetitis, *Nescitis quid petatis*: Quid ita? Quia *habes hoc voluptas omnis, stimulis agit fruentes, apumque instar volantium: ubi grata mella fudit, fugit, & nimis tenaci ferit ictu corda morsu.*

Si itaque Dominus Apostolis sessionem primam in regno suo postulatibus sic respõdet; quanto magis id possumus dicere omnib. sæculi vanitatem sectantibus? Certè, quid Apostoli peterent, non ita constat, an in cœlo primatum, an in terra, an fortè sessionem primam in illis sedibus, quas ad judicandum illis paratas Dominus spoponderat; unde non

mat

tam quid terrenum quam cæleste petiisse videntur, & tamen à Domino reprehenduntur. An non ergo illi magis sunt reprehensioni obnoxij, qui nonnisi terrenis & vanis inhiant? An non illis potiori jure dicendum est, *Nescitis quid petatis?*

Cæterum, licet reprehendat apertè Dominus Iacobum & Ioannem, non tamen exacerbat, sed invitat ad certamen, ut post illud cogitent de corona & præmio. Dicit enim: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Quasi dicat, interprete S. Chrysostomo: *Vos de honoribus & coronis mecum agitis: ego verò de luctamine atque sudore differo. Non præmiorum hoc tempus est, nec illa gloria mea modò apparebit, sed cædis & periculorum tempus præsens est.* Rursus idem est, ac si dicat: Si participes esse vultis gloriæ & throni, oportet per sanguinem & heroicam virtutem ascendere. Ad fercula Salomonis non est nisi ascensus purpureus. Ad templum Honoris non est ingressus nisi per templum Virtutis. Vobis ergo prius cogitandum de morte & sanguine, quam de hac Throni mei sessione & possessione. Audi S. Basil. Seleucum orat. 24. *Si leprosus curationem quærit, virtutem ait Dominus exero, volo, mundare. Si mortuum è tumulo resurgere necesse est, potestatem expromo, Lazare veni foras. Si cæcus orbitatem gemit, secundum fidem vestram fiat vobis, Quod si thronum verò quis petat, & sedere ad dextram affectat, tunc quid poscit curiosè dispicio, fusi pro pietate sudoris testes reposco, nam eorum merces est in meo versari consessu.* Ita ille. Advertit quoque S. Chrysostomus, non dici à Domino: Potestis mortem obire? Potestis sanguinem fundere? Sed dicit: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum; Potestis baptismo, quo ego baptizor, baptizari? *Hoc enim modo hortatur & allicit, ut ipsa cum eo communicatione laborum promptiores redderentur.* Sed vide, quem calicem, quemque baptismum proponit ambientibus Ecclesiæ gubernaculum, & inter cæteros primatum: *Profusionem sanguinis sui baptisma nominat* (inquit Origenes hom. 6. in lib. Iudic.) *Baptisma eminentius illo quod per aquam datur. Pauci immaculatum illum usque ad exitum vitæ servant: hoc verò baptismo baptizatus ultrà peccare non potest: Per baptisma illud peccata præterita purgantur; per istud etiam futura perimuntur.* Ibi peccata dimissa sunt, hic exclusa. Hæc Origenes.

Multi temerè dicunt, Possumus.

Hujc porrò interrogationi Domini, an possint calicem bibere, & baptismo baptizari eodem quo ipse, respondent audacter, *Possumus*, Multi putant, sicut temerè & ambitiosè honorem petiverant, similiter temerè & ambitiosè respondisse, *Possumus*; nec satis percepisse quâ arduum foret & magnum quod spondebant, ac ignorasse quantum ille calix angoris importaret, quo propinquante Christus ipse angitur mirum in modum. Vnde hic locum habere potest illud Petri Blesensis Epist. 14. *Nihil ambitio invenit difficile, ideoque est quadam simia charitatis. Charitas enim patiens est pro æternis, ambitio omnia parata est pati pro caducis. Charitas omnia sustinet pro veritate, ambitio pro vanitate. Vtraque omnia credit, omnia sperat, sed longè dissimili modo, hæc ad gloriam hujus vitæ, illa ad gloriam sine fine.* Hæc ille. Videntur ergo hi Apostoli ex ambitione velle bibere, quod bibendum erat ex charitate. Certè hoc præsumptionis est, ô filij Zebedæi, si pervires vestras putatis vos posse hunc calicem ebibere. Nam dixit & Thomas fortiter: *Eamus & moriamur cum illo.* Dixit quoque Petrus: *Etsi me oportuerit tecum mori, non te negabo.* Attamen & illi & vos eritis desertores: eritis quasi *filij Ephrem intendentes & mittentes arcum*, qui *conversi sunt in die belli*, in fugam acti. Equidem bibere hunc calicem, sanguinemque & vitam profundere pro Domino, non solius est virtutis humanæ: & nisi prior bibens Dominus amaritudinem calicis tolleret, nemo valeret bibere. *Ioan. 11. Matt. 26. Psal. 77.*

Attamen, *Calicem bibetis, sedere autem ad dextram vel sinistram, non est meum dare vobis.* Non hoc mihi commissum est, ut id donem quia petitis, aut quia cognati mei estis Iustus sum munerum declarator positis in certaminibus, & ideo non potentibus simpliciter elargiri debeo, nec per injuriam certantium omnium ad duos solos honores traducere, inquit S. Cyrillus Alexand. l. 6. Thesaur. c. 5. Similiter ait Cæsaris Nazianzeni Frater Dialog. 3. hac de re agens: *Non est meum dare, at neque Patris mei, simpliciter petentibus; siquidem obscuri & adulteri, & intemperans, & quivis flagitiosus, si petant, meum sessuri essent. Non est nostrum dare temerè, & depravare quod justum est. Iusti enim Iudicis est, unicuique pro dignitate meritis tribuere, non negligere laborantes, ac ignavis aliquid largiri. Si ergo thronos amatis, nolite ignorare certamina.* Hæc Cæsarius. Bibit ergo Iacobus calicem, & primus quidem, ideo adeptus est throni sessionem.

Conemur & nos bibere calicem Domini pro modulo nostro. Vnicuique enim Dominus, sicut admensus est crucem, ita mensus est calicem. Atqui cum ejus gratia illum bibere possumus, quia nobiscum ipse bibens tollit amaritudinem, confert suavitatem. Bibamus ergo in ejus consortio, & cum Apostolis dicamus fortiter: *Possumus bibere.* Possumus equidem, non nostris nixi viribus, sed possumus in eo, qui nos confortat. Quod si animosè cum eo biberimus, amici effecti, throni quoq; & gloriæ ejus efficiemur tandem participes.

IN FESTO S. ANNÆ.

Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est. Euc. 1.

Lect. 45. tripartita. Pars I. De sterilitate conjugij S. Annæ & Ioachim. Eccl. 25.

COnsideratione digna est sententia à Sapiente pronunciata: *in tribus beneplacitum est spiritui meo, qua sunt probata coram Deo & hominibus: Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier sibi benè consentientes.* Prima & principalis virtus

Charitas reperiri debet in triplici hominum genere.

virtus, Dei & hominum gratiam concilians, est Charitas; quæ maximè reperiri debet in triplici genere hominum. *Primò* quidem inter fratres, & consanguineos omnes, qui etiam ab Hebræis fratres solent vocari: jucundum certè habitare fratres in unum, ita ut nulla inter eos æmulatio vel aversio gliscat, sicut inter Ioseph & fratres. Lubrica res est concordia fratrum & consanguineorum; facilè labitur & læditur. Ideò cùm fratres suos Ioseph ex

1. Inter fratres.

Gen. 45.

Ægypto mitteret, dicit: *Nolite irasci in via. Secundò* inter proximos, hoc est inter eos qui in eadem domo, vel collegio, vel vicinia agunt, qui officio, vel negotio, vel arte conjuncti sunt: horum omnium debet esse concordia, tamquam vinculum colligans. Sed vel invidia, vel superbia irrepens, frequenter cernitur stragem in animis horum edere, & vinculum charitatis lædere. *Tertiò* inter virum & uxorem concordia commendatur quam maximè: hi enim & habitatione, & thoro, & mensa, ac omni re ita sunt conjuncti, ut censeantur una persona politica. Si ergo concordes sint, jucundam ducent vitam & sanctam; si discordes, molestam & Satanicam. Hi debent esse velut partes ejusdem rotæ, ut quò una vertitur & gyratur, volvatur & altera. Debent quoque esse velut duo in eodem jugo boves, trahentes eundem currum ad eumdem scopum æternæ salutis. Hinc & conjuges dicti sunt. Beata igitur illa domus, in qua ejusdem sunt voluntatis conjuges in obsequio Dei, in ejus præceptis ambulantes, unum spirantes, unum sperantes, unum quærentes; non claudicantes, aut deviantes, prout contingit quandoque animalibus sub eodem jugo in diversa trahentibus; id enim faciunt cum ruina currus & sua.

2. Inter proximos.

3. Inter conjuges.

Gen. 18.

Tales jugo sancto copulati fuêre Abraham & Sara, non solum Deo, sed & pauperibus & peregrinis uno animo servientes, sibique mutuo obsequentes.

Luc. 1.

Tales fuêre Zachariæ & Elisabeth, de quibus dicitur: *Erant ambo justi coram Domino, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus.* Erant justi non solùm exteriori specie coram mundo, ut multis contingit: sed verè interius in anima justi erant & pij coram ipso Deo. Incedebantque concordi voluntate in eodem sancto jugo per semitas mandatorum Dei: præceptaque divina adimplebant, non solùm ex parte, sed integro omnia omninò;

Iacob. 2.

scientes quod *qui in uno offendit, factus est omnium reus.*

Tales quoque fuêre Ioachim & Anna, de quibus & illud possumus verè dicere: *Erant ambo justi coram Domino*, vacantes orationibus, jejunijs, eleëmosynis, divinam in monibus adimplere studentes voluntatem pari consensu. Propterea quæ possidebant, in tres partes diviserant, unam pauperibus, alteram templo, tertiam usui domestico conferentes. O beatum par conjugum! O beata domus, ubi talis in obsequio divino reperta est concordia, & in domestico regimine; quam nulla vel verborum dissensio unquam elisit, aut titubare fecit! O quàm infelix domus, ubi vel uxor virum, vel vix uxorem ad peccatum perducit: ubi regnat aliqua iniquitas, & alter alteri fit naufragium, aut ruinæ occasio: ubi dissensio & discordia sese immiscet, zelotypia, vel alia passio prava. *Nonne unus fecit, & reliquum spiritus ejus est*, inquit Dominus. Quasi dicat: Nonne unus Deus primitus fecit virum & mulierem, Adam & Evam? Nonne ex se spiritum halitumq; vitalem produxit, cujus unam quasi partem dedit Adæ, reliquam dedit Evæ? igitus cum non solum sint formati ex eodem corpore, sed etiam ex eodem halitu vitali, debent eodem spiritu perpetuo consociari, eodem affectu sese diligere. Tali enim formatione voluit Deus indicare non solùm conjunctionem carnis, sed & spiritus, dilectionemq; eis ingenerare. Quandoquidem mulier non fit solum *os de ossibus, caro de carne*, sed etiam spiritus de spiritu, sive reliquiæ spiritus Adæ: Procul ergo divortia, procul discordiæ & jurgia, per quæ dividitur spiritus à Deo eis inspiratus: *Non est mulier digna conjugio, quæ est digna jurgio*, ait S. Ambros. Addit ibidem quoque apud Malachiam Dominus: *Custodite ergo, ô viri spiritum vestrum*, hoc est uxorem, quæ est residuum vel dimidium spiritus vestri: custodite amorem & affectum quem illi debetis, participes ejusdem spiritus divini & humani. Vxor verò serviat viro, reddatque obsequium & dilectionem in timore Dei.

Malachiæ.

Epist. 82.

Sed ut ad Ioachim & Annam revertamur, licet justi forent, & concordia conjugali beati, omniaq; eis prosperè succederent: hoc tamè lugebant, hocque eos nonnihil affligebat, quòd prole carerent, quæ finis est & fructus conjugij. Nam & cum prolis desiderium naturæ insitum sit, ad perpetuandum quâdam ratione hominem in hærede suo, illius quoq; carentiam lugebat Abraham piâ querimoniâ apud Deum: *Vernaculus ecce meus erit hæres meus.* Lugebat & Ezechias: *Generatio mea ablata est à me*; spes scil. prolis est præcisa mihi, dum in flore ætatis ad tumulum propero.

Gen. 15.

Isai. 38.

Hoc etiam advertendum est; quod in veteri Testamento, in quo erat promissio fæcunditatis, quodammodò vertebatur opprobrio sterilitas & infæcunditas: Existimabant enim à Deo abjectos esse qui fructu carerent conjugij, cùm scriptum foret: *Non erit apud te sterilis utriusque sexus.* Econtra pronovi Testamenti tempore scriptum est: *Non dicat Eunuchus, Ego lignum aridum. Hæc dicit Dominus: Sic custodierint fœdus meum, dabo eis locum in domo mea, & nomen melius à filijs & filiabus, nomen sempiternum quod non peribit.*

Sterilitas olim erat opprobrio.

Deut. 7.

Exod. 23.

Isa. 56.

Interim hanc sterilitatem in Annæ & Ioachimi conjugio permittere voluit Deus varijs de causis.

Deus conjugium Annæ & Ioachim voluit esse sterile.

Primò, quidem, non vult electos suos omnimodam nancisci felicitatem in hoc sæculo, ne adhærescant affectu rebus sæculi, aut ne superbia elati obliviscantur Dei sui. Propterea Psaltes describens felici-

felicitatem nonnullorum, prolibus, opibus, aliisque bonis omnibus secundum animi sui vota abundantium subdit: *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt.* Psal. 143. Ipse verò hanc sententiam ab illis nimis temerè & præcipitanter pronunciatam temperans, dicit: *Beatus populus, cujus est Dominus Deus eius.*

Vinum purum & forte quibusdam nocet, quia debilis sunt cerebri, eisque ideo vertiginem inducit. Quid igitur remedii? Nonnihil aquæ admisceri solet, ut temperata sit potio & salubrior. Sic Deus, ne nimia prosperitas quosdam vertiginoso spiritu repleat, eosque nimis elevans dejiciat & allidat, miscet adversa prosperis; sic fit, ut non incidant in illam querelam: *Quia elevans allisisti me* Amaritudine respergit sua viora hujus sæculi, ut ad superna oculos elevare faciat, suaviatque afflictio quasi calcar ad recurrendum ad bonorum omnium largitorem & afflictorum Consolatorem. Sic Anna & Ioachim ferventiùs orationi instabant in sua hac afflictione & sterilitate.

Secundò, ideo voluit eos aliquo tempore affligi Dominus, ut postmodum tantò amplius gaudium de prole perciperent. Nam magis desiderata majorem adducunt postea voluptatem. Proinde proles orta Abrahæ & Saræ sterili *Isaac* vocatur, hoc est *Risus & Gaudium.* Similiter is qui dictus erat *Benoni* à matre patiente, id est, *Filius doloris mei;* Deut. 32. à Patre *Benjamin* nuncupatur, id est, *Filius dextræ & gaudii.* Sic Moyses eduxisse dicitur mel de petra; attamen nonnisi aqua erat: sed mel dicitur, quia mellis instar sapiebat post adeo diuturnam afflictionem, ut interpretantur SS. Patres. Sic denique Tobias lætior fuit de visu, & Iob de opibus & sanitate tot votis expetita, superata jam & eliminata omni adversitate. Potuit ergo Anna præ gaudio canticum depromere novum prole jam concepta; Luc. 1. & idem decantare, quod sua postmodum filia: *Beatam me dicent omnes generationes; quia fecit mihi magna, qui potens est.*

3. *Tertiò*, & hoc addendum, quod proles è sterilibus prognatæ, cum non tam ex carnis concupiscentia, quam ex divina gratia oriantur, sanctitate soleant excellere, utpote à Deo speciali beneficio donatæ. Dei autem opera præstantiora sunt, quam quæ natura producit. Sic vinum in nuptiis procreatum, præstantius fuit vino quod è vite naturaliter productum erat. Hinc etiam in Scriptura Sacra eminentes fuêre Isaac, Ioseph, Sampson, Samuël, Ioannes, qui ex sterilibus procreati sunt. Ac in novo Testamento multi sanctitate excelluerunt, similiter orti à matribus infœcundis, & parentum precibus impetrati. Patet in Nicolao Episcopo, S. Nicolao Tolentino, S. Stanislao, S. Kamoldo, S. Alberto Carmelita, S. Ludovico Rege, S. Remigio, & aliis.

Notabile omnino est, quod de duobus Conjugibus Barcinonensibus legimus. Cum annos octo egissent sine prole, pro ea obtinenda voto domi concepto, & in Ecclesia renovato, Sacrum solemne celebrandum curarunt in honorem duodecim Apostolorum, accensis duodecim cereis cum nomine unius Apostoli ad singulos cereos. Audit Deus & Apostoli vota precantum; nam spacio tredecim annorum sequentium duodecim proles genuêre, octo masculos, fœminas quatuor, quorum singulis unius Apostoli nomen indiderunt. Et licet diu supervixerint, nullam ultra prolem susceperunt. Singuli deinde post parentum mortem filii, circa festum Apostoli, cujus nomen gerebant, obierunt. Extat memoria hujus rei Romæ in templo S. Salvatoris de Lauro.

4. *Quartò*, voluit Deus, ut Ioachim & Anna post longam viginti annorum sterilitatem miraculo prolem impetrarent; ut sic per minus miraculum ad miraculorum omnium maximum via sterneretur. Incarnationem Christi, nativitatemque ex Virgine, quis nescit summum esse omnium miraculorum? Ad illud omnia antiquitus disponebat Deus; ad Christum omnia respiciebant, semen electum ex Patriarchis oriundum. Voluit ergo, ut antea sterilis pareret, & hoc miraculum præcurreret; donec illud adveniret totis sæculis inauditum & sub sole novum, quod non sterilis sed Virgo Deum pareret & hominem. Ita docet S. Damascenus, & alii Patres. Orat. 2. de nat. Virg.

PARS II.

Cum lætitia sustulit Deus sterilitatem S. Annæ.

DEcendum igitur, non sine multis providentiæ suæ rationibus Deum voluisse, ut Anna sterilis fructum suum benedictum Orbi daret, cœlitus impetrata benedictione miraculosè. De qua re sic loquitur S. Chrysostomus Orat. de Annunciat. *Natura errorem Dominus posse est corrigere, membra mortua ad vim vitalem revocare, præcipere naturæ, ut liberos gignat sterilitatem removere, senescentem stipulam ad virtutem formam reducere, terram infœcundam statim efficere manipulorum matrem. Hoc divinæ virtutis opus est non insolitum.* Hoc elucescit non solum in S. Anna, sed etiam in Sara & Rebecca, ac aliis Patriarcharum uxoribus.

Deus 4. claves sibi reservat Pluvia. Deut. 28. Sepulchrorum. Ezech. 37. Alimonia.

Quapropter Hebræi dixerunt, Deum sibi reservare quatuor claves naturæ. Primò, *Clavem pluviæ*, ut eam emittat ex thesauris suis prolibito. *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cœlum, ut tribuat pluviam terræ tuæ in tempore suo.* Secundò, *Clavem sepulchrorum*, id est resurrectionis. *Aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris, populus meus, & scietis, quia ego Dominus.* Tertiò, *Clavem alimoniæ*; ipse enim est Promicundus, qui in Cellariis suis condit alimenta & omnia necessaria; & illa, quando vult, aperit; & de illis, quæ vult, depromit. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Quartò, *Clavem vitæ*, id est, generationis & fœcunditatis. Hinc in sacris Literis dici solet Deus, *Vulvam aperire, vel claudere*; non enim fortunæ aut casui id adscribendum, sed benedictioni Dei. Psal. 144. Vita.

Hac igitur benedictionis clave erga S. Annam usus est Dominus, conjugium justorum precibus

& piis operibus hoc impetrantibus. Imò & triplici alia dicta clave summa cum benedictione usus censetur, dum ex Anna dedit nobis Mariam, per quam abundavit *Pluvia voluntaria*, *quam segregavit* *Psal. 67.* *Deus hæreditati suæ*, imbersque serotinus & matutinus terræ nostræ infœcundæ datus est. An non hic *Clavis pluvia*? Per eam quoque panis vivus de cœlo descendit, qui famem omnem tolleret validè grassantem in regione nostra longinqua. An non igitur cernitur & hic *Clavis alimonia*? Denique, populus Dei velut in tumulis & sepulchris agebat, & dicebat: *Aruerunt ossa nostra, & spes nostra perijt,* *Ezech. 37.* *& abscissi sumus.* Sed per Mariam ex Anna ortam, spes revixit, aperti sunt tumuli tenebrosi, effulsit vita per Messiam reddenda. Ergo & hic *Clavis sepulchrorum.*

Conceptio B.M.V. ab Angelis Ioachimo nuntiata.

Nunciatur itaque Conceptio Mariæ, futura origo omnium bonorum; Ioachimo, inquam, Patri nunciatur ab Angelo, sicut & conceptio Ioannis nunciata fuit Zachariæ ab eodem cœlesti nuncio. Hic fuit Gabriel Angelus, qui cooperatus est mysteriis, quæ ad mysterium primarium Incarnationis prævie ordinabantur. Sed Zacharias incredulus fuit, aut tardus, ad credendum verbis Angeli, ideò ei pœna infligitur, & tarditate loquendi mulctatur. Non recepit loquendi facultatem, nisi per sanctæ prolis admirabilem nativitatem. Non fuit incredulus Ioachim apparenti sibi Angelo, sed cum fide & gaudio suscepit cœleste nuncium, tot votis & precibus jam diu exspectatum. Neque solum de prole concipienda instructus fuit, sed etiam de ejus futura qualitate & nomine. Si enim nomen Isaac revelavit Angelus, quia futurus erat Typus Salvatoris; *Gen. 17.* si & nomen Ioannis non tacuit Gabriel, quia nomen erat Præcursoris: quanto magis cœlitus indicari conveniebat nomen illud cœleste, quod post nomen IESV est nomen super omne nomen? Mysterio plenum erat nomen proli indendùm Maria, ergo Angelico primum ore prænunciandum erat. Sic & nomina Parentum ejus non sine mysterio sunt. Nam, interprete S. Damasceno, *Anna* gratiam significat, seu misericordiam; *Ioachim* verò, id est, *Dominus firmabit seu suscitabit.* Hoc igitur duplici *lib. 4. fidei c. 15.* nomine significabatur eos parituros filiam, per quam Dominus misericordiam suscitaret, & gratiam confirmaret, ait S. Damasc.

Certe & nomen Annæ, nomen est benedictionis, nomen post IESVM & MARIAM scriptum in libro vitæ. In S. Scriptura mulieres tres ultra hanc MARIÆ Matrem legimus hoc nomine insignitas, quæ omnes Dei benedictionem specialem participarunt. Sic Anna vocabatur Tobiæ mater, quam *Luc. 2.* meritò felicem pronunciamus hac beata prole. Est & altera Anna in novo Testamento, vidua illustris sanctitate, non discedens à Templo, oratione & jejuniis continuò instans. Et hæc igitur felix planè & Spiritu Sancto repleta, per hoc beata, quod Salvatorem omnium amplecti potuerit, & divinas in ejus præsentatione ad Templum cum Simeone laudes decantare. Est & tertia ævo antiquior mater Samuëlis Prophetæ, celebris & beata tali fructu post prolixam sterilitatem. Sed has omnes benedictione, gratia & gloria superat Anna nostra, quæ Mater Matris Dei cœlitus est electa. Officium istud ad quod eligitur, ut proximè cooperetur tamquam Avia Incarnationi & Nativitati Filii Dei, sublimem gratiam ei à Deo datam satis indicat & evincit. Quæ Reginam Patriarcharum & Prophetarum. Reginam Apostolorum & Martyrum, Reginam Virginum & Electorum omnium erat paritura, immò & Reginam Angelorum cœlestiumque omnium spirituum, non potuit non cœlestium donorum copia adimpleri. Potuitque merito concordi voce cum Maria canere: *Beatam me dicent om-* *Luc. 1.* *nes generationes; quia fecit mihi magna, qui potens est.*

Ea propter viri & mulieres in conjugio, Virgines in cœlibatu & voto, Sanctimoniales in claustro, Sacerdotes Dei in templo, & pii quilibet in gradu suo ejus laudes decantant, eamque beatam pronunciant. Hinc & Oratoria & Altaria, & Sodalitia in ejus honorem magno fervore erigunt, specialique ejus patrocinio se subjiciunt multa Cœnobia multique Ordines Religiosi, tam virorum, quam mulierum. Hodierno ergo die lætandum nobis est, rememorantibus quomodo Anna sterilis peperit MARIAM, & in illa, seu per illam, omnes electos. Beatam illam meritò pronunciamus & dicimus:

Salve Parens Sanctissima,
Sacro beatæ conjuge,
Sacratiore Filia.
Nepote Sacratissimo.

S. Damascenus Orat. 2. de Nativ. Mariæ, introducit S. Annam invitantem antiquas Matres itidem steriles, imò & omnes Matres fœcunditate donatas, ad sibi congratulandum & congaudendum. Sic enim dicit: *Meritò Annæ, divino spiritu plena lato animo personat:*

1. *Congaudete mecum, quæ promissionis germen ex sterili ventre peperi, ac benedictionis fructum uberibus meis, ut optavi, nutrio. Sterilitatis mœstitiam exui, ac lætam fœcunditatis vestem indui.*

2. *Congaudeat mecum Anna, Phenenna adversaria, & novum hoc inopinatumque miraculum in me gestum, suo concelebret exemplo.*

3. *Exultet Sara senilis gaudio gestiens, meumque ab sterilitate conceptum præfigurans.*

4. *Concinant simul steriles & infœcundæ, visitationem meam admirabili modo cœlitus factam.*

5. *Dicant Matres omnes fœcunditate præditæ: Benedictus qui orantibus quod optabant, largitus est, & fœcunditatem sterili dedit fœtissimum germen Virginis, quæ Mater Dei est, cujus venter cœlum est.*

Istud

Istud est Canticum quoddam breve S. Annæ, quinque velut versibus resonans: sive quoddam sacrum est Psalterium & Cithara, quinque constans chordis, piis animis sonora. Vnde & nos consonam vocem offeramus, & eitotidem versibus cum S. Damasceno loc.cit. respondeamus:

1. *O quam beata domus David, ex qua prodisti, & Venter, in quo Deus sanctificationis arcam, hoc est, eam, à qua ipse sine semine conceptus est, fabricavit.*

2. *Verè beata es, ac ter beata, quæ Mariam beatissimam peperisti, ex qua Christus vita flos extitit: cujus Virginis & gloriosus fuit ortus & partus mundo sublimior.*

3. *O beatissima fœmina, tibi gratulamur, quia omnium nostrum spem divinitus concessam, hoc est promissionis fœtum peperisti. Beata revera es, & benedictus fructus ventris tui.*

4. *Eorum lingua te & germen tuum magnificat; ac sermo omnis latus te & partum tuum prædicat.*

5. *Dignum est laudare eam, quæ divinum oraculum accepit, & talem nobis fructum edidit, ex quo prodiit dulcis Iesus.*

Adjiciamus hic, nonnullos existimare Ioachimum & Annam, par beatorum conjugum, absque libidine voluptateque effrenata Deiparam genuisse, eo modo quo primi parentes, si non peccassent, filios in paradiso terrestri procreassent. Ita asserit Petrus Galatinus l.7.c.8. de arcan. Huic conforme est, quod in Revelat. S Brigittæ legimus lib.1.cap.6. *Filius meus* (inquit Virgo Sanctissima) *conjugium Patris mei & Matris tantæ castitate conjunxit, ut non reperiretur unus castius conjugium. Ex charitate divina, & ex verbo Angeli nuncians convenerunt carne, non ex concupiscentia aliqua voluptatis.* Irena refert Dionysius Carthus. lib. de laud. Virg. art.6. Hic consonat, quod à multis Theologis asseritur, Virginem Deiparam non solùm conceptam sine peccato originali, sed etiam in illa extinctum fuisse à conceptione fomitem peccati, sive concupiscentiam carnis, quæ & lex membrorum, & languor naturæ, tyrannusque carnis nuncupatur. An decebat, ut parvus ille languor afficeret illam, quæ paritura erat salutis Auctorem? An decebat, ut lex carnis in ea carne aliquid haberet imperii ex qua Spiritus Sancti opere Christus erat producendus? An æquum erat, ut Tyrannus ille peccati Fomes, in illa aliquid juris sibi vindicaret, quæ erat velut
Gen.47. Terra Sacerdotalis ab omni tributo libera, Mater scilicet futura summi Sacerdotis & Regis? Quapropter hic dicere posset pius Virginis cultor: *Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram auferens bella usque ad finem terræ.* Admirabile planè, fœminam ex viro concipi & fœminâ,
l.2.de Emanuele p.1.c.29. & 31. nec peccato originis, nec peccati fomite infici, ut nulla rebellio esse possit, aut carnis, aut animi. *Qua est ista terra*, inquit Richardus Victorinus, *de qua bella omnia finientis auferuntur, nisi illa, de qua idem Propheta: Veritas de terra orta est? De hac terra omnis pugna tollitur, in hac pax plena reparatur. In cæteris magnificum habetur, quod à vitiis non possint expugnari: in Virgine mirificum, quod à vitiis non potest vel in modico impugnari.*

PARS III. *An præter Deiparam Anna alias proles habuerit.*

SEd quæritur, an S. Anna ultra Deiparam aliquas proles habuerit, vel etiam alium maritum præter Ioachim? Respondeo vulgatam opinionem asserere S. Annam tres viros, totidemque filias habuisse, ex singulis singulas. Ita docuère nonnulli ex antiquis: Hinc ille versus antiquus apud Gersonem:

Anna tribus nupsit, Ioachim, Cleopha, Salomeque:
Ex quibus ipsa viris peperit tres Anna Marias.
Quas duxère Ioseph, Alphæus, Zebedeusque,
Prima Iesum: Iacobum, Ioseph, cum Simone, Iudam:
Altera dat Iacobum dat tertia, datque Ioannem.

Prima opinio Affirmans

Itaque hæc opinio dicit Annam primum nupsisse Ioachimo, deinde Cleophæ, tandem Salome. Ex Ioachimo Deiparam suscepisse, ex Cleopha Mariam dictam Cleophæ, ex Salome Mariam dictam Salome Virgo Deipara Iosepho est tradita. Maria Cleophæ Alphæo, Maria Salome Zebedæo. Christus fuit Filius Virginis Maria Cleophæ peperit Iacobum Minorem, Iosephum Iustum, Simonem & Iudam: Maria Salomes genuit Iacobum Majorem & Ioannem Evangelistam. Ita S. Antonin. 1. p. hist. Petrus de Natalibus, Gerson de Nativit. Virg. Ludolphus de vita Christi cap. 5. Eckius ser. de S. Anna. Petrus de Sutor. Carthus. Glossa Ord. ad Gal. 1. Sed hanc opinionem plerique non recipiunt. Vnde Cardinalis Baronius in Apparatu ad Annales sic hac de re scribit: *Vniviram fuisse Annam, nec posse sterilitatem ex voto conceptam, repromissione obtentam, susceptamque in senectute filiam, alios nosse partus, tam veteres, quam recentiores Orthodoxi Patres sunt professi.* Ita cum illo alii, ut Canisius, Suarex, Lippomanus & alij nunc passim.

Altera opinio negans.

Certè Deiparæ Virginis dignitas postulare videtur, ut esset unigenita, quæ miro modo post sterilitatem in lucem erat edita: sic unigenitus fuit Isaac in veteri Testamento, unigenitus Baptista in novo. Deinde, quis dicat sanctissimam fœminam, divino munere fœcundatam post longam sterilitatem, non fuisse tali filia, talique viro contentam? Duobus adhuc viris nupsisse ultra Ioachimum, sapere videtur nonnullis incontinentiam. Viterius, non est solitum in eadem familia ejusdem nominis plures proles habere. Quare ergo Anna tres filias Mariæ nomine nuncupasset? Adde, quod jam Anna senior foret, cum peperit Mariam ex Ioachimo, post scilicet vigesimum annum sterilitatis in matrimonio: ideoque non est verisimile, duplex rursus matrimonium ab ea initum: Aut certè dicendum esset mox Ioachimum fuisse mortuum, & statim postea alterum: adhuc ejus virum, quæ omnia gratis dicuntur, nullo certo ex Scripturis aut historiis

fundamento. Credimus ergo potiùs, Annam Virginis Matrem, si prius Ioachim emortuus fuerit, permansisse viduam, sicut & Anna illa, quæ in templo sedula & perseverans viduitatem piam coluit, ad annos usque octuaginta quatuor: aut sicut Iudith, quæ mortuo Manasse viro suo secundas refugit nuptias, in superioribus domus suæ seligens oratorium & conclave, in quo Deo vacaret, gerens cilicium super lumbos suos, & jejunans omnibus diebus præter festa domus Israël. Hæc sanè nunc apud doctiores receptior est opinio. *Luc. 2.*

Interim nec alteram contemnendam existimamus, cum ex S. Scriptura, aut certa historia, vel auctoritate non possit falsitatis convinci. Quod autem videatur quibusdam incontinentiæ nota in triplici matrimonio, audi quod pro hac re responsum fuisse legimus in vita Virginis sanctitate celebris Coletæ Reformatricis Clarissarum.

Cùm B. Coleta Reformationem suam inchoaret, spiritu divino plena, ferventer invocabat Sanctos, ut sibi adjutorio hac in re forent; invocabat autem præsertim eos, qui virginitatem coluissent. Ad S. Annam eo nomine vix unquam confugiebat, quod tres habuisse legatur maritos. At quodam die dum oraret, apparuit ei S. Anna insigni ornatu decorata, ducens secum totam sobolem suam, tres scilicet filias, cum suis prolibus. E quibus prima Virgo Deipara dulcissimum Filium IESVM manu ducebat. Altera Maria Iacobi secum ducebat quatuor illustres filios, Iacobum Minorem, Simonem, Iudam, & Ioseph Iustum. Tertia Maria Salomæ habebat secum Iacobum Majorem, & Ioannem Evangelistam. Tunc autem dixit virgini Coletæ beatissima Anna: *Etsi ego tribus nupserim viris, tamen Triumphans & Militans Ecclesia ex meæ progenie maximis est aucta ornamentis.* Post hanc apparitionem, Coleta singularem devotionem concepit erga S. Annam. Et ut huic apparitioni gratam se ostenderet, in suis Monasteriis templa in ejus honorem construxit, præclarumque sacellum in Bisontiensi Monasterio, quod ei Pontifex primùm contulerat, S. Annæ dedicavit. Ita habetur in vita ejus cap. 21. apud Surium. 6. Martii.

Quicquid igitur sit hac de re, scimus S. Annam non fuisse ingratam Domino, postquam ejus beneficio enixa est talem plantam, quæ cœlum & terram suis fructibus & floribus erat decoratura. Unde sicut concepit divino miraculo, ita & eam Domino consecravit speciali voto, sicut Anna altera olim Samuëlem. Unde idem potuit dicere, quod ipsa: *Pro puero isto oravi, & dedit mihi Dominus petitionem meam, idcirco commodavi eum Domino cunctis diebus.* Quia ergo Domino fuerat consecrata Maria à parentibus, triennis in templo est præsentata Sacerdotibus, tamquam munus gratissimum Deo trino. Licet enim proles possent redimi à parentibus: non tamen obligabantur ad id parentes: sed erant loca & Cellulæ circa templum, in quibus poterant habitare usque ad nubilem ætatem; ubi etiã Anna vidua degebat. Et in his annos undecim egit MARIA, in summa contemplatione, ubi & ministerio Angelorum cibum accepisse nonnulli tradunt ex S. Hieronymo & Bonaventura. *S. Anna prolem suam voto consecrat Deo. 1. Reg. 1.*

Hinc collige, posse vovere parentes proles suas Deo & Sanctis: Nec ita obligari possunt proles, ut resilire non valeant; requiritur enim consensus earum, dum ad ætatem adultam pertigerint. Cum autem Virgo beatissima, S. Annæ proles, specialis prærogativæ munere præventa fuerit, ita ut usu rationis perfecto uteretur à tenera ætate; vel, ut aliqui dicunt, etiam in utero matris suæ Annæ: ex tunc potuit voto confirmare sanctum propositum matris suæ, & voto perfecto virginitatis seipsam Deo consecrare. De hac re latiùs dicemus, cùm de Præsentatione Mariæ agemus.

Hoc solùm hic obiter notamus, non facilè parentes debere vota multiplicare pro prolibus recens natis. Inter rusticanos passim est reperire mulierculas multiplicibus votis operatas ratione prolium. Vovent enim peregrinationes varias pro incolumitate infantium suorum, dum ægritudine aliqua affici eos vident: ac postmodum eas non adimplent, ut tardè post multos annos id faciunt, non sine conscientiæ detrimento. Deberent attendere illud: *Si voveris, nec moreris reddere; displicet enim Deo stulta & infidelis promissio.* *Eccles. 5.*

Illud interim monemus, exemplo S. Annæ Deo gratum esse, quod matres mox à conceptu & partu fructum suum Deo offerant, ut ab illo benedictionem jam ab utero percipere valeat, ad matris & prolis sanctificationem. Sic S. Monica filium obtulerat Deo ex utero. Mater quoque Bernardi ob tulerat Bernardum & fratres ejus. De quo fusè alibi dixi. *V. Candel. Myst. tr. 8. loc. 10. prop. 3. & 3.*

IMpertire, Domine Iesu, interceſſione S. Annæ, Aviæ tuæ, Sacerdotibus zelum & pietatem Virginibus castimoniam, Maritatis concordiam. Pueris benedictionem, omnibus fidelibus conversationem sanctam: ut omnis ætas, omnis ordo, omnis sexus te benedicat per MARIAM & Annam, per quas ad nostram voluisti humanam progeniem descendere. Fac igitur, ut earum meritis & interceſſione nos quoque ad numerum electorum tuorum pertingere valeamus, & è progenie tua cœlesti recenseri; de numero scil. eorum, quibus dedisti *filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*, ut æternum te cum illis glorificare valeamus. Conclusio. *Ioan. 1.*

IN FESTO S. DOMINICI. 4. Augusti.

O Domine, ego servus tuus, ego servus tuus, & filius ancilla tua. Psal. 115. LECT. 36.

PARS I.

NOs omnes sumus servi Dei *, ejus sigillo & charactere, hoc est divinitatis ejus imagine signati; tamquam specialiter ad eum spectantes, & ejus *Quomodo S. Dominicus.*

& ejus Dominio subjecti singulari quadam ratione. Propterea advertit inter veteres Tertullianus, in S. Scriptura, initio Geneseos, Deum non vocari *Dominum*, licet creasset cœlum, elementa, animalia: sed tunc primùm, cum creavit hominem, de eo dicitur: *Formavit Dominus hominem de limo terræ.* Licet ergo rerum omnium Dominus sit, specialiter tamen gloriatur hominis Dominio, obligans illum perpetua sibi servitute, proprio illum signans sigillo, propriis decorans insigniis.

Specialiter servus Domini, & bis servus Tert. l. contra Hermog.

Gen. 2.

Sumus quoque omnes servi Christi, & specialiter *Dominus noster* dicitur, ratione emptionis & redemptionis: ideoque & in baptismo specialem characterem accepimus, ubi servitutem nostram profitemur, & totos nos ejus obsequio consecramus. Hinc etiam aperiuntur nobis aures tunc temporis, & in signum obedientiæ, sicut olim in signum perpetuæ servitutis perforabatur auris ad postes, his qui se servos profitebantur.

Omnes sumus servi Dei & Christi.

Exod. 21.

Sed cum hæc conveniant omnibus Christianis, habet ulterius Deus aliquos specialissimè servos, quos elegit ad functiones sublimes, cooperatores operis sui divini, ad animarum conversionem & illuminationem destinatos. Hi dupliciter sunt servi Dei & Christi, conditione scilicet, & speciali electione ad ministeria sublimia. Talis erat is, de quo: *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos. Et misit servum suum hora cœnæ, dicere invitatis ut venirent.* Tales & illi omnes, de quibus verificari potest illud: *Ecce servus meus quem elegi, posui super eum spiritum meum.* Hi ergo meritò possunt dicere: *O Domine, ego servus tuus, ego servus tuus!* Non solum creatione & redemptione servus tuus sum, sed etiam singulari tua electione & dilectione.

Quinam specialiter servi Dei vocentur.

Luc. 14.

Isa. 42.

An non inter hos recensendus est S. Dominicus? An non ipse est servus quê elegit Dominus? in charitate non ficta, & spiritu suo adornavit? An non ipse est servus, qui missus est, ut invitatos advocaret, per vicos & plateas civitatis, & per vias & sepes solitudinis commissum sibi sollicitè obiens ministerium? An non hoc ipsum nomen (ei non sine divino instinctu impositum) servitutis & electionis specialis est prognosticum? Quid est Dominicus? Cur sic in baptismate nuncupatur, nisi quia speciali jure ad Dominum spectare puer iste significatur, ejusque obsequio totus consecrari? Sic & *Dominicum diem* dicimus, quia à Domino sanctificatus est, quem & ejus destinamus singulariter cultui.

S. Dominicus specialiter servus Domini.

De ipso igitur verum est illud: *Iste dicet: DOMINI EGO SVM. Et scribet manu sua: DOMINO.* Quid enim ejus tota vita aliud indicat, quam, *Domini ego sum?* Quid aliud ejus doctrina & manus scripsit, quam illud unicum verbum *Domino*? Tota enim sua vita perfectam professus est Domino servitutem. Tota sua doctrina non aliud quam Domini gloriam quæsivit. Pugnavit instar Gedeonis tubarum sono & lagenarum collisione, hoc est, verbi Dei prædicatione & corporis austera mortificatione. Clamare jussit Gedeon post sonitum tubæ: *Domino & Gedeoni*; sive *Gladius Domini & Gedeonis.* Dominicus autem lubenter soli Domino victoriâ & gloriam omnem adscripsit, quam per se & suos corporis afflictatione (quasi lagunculorum confractione) & voce virtutis (quasi sono tubæ) de mundo, carne, satana reportavit. Scripsit ergo manu sua, & voce, & vita: *DOMINO.* Sic luxit lux ejus, *ut glorificaret Patrem, qui in cœlis est*, & adimpleret nomen cœlitus sibi datum illud, *DOMINICVS.* Audiverat enim arrecta & attenta cordis aure quasi sibi dictum, illud: *Noli timere, quia redemi te, & vocavi te nomine tuo, MEVS ES TV.* Et rursus illud: *Ego Dominus vocavi te, & apprehendi manum tuam & dedi te in fœdus populi, & lucem gentium. Ego Dominus, hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo.* Nullam ejus partem sibi vendicavit Dominicus, sed totam in Dominum refudit, sive in vita, sive in morte, attendens illud Apostoli: *Sive vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur. Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus.*

Iudic. 7.

Isa. 43.

Isa. 42.

Rom. 14.

Itaque meritò adscribimus S. Dominico pro elogio speciali illud Psaltis? *O Domine, ego servus tuus, ego servus tuus.* Neq; ambigendum est, ipsum Ordinemq; ab ipso institutum, in hoc specialiter servisse Domino, ut invitatos ad cœnam moneret venire, & introduceret in locum convivii. Quapropter Auctor vitæ ejus in Prologo sic hæc de re scribit: *Multifariè multisque modis olim Deus electos suos ad æternum invitans convivium, novissimè diebus istis, id est ad horam undecimam, misit servum suum dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia.* Servum hunc Ordinem Prædicatorum S. Gregorius hom. 36. in Evang interpretatur, novissimis mittendum temporibus, ut hominum animos de propinquo Iudicis adventu admoneat. Novum n. quandoq; Prædicatorum Ordinem Scriptura innuit sub finem mundi mittendũ, dum ait: *Misit servum suum hora cœnæ.* Hora cœnæ, finis est mundi. *Nos autem sumus, in quos fines sæculorum devenerunt.* Missus est ergo hora cœnæ, id est diebus extremis Ordo novus: novus, inquam, pariter & antiquus. Novus institutione, antiquus auctoritate. Novus & novissimus spacio, officio primus. Cum enim primo mane, tum etiã hora tertia, sexta & nona, conducti fuerint vineæ cultores, hora restat & adest undecima, qua postremi cultores multiplicentur. Hi sunt Prædicatores quorũ Ordinem horum novissimorum temporum periculis divina dispensatio providit: ut appropinquante judicio, *illius cujus in humilitate judicii sublatum est*, testium numerus augeretur. Itaq; multiplicantur nunc *in senecta uberi ut bene patientes annuncient quoniam rectus est Dominus Deus noster.* Hæc sunt *Tintinnabula*, quibus pontificalis poderis extremitas ornatur. Hi sunt equi fortes & varii in quadriga novissima, *è medio duorũ meorũ montiũ egressi, ut perambulẽt omnẽ terrã.* Hæc Auctor vitæ.

I. Cor. 10.

Isa. 53.

Psal. 91.

Exod. 28.

Zach. 6.

Signa electionis S. Dom.

Neque hic prætereundum est, S. Dominicum jam ab utero electionis suæ specialis ad divinum obse-

in & ex utero matris parturit.

obsequium signa dedisse. Tum quia illa, quæ suscipiebat ipsum in baptismo, visa est sibi videre in ejus fronte stellam luculentam, cujus splendore totus irradiabatur orbis. Tum quia mater eum paritura visa est sibi utero gestare catulum ardentem ore faculam ferentem, totumque orbem flammis succendentem. Quid aliud per hanc faculam designabatur, quam ardens ejus prædicatio, peccatorum corda ad pœnitentiam inflammans? De ipso

Eccli. 48. enim verum est, quod de Elia: *Surrexit quasi ignis, & verbum ejus quasi facula ardebat.* Quid verò per fulgorem flammæ, nisi claritas indicatur doctrinæ, ad veram sapientiæ lucem alios adducens.

Nec mirum videri debet, quod mater visa est sibi gestare utero catulum, nam & hoc ipsum contigit matri S. Bernardi, quæ catulum candidum, habentem dorsum rubrum, alvo contingere sibi visa est; latrabatque continuò catulus ille. Cum verò consuleret virum sanctum hoc de portento, audivit ab eo filium hunc fore egregium verbi divini præconem.

Nempe per canes latrantes solet Scriptura indicare probos & gnavos prædicatores. Vnde ad ignavos sic loquitur: *Speculatores cæci, canes muti, non*

Isa. 56. *valentes latrare.*

1. Canis solet esse fidelis Domino, ipsumque contra aggressores defendere.

2. Deputatur ad custodiam domus, ut latret contra fures & latrones, tam diurnos, quam nocturnos.

3. Solet dispersum gregem reducere ad pascua, & tueri contra lupos, ac alias agrestes feras

4. Ejus lingua medicinalis est, & sanat ulcera lingendo.

S. Dominicus verè catulus

An non hæc omnia intueri licet à S. Dominico peracta?

O quàm fidelis fuit Domino suo, ejus sequelæ continuò adhærens, ejusque honorem ubique defendens?

O quam fidelis fuit custos domus Domini sui, contra fures nocturnos, contra hæreses & hæreticos!

O quam vigilans fuit in custodia gregis Dominici, clamans contra lupos, latrans contra vitia, gregemque non sinens aberrare à veris pascuis?

O quot peccatoribus ulcere pessimo afflictis benedicta ua lingua medelam attulit salutis!

O quot lupos, quotque vulpes Dominicam vineam demolientes, & ovile depascentes, zelo suo prostravit & fugavit!

De his vulpibus S. Ambr. ser. 79. sic loquitur: *Est hoc animal fallax & insidijs semper intentum, rapina sic fraudes exercens, quod nihil tutum esse patitur, inter ipsa quoque domicilia prædam requirens. Quod quidem quibusdam etiam convenit Christianis, qui ore Dominum confitentur, moribus autem vulpium fallacia adversantur. Omnis Christianus qui peccata sua vult celare, vulpes est. Sicut enim vulpes ob fraudes suas latibulis demoratur; ita & peccator tacendo propter conscientiam suam peccatorum foveis delitescit. Et sicut illa non audet inter medios hominum turbas morum suorum ostendere fallaciam; ita & hic erubescit media Ecclesia conversationis suæ nequitiam confiteri. Vulpem planè dixerim omnem Christianum, qui suo insidiatur vicino, qui quotidie nititur fines alienos arrodere fructus invadere, animalia devorare, & dum suo labore potest se juvare, ferarum more prædam captat alienam. Hæretici etiam comparantur vulpibus, qui conventicula quædam velut foveas sibi præparant tenebrosas, in quibus pertinaciter latentes, insidiantur Ecclesiæ, tamquam Evangelicæ gallinæ, ut ejus pullos devorent.* Hæc S. Ambr.

Nempe S. Dominicus, tamquam vigilantissimus catulus, voce suâ sonorâ latravit contra falsos Christianos, ut ad viam salutis eos reduceret, vitia eorum arguens, facemque eis ostentans, qua lucem gratiæ consequerentur. Qua in re admirabilem fructum fecit, millia peccatorum è tenebris educens. Latravit quoque, admirabili zelo prædicationum suarum per totum decennium contra hæreses, maximè contra errores Albigensium mirè tunc Provinciam Tholosanam inficientes. Hi hæretici, quasi vulpes Sampsonis caudis colligati, facem falsæ doctrinæ & ambitionis perversæ, quaqua versum circumferebant, ut incenderent fruges & messem Domini copiosam, hoc est, messem animarum, inferendam in horreum æternum. Sed aliam accendit veræ doctrinæ & sanctæ humilitatis facem S. Dominicus, per se & per suos illam circumferens, ut has vulpes fugaret, & fumum tenebrosum ab eis accensum dissiparet. Quod perfecit efficacissimè, eas ad suas latebras redire cogens; vel ad eum reverti, qui illuminat abscondita tenebrarum, veritatis luci antea rebelles manifestè convincens.

Contra novas hæreses novos Deus Ordines suscitat.

Mira certè Dei est erga Ecclesiam & gregem suum providentia: qui cum hæreses permittat ad fidei & fidelium probationem, semper tamen providet viros, qui contra aciem Satanæ aciem instruant veritatis, & tamquam veri servi Dei dimicent contra servos Diaboli. Hoc verò solet ferè efficere per Ordines Religiosos, de quibus illud verum est: *Stella, manentes in ordine & cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt.* Et rursus illud: *Stella dederunt*

Baruch. 3. *lumen in custodijs suis, & vocata luxerunt, Adsumus. Et cum jucunditate luxerunt illi, qui fecit illas.* Cum itaque diversas Religiones in Ecclesia cernimus, ordinem quendam Stellarum cernimus, ut luce pietatis & doctrinæ dimicent quasi de cœlo, adversus hostem veritatis & gratiæ: *Quid videbis*

Cant. 6. *in Sulamite nisi choros castrorum?* Propterea novos Ordines Deus suscitat, quando Satan novas suscitat hæreses.

Sic cum pestis Ariana pervasit Orientem, Deus adversus eam protulit S. Antonium in Ægypto; cum innumeris Monachis pro Dei cultu pugnantibus;

tibus: protulit & S. Basilium, cum phalange Religiosorum precibus & doctrina dimicante contra hunc impium errorem.

Sic cum Manichæi, & Donatistæ ac Pelagiani, hæreses suas in Occidente stabilirent, exsurrexit Augustinus cum suis, Religionis & veritatis pugil indefessus.

Sic etiam cum Gotthi & Ostrogotti Italiam divexarent, & Arianismum renovarent, suscitatus est S. Benedictus cum suis turmis, ut obviam iret impietati.

Sic & postmodum orti fuere Bernardus & Norbertus cum suis, ut pugnarent contra Abailardum, Tanchelinum, & alios hæreticos, tunc temporis exsurgentes

Denique, cùm Albigenses Galliam & Hispaniam suis conspurcarent hæresibus, exsurrexit S. Dominicus cum suis, & Franciscus cum sua nova cohorte, sub vexillo Crucis militantes, vitiaque & errores dissecantes vita sua & doctrina. Fuere autem hi Albigenses nostrorum hæreticorum progenitores, injurij in Deum, in Virginem, in Sanctos, in Sacramenta, in imagines & loca sacra, in omnibus nostri eos imitantur, tanquam *Nigri corvi nigri ovum*, immò tanquam *de radice colubri egredientes, ut regulus, & ut semen venenatum absorbens volucrem*, sive pias inficiens & interjiciens animas in cœlum volatum ineuntes.

Isa. 14.

Ex his ergo omnibus satis constat, quam verè potuerit Domino Dominicus dicere: *O Domine, ego servus tuus, ego servus tuus.* Vtique servus specialis ob zelum honoris divini, servusque rursus singularis ob zelum salutis proximi. Ferventissimus in charitate Dei, ut ejus gloriam adaugeret, sitiebat ardore inæstimabili calicem passionis, sive Martyrium obire pro Domino. Sitiebat, inquam, illud non secus ac cervus desiderans ad fontes aquarum. Vnde transiens per loca ubi hæretici necem ei & insidias moliebantur, intrepidus & cantans ingrediebatur. Eam ob rem in admirationem adducti satellites Antichristi, dicebant ei: *An non mortis horrore tu afficeris? Quid acturus eras, si te comprehendissemus?* Tum iple Martyrii amore flagrans: *Rogassem vos, ne mortem mihi celerem inferretis, & repentinis ne me conficeretis vulneribus: sed paulatim singula præcisa membra mea objiceretis oculis contemplanda: atque ad extremum evulsis luminibus, sineretis ita mutilum corpus in suo sanguine voluiari.* Sic charitas in eo perfecta foras mittebat timorem, & diu patiendi desiderium suppeditabat. Charitas quoque erga proximum in eo elucescebat, quod pereuntium animarum zelo mirificè angebatur, & mente sauciabatur: flensque largissimè super peccatis aliorum, latentem affectum prodebat per lachrymas. Hanc enim excellentem charitatis gratiam, flendi scilicet copiosè pro peccatoribus & afflictis, specialiter obtinuit à Deo.

S. Dominicus martyrium affectavit.

Charitas proximi in S. Dominic. excellentissima.

Quin etiam, charitate urgente, tertiò se singulis noctibus ad sanguinem usque diverberabat. Semel pro suis offensis, rursus pro animabus in peccato mortali hærentibus, denique, pro his qui in pœnis Purgatorij afflictab antur. Hoc erat sacrificium ejus vespertinum & nocturnum, in quo Deo libabat sanguinem suum pro his omnibus, ad expiationem.

PARS II.

Quomodo S. Dominicus sit specialis filius Ecclesiæ & Mariæ.

VT intelligamus ulteriùs, quomodo S. Dominicus specialiter dicere potuerit: *Ego filius ancillæ tuæ*; advertendum est, per *Ancillam* hic intelligi posse *Ecclesiam*, quæ licet sit Sponsa Christi, tamen se ancillam ex humilitate dicit. Specialiter autem se filium Ecclesiæ, ancillæ Domini, dicere potest S. Dominicus, non solùm quia genitus est in illa, & ex illa, secundùm spiritum, sed etiam quia tot labores sustinuit ad tuendam ejus fidem, quasi ad tutandum matris honorem. Pro illa sanguinem fundere paratus fuit, potiùs quàm matrem negare, aut deserere. Fuit autem inter filios primogenitos Ecclesiæ, lætificans matrem; adducendo ad eam fratres suos, suscipiendos cum gaudio. Vnde dum Ordinē suum instituit, sanctâ prole fœcundum, ex omni natione conflatum, illud Ecclesiæ dici potuit, tanquam communi matri pacis filios cum lætitia intuenti: *Circumspice Ierusalem ad Orientem, & vide jucunditatem tibi à Domino inventem. Ecce enim veniunt filij tui quos dimisisti dispersos: veniunt collecti ab Oriente usque ad Occidentem in verbo sancti, gaudentes in honorem Dei.* Dum ad Capitula generalia Ordinis S. Dominici convocatur ex omni natione & regno Patres hujus instituti, sub obedientiæ præcepto, nonne in verbo S. Patris sui veniunt gaudentes in honorem Dei? Rursus Ecclesiæ Matri dici potest: *Leva in circuitu oculos tuos, & vide; omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Filij tui de longè veniunt, & filiæ tuæ de latere surgent.* Nec enim solùm Dominicus Ecclesiæ obtulit filios, sed etiam adduxit filias sanctitate eminentes. Vnde Honorius Pontifex ei curam imposuerat, ut omnes Sanctimoniales, per diversa urbis loca dispersas, in unum redigeret, ut faciliùs regi, & cautiùs possent custodiri; magnumque numerum ad S. Sixti Ecclesiam aggregavit, suis eas instruens cœlestibus monitis. Notæ sunt & in Ecclesia celebres habentur plurimæ filiæ Ordinis S. Dominici; inter quas eminet S. Catharina de Senis, de qua dici: *Multa filia congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.*

Baruch. 4. & 5.

Isai. 60.

Vlteriùs, per Ancillam Domni intelligi potest Virgo MARIA: quæ licet Mater Dei sit, tamen hoc nomine specialiter gloriatur: *Ecce ancilla Domini.* Vnde & in Cantico suo decantat: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Sed cur specialiter vocatur Dominicus MARIÆ filius?

Prov. 31.

S. Dominicus specialiter dicitur filius Mariæ.

Primò, Quia per beatissimam Dei Matrem Ordinis sui impetravit confirmationē. Sollicitarat primò apud Innocentium III. eiq; sese nonnihil opponere visus est Domini supremus Dispensator.

1.

Lib. 1. c. hic. vita Dominic.

At proxima nocte videt in somnis Ecclesiam Lateranensem gravem minitari ruinam, ad quam tamen accurrens Dominicus, suis eam humeris sustentare videbatur. Intellexit Pontifex mysterium visionis, & remisit eum ad fratres, ut sibi regulam eligeret; elegitque, facta cum illis consultatione, regulam S. Augustini, Concionatoris eximii, adjunctis quibusdam arctioris vitæ constitutionibus. Interim desiit esse in humanis Innocentius, & successit Honorius apud quem pro confirmatione egit S. Dominicus. *Quo tempore, dum nocte pro more suo in Ecclesia pernoctaret, conspexit videt filium Dei a dextra Patris cum ira, ad interficiendum peccatores terra, & disperdendum omnes operantes iniquitatem. Tres ad hoc vibrabat lanceas: unam quâ superborum erectas cervices trajiceret, alteram quâ cupidorum viscera configeret: tertiam quâ carnis voluptatibus deditos confoderet. Cumque eius iræ nemo posset resistere, occurrit clementissima Mater, & pedes complectens, rogabat ut parceret suo sanguine redempris; & justitiam misericordiâ temperaret. Cui filius, An non cernis mihi irrogatas injurias? Justitia meo tot mala impunita ulterius non patitur. At mater. Tu nosti omnia, scisque quam per quam eos reducturus es. Est mihi servus fidelis, quem mittes ut verba tua annunciet eis, & convertantur ad te. Est & alius ei hac in re futurus adjutor indefessus. Obtulit ergo Dominicum, obtulit & Franciscum. Ferrò Dominicus jocum suum diligenter contemplans, sibi antea ignotum, posterâ die in templo inventum agnovit, ruensque in oscula sancta, ait ei: Tu es socius meus: Tu mecum pariter curres. Stemus simul, & nullus hostis vincet nos. Visionemq; hanc tunc ei enarravit; atque ex eo die fuit illis cor unum, & anima una; quod etiam successoribus commendarunt. Huius visionis seriem per S. Franciscum accepimus, cui S. Dominicus ante Ordinis confirmationem eam patefecit.* Hæc l. 2. cap. 1. vitæ S. Dominici.

Hac visione confirmatus Dominicus, apud Pontificem instituit pro sui Ordinis confirmatione, & feliciter obtinuit, non sane humana industria, sed dirigente eum divina Sapientia, & Matre sapientiæ MARIA. An non hæc illi ea in visione se speciatim exhibuit, & cor eius roboravit, An non & eius potentiam, clementiamque erga miseros tunc vidit, Quid illa potentius, quæ Omnipotentis judicis iram (qui jam ut fulgur exacuerat gladium suum, cuiusque manus arripuerat judicium) retinere potuit, ne devoraret impios sicut stipulam. Quid ea clementius, quæ pro perituris adeo humiliter & benignè, adeoque instanter supplicavit, & impetravit, Merito ergo justi eius ambiunt gratiam, ut proficiant, peccatores, ne pereant.

Nunquid & ipsa fuit, quæ altera quadam vice dum in Basilica S. Petri Romæ oraret pro Ordinis sui conservatione & propagatione, misit ad eum Beatos Apostolos Petrum & Paulum. E quibus Petrus scipionem, Paulus librum ei tradere videbatur & dicere: *Vade, concionare, diruntius ad id ministerium electus.* Mox temporis momento vidit filios suos toto orbe dispersos, binosque & binos verbum Dei populis annunciantes. His nempe insignis quadam ratione ad Apostolicum inauguratus est officium, Præco divini verbi eximius cum suis futuris in orbe terrarum. Hoc fore eorum munus, ostensum fuit Sedis Apostolicæ Legato Conrado. Hic Bononiæ ad Fratres Dominicanos visitationis Apostolicæ gratia accesserat, & de eorum novello, instituto ambigebat an ex Deo esset. Cùm ergo Codicem aliquem posceret, & in Cathedra posita in templo eorum sederet, Missalis liber oblatus est. Hunc præmisso signo crucis aperuit, & in primæ paginæ suprema parte illud legit, *Laudare, benedicere, & prædicare.* Sic cælesti quodam oraculo exhilaratus, omnem à se hæsitationem abjecit, & fratres totis visceribus est complexus. Certè, valdè congruâ viris huius instituti laudatio, benedictio & prædicatio, velut ex oraculo divino accommodatur: quia Prædicatores sancti divinam gloriam laudare, benedicere, prædicare non cessant, instar animalium mysticorum, quæ continuò, *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* decantant.

Secundò, Dominicus ideo specialiter dicere potest: *Ego filius ancillæ tuæ*, MARIÆ scilicet; quia illa post confirmationem Ordinis, non solùm B. Dominico, sed & filijs ejus, ac fratribus, speciali affectu se exhibuit Matrem. Propterea & illi eam ut talem quotidie salutant singulari devotione & ritu decantantes, *Salve Regina Mater misericordiæ.* Visaque est illa frequenter (cum hæc Antiphona ab ipsis decantaretur) in medio chori eis benedictionem impertiens, & benedictum filium suum JESVM illis ostendens.

Quâdam nocte in Dormitorio vigilans, & orans S. Dominicus, vidit tres miræ pulchritudinis virgines, quarum una ferebat fictilem elegantem alteram aspergillum porrigebat Reginæ in medio gradientiquæ transiens per dormitorium, singulos fratres aspergebat quiescentes in lectulis, & crucis signo signabat. Unum autem præteriit sine hac benedictione. Surgens à prece vir Sanctus, obviat Reginæ juxta lampadem dormitorii, & prostratus eius pedibus ait: *Obsecro, Domina mihi serve tuo quenam sit.* Respondet: *Ego sum illa Mater misericordiæ, quam quotidie vesperi pijs mentibus invocatis. Cumque dicitis. Eja advocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos converte, prosterno me coram filio, orans pro huius ordinis conservatione.* Rursus interrogat quænam sint illæ Virgines? Respondet: *Caciliam esse & Catharinam.* Iterum concepta fiducia, quærit, cur Fratrem unum aversans Virgo prætereant? Respondet: *quia non ita ut decebat se gereret.* Postera die Fratres advocans ad capitulum, admonet eos prolixo sermone ut ament Matrem Dei, cuius erat mirificis consolationibus recreatus. Postea fratrem illum blandè alloquens, competit à culpa alienum; fatebatur tamen se invenisse nudato corpore, dû vigilasset. Voluit ergo monere, Virgo quanto studio

Vitæ lib. 2. cap. 15.

dio pudicitia servanda sit, quæ & oculos avertit ab eo quod jacebat indecorè. Voluit etiam indicare, quantâ veneratione colenda sit, quæ filios suos suâ manu benedicit, protegit perfundit rore gratiæ.

Sed illa nocte cùm disparente Virgine preces cõtinuaret S. Dominicus, ostensum ei fuit quomodo MARIA ipsum & Fratres materno foveat sinu, ut meritò possint concinere: *O Domine, ego servus tuus, ego servus tuus, & filius ancilla tuæ.* Rapitur extra se Dominicus, videtque à dextris filii Matrẽ, pallio coloris sapphyrini adornatam; simul videt ex omni religione aliquos collætantes in circuitu throni; de suo autem Ordine neminem. Pudore suffusus flebat amarè, nec audebat appropinquare Christo, aut Virgini. Innuente Christo, & Virgine vocante, tandem accedit, & cum lachrymis pedibus eorum se substernit. Interrogatur cur lugeat? respondet: *Quia neminem meorum conspicio, cum omnium Ordinum alumni ibi circumstent in conspectu Matris & Filii lætabundi*, Tunc Christus: *Ordinem tuum matri meæ commisi, illa poterit tibi filios tuos ostendere.* Ipso instante ut eos videat, MARIA pallium expandit amplissimum, sub quo tanquam securitatis tegmine vidit ordinis sui multitudinem specialis amoris protectione degentem. Tunc luctus mutatus est in jubilum quo gratias agebat Dei filio & Matri suæ MARIÆ. Verè ergo poterat labiis oris & cordis canere: *O Domine, ego servus tuus, & filius ancilla tuæ.*

Vita lib. 2. cap. 11. Ulterius, favor B. Virginis tanquam Matris erga Ordinem S. Dominici patuit in persona Reginaldi, Doctoris eximii, & Decani Aurelianensis: qui cum deliberaret de ingressu Ordinis, gravissima percussus est infirmitate. Apparuit autem B. Virgo, cum duabus speciosissimis puellis & dixit: *Pete à me quod vis & dabo tibi.* Cogitanti quid peteret, suasit una ex puellis, ne quid peteret, sed se totum Matris Dei voluntati permitteret. Hoc cùm seciſſet Mater Dei, manu virgineâ ægri oculos, aures, nares, os manus, cœlesti unguento linivit, proprias verborum formulas proferens ad singulas unctiones. Ad pedum unctionem dixit: *Vago pedes tuos in præparationem Evangelii pacis.* Ad renes: *Stringantur renes tui cingulo castitatis.* Prædicatorij quoque Ordinis habitum ei demonstrans, dixit: *Hic est habitus Ordinis tui.* Atque ita disparuit Virgo & sanitati subitò restitutus est. Illa unctio ita eum ab omni concupiscentia purgavit, ut nec primi in eo motus extiterint; sic enim fassus est. Hoc autem notum fiebat per merita S. Dominici, qui tunc ferventissimè pro conversione & sanitate Reginaldi orabat.

Tertiò, de S. Dominico specialiter dicimus quod sit filius MARIÆ. quodque ei illud conveniat singulari ratione: *Ego servus tuus, & filius ancilla tuæ*, quia ei ad extremum usque spiritum maternum affectum exhibuit MARIA, donec in cœlestem filii sui aulam pertraheret. Illius meritis præscivit mortis suæ diem, præmisso ad eum splendidissimo juvene, qui ei diceret: *Veni dilecte mi veni, ingredere in vera gaudia.* Hoc accepto nuncio, cùm quosdam sibi familiares de Clero Bononiensi viseret, & de mundi vanitate ac contemptu cum eis differuisset, tandem eis valedicens, dixit. *Vos me charissimi nunc iterum videtis, sed ego ante festum Assumptionis Beatissimæ Matris ad Dominum proficiscar.* Gavisus autem fuit mirò modo de suo discessu, qui ad extremum usque spiritum poterat dicere: *Ego, ô Domine servus tuus & filius ancillæ tuæ. Dirupisti vincula mea tibi sacrificabo hostiam laudis.* Quæ vincula mors disrumpit, ut animus è carcere corporis hujus egressus, æternæ laudis hostiam liberiùs valeat immolare, & perpetui amoris perfectissimum holocaustum. Ad illam ergo laudem suspirabat, & flentibus circum discipulis haud flebat ipse; sed se illis forte utiliorem in eo ad quẽ proficiscebatur loco certissimè asserebat. Interim jam agens in extremis, totus in Deum absorptus; sublatis in cœlum manibus, filios suos æterno Patri commendabat, Matrique cœlesti; sic enim orabat: *Pater sancte, tu scis quia lubenter perstiti in tua voluntate, & illos quos dedisti mihi custodivi. Nunc commendo tibi: tu illos serva & custodi Ego ad te venio ô Pater.* Cũ hæc dixisset, ait fratribus: *Incipite Commendationes animæ, nunc tempus est, hora adest.* Cumque illi multis suspiriis & lachrymis id peragerent, ubi ad ultimam commendationem pertigissent, & dixissent: *Sub venite Sancti Dei occurrite Angeli Domini suscipientes animam eius*, elevatis ipse tenens in cœlum manus. spiritum exhalavit.

Vita lib. 5. cap. 2.

An dubitas MARIAM cum Angelis ejus animam suscepisse; Audi quod ea hora patre Guualo, priori Dominicanorum Braxiensium, postea urbis illius Episcopo ostensum fuit. Leni pressus somno, vidit oculis interioribus duas scalas è cœlo submitti. Vnius cacumen tenebat Christus, alterius Mater ejus: Angeli per utramque discurebant. In medio erat sedes, & in ea sedebat quidam in habitu prædicatorum. Scalas sensim attrahebant CHRISTUS & MARIA, & sedes attolebatur, donec psallentibus Angelis in cœlum illata est. Venit prior ille statim postea Bononiam, & cognovit eâ horâ B. Dominicum è vivis excessisse, nec dubitavit visionem suam palam in concione indicare.

Lib. 5. c. 3.

Conclusio.

O Pater Sanctissimè Dominice, impetra nobis hanc gratiam, quâ ita in spiritu valeamus Christo & Matri ejus deservire, ut fiducialiter tecum possimus illi dicere: *Ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Intercede pro nobis, ut tua possimus sectari vestigia, imitari charitatem, puritatem, pietatem, omnemque excutere teporem: ut cum extrema dies venerit, & vincula nostra Dominus disruperit, possimus ei sacrificare hostiam æternæ laudis, & tecum immolare victimam perennis amoris & jubilationis.

IN FESTO S. LAVRENTII.

LECT. 37. 1 part. *Confitebor tibi, Domine Rex, & collaudabo te Deum Salvatorem meum quia liberasti me à pressura flammæ &c.* Eccli. 51.

PARS I. *De flamma & desiderio S. Laurentij ante passionem iudic. 16.*

QVi domum diruere volunt, columnas quibus illa imminet, concutere & excutere conantur; his enim ruentibus, totum corruat ædificium, necesse est. Sic Sampson, adductus in templum Dagon Dei Philistinorum, ut coram eis luderet ibidem epulantibus, (aut potius ut illuderetur ei tanquam cæco, huc illuc in parietes & columnas eum lusoriè impingendo) cum apprehendisset columnas, quibus innitebatur ædificium, tria millia contrivit Philistinorum cum Principibus suis. Non absimili modo primi Ecclesiæ Tyranni, ut Ecclesiam funditus diruerent, & Christianismum in suis initiis sepelirent, impetebant magna vi columnas ejus, quibus conquassatis, facilè totum dilapsurum erat ædificium. Quinam verò sunt in Ecclesia columnæ, nisi qui sunt in officio Prælationis positi, ut eam fulciant & sustentent? Hi nempe tanquam columnæ debent esse firmi per fidem, recti per æquitatem, erecti per intentionem, sublimes per contemplationem, expoliti per patientiam, immobiles per perseverantiam, sustentantes alios verbo consolationis, suffragio orationis, exemplo actionis. Sicut columna in fabricis & munimini congruit & decori: sic & hi eminent munere dignitatis, & portant alios officio charitatis. Ob hanc causam Petrus, Iacobus, Ioannes, vocantur *Columnæ* à S. Paulo. Sic dicit Dominus: *Qui vicerit, faciam illum Columnam in templo Dei mei, & scribam super eum nomen Dei mei.* *Galat. 2. Apoc. 3.*

Domus Dei columnæ sunt Sancti.

Columnæ erant in Ecclesia Dei, tempore persecutionis Valeriani Imperatoris, S. Sixtus Pontifex supremus, & S. Laurentius ejus Archidiaconus: fabricam humeris suis superposit & inter procellosos turbines infatigabili zelo portabant, verbo & exemplo infirmos confirmantes. Ideo totum in eos furorem convertit Valerianus, ut his concussis fidem Christianam funditus demoliretur. At nesciebat illud Domini: *Liquefacta est terra, & omnes qui habitant in ea; ego confirmavi columnas ejus.* O Tyranni & persecutores, struite quem volueritis ignem furoris, etiamsi terreni & infirmi in fide ab hoc igne possint liquefieri, desluere & deficere; tamen hic ignis non poterit nocere Columnis, quas ego in Ecclesia posui, inquit Dominus. Ego enim eas confirmavi & stabilivi, ut non liquefiant, nec deficiant, sicque semper stabit ædificium quod erexi. Nesciebat Valerianus & illud: *Domini sunt cardines terræ, posuit super eos orbem.* Dominus Ecclesiæ suæ mystica um orbem imposuerat humeris Sixti & Laurentij, ut quasi Athlantes sustinerent eum, fidei robore & fortitudine cœlesti ex alto donati. Ergo hi nutare non poterant, quia à Domino stabiliti, & *Psal. 74.* *1. Reg. 2.*

Cardines sunt Domini. Erat enim S. Laurentius Diaconus Cardinalis Ecclesiæ Romanæ, quibus postmodum datus est Rubeus Galerus, ut hujusmodi purpureis Insignibus scirent sanguinem suum pro fide & Ecclesia ad martyrium usque oppignoratum esse. Super ipsos tanquam Cardines volvitur Orbis Ecclesiæ, ideoque firmissimos semper in fide necesse est eos esse. Propterea rursus dicitur apud Psalmistam: *Dominus firmavit orbem terræ, qui non commovebitur. Elevaverunt flumina vocem suam, elevaverunt flumina fluctus suos: Mirabiles elationes maris; mirabilis in altis Dominus.* Nero, Valerianus, Decius, Diocletianus, Maximinianus, & alij Tyranni, elevaverunt adversus Ecclesiam, equuleos, craticulas, farragines, cruces, ignes, ungulas ferreas, & sexcenta alia supplicia: quæ semper nova excogitabat ingeniosa crudelitas: ita ut ad hominis corpus unum plura sæpe adessent supplicia quam membra. Sed nunquid *mirabilis in altis Dominus*, ita suæ ædificii columnas firmarat, ut hæc omnia nihil prævalerent? Nempe *Domum ejus decet Sanctitudo in longitudinem dierum*; hoc est, Ecclesiam ab eo fundatam oportet esse inviolabilem in sanctitate usque ad consummationem sæculi, ita ut quælibet procellæ & inferorum vires non fint eam profligaturæ. *Psal. 92.*

Considerationc porrò particulari dignum es, quod inter S. Sixtum & S. Laurentium, instante persecutionis procella, peractum legimus. Cùm enim Laurentius cerneret Sixtum ad martyrium duci, flere cœpit, non illius passionem, sed suam remansionem, his eum verbis compellans: *Quò progrederis sine filio Pater? Quò Sacerdos sancte sine Diacono properas? Tu nunquam sine ministro sacrificium offerre consueveras: Quid ergo in me displicuit? Cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem, & dedisti sacramentorum consummandorum consortium, hucine tui sanguinis negas consortium? Experire utrum ministrum idoneum elegeris. Vide ne periclitetur judicium tuum; abjecto discipuli, detrimentum est magistri. Quid quod illustres viri discipulorum certaminibus magis quam suis vincant? Denique, Abrahamsilium obtulit, Petrus Stephanum præmisit, & tu Pater in filio ostende virtutem, offer quem erudisti, ut securus judicii tui (quod degenerem non elegeris) comitatu nobili prævenias ad coronam:* Ita locutum Sanctum Laurentium, testis est S. Ambrosius Offic. libr. 1. cap. 41. Ex ejus autem verbis tria deduco documenta.

Diaconorum officium.

Primum documentum est, Munus Diaconorum olim fuisse, dispensare Fidelibus Calicem Sanguinis Domini, dum sub utraque specie communio tradebatur. Colligitur id ex his S. Laurentij verbis: *Experire utrum ministrum idoneum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem.* Colligitur idipsum ex præclara historia Theodosij Diaconi à Fratre suo Constante Imperatore nece sublati, cum ab eo quandoque Sanguinis Christi Calice in sacris mysteriis potatus fuisset. In pœnam enim

Annales Græco-ex illis Barō.

enim sceleris fraterni, noctu habitu Diaconi crebrò ei occurrebat, poculum sanguine plenum porrigens, & dicens: *Bibe Frater, inebriare fraterno sanguine quem fudisti; tale decet nunc tibi porrigi poculum, non sanguine Agni refertum, ut olim in Ecclesia in redemptionem culparum tuarum, sed fraterno sanguine plenum, qui ultorem voce sua excitat in te Deum: exposcit sanguis meus sanguinem tuum.* Sic Constans Imperator, sibi in imaginatione occurrente continuo fratris sanguine, conscientiæ stimulis agitatus, miser fuit, instar Cain, semper vindictam cervici suæ incumbentem exspectans. Propterea verò antiquitus dabatur communio sub specie vini, Calicem ministrante Diacono, ut Fideles Sanguinem Christi sumentes sub specie sanguinis uvæ, magis animarentur ad sanguinis pro Christo profusionem. De qua re sic Cyprianus epistol. 56. *Gravior & ferocior nunc pugna imminet, ad quam virtute incorrupta & fide robusta parare se debent milites Christi, considerantes se quotidie calicem Sanguinis Domini bibere, ut & ipsi possint propter Christum sanguinem fundere.* Hinc multi, tanquam generosi Christi Athletæ, hoc precioso & inebriante Calice potati, inter candentes prunas, inter crepitantes flammas, inter excarnificantes equuleos, inter effodientes ungulas lætigloriabantur: & quasi Sanguine Christi inebriati, non videbantur sentire tormenta, nullaque reformidabant pericula. Hoc ipsum de S. Laurentio testatur. S. Augustinus tract. 27. in Ioannem, explicans illud: *Qui manet in me, & ego in illo*, sic enim differit: *Quomodo in illo mansit S. Laurentius? Mansit usque ad tentationem, mansit usque ad tyrannicam interrogationem, mansit usque ad acerrimum comminationem, mansit usque ad peremptionem; pavam est, usque ad immanem excruciationem mansit, non enim occisus est citò, sed crematus est in igne. In illa ergo lenta morte, in illis tormentis, quia bene manducaverat & bene biberat, tãquam illa esca saginatus, & illo calice ebrius, tormenta non sensit.* Hæc S. Augustinus.

Martyrium olim perfectum sacrificiũ.

Secundum documentum ex verbis S. Laurentij deducimus scilicet reputatum fuisse olim apud Christi fideles martyrium tanquam perfectum sacrificium. Quapropter eunti Sixto ad martyrium, sic dicit: *Quò properas Sacerdos sancte sine ministro ad Sacrificium?* Cupiebat ipse consors esse dignissimi hujus sacrificii, hoc est martyrii, in quo cum suo Sacerdote proprium libaret Deo sanguinem. Sic & Apostolus, vicinam suam mortem & martyrium indicat esse sacrificium, dum dicit: *Ego enim jam delibor, & tempus resolutionis meæ instat.* 2. Tim. 4. Quid est, ego jam delibor, nisi ego sanguinem meum in libamen Deo profundo, & in Sacrificium offerõ? Ideo B. Polycarpus in medio ignis se in vivum & odoriferum Sacrificium offerens, sic Deum precabatur: *Accipe Pater æterne, in sacrificium acceptabile, quam mihi donasti vitam. Tu Pater es Domini mei Iesu Christi, per quem te cognovimus, qui se pro nobis obtulit in cruce. Per eundem me offero in confessione fidei sanctæ, ad tuam ejusque gloriam æternam. Gratias ago infinitas, quod me dignatus es adscribere numero beatorum Martyrum, & facere participem calicis ac passionis Domini mei Iesu Christi.* Hac oratione factum est, ut ignis potius eum protegeret quam ureret, flamma diffundente odorem suavissimum, velut thymiatis odoriferiq; sanguinis. Id adveitentes impii, gladio ei pectus transverberarunt, sicque profusione sanguinis igne extincto, anima ad Deum evolavit. *Preciosa* ergo *in conspectu Domini mors Sanctorum ejus*, tanquam holocaustum & sacrificium perfectæ laudis, in quo sanguis, vita, corpus, anima immolantur. Olim templum Salomonis voluit Deus sanguine dedicari, & consecrari victimis permagno numero immolatis; nam centum viginti millia ovium & viginti duo millia boum in sacrificium oblata tunc legimus, quorum sanguine aspersum fuit templum. Cur tanta sanguinis profusio? Cur tot victimæ? Certè in figura id ipsum contingebat. Significabatur nimirum templi novi consecrationem (hoc est Ecclesiæ novæ) inchoandam fore per copiosam sanguinis effusionem, & victimarum magno numero immolationem. Quid sunt oves immolatæ, nisi Fideles simplices, per mortem pro fide in sacrificium sese offerentes? Horum ingens est numerus, à primordiis Ecclesiæ Christianæ. Quos vetò dicemus boves, nisi viros Apostolicos, qui tanquam boves in Ecclesia laborabant ad sationem doctrinæ & fidei novæ, qui etiam sanguine suo Ecclesiam conspersérunt, & se in sacrificium offerentes, doctrinam fidei confirmarunt? Inter hos ergo S. Sixtus, inter hos S. Laurentius, qui aliis Duces extiterunt.

Psal. 115.

3. Reg. 8.

Cur victimæ multæ in Templo Salomonis

Tepor noster summè damnabilis.

Tertium documentum est teporis nostri condemnatio, dum corda Sanctorum tanto videmus succensa ardore charitatis. En quomodo è corde S. Laurentij exiliit flamma, quæ etiam cor in lachrymas solvit, eo quod impatiens sit moræ, cupiens pro Christi pati amore. Hæc est flamma, quæ ignitum illud eloquium depromit: *Noli me derelinquere, Pater sancte.* Hæc est flamma, quæ eum accendit, & armat ad conflictum contra tyrannum. Hæc est flamma, quæ nullis potest superari aquis tormentorum. Hæc est flamma ignis, de quo Dominus: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut ardeat?* Poterat ergo cum Apostolo dicere Laurentius: *Quis nos separabit à Charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? In his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in CHRISTO IESV.* Provocat totum internum, totumque mundum ad se vincendum Christi amore & insuperabili charitate. Ita autem loquitur Apostolus in persona electorum, & maximè Martyrum, optantium pro Christo certare, & quæli-

Luc. 12.

Rom. 8.

quælibet tormenta perferre. Sic dicebat & S. Ignatius Martyr, eodem quo Laurentius igne succensus: *Viinam fruar bestiis, quæ mihi sunt præparatæ, quas oro mihi veloces esse ad introitum, ne sicut & aliorum Martyrum non audeant corpus attingere. Si noluerint, ego vim faciam, ego urgebo ut devorer. Ignoscite filioli, scio quid mihi prosit. Nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de his quæ videntur, desiderans, ut Iesum Christum inveniam. Ignis, crux, bestiæ, ossium confractio, membrorum divisio, & tota in me diaboli tormenta veniant; tantum Christo fruar.* Hæc erat vox Ignatii, Similis vox erat & Laurentii deplorantis derelictionem suam, & magno ardore desiderantis per tormenta Christo frui.

Sed audiamus quid ei responderit S. Sixtus, spiritu prophetico de futuris instructus: *Non ego te desero fili, neque derelinquo, sed majora tibi debentur pro fide certamina. Nos quasi senes levioris pugnæ cursum recipimus, te autem quasi juvenem manet gloriosior de tyranno triumphus. Post triduum me sequeris, Sacerdotem Levita.* En quomodo consolatur lachrymis madentem discipulum. Non enim dicit: *Propediem persecutio finietur, cessabit tempestas, redibit tranquillitas; mœrorem siste in spe tranquillitatis futuræ.* Sed dicit: *Noli mœrere, quia mox ad mortem me sequeris, sed per acerbiora tormenta, per acriora productoraque supplicia? quæ tibi triumphum etiam parient gloriosiorem de tyranno. Voto tuo satisfiet, ut mihi jungaris & Christo per consortium profusi sanguinis; sed non leniter, sicut mihi continget in capitis detruncatione; majora à te reposcit Dominus. Ipse te dono fortitudinis invictæ vult cælo & mundo gloriosissimum reddere, ut quantum Ierosolyma Stephano, tantum gloriari valeat Roma Laurentio. Ipse te Spiritu duplici supra Magistrum vult honorare, & multiplicibus tormentis superiorem efficere, ut non jam discipulus, sed multorum Martyrum Dux sis & Antesignanus.*

Vlteriùs insinuat Sixtus Laurentio, ut Ecclesiæ quantocyùs thesauros in pauperes elargiatur, ne in manus veniant avari persecutoris, ad Ecclesiasticæ substantiæ opes inhiantis. Hi thesauri consistebant in vasis sacris, & in pecunia Fidelium liberalitate congesta, ad subsidium Ecclesiæ & ministrorum ejus, simulque ad pauperum & viduarum sustentationem. Olim enim pauperum magna agebatur cura, & Diaconi constituebantur bonorum communium administri. Propterea igitur hanc omnem subsidiariam substantiam, tanquam ad pedes Apostolorum à Fidelibus oblatam, commiserat S. Sixtus Laurentio Diacono suo. Sed an forsitan illa substantia potuit animum Laurentij detinere, aut à cœlestium cogitatione devocare? Absit. Mox enim cœlestes in thesauros illam transtulit per manus pauperum: visitans enim concubia nocte eorum domos, lavansque & osculans cum humilitate eorum pedes, omnia distribuit, ut posset dicere cum S. Paulino: *Domine ne excruciar propter aurum, aut argentum, ubi enim omnia mea sint, tu scis.* Propterea de eo canimus illud: *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Ejus quoque exemplo hodierna die sic nos admonet Ecclesia: *Fratres, qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Eleëmosyna comparatur sementi, quia sicut qui spargit semen, non perdit illud; sed terræ mandat, ut cum fœnore decuplum recipiat: sic & eleëmosyna producit abundantem messem gratiæ & meritorum coram Deo. Propterea etiam Sapiens monebat: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, & post multa tempora invenies illum.* Hoc est: Mitte eleëmosynam super pauperes, qui in hac vita viventes præterfluunt ut aquæ, & transeunt per aquas angustiæ: nec putes te illum perdere, quasi in aquas jactum semen. Tandem enim post multa tempora reperies fructum; quia tibi certa à Deo merces servatur, & fructus vitæ æternæ per semen illud producitur.

Pauperū cura Diaconus incumbit.

Psal. 111.

2. Cor. 9.

Eccles. 11.

NOn fuit multum S. Laurentio hæc sibi concredita in egenos dispersisse: tota ejus cura erat seipsum Deo impendere: Vnde rursus dixisse videtur illud Paulini ep. 2. *Qua nobiscum non intuleramus in hunc mundum, nec poteramus auferre nobiscum quasi mutuata reddidimus, nec ut eutem à carne distraximus, sed ut vestem à corpore deposuimus. Nunc opus est ut verè nostra rependamus Deo; hoc est cor & animum & corpora nostra exhibeamus in hostiam vivam. Qua enim nobis gratia, si alieno tantum fideles fuerimus, nisi de proprio serviamus?* Quapropter, quum rumore de thesauris sparso Imperator eum jussisset comprehendi (tum ut aurum, tum ut Christum ei eriperet) non ejus minas, non tormenta veritus est: sed qui in pauperum greges sacratij opes expenderat pro Christo, pro eodem sanguinem expendere multò magis gaudebat. Fremens ergo persecutor, quòd de thesauris interrogatus Laurentius, die quo eos repræsentare spoponderat, nonnisi inopum turbam à se congregatam repræsentaret, illoíque Ecclesiæ esse thesauros assereret: jubet eum virgis cædi acerbissimè, deinde scorpionibus dilacerari, postmodum & plumbatis excarnificari. Tandem cum in his omnibus infractum gereret animum, immò & tormenta sibi in beneficiū reputaret: præcipit persecutor *lacertos ariis, & multa verberum sectione consissos, subjectio igne torreri, ut per cratem ferream, qua jam deservore continuo vim in se haberet urendi, conversorum alterna mutatione membrorum, fieret cruciatus vehementior, & pœna productior.*

PARS II. *De magnanimitate S. Laurentij in passione sua.*

Vide latius hist. apud Ribad & alios.

Inter tormenta asperrima martyrium per ignem meritò computatur, quia ignis elementum est maximè torquens, & activitatem & devorantem penetrationem: inde est quòd à Deo servatur tanquam extremum suppliciorum ad torquendos reprobos: Eò verò acerbior est pœna, quò ignis lentior est, longâ morte hominem crucians & consumens. Vnde absque dubio S. Laurentij martyrium in cra-

S. Laur. martyriū acerbissimū, quia lento igne coctus.

in craticula fuit peracerbum. Nam qui gladio percutitur, semel moritur, qui in flammarum camino mergitur, uno impetu liberatus; hic autem longâ & multiplici pœna excruciabatur, ut mors ei non deesset ad supplicium, deesset ad terminum: diu vivere in tormentis permittebatur, ut multoties moreretur. Sed nunquid ei animus defecit in tormentis, tota nocte excarnificantibus imbelle corpus? absit. Imo increvit in eo animi fortitudo, quantò magis increvit enunciatio.

Admirabatur olim Moyses, dum Rubum conspicatur flammis circumdatum, sed sine consumptione & combustione, sine detrimento integritatis, vel viroris. Quapropter dicit: *Vadam & videbo visionem hanc magnam, quare rubus non comburatur.* Exod. 3. An non tibi Rubus videtur, aut Laurus, in medio ignis Laurentius, sine diminutione viroris & vigoris? Accede, & vide visionem hanc magnam, admirare invictam patientiam, agnosce mentis vigorem incorruptum & illæsum. Nec minus visio hæc nostro digna est intuitu, quam visio Rubi in medio flammæ, immò quam visio puerorum Babyloniæ in succensa fornace. Illi nihil patiebantur ab igne, Dan. 3. sed divinas laudes decantabant: *Non tetigit eos ignis nec contristavit, nec quicquam molestiæ intulit.* Laurentius verò mira patitur tormenta à confuso igne, sed patitur corpus mira cum animi exaltatione. *Illi deambulant in flammis, & igneos globos pedibus conculcant: Laurentius in ipso supplicii sui igne discumbit.*

Quam verè cum Iob dicere potuit Laurentius, Iob. 7. *Consolabitur me lectulus meus, & relevabor loquens mecum in strato meo.* Hic est lectulus ferreus & igneus (in quo totâ nocte sine quiete requieverit qui consolabitur eum. Vocat hunc *Lectulum suum*, quia magno desiderio eum ambivit & adamavit, tanquam lectulum postremum suæ in Deo quietis. Vocat *Lectulum consolationis*, quia post modicum afflictionis erit ei causa æternæ exultationis. Nonne verum est illud de omnibus beatis: *Exultabunt* Psal. 149. *Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis?* Cerrè de Craticula, tanquam *Cubili suo* lætabitur Laurentius tota æternitate, *& exultabit in gloria*; immò Craticula hæc erit symbolum specialis inter electos gloriæ suæ. Sæviit in eum acerbissimè persecutor, *sed auxit palmam, dum aggravat panam. Cessit; ad Victoris gloriam, quicquid potuit reperire ingenii sa crudelitas; quia in honorem transferunt triumphi, etiam instrumenta supplicii.* Ideo ergo dicere potest æternum Laurentius: *Consolabitur me lectulus meus*, quod ipsum dicere potetat in tormentis.

S. Leo.

Sed illud quoque ei convenit aptissimè: *Relevabor loquens mecum in strato meo.* In hoc strato & lectulo, dum versatur & reversatur, in tergum, in latera, in ventrem, non ei os mutum est, sed liberâ linguâ quæ spiritus suggerit, eloquitur. Quomodo loquitur?

In lectulo suo ferreo S. Laur. loquitur secum.

1. *Loquitur secum.*
2. *Loquitur ad Tyrannum.*
3. *Loquitur ad Deum.*

1.

Primò, Vis scire quid secum loquatur? Loquitur Mat. 30. secum, & ruminat illud: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Hoc enim Martyribus dictum est, ut nullius terrore desciscerent à fide, sed intuitum in Deo figentes, firmarentur in fidei perseverante confessione. De his S. Bernardus serm. de Vite. *Torreantur licet Martyres, rident; feriuntur & gaudent, occiduntur, & ecce triumphant. Quare? Quia morte charitatis intus in corde jamdudum mortui peccatis, mortui mundo, tanquam insensibiles facti, nec minas, nec tormenta, nec mortem scire potuerunt.* Rursus secum 2. loquitur S. Laurentius, & dicit: *Mihi vivere Chri-* Phil. 2. *stus, & mori lucrum.* Hoc enim ad martyrium properantes concernit, quibus amor Dei vita est; qui & lucrum maximum computant, jam sæculi laqueis non teneri, jam nullis peccatis aut vitijs carnis obnoxium fieri eximia pressuris augentibus, & de venenatis diaboli faucibus ad salutis æternæ lætitiam proficisci. An non hic undique lucrum, mortem pro Christo subire? Quapropter S. Chrysostomus hanc sententiam, *Mihi vivere Christus, & mors lucrum*, sic explicat pro Martyribus, quasi dicat Apostolus in persona eorum: *Etiam moriendo non moriar, eò quod vitam habeo in meipso. Tum verò demum me occiderint, si per terrorem animo meo possint fidem excutere? donec vero Christus in me fuerit, etiamsi mors ingruerit, vivam.*

Denique rogum sibi paratum intuens sanctus 3. Laurentius, secumq; loquitur; secumque ruminat Isai. 43. illud antiquum promissum: *Noli timere, quia redemi te, & vocavi te nomine tuo; meus es tu. Cum ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te.* Hoc est, adero tibi in quacunque persecutione & liberabo te, & ita confortabo, ut pro nomine meo malis esse in igne, quam in refrigerio; immò ita ut gaudeas & ambias pro Deo igne cremari, quia flamma non nocebit tibi. Hoc igitur secum loquebatur S. Laurentius, & remorabat monitum S. Cypriani tract. de Exhort. Martyrum. *Major est Deus ad protegendum, quàm damon ad impugnandum. Quare in persecutionibus mentem non labefactet humana infestatio, sed fidem corroboret Dominica protectio. Quisque secundum Dei promissa, & fidei sua merita, tantum accipit de ope Dei, quantum se credit accipere; non est quod Omnipotens præstare non possit, nisi accipientis fides; caduca defecerit.* Non defecit Laurentio fides in medio ignis, ideo factus est superior igne & tormentis. Non defuit flamma charitatis, ideo nocere non potuit exterior flamma ignis: *Segnior fuit qui foris ussit, quàm qui intus ascendit*, inquit S. Leo. Conformiter loquitur S. Maximus: *Non est pœnalis flexus incendio, cujus in pectore insuperabilis Spiritus S. flamma ardebat. Aut nunquid cedere poterat momentaneæ corporis ustioni, cujus fides æternum gehennæ extinguebat ardorem.* Ex his ergo satis elucet, quàm verè poterat dicere: *Consolabitur me Lectulus meus.*

Secundò

Secundò. Vis videre quomodo ex lectulo suo loquitur non solùm secum, sed etiam ad Tyrannum? Audi ejus verba plena constantiæ: *Assum est jam satis, in aliam partem gyra, & manduca. Disce miser, quia carbones tui mihi sunt refrigerium, tibi autem æternum præstant supplicium.* Sic cum ei Tyrannus diceret: *Nisi Dijs sacrificaveris, nox ista in supplicijs tuis expendetur.* Respondit Laurentius: *Mea nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt.* Hæc certè nonnisi impulsu Spiritus sancti pronunciasse certum est, quia dicit Dominus: *Cùm steteritis ante Reges & Præsides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini; non enim estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Vtique loquitur Spiritus S. per Martyres ad tyrannos contemptim, ad eorum confusionem: *Ad Reges ducemini propter me in testimonium illis*, dicit Dominus. Quid est, in testimonium illis? Multiplex multis fert testimonium Martyr, & ideo Martyr, id est testis dicitur. *Testimonium fert sibi, quod sit in Deum sincerus & fidelis: Persecutori, quod sit frustra amulatione percitus in eum qui fidelis est per dilectionem: Domino autem, quòd sit à Deo inspirata doctrina persuasio, à qua non deficiet metu mortis. Quin etiam facto confirmat veritatem prædicationis, potentem eum esse ostendent ad quem contendit.* Ita Clemens Alexand. lib. 4. Strom. Hæc omnia testimonia verbis suis dat Laurentius, ad præsentium eruditionem, ad Tyranni confusionem.

S. Laurentius loquitur ad tyrannum.

Matth. 10.

Exemplo S. Laurentij S. Eulalia (cum ardentes tedæ & funalia jussu Datiani, ad corpus ejus admota forent) sic alloquebatur Tyrannum: *Iam assum est corpus meum, vires tamen mihi minimè deficiunt; jube ut aspergar sale, ut cœlesti sponso cibus sapidus sim.* Cumque pectinibus ferreis toto laceraretur corpore; dicebat Domino: *Hæc signa quæ ferrum in corpus meum imprimit, literæ sunt quibus sanctum tuum nomen in mea carne scribitur, quæ tuas victorias & triumphos prædicant.* Hoc posterius dicebat ad præsentium eruditionem, illud prius ad Tyranni confusionem, sicut & S. Laurentius.

Granat. Catech. l. 2. c. 6. Prudent. & alij.

Non absimiliter S. Christina Patris sui Vibani idola argentea confringens, bladimenta despexit, minas irrisit, flagellis, ungulis, igne dilaniata constantiam non mutavit. Immò laceræ carnis fructum Patrem projiciens, dicebat: *Satiare miser carnibus quas genuisti, Filiam comedere potes; ut impietati tuæ consentiat facere non potes.* Hæc iterum illa constantissimè ad Tyranni ignominiam, exemplo sancti Laurentij, epulum è carne sua Persecutori præbere parati.

Surius 24. Iun.

At epulabatur ipse jucundius nocte ista sibi pellucida, quasi sedens ad cœnam Agni, cujus corpus sanctissimum in ara & veru Crucis torridum fuit; cujus cruorem roseum gustando, vivimus Deo. Quocirca poterat illud tunc dicere: *Nos illuminatio mea in delicijs meis, quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur.* Ad quem locum videtur alludere, dum dicit: *Mea nox obscurum non habet sed omnia in luce clarescunt.* Hæc dicebat, quia illa nocte lucem percepit cœlestem, divinamque consolationem, qui caliginem & omnem animi mœrorem dispulit; ita ut tormenta sustineret cum lætitia, quasi interesset delicijs.

Psal. 138.

Triplex ei consolatio oriebatur. *Prima* ex divini amoris dulcedine, & intellectus illustratione; ideo dicere potuit: *Nox illuminatio mea, in delicijs meis.* Nox enim in delicias convertitur, quando amoris dulcedine tribulatio superatur. *Secunda* oriebatur ex certitudine status gratiæ divinæ; sciebat gratiæ lucem se non perditurum propter tribulationis caliginem. Ideo potuit addere: *Tenebræ non obscurabuntur à te, nox sicut dies illuminabitur*, quòd idem est cum eo quod dicit: *Mea nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt.* Tunc enim tenebræ non obscurabuntur, sive nox non habet obscuritatem quando quis in tribulatione positus non obnubilatur per peccati caliginem. *Tertia* consolatio oriebatur ex securitate gloriæ mox adipiscendæ. Propterea potuit illud occinere: *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Tunc lumen correspondet tenebris quando luminosa multiplicitas gaudiorum respondet multiplici generi passionum, & quando quis potest dicere: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* An non hoc contigit S. Laurentio? Meritò ergo canit: *Consolabitur me lectulus meus, & revelabor loquens mecum in strato meo; revelabor quoque loquens cum Tyranno, adjutus lumine & solatio divino.*

Triplex consolatio S. Laur.

Psal. 93.

TErtiò. Vis videre quomodo ex Lectulo suo loquatur non solùm secum nec solùm ad Tyrannum, sed etiam ad Deum? Audi quod de eo in epistola hesterna legebatur: *Cõfitebor tibi Domine Rex, & collaudabo te Deum Salvatorem meum, quoniam adjutor, & protector factus es mihi, & liberasti me à pressura flammæ & in medio ignis non solum æstuntas.* Quasi dicat: Cum corpus meum undique cruciatu flammæ absumeretur, animum mihi illæsum præbuisti, & superiorem me omnibus tormentis reddidisti. Quasi Angelum me effecisti; velut non in meo, sed in alieno corpore instar Angeli pateret, sic non sum æstuatus, sic mihi flamma nocuit, sed profuit. Quomodo profuit? Quia in illa flamma Laurentius se Deo in sacrificium obtulit; & craticula Ara fuit hujus sacrificij odoriferi. Quia autem sacrificiũ, *& oblatio de craticula veniens oleo aspergi debuit*, oleum gratiæ divinæ ei non defuit. Oleum tantæ efficaciæ, ut illo inunctus contra vim flammæ valeat prævalere: Vnde dicit: *In medio ignis non sum æstuatus*, quia quamvis in favillam membra solvantur, fidei tamen fortitudo non dissolvitur, & per corporis detrimentum, animus transit in holocaustum. Sic dum fidei fortitudine flammas persecutoris vicit, *Flammis, quas ipse pertulit omnium Christianorum corda exaccendit, & igne ac lumine, quo ipse succensus est, totum mundum illumi-*

PARS III. *De gloria Speciali S. Laur. post passionem.*

Eccl. 51.

Levit. 2.

illuminavit. Nam his radiantibus flammis victrix in hunc quoque diem toto orbe Christi corruscat Ecclesia.

Adde, flammis quas pertulit promeruisse hoc singulare à Deo privilegium, ut feria sexta cujuslibet hecdomadæ animam unam ex Purgatorii liberet flammis. Hujus privilegii meminit S. Gregorius Turon. serm. de B. Lauren. Confirmat auctoritate Abbatis probatæ fidei ac sanctimoniæ, qui cum monasterio S. Laurentii in Gallia præesset, mirabilem ea de re visionem habuit, sed cujus finem sic eum affatur Angelus: *Abba, iste quem cernis Levita Laurentius est, qui martyrium & ignem pro Christi nomine passus, hoc privilegio insigniri meruit ut quamlibet hebdomada animam unam Purgatorii ignibus possit eximere.* Adjicit postremo S. Gregorius S. Laurentium suo favore efficere, ne antiquus hostis illi nocere possit qui eadem feria sexta pia oratione ejus memor fuerit. Propter hoc privilegium S. Laurentii, fit Leodii frequens concursus ad monasterium & Ecclesiam S. Laurentii feriis sextis, & roboratur hujus privilegii veritas pervetustis illius Ecclesiæ manuscriptis. In eodem monasterio S. Laurentii memoriæ consecrato ostenduntur notabiles partes, tum de craticula, tum de corpore ejus, sanguine velut recenti perfusæ à cœlestino III. Alberto Leodiensi Episcopo datæ. Item ampullæ duæ continentes ejusdem S. Martyris pinguedinem, Romæ à Godefrido S. Lamberti Præposito sub Theoduino Præsule allatæ, atque ibi per honorificè repositæ. *Ad harum adventum miraculosè serenitas obtenta fuit. Nam erat nubilum cœlum, pluviarumque tanta effusio, quanta hominum memoria vix visa. Mense integro nascentes Sol fruges nulla juverat caloris beneficio, desperata pene messis erat, ac vindemia. Dum verò deferrentur hæ reliquiæ ad Ecclesiam S. Laurentii, congregato clero & populo, & Litaniæ pro aëris temperie decantarentur, vix exorsi erant Kyrie eleison, ecce cessat pluvia, & sol effulsit amœnus terramq; diutino reficiens calore, mortalibus frugum spem reddidit.*

Videri potest latius Io. Ant. Flaminius in vita Alberti M.

P. Ægid. Monin in Sacrario Cœnobii S. Laur.

Postremò, sic loquitur S. Laurentius ex lectulo suo ferreo, cùm jam mortis in agone foret constituturus: *Gratias tibi ago Domine, quia januas tuas jam ingredi meruí.* Hæc fuere verba in quibus emisit spiritum, è transiens de lectulo ferreo ad floridum æternitatis lectulum, ad æternæ quietis sibi locum præparatum. Januas cœli vocat martyrium, tormenta mortem: quia per hæc Christus cœlum est ingressus, cæterorum Caput & Dux. Hunc omnes per eandem viam debent sequi, qui volunt assequi: *Nam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Id autem quod in præsenti est, momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* De hoc igitur exspirans gratias agit S. Laurentius, tormenta sua beneficii magni loco ducens, quibus emitur æterna gloria. O certè felix craticula Laurentii, felix flamma, felicia tormenta & vulnera, quæ dum citò transeunt, gloriam ei pepererunt non transeuntem, sed perennantem in sæcula! O felix nox, quæ suis tenebris lucem ei peperit sempiternam! O felix mors, quæ vitæ nunquam interituræ aditum ei patefecit! Meritò ergo moriens canit: *Gratias tibi ago Domine, quia januas tuas ingredi meruí. Quis non velit ad horam uri igne Laurentii, ut æternum gehennæ non patiatur incendium,* inquit S. August. Quis id renuat, ut gloria fruatur tanta, quantam nunc à mille trecentis annis participare nescitur? Transierunt à die Martyrii ejus totannorum centuriæ, numquid cursu tanti temporis ejus imminuta est gloria? Nunquid mille anni aliquid decerpserunt de ejus lætitia? Absis. Non enim vel momento est imminuta, quæ semper eadem permanet, & de novo quasi inchoare censetur. Immò gloria accidentalis crescit, crescente populorum devotione erga ipsum. Sic unâ nocte cruciatus in sæculo, regnabit in cœlo gloriosus per sæculorum sæcula. Væ interim tibi, ô Valeriane, qui Levitam Christi contempsisti, cruciasti, excarnificasti; justa enim Dei vindicta te manet. Te pœnas affliget non unius noctis; sed flamma exuret æternæ caliginis. Immò in hoc sæculo justam vindictam recepit Valerianus Tyrannus, Deo ita decernente ob persecutionem Sanctorum. Nam captus à Sapore Rege Persarum, illi equum ascensuro dorsum, tamquam scabellum, præbere coactus est, & ibidem miserè periit. Sic qui S. Laurentii dorsum divexerat flagellis, scorpionibus, plumbatis; flammis, in dorso ignominiam pertulit perpetuam, & nunc sine fine excruciandus permanet in flammis, dum æternâ quiete perfruitur Laurentius.

S. Laurentius in tormentis Deo gratias agit.

Act. 14. 1. Cor. 4.

In hoc quoque gloria S. Laurentii adaucta est, quòd non solus regnum cœleste intraverit, sed multos Martyres secum vexerit; & adhuc hodie suo exemplo & patientia multos animat ad tormenta, ut consortes reddantur & gloriæ. Convertit enim ad fidem, jam instante martyrio S. Hyppolitum cum tota familia. Huic in custodiam datus fuerat, cumque interrogaret de thesauris, hoc responsum accepit: O *Hypolite, si credis in Dominum* JESUM *Christum, & thesauros tibi ostendo, & vitam æternam promitto.* Sic paulatim fidei lucem cordi ejus immisit, erudiens eum de thesauris inæstimabilibus quos Christus servis suis in cœlo adservat; ita ut suppliciter baptismum petierit Hyppolitus, ut hujus cœlestis thesauri particeps efficeretur. Cumque Baptismum percepisset, tantâ cum luce & consolatione Christus perfudit, ut assereret sibi cœlitus ostendi candorem & inæstimabilem lætitiam animarum baptismo ablutarum, ideoque gaudio quoque ineffabili inde se refici. Post paucos igitur dies cum novendecim domesticis martyrio affectus fuit, qui à S. Laurentii instructione discedere nullatenus voluit. Convertit quoque S. Laurentius in carcere Lucillum, cui lachrymis nimiis, quibus suam miserandam sortem deplorabat, cæcitas obtigerat, adductum enim ad fidem & baptis-

S. Laurentius multos convertit.

mum signo crucis illuminavit; publicatoque rumore cadere, multi accurrerunt oculis privati, & lucem mentis & corporis perceperunt per signum crucis. Denique convertit & S. Romanum militem egregium, & eum effecit Martyrem gloriosum. Cùm enim ipse admiraretur Laurentii invictum animum, vidit Angelum ejus vulnera linteo extergentem, & eum animantem ad majora: exinde radio divinæ lucis illuminatus, afferens ad pedes Laurentii aquam in carcere, expetiit baptismum; quo percepto, Christianum se publicè professus, jussu Imperatoris post fustigationem capite est mulctatus. Ecce quot animas secum ducit S. Laurentius, ut Deo offerat tanquam fructum sui sanguinis, ex quarum consortio ejus augescit gloria & beatitudo.

Propterea de eo meritò canitur illud Evangelicum: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Justi frumento sacris inlitteris comparantur, impii paleis & zizaniis. *Cujus ventilabrum in manu ejus, & permundabit aream suam, triticumque congregabit in horreum suum, paleam autem tradet igni inextinguibili.* Item apud Job sic de feliciter morientibus fit mentio: *Ingredieris in abundantea sepulchrum, sicut cum infertur acervus tritici in tempore suo.* Fuit ergo S. Laurentius granum frumenti, in agro Domini seminatum, flagelli concussione à palea omni purgatum, varia ventilatione & cribratione examinatum, & solidum repertum, tandemque collectum in cœleste horreum, dum zizania ipsum suffocare parata in ignem mittuntur æternum. Quia autem granum illud mortuum fuit, multum fructum tulit. Quomodo autem fuit mortuum? Certè morte illa de qua Apostolus: *Mortui estis & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Hæc est mors quâ anima moritur mundo, ut vivat Deo, moritur terræ & terrenis affectibus, ut vivat cœlo & cœlestibus; moritur sibi, ut vivat Christo. Fuit ergo S. Laurentius granum mortificatum & mortuum, tum propter mortificationem omnis affectus ad patriam & parentes, quia ut Christo deserviret in gradu Ecclesiastico, Hispaniam, patriam suam, cum parentibus deseruerat: tum propter mortificationem omnis affectus ad opes temporales, quas liberaliter dispersit; tum propter mortificationem omnis affectus ad vitam propriam, quam liberè pro Christo exposuit, *odiendo animam suam in hoc mundo, ut in vitam æternam custodiret eam.* Tot ergo modis mortuum granum, uberem ferre potuit fructum, non solùm gratiæ in hac vita, & gloriæ in altera, sed etiam fructum conversionis multorum. De qua re S. Leo serm. de S. Petro & Paulo: *Semper Dominicus ager segete ditioris vestitur, dum grana quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.* Quo etiam spectat illud Tertulliani Apologetici cap. ult. *Sanguis Martyrum, semen est Christianorum; plures efficimur, quoties metimur à vobis.* Certe multi è Martyribus plures converterunt in morte sua, quam in decursu vitæ: multique orarunt pro persecutorum conversione, & impetrarunt quasi oves in medio lupotum agnos parientes. Sic Stephanus impetrat conversionem Pauli, Paulus lictoris sui, Dorothæa Theophili, Joannes & Paulus Terentiani, Agnes conversionem Filii Præfecti se aggredientis in lupanari. Sic & plurimi alii. Inter hos ob dicta recensemus S. Laurentium. Dicamus ergo cum S. Chrysost. hom. 40. In Juventinum & Maximinum Martyres: *Sicut planta irrigata magis crescunt, ita & fides nostra oppugnata magis floret, & vexata plus exuberat; neque ita hortos aquarum irrigatio reddere fœcundos solet, ut Martyrum sanguis irrigare natus est Ecclesias.* Sed concludamus, & ad invictum Laurentium vota convertamus, ut vincat pro nobis.

Ioan.12.

Matth.13.

Iob.5.

S. Laurentius granum frumenti

Coloss.1.

Conclusio.

O Beate Martyr Christi, tu factus es *Spectaculum Deo. & Angelis, & hominibus.* Deo quidem, qui fuit protector tuus in medio ignis, tibi vires & animum invictum suggerens, in te pugnans, in te vincens, in te triumphans Angelis, tam bonis, quam malis; dum illi te confortant, & vulnera tua tergunt: hi verò omnem furorem in persecutoribus tuis magis suscitant, ut magis magisque te torqueant. Hominibus verò, tuam admirantibus patientiam & magnanimitatem. Effice, ut & nos hodie tui simus spectatores, non tam corpore, quàm mente: ut ex hoc pietatis admirandæ spectaculo (in quo nobis exhiberis *Rubus in medio ignis combustus*) accendamur desiderio patienti pro Christo, inflammemur igne ardenti amoris divini, discamus superare ignem mundi & concupiscentiæ, discamus evadere iguem infernalis gehennæ. Impetra nobis ut fide fortes, spe erecti, charitate succensi, tua sequi valeamus vestigia, & tandem ingredi viam regni, & januas cœli, ut ibi tecum corregnare, & divina trophæa decantare valeamus circumfusi divinitatis igne, æterna cum suavitate flammam amoris in cordibus electorum succendente.

IN FESTO ASSUMPT. B.M.V.

Assumpta est Maria in cœlum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum.

Lect. 38. bipartita.

Exordium.

Oratio hæc habita Lovanii anno 1610. apud PP. Prædicatores ab ipsis audita.

INter prærogativas, quibus primiceria virginum Maria cæteris præluxit, principem locum tenet casta humilitas, cum virginali verecundia & ingenua taciturnitate confœderata. Velox enim semper ad audiendum, tarda fuit ad loquendum, ita ut in toro quatuor Evangeliorum textu quater tantum Mariam locutam mellifluus Bernardus annotarit. Virginalem hanc taciturnitatem imitari mihi hodierna die tutius foret (Ornatissimi Auditores) quam Angelorum alternantibus choris certatim Mariam prædicantium suavem symphoniam imperitæ vocis meæ ingrato murmure interturbare: & per

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cot ac tantos Præcones Virginis decantatas laudes ſtyli mei infantia obſcurare. Verum, numquid poterit filere Filius, dum Mater ad tantam evehitur ſublimitatem, ut altius non valeat aſcendere? Hodie equidem Mater noſtra, quæ ſe in terris infra omnes humilitate dejecit, quodammodo in cœlis cum divinitate certavit: *Aſtitit enim Regina à dextris, in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Hodie puella Eſther, virgo Iſraël, virgo de genere noſtro, de carne noſtra, ad Aſſueri Regis ſolium exaltatur, & per eam proditoris Aman cruentum in nos edictum in caput ejus retorquetur. Nonne impius & ingratus eſt ille, qui tantæ clementiæ Reginam pro modulo ſuo debito laudum non veneratur obſequio? Sanè nemo hodie ab ejus encomiis ſecernitur, niſi de dicti proditoris familia inveniatur. *Pſalm. 44.*

Novimus equidem, ô Virgo, angelicis te longè excellentiùs laudari & exaltari præconiis: verum etiam novimus, quod ſervulorum tuorum quantulaſcumque laudes non aſpernaris. Ignoſce igitur laudantis te hodie & parvitati & pravitati. Inſpice affectum, nec deſpice effectum. Licet nihil te dignum ſterilis mea cogitatio valeat concipere, nihil te dignum inerudita locutio parturire, attamen devotio non patitur filere. Tu ergo, quæ Mater es Miſericordiæ, Sedes Sapientiæ, Clavigera gratiæ, elientuli tui imbellem promove conatum, dirige ſtylum, & juxta ſolitam tuam facilitatem tu meam adjuva facultatem.

Vos quoque, benevoli Auditores, favete animis, & veſtræ benevolentiæ ac favoris aura pii deſiderii noſtri expanſa vela provehite, ut ad portum felici curſu appellant. Differemus autem potiſſimum de duobus.

Propoſitio. Primò, de Virginis Deiparæ languore & dormitione.

Secundò, de ejus Aſſumptione & Coronatione.

PARS I. *De M. V. languore & dormitione.*

VIrginem Deiparam martyrio vitam finiiſſe, antiqui aliqui hæretici deliraruut. Alii Colliridiani dicti, naturæ divinæ participem, adeoque mortis expertem dixerunt. Sed hæc deliria & ficticia commenta ab orthodoxis Patribus jam pridem ſunt exploſa. Atque hodie Sancta Mater Eccleſia catholicè profitetur, eam ſuavi quadam morte, vel potius dormitione, communem ſortis humanæ legem ſubiiſſe; quo tamen anno id contigerit, ambiguum manet; cum nec ex canonicis ſcriptis, nec ex SS. Patrum ſatis conſtet teſtimoniis S. Antoninus defunctam ſcribit, ex quorumdam ſententia, poſt annum elapſum ab Aſcenſione Domini, & tot dies quot ab eo tempore intercurrunt uſque ad decimam quintam Auguſti, demum poſt alios quadraginta dies in cœlum aſſumptam. Verum id minus ab Eccleſia receptum novimus. Euſebius ex aliqua revelatione, ſed incerta, annos ponit à Domini Paſſione quatuordecim. Nicephorus vixiſſe eam tradit annos quinquaginta novem. Epiphanius Hypolitum quemdam citat, qui ait eam deceſſiſſe anno ætatis ſuæ 57. Sed his non conſentiens, migraſſe eam ajebat annos natam ſeptuaginta duos. Aliæ adhuc referuntur opiniones, ſed quia non minus ambiguæ, lubens eas prætereo. Ita res obſcura eſt, & inter Scriptores monſtruoſa quædam reperitur hic diſcrepantia. *Pet. de Natal. in Catal. SS.* *Chron. Euſeb. an. 48. Niceph. l. 2. c. 3.*

In hac interim caligine, & opinionum varietate, verius judicaverim, eam nonniſi poſt multorum annorum à Dominica paſſione decurſum ex hac vita emigraſſe. Perſuaderi id Magni Dionyſii auctoritas, qui ad ſpectaculum corporis, quod vitæ principium dedit, ad Timotheum Epiſcopum conveniſſe ſe ſcribit. Ipſum verò nonniſi multis poſt Chriſtum annis Chriſtiana religione fuiſſe imbutum, apud omnes in confeſſo eſt. Scio quoſdam Dionyſii verba in alium ſenſum trahere, ſed id faciunt ſine ſufficienti auctoritate. Sanè ea de verò Virginis corpore intellexerunt S. Damaſcenus, Metaphraſtes, Nicephorus, S. Maximus, & omnes penè veteres. Nolo verò quempiam exiſtimare Virginis gloriæ derogatum, quod hæc adeo obſcura, adeo ambigua manſerint. Nam ut Sol alter radiorum ſuorum fulgoribus ſplendens, non tantum nulla valuit ob Scriptorum inopiam caligine offundi. Quin potiùs in his tenebris multò ſplendidius ejus jubar effulſit. Etenim quæ pars eſt orbis catholici, ubi ejus ex hac vita tranſitus & Aſſumptionis feſtivitas celeberrimo cultu annua quaque die non repetatur? Totius Orbis homines, ab Oriente uſque in Occidentem Mariæ nomen noviſſe, & laudes ejus decantaſſe ſcimus. Schytarum & Beſſorum feritas, & Pellitorum turba populorum (ut loquitur S. Hieronymus) qui mortuorum quondam in feriis homines immolabant, ſtridorem ſuum in dulce MARIÆ fregere melos. Atque ſicut totius orbis una vox Chriſtus eſt, ita & totus orbis una vox eſt MARIA. Sufficiebat ſcilicet ad omnes ſuperandas tenebras propheticum illud ab ea pronunciatum Oraculum: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens eſt.* *Vide ejus verba in Breviar. 4. die inf. oct. Aſſumpt.*

Se ſi tanto, ut diximus, tempore dilecti orbata fuit præſentia, quos planctus, quos gemitus edebat tutitur noſtra, columba noſtra? Equidem dubium eſſe nequit, quin Nativitatis Filii ſui. Paſſionis item & Aſcenſionis loca frequentius viſitarit. Ibi charitatis jaculo vulnera, lachrymis ſe baptizans, ſanctiſſimi oris ſui oſcula imprimebat. Videre eam videor (Auditores) in Calvariæ funebri illo loco inolinatam, ubi pendentem iterum intuens natum pervolat manus, pervolat pedes, in volat lateri. Ibi nidificat Colamba noſtra in foraminibus petræ, in caverna materiæ. Ibi tanquam vera holocauſti victima doloris gladio transverberatur, amoris igne concrematur.

Gravium Theologorum aſſertio eſt, ſacratam hanc Dei Genitricem, Dei, ut in ſe eſt, eſſentiam, clarè, limpidè, & ſine ænigmate aliquando in hac vita conſpexiſſe. Aſſerit id Bernardinus de Buſtis, ſubſcribit Doctor Bannezius favet cum multis *An M. V. eſſentiam Dei hic clarè conſpexerit.*

Cardinalis Cajetanus. Auctoritati jungitur & ratio. Etenim S. Bernardi regula est, omnem gratiam, omnemque prærogativam alicui ex Sanctis attributam, sacræ Deigenitrici non esse denegandam. Si igitur cum SS. Augustino, Basilio, Ambrosio, Angelico Doctores, & aliis, facialem hanc visionem Moysi & Paulo probabilissimè attribuimus, cur MARIÆ denegemus? Aut cui plenius convenit Filium revelati, quam Matri? Dicet verò quispiam: S. Scriptura id de Moyse, id de S. Paulo satis significat, de MARIA verò ne obscurè quidem innuit. Fateor equidem. Sed, an quia de Virginis in utero sanctificatione sacris in Literis non fit mentio, sanctificatam Virginem (sepositâ etiam omni Ecclesiæ determinatione) improbabiliter asseruimus? An non potius, quia id Hieremiæ, quia Joanni Baptistæ concessum legimus, secundum supradictam regulam, sine alio fundamento, ad Dei genitricem probabilissimè extendemus?

Viderat itaque aliquando Mater Filium facie ad faciem, sicuti est: & illius jam visionis memor, memor inquam, quanto cum mentis jubilo in illam divinæ majestatis abyssum fuerat immersa, quanta cum suavitate in illa divinitatis cellaria fuerat introducta, suspirat, & absentis Filii ac Sponsi desiderium in se excitans, exclamat: *Adjuro vos filiæ Jerusalem, ut nuncietis dilecto quia amore langueo.* Osculetur me osculo oris sui, in æterno quantocius thalamo, qui osculari dignatus est in corporis & cordis mei tabernaculo. Rursus ad ipsum ardentissima cordis sui vota dirigens, insonabat: *Stetisti jam satis, ô dilecte, post parietem, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos: vulnerasti cor meum; Ostende mihi faciem tuam.* Ostendisti quidem aliquando, sed in raptu, sed transeundo; apprehendere cupio, & non dimittere jugiter contemplando. Hæ sunt voces castæ turturis nostræ: ita gemendo canit, ita canendo gemit.

Cant. 5.

Cant. 2.

Cur non statim post Christum M. V. obdormierit.

Sed quamdiu, ô Domine, Matris tuæ & Sponsæ tuæ gemebundas querulosasque voces sustinere poteris? Immò verò quid potuit illa delinquere, quam in regnum tuum remeans, orbatam sic & afflictam voluisti derelinquere? Inferior ne est ipsa Patriarchis, inferior Prophetis, quos tecum ad Patrem regrediens in gloriam introducis? Tu qui per Salomonem dicis: *Pete Mater mea, non enim decet ut confundam faciem tuam*; quomodo latronem assumis triumphantem, Matrem dimittis lachrymantem? MARIA non exauditur prosè, quomodo exaudietur pro me? Sed scio, ô Domine, scio, quia pius Pater es; differre soles ad tempus voces petentium, ut eo magis exaudiamur ad meritum, quo citius non exaudiamur ad votum. Noveras scilicet, quod Ecclesia, tanquam Aurora consurgens tenuibus exordiis, MARIÆ adhuc egebat illuminatione. Sciebas, quod novellæ Ecclesiæ plantationes, adhuc in juventute sua, MARIÆ egebant irrogatione. Sciebas, quod re Sole elevato, hæc luna stare debebat in ordine suo. Præcedere volebat, ut major cum

3 Reg. 2.

triumpho, cum pompa à te in regnum introducta, ascendenti Matri Filius obviares Sponsæ igitur & Matris vulnere tandem vulneraris. Putationis enim adveniente tempore, hyemeque recedente, audio te clamantem: *Surge, propera, anima mea columba mea, formosa mea, & veni.* Et rursus audio insonantem: *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis, Veni de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum.*

Cant. 2.

Cant. 2.

Tandem itaque Archangelus Mariani cubiculi custos, Gabriel nimirum, qui Sponsi & Filii ingressum in eam & in hunc mundum, nunciarat, egressum MARIÆ ex hoc mundo eidem annunciat. Clarus quoque ille Senatus Apostolicus toto orbe ad salutem gentium dispersus, spiritu illo qui Philippum colloquentem cum Eunucho in Azotum transtulerat, qui Abacucà Judæa in Babylonem Danieli adduxerat, peraëra & nubes ad languentis Mariæ cubiculum transvehitur.

Apostoli in obdormitione M. V. congregati.

Piè id ac probabiliter dictum voluerim, Auditores, apocryphum enim existimat Eminentissimus juxta ac Eruditissimus Cardinalis Cæsar Baronius, sicut & illud quod de Thoma post alios advenient à multis refertur: ortumque putat habuisse ex libello quodam apocrypho *De transitu Virginis* inscripto; à Gelasio Pontifice improbato. Veruntamen, veterum multi, inter quos S. Damascenus, (cujus sermo id asserens inter Lectiones Romani Breviarii habetur) Simon Metaphrastes, Nicephorus, si eorum verba pensentur, non apocryphis aliquibus scriptis, sed veræ & vetustæ traditioni inniti invenientur. Et hac sanè Ecclesiæ Principum reunionem, MARIÆ dignitas, Nati in Genitricem benignitas, Apostolorum postulabat fidelitas: ut qui in Filii morte infideliter fuerant dissipati in Matris obitu fidei & charitatis vinculo congregarentur uniti.

Baron. tom. 1. 4. die inf. oct. Assumpt.

Sed quam sacrata hic oscula? quam arcana gaudia? quam suavia alloquia, dum suum illis ardorem, dum dilecti amorem, dum cordis pandit languorem? Spectabili hac Apostolorum corona circumcingente, discessuræ jam & in manus Filii Spiritum tradituræ membra lectulo componuntur, manus in cœlum tolluntur, morsque animæ ac corporis vinculum divulsura exspectatur. Verum quodammodo refugit mors, hæret, horret Virginis etiam invitantis corpusculum attingere. Quid hæres, quid horres, ô crudelis, ô dura, filios & filias Adæ ubique adoriri adsueta? Quid hæres, quid horres, quæ æquo pulsas pede pauperum tabernas, Regumque turres? quæ ne vagientis quidem miseris? Meministi scilicet, quod ille ætatis qui per Oseam rigidus tibi quondam minabatur: *Ero mors tua, ô mors!* Virginis hujus utero est portatus, Virginis hujus uberibus est lactatus. Ille, ille te vicit, ille te jugulavit. Illius morte tu mortua es, devorasti, sed devorata es; occidisti, sed prius occidens; dum enim in eum ruis, tu corruis, dum corporis de MARIÆ à Christo assumpti sollicitatis illecebra, & avidis

B. M. V. obdormiens.

Osea 13.

avidis faucibus prædæ inhias, interiora tua velut aduncо hamo & dente divinitatis sunt perfossa. Ideo hæres, ideo horres, ô crudelis, ô dura!

Sed notate vulpinam mortis crudelitatem, in omnes hominesimperium suum extendentem, dum Virginem nostram aperto non audet invadere Marte. Quietis & Somni pelle se contegens, ac quasi latenter subrepens, Virginem Deiparam transeundo percurrit, sed volentem, sed sine dolore. Ita exilium evadit Mater nostra, ita finit ærumnas, ita naturæ quam ex Adamo traxerat, debitum victoriosa persolvit.

Possemus hic hærere, Auditores, & plangere cum Apostolis, Virginis etiam ac Matris nostræ comitati funus, Angelorumque vocibus resonantibus circa ejus feretrum & sepulchrum aures astrigere. Verum non convenimus ad plangendum, convenimus ad plaudendum: Angelos quoque jucundius statim erit in cœlesti Palatio jubilantes, quam modò in miseriarum loco canentes audite. Transeo itaque, & alteram Orationis nostræ partem aggrediar.

PARS II. *De M.V. Assumpt. & Coronatione.*

SAnctorum illorum corpora, qui post Christi passionem (teste Evangelista) venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis, immortalitate jam in cœlis donata, multi asseruerunt è sacris Doctoribus. Idem dixerunt & aliqui de corpore prælecti illius Discipuli qui supra pectus Domini caput reclinavit: quia in ejus, ut ferunt sepulchro nonnisi manna scaturire invenitur. Ad instar itaque dilecti Benjamin duplicem præ aliis fratribus acceperit portionem, gloriam scilicet non solùm animæ sed etiam corporis. Quicquid sit de his, unanimis SS. Patrum consensus, omniumque Scholasticorum Doctorum concors sententia asserit, Virginem Deiparam cum corpore & anima super omnem cœli militiam hodiè fuisse exaltatam. Idque ita pellucide in hodiernæ diei officio Sancta profitetur Ecclesia, ut pervicacis animi fuerit, illud in dubium revocare. Mortem itaque subiit Virgo temporalem, sed mortis nexibus deprimi non potuit; quia ille, qui trium puerorum inter crepitantes flammas corpora & vestimenta servavit illæsa, qui Jonam in ventre ceti, Danielem inter leones servavit incorruptum, Matris carnem ab omni corruptione liberam super omnes Angelorum Ordines sublimavit. Videamus ergo Reginam nostram, humilitatis nostræ conditionem victoriosè super sidera importantem. Festinemus, quia audio tympanum, præludentis tubæ percipio sonum, Angelorum agnosco chorum. Non ineptè forsitan quispiam eam hisce Poëtæ versibus describserit.

B.M.V. cum corpore & anima hodie est exaltata.

Tandem progreditur magnâ stipante caterva,
Sydoniam picto chlamydem circundata limbo,
Cui pharetra ex humero, crines notantur en aurum.
Aurea purpureum subnectit fibula vestem.

Certè hæc est, de qua legimus: *Astitit Regina à dextris, in vestitu deaurato circumdata varietate.* Hæc est, de qua canimus: *Cujus inæstimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus.* Hæc est, de qua dicere meritò possumus: *Quam pulchri sunt egressus tui in calceamentis, ô filia Principis!* *Psalm. 44.* *Cant 7.*

In Canticis Canticorum, in epithalamio illo celebri amoris divini & cœlestis, sic habemus de Lectica & Rheda regia Salomonis: *Ferculum fecit sibi Salomon de ligno Libani, Columnas ejus fecit argenteas, Reclinatorium Aureum, Ascensum purpureum; media charitate constravit propter filias Jerusalem.* De hoc ferculo, hoc est regio vehiculo, dicere quispiam possit illud: *Cant. 3.*

Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ
Curvatura rotæ, radiorum argenteus ordo.

Hoc vehiculum regium hodie scandens Regina nostra, Angelicis tubis præsonantibus, Spiritibus Seraphicis tamquam equis igneis evehentibus, super æthera sublimatur. Peroptatem utique, Auditores, triumphanti pompæ inferre me comitem, sed à longè vestigia sequens propius accedere contremisco. Quidita? Quia *fluit cera à facie ignis.* Quia Oza tangens arcam percussus est. Quia Solis fulgorem ægri oculi reformidant. Nam & Apostoli, in monte claritatem Domini non sustinentes, ceciderunt in facies suas. Verum scio quid faciam. Ascendam in montem excelsum, ponam me cum Moyse in foramine petræ, & ibi tua me, ô Virgo dextera protegente, transeuntis gloriam contemplabor. *Exod. 34.*

Atecce dum colloquimur, dum Virginis Deiparæ gloriam contueri cupiens, inquiro modum, equi ignei dividunt Dominam meam à me, & in sublime video rapientes eam. Quid faciam? Clamare cogor cum Elizæo, *Mater mea, Mater mea. Currus Israel, & auriga ejus.* Sed vivit Dominus, & vivit, ô Virgo, anima tua, quia non derelinquam te; usque ad throni celsitudinem comitaboreuntem. Te tenente non cadam, te sublevante non corruam. Curram in odorem unguentorum tuorum, tua attractus suavitate, tua illectus pulchritudine: quia tota pulchra es, & suavis tota, deliciis affluens, & sicut balsamum aromatizans odorem spargens suavitatis. *4 Reg. 2.*

Interim illa, quæ tota nobis pulchra est, & suavis, nos ad se deliciis suis odorantibus alliciens, specie & pulchritudine prosperè procedens, & reguans; *terribilis* etiam est *ut castrorum acies ordinata*; Stygiis nimirum spiritibus & tenebrarum Angelis reprobis. Illi enim ascendentis hodie triumpho MARIÆ consternati, mugitu, rugitu, ululatu suo ipsa sydera concusserunt. Meritò sanè illis terribilis, quæ per benedictum & divinum semen suum exspoliatis quondam Principatibus, & Potestatibus, prædam tartareis erutam faucibus in cœlestia victrix reportavit. Meritò illis terribilis quia ingressa domum fortis *alligavit eum, & diripuit vasa ejus.* An non ipsa est, quæ antiqui serpentis *Luc. 11.* *Genes.*

caput venatum virtutis pede conculcavit? Au non
Cant. 4. hæc est *Turris David ædificata cum propugnaculis, ex qua mille pendent clypei, omnis armatura fortium?*
Iud. 14. Hæc certè est mulier Hebræa, quæ confusionem fecit in domo Nabuchodonozoris Regis, in regno Dæmonum Principis; Ideo hodie ibi ejulatus, ideo hodie ibi ululatus.

Sed ululantibus infernalibus his spiritibus, quasi in triumphum ignominiosè traductis, tandem
Psalm. 23. pompa triumphalis cœlestibus appulit choris, Aperite igitur portas Principes vestras, elevamini portæ æternales, & introibit Regina gloriæ. An forte interrogatis, quæ sit ista Regina gloriæ? Ipsa est, ut jam diximus, fortis & potens in prælio. Ipsa est Domina virtutum. Ipsa est Regina instauratrix ruinarum Civitatis vestræ.

Audito Reginæ nomine, quam per tot annorum millia mysticis præfiguratam figuris, propheticis prænunciatam oraculis cœli præstolabantur, confestim splendidus ille Senatus in jubilatione & voce tubæ totus cœlestibus regnis solvitur: imis laxa cardinibus Regia Dei aula referatur. Fœmineus sexus, quasi propriam sibi attribuens festivitatem, primus in occursum Reginæ effunditur. MARIA Prophetissa tenens tympanum choris plaudit comitatu virgineis; procedit Sara cum nuptis; obviat Anna cum viduis. Subsequuntur centum illa quadraginta quatuor millia signatorum ex omni
Iud. 15. tribu Israël, concordi voce personantia: *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri.* Pueri quoque sternentes vestimenta sua insonant: *Osanna in excelsis.* Ibi Jacob mysticam suam intuetur scalam. Ibi Moyses rubum incombustum contemplatur. Ibi Aaron virgam suam fluentem demiratur. Ibi Ezechiel videt orientalem suam Portam, soli cœlorum Principi patefactam.

Egreditur tandem Rex pacificus, Salomon noster, & è throno suo consurgens, in Matris ruit amplexus. O felices amplexus! O felicia oscula! O divina ad cor alloquia! Quomodo exultavit, ô Virgo, spiritus tuus in Deo salutari tuo, dum Filii agnoIud. 12. scis vulnera, dum Filius agnoscit Matris ubera. Magnificavit anima tua Dominum, sed magnificata est anima tua præ omnibus diebus tuis. Hæreo, Auditores, hæreo, quia etsi hominum linguis loquar & Angelorum, MARIÆ delicias explicare non sufficio. Hæreo, quia hæret & MARIA, & præ animi gaudio nonnisi intercisas potest evoluere voces. *Anima*
Cant. 5. enim *illius liquefacta est, ut dilectus locutus est.*

Expergiscere, ô anima Christiana, consurge cum famosa illa Regina Saba, ascende cum aromatibus virtutum, & apparatu cœlestium desideriorum, in superiam Jerusalem. Veni & contemplare singula, & videbis quia veritas vincit famam, gloria exsuperat omnem loquelam. Edisserat tibi Salomon delicias Matris suæ, quia omnem etiam Angelici eloquii superant facultatem.

Tandem contemplemur (Auditores) Reginam nostram in diademate, quo coronavit eam Filius die triumphi hujus cœlestis; & agnoscamus naturæ nostræ humilitatem in hac Virgine Deipara ultra Seraphim elevatam à dextris Filii immortalitate refulgentem, Advertite ornatum ejus magnificum ita descriptum: *Signum magnum apparuit in cœlo,* Apoc. 12. *Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus Corona stellarum duodecim.* Mulier amicta Sole, ô regale pallium! Luna sub pedibus ejus, ô prænobile scabellum! In capite corona stellarum duodecim, ô diadema magnificum! O verè signum magnum, Mulier mirabiliter singularis, singulariter mirabilis, in hac veste & trabea cœlesti, in hac corona luminosa! Sed quid mirum, quod eam sidera ornent & coronent, quam divinitatis Sol circumvestit? Quam familiaris es huic Soli ô Domina, quam familiaris, quam intima! In te manet, & tu in eo; vestis eum, & vestiris ab eo. Vestis eum substantia carnis, vestit ille te sua gloria majestatis. Vestis nube Solem, & Sole ipso vestiris gloriosè.

Sed numquid Sol erat MARIA, antequam hoc Sole gloriæ hodie in cœlis vestiretur? Verè Sol erat, Psal. 18. quia *In Sole posuit tabernaculum suum Dominus,* dum in hunc mundum venit. MARIA ergo Sol perlucidus fuit, in quo fixit tabernaculum suum Dei filius. At verò hodie Solem ipse ponit in tabernaculo suo, speciali MARIAM exultans solio in cœlis. Verè Sol eras, ô Virgo electissima, quæ sola tenebrarum expers, in tenebris & caligine peccati jacentibus lucere solebas. Eripite è solo nostro Solem hodie lugeremus, nisi ideo te evectam nossemus, ut immortalitatis Sole & luce cingereris; ut nemo jam à calore tuo se abscondat. Omnes etenim de lucis tuæ plenitudine hodiè percipiunt: ipsa Trinitas gloriam, Angelus lætitiam, justus gratiam, æger curationem, captivus redemptionem. Captivus, inquam, redemptionem; piè enim admodum cum Doctoribus Contemplativis existimaverimus, hodiè turbam illam, quæ in Purgatorio pœnarum vinculis captivata à cœlestibus gaudiis præpediebatur, assumptæ Reginæ intercessione festivitatis hujus participem, in cœlorum gaudia intrasse triumphantem. Quare, sicut de Filio sacra canunt eloquia: *Ascendens Christus in altum, captivam duxit capti-* Psalm. 76. *vitatem, dedit dona hominibus*; ita & de Matre canere hodie possimus: *Ascendens Maria in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Etenim & in terris in Reginæ inauguratione, dum regium diadema ejus vertici apponitur, carceris aperiri, captivos conspicimus liberari.

Concludo tandem, & extremum hoc vos alloquor, Ornatissimi benevolentissimique Auditores, MARIAM vidimus amore Dilecti languentem, vidimus morte suavi obdormientem, deduximus triumphantem, in stellato solio decore regio conspeximus refulgentem. Superest nunc, ut gaudeamus & exultemus, quia Matrem & Fratrem, Mediatorem & Mediatricem & quidem Mediatricem

ad Me-

ad Mediatorem, in cœlis possidemus. Dicam ergo cum mellifluo Bernardo: *Securum nunc habes ô homo, accessum ad Deum, ubi Matrem habes ante Filium, Filium ante Patrem, Mater exhibet pro te Filio pectus & ubera, Filius Patri latus & vulnera. An poterit esse repulsa, ubi tot sunt charitatu judicia?* Dicam cum S. Anselmo Deiparæ Virginis cultore pientissimo: *Exulta & lætare, ô homo, quia quicquid judicabitur de te, pendet ex sententia Matris & Fratris sui.* Nec trepides accedere ad MARIAM, quia tota pulchra, tota suavis est, nihil in ea reperies austeritatis. Verè tota pulchra, cujus decorem Rex concupivit. Verè tota suavis, quæ odore suo eum ab æterni Patris sinu & accubitu attraxit. Hoc odore, hoc decore, è cœno in cœlum hodie nos omnes attrahere cupiens, clamare non cessat: *Trahe nos* Eccl. 24. *omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.* Et rursus: *Ego Mater pulchræ dilectionis, & agnitionis, & sanctæ spei.* Monstrat se esse Matrem, ad se nos materno affectu invitando, alliciendo attrahendo: monstremus nos esse filios, affectu filiali ad eam accedendo, sub ejus pennis nidulando, sub ejus protectione confidendo, in ejus devotione continuè vivendo. Vereamur contemnere suavem vocem Matris blandientis in die misericordiæ, ne in die ultionis & vindictæ sustinere cogamur iratam vocem Filii intonantis, & maledictionem fulminantis. Quod à nobis avertat, qui est benedictus in sæcula.

DE EODEM FESTO.

LECT. 29. bipartita. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super Dilectum?* Cant. 8.

PARS I. *De differentia morte Christi & M.V.*

Multis Beatissima Virgo adornata fuit privilegiis ab initio vitæ suæ: ex tunc enim *magna fecit ei qui potens est.* An non prærogativa est singularis, quod sine peccato non solum nata est (ut S. Joanni & Hieremiæ concessum etiam fuit) sed & sine ulla originali noxa concepta? Hoc ei speciale est post Filium. MARIÆ privilegium est, alteri non dabitur. Rursus, an non prærogativa admodum singularis, quod Filium Dei concepit sine corruptione, quodque cum peperit sine dolore, *gaudia Matris habens cum Virginitatis honore?* In hoc nec primam similem visa est, nec habere sequentem. MARIÆ ergo iterum hoc privilegium est, mirabiliter singulare, singulariter mirabile, quia & incidibile. Portentum est sæculorum omnium, orbisque miraculum, ipsos etiam Angelos in stuporem adducens. Sed de his nunc nobis non est sermo: at de prærogativis MARIÆ in morte & post mortē, paucis disserere instituimus. Equidem mortua est MARIA ut Adæ veteris filia, sicut & ejus Filium mortem subire voluit, ut ejusdem Adæ Filius; sed mors ejus nobilitata est privilegiis, quia Mater erat Dei.

Ut ergo paulo altius rem repetamus, juvat conferre mortem Matris cum morte Filii. In quibusdam differentiam reperire est, in nonnullis concordiam & convenientiam.

Primò quidem in eo differentia cernitur, quod 1. *Dissentia.* mors Christi Domini referta fuit dolore, cruciatu, angustia; in morte autem Deiparæ, non tam dolor *Mors Christi dolore plena.* & cruciatus, quam somnus quidem suavis reperitur: quia languor & ardor charitatis ejus animam à corpore abstraxit, ut Filio suo indivulso fruitionis glutino æternum sociaretur in gloria, cui quondam indivulsè sociata fuerat in pœna: Propterea igitur dicitur *ascendere de deserto, deliciis affluens, innixa Dilecto.* Non erat æquum, ut secundò mortis dolores perferret, quæ illos juxta crucem pertulerat, dum illud Simeonis adimpletum fuit: *Tuam* Luc. 2. *ipsius animam pertransivit gladius.* Filius autem ejus illos voluit perpeti, & illius immori, ut pro nobis Patri per illos satisfaceret, & redemptionis nostræ lytrum plenè persolveret. Fuit igitur in Virgine Deipara *fortis ut mors dilectio*, quæ animam Cant. 8. potuit à corpore separare. Hic est languor ille, de quo potest illud intelligi: *Nuncia te Dilecto, quia* Cant. 5. *amore langueo.* Hic amor & languor vulnerat felicissimo vulnere, animamque separat optatissima morte. Quapropter Guerricus Abbas de hac re sic loquentem introducit Beatissimam MARIAM, sermone 2. de Assumptione: *Ut minus miremini languorem meum, amore langueo: langueo plus impatientia amoris, quam passione doloris: plus vulnerata charitate, quam gravata infirmitate. Nunciate Angelis Dilecto, quia amore langueo: ipse novit, quomodo mee sit medendum languori.* Itaque MARIA in nidulo suo moritur ut Phœnix, divini amoris igne consumpta, & mox ex suo cinere nova revivisci in æternum victura.

Nec miteris, quod sine dolore dicamus eam obiisse, quia sicut dicit S. Damascenus Orat. 2. de dormit. Virg. *Quemadmodum antequam ullo partus dolore afficeretur, peperit; ita etiam ejus è vita discessus doloribus caruit.* Non sensit dolorem præ amoris magnitudine, sicut Moyses in monte non sensit famem præ mentis elevatione, inquit Albertus Magnus, super Missus. Certè & Moyses & Aaron non videntur in morte dolorem persensisse. Nam de Aarone dicitur: *Ascendit Aaron sacerdos in montem* Num. 33. *Hor, jubente Domino, & ibi mortuus est.* De eodem mandatum acceperat Moyses: *Tolle Aaron, &* Num. 20. *filium ejus cum eo, & duces eos in montem Hor. Cumq; nudaveris patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium ejus Aaron colligetur, & morietur ibi.* Ex quo colligimus, mortuum esse sine vulnere, & sine morbo aut tædio vitæ, quandoquidem sanus montem ascendit, sicque quasi dormiens hac de vita assumptus est, postquam vidit ex speciali privilegio filium suum sibi succedentem, & pontificalibus vestibus indutum ac consecratum. Nam nunc in oculis fratris sui Moysis & filii sui Eleazari cum quiete exspiravit, & illi oculos ei clausērunt. Similiter de Moyse

Deut. 32. referetur. Locutus est enim Dominus ad Moysen, dicens: *Ascende in montem Nebo, & morere in monte sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor,*
Num. 24. *& appositus populus suis.* Additur autem: *Mortuus est ibi Moyses servus Domini, jubente Domino.* Ubi alia lectio habet: *Mortuus est in osculo Domini*, sive in osculo Jehova, quasi puer in osculo amantissimi Patris, & in ejus amplexu. Sic ergo non tam mori visus est, quam obdormire in sinu Domini, sese ejus consignans voluntati. Quapropter & de illo,
Apoc. 14. sicut & de fratre Aarone, verum est illud: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Ubi adverte, generaliter omnes Sanctos *mori in Domino*, hoc est in gratia Dei, & in ejus amore habituali. Aliqui verò specialius *moriuntur in Domino*, hoc est in actu & exercitio amoris divini. Alii denique *moriuntur in Domino* per vim & impetum ipsius amoris. Tales sunt, qui cum Sponsa dicere possunt: *Charitate vulnerata ego sum.* Sic S. Teresa revelasse post mortem dicitur, impetum amoris sibi mortem attulisse. Sic & nonnulli antiqui Patres docuerunt (de quibus Sixtus Senensis lib. 5 Bibliothecæ) Matrem Machabæorum, post filii postremi necem tanta gaudii & amoris divini exultatione fuisse perfusam, ut vix se capere potens, in hac consideratione animam
2. Mach. 7. reddiderit. Textus sacer non aliud dicit: *Novissime & mater consumpta est*; non explicat, qua ratione. Victorinus Afer dictam sententiam secutus, sic cecinit:

Dum puer ista gerit, solverunt gaudia Matrem:
Suspirans, interq; manus collapsa suorum,
Concidit exanimis, resolutaque membra quierunt.

Certè de S. Calliopii Martyris Matre legimus, quod ubi is spiritum reddidit in cruce, voce de cœlo resonante: *Veni civis Christi, cohæres Angelorum*, ipsa beatissimi Filii corpus complexa, & Christum laudans, in ejus complexu simul spiritum reddiderit: sicque cum eo se in holocaustum amoris obtulerit. Apud Surium 7. Aprilis.

B. M. V. amore divino consumpta. Quicquid sit de his, de MARIA communis habet opinio, quod amore divino sit consumpta & consummata; quodque impetus amoris ejus animam velut sagittam ad JESUM, velut ad scopum in cœlos transmiserit. Atque hic MARIA instar Cygni in morte canentis sese gessit, sciens suum advenisse tempus; funestum quidem, si mors spectetur, jucundum tamen, quia exilii clausula, laborum finis, initium æternitatis. De ea dic, quod de Cygno:

Tempora fatalis quando sic limitis itæ:
Tristia concentu funera solor Olor.

O suavis preciosaque mors MARIÆ in conspectu Domini ô quam deliciis affluens, jam consummato opere, quod ei Filius dederat, postquam scilicet jam diu Ecclesiam novellam sua præsentia confirmasset, suo instruxisset magisterio, sua imbuisset exemplo! Sicut ergo consummato opere redemptionis dicebat Christus de se: *Venit hora, ut clarificetur Filius hominis.* Ioan. 12. *Pater clarifica Filium tuum.* Ioan. 4. Sic & nos possumus dicere: *Venit hora, ut clarificetur Mater Dei. Filii clarifica Matrem tuam.* Tempus est, ut revertatur ad te, & ascendat de deserto affluentia, innixa super te.

2. Differentia. Secundò, differentia cernitur in morte Virginis, si comparemus eam cum morte aliorum hominum, atque etiam cum morte Christi Domini. Quia in morte hominum non desunt tentationes, vel etiam visiones dæmonum insidiantium calcaneo, si ve extremæ partis vitæ hominis. Immo in morte Christi adfuisse Satanam, ut tentaret, existimat cum nonnullis Venerab. Beda. Fuit enim quasi insidens brachio sinistro crucis, & ibidem insidians & exspectans, si quippiam fortè sui juris reperiret in exitu animæ. Sed confusus abscessit, dum infernum vi animæ illius spoliari persensit. At MARIA nullam dæmonis tentationem aut vexationem, nullam illius habuit visionem. Ne quidem ejus cubile attingere ausus est Satan, ob terrorem. Terribilis enim facta est dæmonibus, *ut castrorum acies ordinata.* Quinimo, quia dies erat potius triumphi quam mortis, ab Angelo facta est certior transitus sui, palmæque ramum (virginei triumphi signum) accepisse fertur, in quo & victoriæ mortis, & vitæ immortalis imago ei repræsentabatur. Testis est Metaphrastes in Orat. de Virgine, & Nicephorus l. 2. c. 21. Certè Cathedralis Ecclesia Tornacensis inter sacras Reliquias gloriatur se habere de Palma quam S. Joannes Apostolus deferebat præeundo in exequiis Deiparæ Virginis.

Ventia. In morte Christi & aliorum sunt tentationes, à quibus M. V. fuit libera. Beda. in c. 4. Luc.

Ita S. Adamus raptus.

Quia portò Virgo trophæum contra Satanam in morte erexit, etiam specialiter promeruit omnibus in morte nomen suum invocantibus auxilium speciale. Hinc illa Ecclesiæ oratio: *Ora pronobis peccatoribus nunc & in hora mortis nostræ.* Ipsa est in illa vitæ extrema hora *Refugium peccatorum, Consolatrix afflictorum, Auxilium Christianorum*, dans eis vires ad pugnandum, eosque secum assumens ad æternitatis bravium. Quod quidem licet omni præstet die, id tamen auxilii specialissimè habent, qui in die Assumptionis ejus è vita hac excedunt. Vis exempla?

Vide Arn. Raisse in Hierographilac.

Audi de S. Arnulpho Suessionensi Episcopo. Cum è vivis migraret, cella contremuit tertiò. Cumque Everolphus Presbyter tremeret, dixit Arnulphus: *Ne paveas, dilecte frater, hæc enim sunt divina Majestatis signa.* Explicans autem quid illud foret, dixit: Sub prima concussione venit B. Petrus Apostolus ad me, significans mihi remissa peccata mea, patereque januam vitæ. Adfuit & frequens Beatorum cœtus, laudes concinens divinas. Sub secunda concussione cum multis Angelis S. Michaël me invisit, pollicens se Duce me ingressurum ad beatam vitam. *Tertia concussione adfuit Domina nostra, misericordiæ Mater, agminibus stipata Virginum, benigna voce me certiorem faciens de anima mea inter Assumptionis ejus gaudia in cœlos transferenda.* Sic in festo Assumptionis exspirans, ab ea assumptus est.

B. M. V. specialiter die Assump. ejus modi rientibus auxilium tur.

Audi

Audi & de S. Stephano Hungariæ Rege. Hic Virginis obsequio addictissimus regnum suum *Familiam S. Mariæ* nominari voluit, sceptrumque speciali voto illi consecravit, ejus festa jejuniis præviis & singulari solemnitate celebrari mandans. Morti vicinus, convocatis Episcopis & Primoribus regni, monuit eos zelo magno, ut novellæ plantationi Christianismi sollicitudinem omnem adhiberent. Postmodum manus & oculos in cœlum dirigens, dicebat: *O Regina cœlorum, tuo patrocinio novellam hanc Ecclesiam cum Episcopis & Clero, regnumque cum Primatibus & populis ex integro committo, & hui ultimum valedicens, animam meam manibus tuis depono.* Instabat tunc gloriosa solemnitas Assumptionis; unde & cum lachrymis rogabat, ut eo die corporis sui dissolutio fieret, sperans cumulationis misericordiæ se spem habiturum. Cum ergo dies ille advenisset, Rex in medio Episcoporum & Principum sacram percepit unctionem, sanctamque animam viatico corporis & sanguinis Christi recreatam, in manus Beatissimæ Virginis tradidit æternæ quieti inferendam.

Audi & de S. Hyacintho Ord. S. Dominici. Sectatus exemplum Patris sui Dominici Virginis servituti miro zelo se devovit. Unde cum ipse quadam Vigiliâ Assumptionis MARIÆ coram Altari contemplaretur quanta cum gloria ipsa in cœlum recepta fuisset à cœli civibus, globus igneus & luminosus circa altare visus est, in quo Deipara Angelis cincta sic eum amorosè est allocuta: *Lætare Hyacinthe, quia preces tuæ filio meo mihiq; sunt gratissimæ; securusq; esto te ab eo impetraturum quicquid per intercessionem meam petieris.* Illicò discedente Virgine, concentus cœlestis tantæ harmoniæ auditus fuit, ut hominum eloquio non posset ullatenus exprimi. Tantâ autem consolatione & fiduciâ repletus fuit Hyacinthus, ut non dubitarit se obtenturum quicquid petiturus foret per merita MARIÆ, sensitque illius protectionem exinde specialem in omnibus quæ ad Dei gloriam vel salutem animarum aggrediebatur. Postmodum consummatis pro Deo laboribus, in die Assumptionis, perceptis divinis Sacramentis, vocatus fuit ad æternam coronam, & reddidit animam in manus Christi Domini & Mariæ Matris, postquam oculis in cœlum sublatis Psalmum trigesimum decantasset, & pertigisset ad versiculum illum: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum.* Id factum est 15. Augusti ann 1217. Tantis verò in vita sua effulsit miraculis, ut mille præcipua in ejus canonizatione fuerint exhibita; ejusque virtus mitè patuit etiam in sanandis ægris pestilentiâ infectis. Fit autem ejus festi vitas in die subsequente Assumptionem, in quo est etiam S. Rochi veneratio. O quàm felices, qui in obsequio Mariæ perseverantes, in die Assumptionis ejus inter ipsius manus cum his Sanctis animam reddunt!

3. Differentia. *Tertiò* Differentia cernitur in morte Christi & Mariæ. Quia in morte Christi discipuli dissipati sunt, quasi in die caliginis & tempestatis exerrantes: *Percutiam Pastorem, & dispergentur oves gregis.* At in morte Mariæ, tanquam in die luminis, divina providentia congregati sunt, eosque nube adductos existimat S. Damascenus. Quapropter aptè illis tunc conveniebat illud: *Qui sunt isti qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas.* Nempè quasi Columbæ in nubibus volasse censendi sunt, & ad fenestram Arcæ mysticæ revolasse cum ramo olivæ, significantes se pacem & misericordiam mundo annunciasse, & nunc ad pacis ac misericordiæ Matrem advolare, antequam ex mundo discedat. Ut ergo postremum ei valedicant (& culpam excipient in morte Matris, quam erroneo gressu & infida dispersione contraxerant in morte filii) simul adfuisse & lectulum morituræ cinxisse, antiqua habet traditio, verbis S. Dionysii firmata. Ubi corpus erat, illuc etiam advolarunt sublimes illæ Aquilæ, inquit S. Damascenus Orat. 2. Et Juvenalis Archiep. Hierosolymitanus sic alloquitur Martianum Imperatorem, apud Nicephorum lib. 15. c. 14. *Antiquissima & verissima omnino traditione receptum est, instante Virginis obitu Apostolos ex ipsis terrarum finibus, ubi erant dispersi, sublimes in aere Ierosolymam venisse.* Quod si Aaroni jucundum omninò fuit, & instar privilegii concessum, ut inter manus Moysis fratris sui & Eleazari filii sui spiritum redderet, illique oculos clauderent: magno etiam solatio fuit Virgini, Apostolorum Matri, inter manus filiorum primogenitorum animam reddere, oculosque claudere post sanctissima monita eis data.

Discipuli Christi in morte ejus dissipati at in M. V. morte congregati Isai. 60. sunt.

Atque etiam hi cum hymnis funus extulere, coeinentibus Angelis, miraculisque circa feretrum rutilantibus. Quòd si glorioſum sibi existimarunt Reges & Principes Sanctorum corpora propriis ad tumulum vectare humeris (sic Henricus Imp. Romualdi corpus detulit, Theodoricus Rex filius Clodovei corpus S. Theodorici Abbatis, Ladislaus Rex Hungariæ corpus S. Gerardi Martyris) quantò magis gloriæ sibi duxerunt Apostoli, Principes Ecclesiæ corpus illud deferre, quod ineffabiliter Deum in se susceperat, & mundo protulerat incarnatum? Miracula autem in hac delatione coruscasse testis est Damascenus, Nicephorus, Metaphrastes. Juvenalis Archiepiscopus, & alii. *Hic surdis auditus, claudus gressus, cæcus visus instaurabatur, peccatoribus cum fide accedentibus syngraphæ lacerabantur*, ait Damasc. Orat. 2.

Addit Nicephorus: *Non est silentio prætereundum, quod in hac lætitia accidit. Cum enim in Gethsemani portaretur Dei Genitrix, Iudæi invidiâ tabescentes, livorem suum occultare non potuerunt. Inter quos quidam ex ordine Sacerdotum furibundus, impetu in feretrum ruens, humi prosternere sacram illam arcam & pessumdare conatus est. Sed vindicta nequaquam moratur. Namque ab ulnis, manus ejus recisa ex feretro dependent. At illa quæ nativitate sua orbem lætificarat, ne in obitu quidem alicui causa futura erat alicujus ærumnæ. Pœnitentiæ ergo remedium arripuit*

miser, & quia manus protendere non poterat, lachrymas protulit. Sic mox feretrum constitit, & manus ad refectionem unde deciderant accommodata. (Petri id jussu factum) confestim, pristinum statum recuperant. Hæc ex Nicephoro l.2.c.22.

PARS II. *De convenientia mortis Christi & B.M.V.*

INter Christum Dominum & sanctissimam ejus Matrem in hoc convenientia est; *Primò*, quòd licet utriusque corpus mors attigerit, corruptio tamen neutrum violârit. Sicut de Christi corpore scriptum erat: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*; sic idipsum est verum de Virginis carne: Potuit eam à putredine & pulvere alienam facere, qui ex ea nascens potuit Virginem incorruptam relinquere. Putredo & vermis humanæ opprobrium est conditionis: ad benignitatem Domini pertinebat Matris ea in re servare honorem, ut corpus quod sanctificârat in ea habitando novem mensium spatio, à vermibus & à putredinis immune foret sordibus. Pulvis ergo es, ô MARIA, nec tamen in pulverem reverteris, quia expers es peccati omnis, & contagionis, ac corruptionis. Ille qui tuum sanctificavit uterum, ut pareret sine corruptione, sanctificabit & sepulchrum, ut non admittat corruptionem & interitum; sed quasi novus uterus te pariet, & vivam cœlis animo corpore reque reddet. Sic poteris dicere: *Resturit caro mea, & ex voluntate mea confitebor ei.* Resturit caro tua, cum rediviva de sepulchro germinavit, & in floris modum cunctis hominibus immortalitatis afflavit odorem. Exurgens quasi arca sanctificationis, in requiem gloriosam cum corpore tuo glorificata, quod non videbit corruptionem, nec diu manebit in sepulchro. Quid enim tibi cum sepulchro, ô Mater Dei vivi? Quid tibi cum mortuis ô Genitrix vitæ? Quid tibi cum tumulo & monumento, quę jam pridem effecta es cœlum vivum, cœli habitatorem in te condens? Quid tibi cum fœtore, ô Paradisi amœnus odor? Quid Arcæ ex imputribilibus lignis fabricatæ cum incineratione?

1. Utriusq; corpus incorruptum conservatum. *Psalm.15.* *Psalm.27.*

Secundò, Christi & Matris ejus agnoscitur convenientia, in eo quòd tertiâ die à morte utriusque fuerit resurrectio admiranda. Sic resurrectio Christi causa fuit & exemplar resurrectionis MARIÆ, & quemadmodum MARIA Christum in vita est imitata, ita & in resurrectione ad vitam, dum ad eam, sicut ipse, redit MARIA tertia die. Sic docet Juvenalis Archiepiscopus Hierosolymitanus apud Nicephorum l.15.c.14. & S.Joan.Damascen.orat.2. cujus verba ita in Romano referuntur Breviario: *Corpus quod ineffabili ratione Deum susceperit, in Gethsemani fuit depositum, quo in loco Angelorum cantus mansit tres dies continuos. Post tres dies Angelico cantu cessante, qui aderant. Apostoli (cùm unus Thomas, qui abfuerat, post tertium diem venisset, & quod Deum susceperat, corpus adorare voluisset) tumulum aperuerunt; sed omni ex parte sacrum ejus corpus nequaquam invenire potuerunt. Cùm ea autem tantùm invenissent in quibus fuerat compositum, & ineffabili inde odore essent repleti loculum clausérunt. Ejus mysterii obstupefacti miraculo, hoc solùm cogitare potuerunt, quòd cui placuit ex Maria Virgine carnem sumere etiam placuit corpus ejus incorruptum honorare ante universalem resurrectionem.* Hæc Breviarium ex Damasceno.

2. Utriusq; resurrectio tertia die.

Mox itaque MARIAM sic deglutiit sicut cetus Jonam, non tamen devoravit, aut violavit, sed tertio die evomuit. Et sicut Danielem in lacu Leones non attigerunt: sic nec MARIAM in tumulo vermes. Sicut etiam tres pueros Deus in medio ignis inter flammas sine læsione servavit; sic & Matrem illæsam servare voluit in mortis regione, & tertiâ secum die resuscitare. Sic honorabitur, quem Rex æternus voluerit honorare. *Exurge Domine in requiem tuam*, tertiâ die à morte, sed non solum Tu, verùm etiam *Arca sanctificationis tua*, ut tibi sit conformis in gloria, & quæ complantata est similitudini mortis tuæ, simul sit & resurrectionis. *Psalm.131.*

Porrò Virginis sepulchrũ post tres dies vacuum, quasi animatum sic disertè alloquitur S. Joan. Damascenus: *Tu verò, ô sacrorum sepulchrorum sacratissimum, post Domini quidem sepulchrum, quod vitæ dedit principium, quod fuit fons resurrectionis: ubinam est aurum illud purum quod in te manus Apostolorum condiderunt? Ubi pretiosus ille thesaurus quo vitam suscepit? Ubi novum volumen in quo ineffabiliter Deus Verbum sine manu inscriptum fuit? Ubi abyssus gratiæ pelagus curationum? Ubi desiderabile illud Deipara corpus?* Post modum introducit S. Damascenus sepulchrum istud hunc in modum respondens: *Quid quæritis in sepulchro eam quæ ad cœlestia est translata tabernacula? Cur à me custodiæ rationem exposcitis? Non possum divinis resistere jussis. Sacrosanctum corpus quod mihi sanctitatem impertivit, & pretiosissimi unguenti fragrantia replevit, templum, divinum effecit, relictis sindonibus abiit raptum in sublime, comitantibus Angelis, Archangelis, & omnibus cœlestibus potentiis. Nunc me circumdans Angeli, nunc divina in me habitat gratia. Ego evasi officina medicinæ ægrotantibus: ego fons perennis curationum; ego remedium adversus Dæmones; ego civitas refugii omnibus ad me confugientibus*, hactenus S. Damascenus.

Ubi triduo mortis anima M.V. fuerit.

Quod si quæras, ubi fuerit anima Virginis in illo triduo mortis suæ? Forsitan non malè quis dixerit, quòd sicut anima Christi in triduo suæ mortis fuit in limbo Patrum, illos consolans & illuminans, se cum postmodum educturus; sic quoque Deiparæ anima fuerit in purgatorio, ibidem animabus solatium & lumen proferens, secum etiam vel omnes vel aliquas eductura. Ob honorem enim coronationis novæ Reginæ misericordiæ, è purgante igne multas ereptas animas probabiliter docet Cancellarius Gerson tract.4. super Cantico Virginis, & nonnulli alii. Imò piè credimus adhuc quotannis recurrente Virginis assumptæ festivitate aliquas è purgatoriis flammis animas liberari, in gratiam clementissimæ Reginæ. Nam si S. Francisco concessum

cessum legimus, in ejus Chronicis, ut in die suo festivo condonentur singulis annis aliquæ ei animæ è purgatorio, quantò potiori ratione dicemus id Matri Dei concedendum.

3. *Ascensio Christi, & Assumptio B. M. V. facta cum magno triumpho.* 3 *Reg.* 8.

Tertiò, in hoc cernitur convenientia in recessu Matris & Filii, quò sicut Ascensio Christi magno fuit cum triumpho, sic & Virginis Assumptio. Celebris planè triumphus solemnissimaque fuit processio illa, quando Salomon Arcam in locum suum, hoc est, in Sancta Sanctorum, subtus alas Cherubim, per Sacerdotes invexit. Ibi erat cernere Regem gradientem in decore suo. Ibi Sacerdotes Arcam erant suis vectantes humeris. Ibi Levitæ vasa Sanctuarii deferentes. Ibi varii cantores vestiti byssinis, cymbalis, psalteriis, & cytharis concrepabant. Ibi

2. *Paral.* 5. centum & viginti Sacerdotes canentes tubis. *Ibi cunctis pariter, & tubis, & voce, & cymbalis, & organis, & diversi generis musicorum instrumentibus, & vocem in sublime tollentibus, longè sonitus audiebatur. Et cùm Dominum laudare cœpissent, & dicere: Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia ejus, implebatur domus Dei nube, complebat gloria Domini domum Domini.* Ibi denique omnes majores natu, & Principes tribuum, absque æstimatione & numero boves & oves immolabant. Solemnior certè processio, dum æterni Dei arca in templum æternum hodiè introducitur, & non subtus Cherubim sed super Cherubim & Seraphim elevatur. Ibi Rex pacificus JESUS Christus ante arcam in decore graditur. Ibi non Sacerdotes Aaronis, sed ipsi Cherubini arcam deferunt. Non quòd eorum egeat adjutorio, quæ dono eximio agilitatis exornata ascendere poterat, nullo fulta subsidio; sed quia honor ei ab ipsis circumstipantibus exhibebatur. Ibi Angelici spiritus Virginis insignia tanquam Sanctuarii vasa præferebant. Ibi Principatus, Potestates, Dominationes, Throni comitantes, & immolantes hostias laudis. Ibi concentus indicibilis totius curiæ cœlestis. Celeberrimus utique triumphus quaquà spectes.

Quapropter dixit S. Bernardus: *Quis cogitare sufficiat quàm gloriosè mundi Regina processerit, quanto devotionis affectu totâ in ejus occursum cœlestium legionum processerit multitudo, quibus ad thronum gloriæ eam ituc sit deducta, quàm serena facie, quam divinis amplexibus susceptâ à filio, & super omnem creaturam exaltata.*

Addit B. P. Damiani serm. de Assumpt. hic quippiam gloriosius reperiri quam in ascensione Christi, sic enim loquitur: *Attolle oculos, & salva filii majestate invenies occursum hujus pompæ non mediocriter digniorem. Soli quippe Angeli Redemptori occurrere potuerunt: Matri verò filius ipse cum tota curia, tam Angelorum, quàm justorum, solemniter occurrens, evexit ad beata consistorium sessionis.*

4. *Proportionata utriusq; gloria in cœlis.* *Postremò*, dicamus Matris & filii proportionatam esse gloriam in cœlis, & in hoc reperiri convenientiam, quia sicut filius suam humanitatem evexit gloriosè super omnes choros Angelorum, ita evexit & Matrem, quam sibi proximè voluit adstare. Astitit enim hæc Regina à dextris filii, proximà illi in loco summi honoris infra regalem thronum. Nempè supra novem choros Angelorum Virginis collocatus est thronus. Propterea dicit S. Bernardus: *Nec in terris locus dignior uteri Virginalis templo, nec in cœlis Regali solio in quo* MARIAM *filius sublimavit.* In hujus rei figuram olim positus est thronus matri Salomonis juxta Regem, seditque à

3. *Reg.* 2. dextris, & ei dictum est à filio: *Pete Mater mea, non enim decet ut confundam faciem tuam.* Sic & factum Matri Christi à filio in cœlis.

Itaque omnium SS. Patrum, & totius Ecclesiæ, *De gloria* doctrina est, Virginem Deiparam omnes choros *M. Virg.* Angelorum transcendere. Passim autem Theologi docent, homines ad instaurandas ruinas Angelorum evehi, & alicui choro adscribi. Sed quærunt an B. Virgo particularem constituat chorum? Nonnulli respondent eundem chorum eam constituere cum humanitate Filii, quam ut Matrem, ut Sponsam, ut Cœli Reginam ipse Rex gloriæ sibi voluit sociare. Alii cum Cancellario Gerson specialem ei chorum post filii humanitatem constituunt. De qua re sic loquitur ipse tract. 4. super Cantico Virginis: *Virgo sola constituit hierarchiam secunda sub Deo trino & uno, hierarcha primo & summo: apud quam hierarchiam humanitas filii sui sola sublimata sedet à dextris virtutis Dei per unitatem suppositi.* hæc ille.

Conclusio. TU, ô Virgo beatissima, adhuc gloriæ apicem es evecta, non solùm tibi, sed & nobis filiis Adam & Evæ, quia os & caro nostra es. Respice ergo, ô Mater misericordiæ, Regina clementiæ, pia vota nostra. Ad te clamamus exules filii Evæ, ad te suspiramus gementes & flentes in hac lachrymarum valle, in hoc afflictissimo tempore. *Idcirco ad* *Esther.* 4. *Regnum venisti ut in tali tempore parareris*, sicut dicebat Reginæ Esther mœstus Mardochæus. Illos ergo misericordes oculos, ejaculantes clementiæ radios serenissimos, ad nos converte, maximè in die isto tuo; die Assumptionis & coronationis tuæ, in quo tuus favor omnibus patet, Te piè invocantibus. Ne despice afflictiones populi tui in tenebris & umbra mortis jacentis, oblabem tabidam & cruentam ubique serpentem & discerpentem regionem nostram; ob concussiones quoque pressuras-que impiorum militum lugentis amarissimè, sed lucem impetra, solatium & levamen. Tandemque JESUM benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende, felici nobis impetratâ morte, per quam pertingamus ad tuæ consortium gloriæ.

16. Aug. Lect. 40. tripart.

IN FESTO S. ROCHI.

In diebus suis placuit Deo, & inventus est justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Eccl. 44.

PARS I. *Deus nos percutiens medianto-res optat.*

VIrga quâ nos perentit Deus, triplex potest distingui. *Prima* est *Ferrea*, quâ impii plectuntur: hæc est Virga potentiæ, quæ à nobis est timenda. *Secunda* est *Amygdalina*, florida, & fructifera, hæc est Virga sapientiæ, quàm boni experiuntur, quæ à nobis est admiranda. *Tertia* est *Aurea*, quæ ad bonos & malos extenditur: hæc est Virga clementiæ ab omnibus amplectenda.

Dei virga percutiens triplex.

1. *Virga potentiæ.* *Psal.* 2.

Dicamus ergo *primò*, Virgam potentiæ, virgam illam ferream esse de qua: *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Hæc ad improbos vertitur, quâ irreparabiliter confringuntur, quasi vasa figuli in partes contrita à feriente ferro. Hâc quandoque feriuntur initialiter in hac vita, postmodum æternaliter in altera.

2. *Mac.* 9. Attende in Antiocho intolerabili dolore, fœtore, tristitia perculso: & hoc ei in fine vitæ initium fuit & vita æterni doloris, ad quem præcipiti gressu raptabatur. Frustrà igitur *orabat scelestus Dominum, à quo non erat misericordiam consecuturus.*

Attende & in Pharaone Virgâ potentiæ, in manu Moysis à Domino depositâ, toties percussus, orat ut amoveatur à se, & Moysem ipsum obsecrat ut precetur pro se, maximè cùm primogenitum suum cum aliis vidit hac virga internecioni datum. *Orate Dominum pro me*, inquit ipse Moysi & Aaroni. Sed tandem percutitur & conteritur irreparabiliter, dum in aquis mergitur cum suo exercitu, virgâ aquas divisas reducente. O metuenda divinæ potentiæ virga erga impios!

Hâc percutit velut hostis perduelles hostes suos, rebellia duraque corda & insanabiliter percutit, quia conterit. Propterea dicitur: *Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli, propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta sunt peccata tua. Quid clamas ad me? Insanabilis est dolor tuus. Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua. Propter dura peccata tua feci hæc tibi.*

2. *Virga sapientia. Iterum.* Dicamus *secundò*, Virgam sapientiæ, virgam illam esse, de qua illud: *Virgam vigilantem ego video*; ubi altera habet lectio: *Virgam amygdalinam ego video.* Virga sapientiæ & providentiæ divinæ, virga est oculata, ideo rectè *Virga vigilans* nuncupatur. Nunquam percutit cœlo ictu, scit ubi cadat, & in bonum ordinat percussionem suam. Virga amygdalina, si pulvillo supponatur, dicitur somnum impedire, aut dormientes excitare. Sic & Virga divinæ sapientiæ ad hoc ordinatur, ut somnum nobis excutiat, & vigiles nos reddat. Hæc virga etiam ad justos & probos sese solet vertere, sed in majus eorum bonum, ut vigilantiores eos efficiat. Quis non videt divinis premi flagellis etiam eos qui innocui censentur? Job dicebat. *Virgam suam amoveat à me.* *Iob* 21. Quinimò virgam longè ab impiorum humeris esse justorum autem dorso imminere conqueritur ipse: conqueritur & de hoc Psaltes cum Hieremia Propheta. *Psal.* 72. *Hier.* 12.

Propterea diximus hanc divinæ sapientiæ & providentiæ virgam planè admirandam esse, quia nescimus quò vel in quem cadat, & qua de causa. Scimus quod propter peccata flagella Dei immittuntur. Quare tamen potius hic populus affligitur, quâ iste? Cur hic adeo violenter grassatur, & ibi lentè? Cur hæc domus tota inficitur, & pereunt ejus incolæ, & altera vicina planè immunis est & libera? Cur in eadem domo infecta hic evadit, ille occumbit? Cur miles impius peste infectus sanitatem consequitur & illam nihilominus intulit in familiam innocuam, ex qua plurimi pereunt? Hæc nimirum est altitudo sapientiæ divinæ, & virgæ ejus, potius in silentio admiranda & adoranda, quàm scrutanda; quia inscrutabiles viæ ejus. Hic dicendum: *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine, psallam & intelligam in via immaculata quando venies ad me.* Populum Deus punit in millibus septuaginta, & Davidem qui peccarat non tangit pestilentia. Cur ita? Quis consiliarius ejus hac in re fuit, ut plenam edicat rationem? Job percutitur contagio, quia dicit: *Halitum meum exhorruit uxor mea.* Exhorruerunt & servi ejus quasi virum pestilentiæ tabe confectum; ideo extra civitatem ejicitur, ubi in sterquilinio jacet. Quâ ratione id promeruit? Virgam interim hic agnoscit, & adorat divinæ sapientiæ & providentiæ, quam orat cùm placuerit amoveri à se; aut si ita placuerit, usque an internecionem desævire: *etiamsi me occiderit, in ipso sperabo.* *Psal.* 100. *Iob* 19. *Iob* 13.

3. *Virga clementiæ. Esther.* 7. Dicamus *tertiò*, Virgam clementiæ illam auream virgam esse, quam in typo tangit Esther ad Regis thronum accedens, dum sic orat: *Si inveni gratiam in oculis tuis, da mihi animam pro qua rogo, & populum pro quo obsecro.* Hæc est virga quam per pœnitentiam ad se accedentibus extendit Deus: & quia aurea est certè arripienda, amplectenda, osculanda est. Hæc virga, quæ ante percutiens censebatur, est nunc sanans & blandiens cum solatio: *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* *Abac.* 3.

Hanc clementiæ auream virgam extendit, dum Sancti interveniunt in flagellis quibus ob peccata nos percutit, & se Mediatores exhibent. Optat verò ipse Mediatores & deprecatores tales ut plaga eorum intercessione cessante, dextram extendant misericordiæ, & obliviscatur iræ.

In diluvio intervenit Noë Præco justitiæ, & gratiam impetrat pro se & familia sua. Post diluvium, dum offert sacrificium illud acceptabile & spirans odorem suavitatis, arcum suum diversicolorem exhibet ei Dominus in signum clementiæ, & fœdus cum eo paciscitur de diluvio ultra non immittendo. Ideo de eo originaliter scriptum est apud Ecclesiasticum:

Eccl. 44. ficium: *In diebus suis placuit Deo, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.*

In plaga ignis, quam immittere putabat Deus in Sodomam & finitimas civitates, intervenit Abraham ut mediator, repræsentans non esse æquum ut probi cum improbis, justi cum injustis involvantur vindice hoc incendio; ideoque Dominum saltem propter justos parcere debere civitati illi. Sed quia in Pentapoli vix inventi sunt justi, impetrat solum pro Loth & familia sua. Quapropter etiam ex hac parte verum est de ipso: *In diebus suis placuit Deo, & inventus est justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.*

In deserto, peccante populo, intervenit Moyses Exod. 32. & Aaron. Moyses luctatur cum Domino, & tanquam Mediator dicit: *Obsecro dimitte noxam populo huic, aut dele me de libro quem scripsisti.* Aaron vero Num. 16. in alia quadam plaga desæviente *stetit inter mortuos & viventes, & deprecatus est pro populo, & cessavit* Psal. 105. *plaga.* Et Moyses sæpè etiam plabavit Dominum; *Stetit enim in confractione in conspectu ejus, ut averteret iram ejus.* Ergo de utroque rursus verum est: *In diebus suis placuit Deo, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.*

Denique dum pestilentiæ flagellum immisit Dominus in populum, David offert sacrificium, & se- 2. Reg. 24. ipsum offert Domino puniendum: *Ego sum qui peccavi, isti qui oves sunt quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum Patris mei.* Tandem impetravit ut propitiaretur Dominus terræ, & cessaret plaga ab Israël. Ergo & de ipso verum est: *In diebus suis placuit Deo, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.*

Hæc quidem ex veteri Testamento, ubi sæpius legitur Deus placatus precibus electorum servorum suorum. Quapropter etiam amicos Job, quibus iratscebatur, quia injustè se gesserant erga afflictum servum suum Job, mittit ad ipsum tanquam Mediatorem: *Ite ad servum meum Iob, & ipse orabit pro vobis, & suscipiam faciem ejus* Job ult.

PARS II. *In flagello pestilentiæ datus S. Rochus Mediator.*

AT multò magis in novo Testamento Deus constituit nobis Intercessores & Patronos in flagellis, quorum faciem suscipiat: ad quos monet nos recurrere, ut per eos avertatur torvus ac minax severusque vultus iræ suæ, vindexque manus justitiæ. Inter hos in flagello pestilentiæ specialem nobis Intercessorem & Patronū proponit S. Rochum, dilectissimum sibi servum: ob cujus merita vult nobis misereri & reconciliari, si corde contrito & humiliato cum fiducia accedamus. Hoc enim promisit ei in morte. Hoc est testamentum & fœdus quod pepigit cum eo. Hanc gratiam subveniendi afflictis pestilentia specialiter petiit moriens, & impetravit per Angelum, qui promissionem tabulis consignatam eiattulit. Quare sicut de Davide jam defuncto dicebat Dominus, intuens merita ejus nunquam intermoritura, *Protegam civitatem istam propter me, & propter David servum meum*; Similiter 4. Reg. 19. & nunc videtur dicere: *Protegam civitatem istam propter me, & propter servum meum Rochum.* Ideo etiam de ipso verissimum esse asserimus: *In diebus suis placuit Deo, & inventus est justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.* Sed quid est, *In diebus suis placuit Deo?* Audi particularius.

Primò quidem, in diebus infantiæ suæ, & ex utero placuit Deo, quia placuit ei ipsum segregare ex utero matris suæ in servum specialem, & trucis signaculo eum consignare, tanquam strenuum sub vexillo suo militem. 1. *S. Rochus Deo placuit in infantia.*

Secundò, in diebus pueritiæ suæ Deo placuit, quia ex tunc præsagia quædam futuræ sanctitatis in ipso Deus monstravit, & jecit fundamina abstinentiæ & pietatis; dum scilicet à lacte bis in hebdomada abstineret spiritus quodam pio instinctu; ita ut de ipso & illud dici potuerit à Domino: *Ecce puer meus quem elegi, complacuit sibi in illo anima mea, suscipiam eum, posui super eum spiritum meum.* 2. *In pueritia.* Isai. 42.

Tertiò, in diebus adolescentiæ suæ placuit Deo, non carni, non mundo, non enim secutus est concupiscentias sæculi, aut carnis, sed separans se ab omni levitate & illecebris, carnem domabat cilicio, austeritate, jejuniis. Sciebat quod proni sunt sensus hominis in malum ab adolescentia, nisi frænum eis injiciatur, quo reprimi valeant, & rationis rectitudini subjici. Sciebat quod animus qui semel mundi plicas vel colores susceperit, difficulter in Deum reformatur. Sciebat & illud Augustini: *Inter prælia Christianorum, sola dura sunt prælia castitatis, ubi continua est pugna, & rara victoria.* Pugnabat ergo fortiter & indefessè, ut hanc victoriam assequeretur, raram quidem, sed inclytam Florem ætatis, sicut adolescentes hujus sæculi, Veneri non devovit sed Christo, omnis sanctimoniæ & puritatis Auctori & Altori. 3. *In adolescentia.*

Quartò, in diebus juventutis & viriliatis suæ placuit Deo, omnia sua in pauperes erogans, ut consilium Altissimi sequeretur: & exinde abiit peregrinus propter Dominum, & ab illo deducendus quocunque placuerit, & per quamcunque viam. 4. *In juventuti & virili ætate.*

Quia autem inventus est justus, *deduxit eum Dominus per vias rectas*, per vias salutis, per semitas vitæ; per viam contemptus sæculi, per viam compassionis & zeli erga afflictos, per viam afflictionis & tribulationis, per viam patientiæ admirabilis: donec tandem ostendens ei regnum Dei, complevit labores illius, & corona gloriæ coronavit: *Oportet enim per multas tribulationes introire in regnum Dei.* Atque etiam illud regnum incheari censetur in tribulationibus cum patientia toleratis, dicente Apostolo Jacobo: *Omne gaudium existimate fratres, cum in varias incideritis tentationes*, sive vexationes, & afflictiones. Tres sunt patientiæ gradus, sustinere patienter sustinere libenter, sustinere gaudenter. Qui hunc attigit, jam habet initium regni Dei, quia habet gaudium verum, gaudiumq; perfectum. Sap. 10. Act. 14. Iacob. 1. *Gradus patientiæ tres sunt.*

quod in Deo est, & de Deo, & propter Deum; propter quem afflictiones tolerantur, tanquam quid bonum, & magnum bonum.

Rochus ergo *inventus est justus*, prius equidem probatus & severè examinatus per fornacē & ignem tribulationis; inventus est, inquam, rectus & Deo conformis; inventus est justum suum pondus habens in bilance divinæ æquitatis, in qua unumquemque ponderat in siclo sanctuarii.

S. Rochus vivens, pestiferis inservivit, & curavit.

Et quia inventus est justus, non solùm placuit Deo, sed etiam *in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.* Apud Pedemontanos in Aquapendente grassabatur iracundia divina multosque percutiebat per flagellum pestilentiæ: Ibi peregrinus Rochus ægrorum sese addicens servitio, multos sanavit solo crucis signaculo, à multis quoque pestilentiæ tabidam plagam avertit sua apud Dominum intercessione, & gratiæ cœlestis impetrato auxilio Ergo hic verum fuit: *In diebus suis placuit Deo, & inventus est justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.*

2. Ulterius transivit per Cæsanam, per Placentiam, & alias Italiæ urbes, ubi idem flagellum immiserat Dominus in populum. Non destitit autem ipse orare pro his populis contagio afflictis, & rursus ægris se offerre ad omne obsequium; ubi & plurimos restituit sanitati, & necdum percussis suâ profuit sanctitate. Ergo hic rursus verum fuit: *In diebus suis placuit Deo, & inventus est justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.*

3. Denique, & Romam visitans. Urbem illam sanctam, tot millium Martyrum sanguine consecratam, tot privilegiis sanctitatis adornatam, stationes summâ obibat devotione & pietatis loca frequentabat magnâ humilitate. Quia hic scopus fuerat peregrinationis suæ; Sanctorum scil. pignora ibi honorare, & per sanctitatis monumenta sese in Dei amorem magis magisque accendere. Neque verò diu latuit Romanos ejus sanctitas & gratia apud Deum: quare cùm ibidem flagellum inundaret pestilentiæ, & quid alibi præstitisset, fama jam nunciaret, rogatus est ut afflictis opem ferret, & gratiam auxiliandi contagiosis cœlitus sibi concessam, quasi talentum divinum in sudario non ligaret, aut absconderet. Et hic igitur operam suam navavit, ut sublevarentur afflicti contagiosâ tabe; & ferventes preces perseverantes pro eis apud Deum impendit. Nec defuit virtute miraculosa multorum sanitati. Nam & inter cæteros asseritur quendam Romanæ Ecclesiæ Cardinalem pestilentiâ correptum prece sanitati reddidisse, cùm ab eo rogatus ea de re fuisset, & ad hunc effectum instanter vocatus, ejus famâ multorum ora pervolante. Ergò & ibi verum esse agnoscimus: *In diebus suis placuit Deo, & inventus est Justus: & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.*

In, & post mortem contra pestem Patronus.

Hæc quidem in vita ejus In morte autem, & post mortem, per tabulam Angelico ministerio delatam, quâ asserebatur ejus apud Deum potestas ab subveniendum pestilentiâ percussis, & monebâtur ipsi fidenter ad eum recurrere, notissima facta est toti urbi ejus sanctitas & gratia. Populique non solùm Galliæ & Italiæ, sed & nationes universæ ejus cœperunt patrocinium votis exposcere, & Oratoriis, Aris, Imaginibus, Sodalitiis eum honorare. Et maximè à tempore Constantiensis Concilii, ubi evidentissimè patrocinii ejus virtus effulsit, frequentata est & adaucta erga eum populorum devotio. Quia & ibi agnitum fuit, & de die in diem magis magisque agnoscitur, quàm verum sit de illo: *In diebus suis placuit Deo, & inventus est justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.*

Sic voluit Deus glorificare Sanctum suum, non solùm in cœlis, per gloriam essentialem, in sui æterna visione æternaque fruitione: sed etiam in terris, per gloriam accidentalem: quæ quotidiè adaugetur per cultum solemnem ei à populis impensum. Quia enim gloriam despexit sæculi, omnemq; ejus ambitionem & honorem (ad quem facilè poterat pertingere ob generis nobilitatem & opulentiam) & quia de illis voluit censeri de quibus Apostolus; *Circuierunt in melotu, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus:* Ideo Deus post mortem in remunerationem despicientiæ illius voluit orbe toto eum honorari, coli, invocari; agnosciique ejus potestatem in morbis contagiosis, in quibus constitutus est Mediator & Reconciliator gloriosus. *Heb. 11.*

Conclusio.

O Mons Pessulane, tu quondam fuisti Mons sanctus, Mons luminis & veritatis, Mons Apostolicæ confessionis; quia Sanctos producebas, & *vocatos in partem sortis sanctorum in lumine*, veritatis assertores, Romanæque fidei pientissimos sectatores, qualis omninò fuit hic quem genuisti in æternum benedictus Rochus: At quomodo nunc *obscuratum est aurum tuum*, aurum veræ sapientiæ? Quomodo *mutatus est color optimus*, color sanctimoniæ & pietatis? *Benè currebas. Quis te impedivit & fascinavit non obedire veritati?* Quis te transformavit de monte lumjnis in montem caliginis? de monte veritatis, in montem erroris? de monte Apostolicæ confessionis, in montem apostaticæ confusionis? de monte ubi erat tabernaculum Petri, in montem ubi nunc est tabernaculum Diaboli? Respice eos quos tibi olim genuisti, cujus erant fidei, cujusve professionis & resipisce à via erroris. Vide Rochum, tuo è sinu natum, orbe toto illustrem, & imitare ejus fidem. Ad ejus fuge patrocinium, ut sit tibi *in tempore iracundiæ reconciliatio*, non tam contra corporum tabidam pestilentiam, quàm contra illa quæ in te modò sita est *pestilentiæ cathedram.* Etenim & contra animorum pestem potens est apud Deum ejus intercessio, non minus quàm contra pestem corporum. *Thren. 4. Mons pessulanus, vulgò Montpellier, Calvinidomina infascinata est. Psal. 1.*

Respice igitur, ô vir sanctissime Roche, populos in afflictione ad te pio affectu recurrentes: Agnosce nos & adjuva agnoscentes quod placueris Domino, quodque ob justitiam tuam ei placuerit, ut fieres

recon-

reconciliatio in tempore iracundiæ, & glorificareris in cœlo, qui despectus fuisti in hoc seculo. Respice quoque benigno intuitu, nec despice urbem à qua natus es, doctrinæ pravæ pestilentiâ corruptam, sed cordibus popularium tuorum impetra lucem, & gratiam, quâ respirent ad fidei unitatem & veritatem Effice tandem, ut omnes uno ore, una fide, uno corde glorificemus Deum & Patrem Domini nostri JESU Christi in Ecclesia militante, postea plenius tecum glorificaturi perenni jubilatione in Ecclesia triumphante.

DE EODEM FESTO.

LECT. 4I. tripart. *Pater meus, & Mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* Psal. 26.

PARS I. *Quomodo Deus S. Rochum ab adolescentia direxerit. Tob. 4.*

TObiæ junioris sanctitas originem duxit ab instructione Patris: *Docuit eum timere Deum ab infantia.* Nec id satis fuit, sed cum jam se morti approximare cerneret, testamenti loco præclara ei monita reliquit, ut paternæ potius virtutis hæredem institueret, quam substantiæ terrenæ. Quapropter eum sic alloquitur: *Audi fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo quasi fundamentum construe.* Inter hæc autem monita, postquam commendasset honorem sepulchri sibi matrique debitum, subdit: *Omnibus diebus vita tua in mente habeto Deum, & cave ne aliquando consentias peccato, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri.* Deinde quæ charitatis sunt erga proximum commendans, & charitati erga Deum ea colligans, adjicit: *Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere; ita enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini. Quomodo potueris ita esto misericors. Si multum fuerit, abundanter tribue, si exiguum fuerit etiam exiguum lubenter impertiri stude.* Ulterius quę concernunt munus hominis erga seipsum præscribens, sic admonet: *Attende tibi ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam, nunquam patiaris crimen scire. Superbiam nunquam in tuo sensu, aut verbo dominari permittas, in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Denique, huic ædificationi spirituali hanc coronidem appendit: *Omni tempore benedic Deum, & pete à Deo ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.*

Similia monita & præcepta dedit Pater verè Pater, filio suo B. Rocho, testamenti instar spirituals, dum morti appropinquaret, & Rochus vix duodecimum ætatis annum egressus foret. Construxit autem illa adolescentulus tanquam fundamentum solidum, quod postmodum fastigium suum ac verticem in cœlos usque erigeret. Nempe à paternis monitis postremo ejus alloquio cordi imitus inscriptis sanctitas Rochi originem feliciter duxit. Sed quænam illa fuerunt? Audi ex scriptoribus vitæ ejus.

Quæ præcepta S. Rocho à patre data.

Fili, ajebat ipse, cum propediem terminum accepturi sint anni mei, quatuor tibi specialiter commendata peropto.

Primò, omnibus diebus vitæ memineris toto corde servire JESU Christo, Filio Dei, & spirituum Patri. Huic enim obtemperandum est multò magis quam mihi, Patri carnis tuæ.

Secundò, esto misericors erga inopes, erga orphanos, ut Deus erga te sit misericors.

Tertiò, dispensatorem te bonorum meorum constituo, sed ea conditione, ut caveas ne his contra salutem abutaris.

Quartò, opto, ut hospitalia frequens visites, & quoad in te est, ægros consoleris.

Hæc sunt præcipua monita, seu monumenta, quæ tanquam fundamenta Pater moriturus in corde filii construi voluit non moritura. Paulò post extremum reddidit spiritum, filio benedicens, & gratiam apprecans. Mater verò præcepta hæc filii animo à Patre insita, *firmabat verbis, rigabat lachrymis, fovebat exemplis*, ut in simili de matre sua loquitur S. Augustinus in Confess.

Incepit ergo ipse primum exequi præceptum, jam ab adolescentia pietati erga Deum sese addicens, simulque jejuniis, cilicio, vigiliis, humicubatione corpus affligens, ut sic in spiritu serviret Domino JESU Christo, immaculatumque corpus & animum illi consecraret. A lubricitate ac illecebris juvenili ætati aguatis semper studuit sese secernere, sciens quantum his inesset discriminis & criminis. Propterea dicebat Sapiens se ignorare *viam viri in adolescentia*, quæ vel instar *Navis* variis jactatur libidinis fluctibus, vel instar *Aquilæ* per superbiam in sublime fertur, vel instar *Serpentis* varios circuitus per terram efficit. Hos omnes circuitus & anfractus viasque invias evitavit B. Rochus, jam ab ineunte ætate secutus rectas vias, vias vitæ. Nempe ex eo tempore jam eum præducebat is qui *Via est, Veritas & Vita*: qui & ipsum signarat ab utero & nativitate crucis & signaculo rubeo in latere, quasi signo specialis dilectionis & electionis. Solet enim nonnullos ex inclytis suis militibus Christus Dux signare signo suæ militiæ, & jam ab infantia & nativitate electionis illorum indicia non obscura prodere. Quod variis possemus demonstrare exemplis. Sic & nonnulli referunt aliquos Lacedæmones olim solitos nasci cum lancea corpori impressa: & hi quidem Martiales & Heroës censebantur, eratq; præsagium secuturæ virtutis. Non ergo defuit hoc signum militi eximio Rocho, ut ab utero agnosceretur, & ipse mox agnosceret sub quo sibi Duce militandum foret: De ipso quoque traditur, quod cum Mater bis in hebdomada abstineret, illis ipsis diebus non potuisse infantem adduci ut lac sugeret. Hæc sunt sanctitatis rudimenta, quæ sensim crevit crescente ætate; ita ut existimetur tota ejus vita immunis fuisse à peccato mortali. Sic potuit Domino illud occinere: *De ventre matris meæ tu es Protector meus, in te cantatio mea semper, tanquam prodigium factus sum multis, & tu adjutor fortis.*

Prov. 30.

Guil Gazet in vita S. Rochi.

Psal. 70.

Interim Patre vita defuncto post annum Rochi duodecimum, emoritur & mater post annum ejus vi-

ũ ii-

wgesimum. Sic dum suis se orbatum parentibus videt, in Deum totam sui rejicit curam, in eum totam projicit fiduciam. Tunc verissimè dicere potuit:

Psal.26. *Pater meus & mater mea reliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* Etenim tunc specialissimè divino sese addixit obsequio, divinæque sequelæ. Imò tunc occasionem sibi oblatam arripuit paterna monita perfectè exequendi. Sibi enim relicta amplissima substantia, in ejus administratione potuit ostendere non solum erga Deum pietatem, sed etiam erga inopes misericordiam & charitatem. Attendebat

Tobiæ 4. igitur matura mētis consideratione illud. *Quantum potueris, esto misericors; si multum tibi fuerit, abundanter tribue.* Itaque, ut misericors fieret membris Christi, & ne terrena substantia ei compedes injiceret aut occasiones peccati, illam resolvit in pauperes totam distribuere. Multi propter opes superbiunt, voluptuantur, prodigunt, pereuntque, divitiis & vitiis involuti. His divitiæ scala fuat ad descendendum in infernum, cùm illis servire deberent ad ascendendum in cœlum. Sic nimirum gressus eorum involvuntur per temporalia, ut transire non valeant ad æterna. Hoc timuit B Rochus, & ideo disrupit compedes & involucra omnia.

Attendebat & illud Domini, quasi sibi dictum:

Matth.19. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, da pauperibus, & sequere me.* Hoc ad adolescentem sibi similem dictum erat, sed durus fuit hic sermo, nec potuit sustinere illum; verum abiit tristis, cor suum trahens per terram, quod Dominus in cœlum volebat erigere. Indicabat se optare sequi Dominum, sed suas simul se sequi volebat divitias. Veruntamen non bene conveniunt, nec in una sede morantur Mammonæ & Christi amor, Arca & Dagon in eodem cordis templo habitare nequeunt; sic

S. Rochus patrimonium suũ in pauperes distribuit. nec amor sæculi & amor Dei. Hoc intelligens S. Rochus, animum generosiorem habuit Evangelico illo adolescente: & ut ad perfectionem expeditè contenderet, vendidit omnia quæ habuit, amplumque pattimonium venditum in pauperes, viduas, pupillos distraxit, ne à Dei perfecta sequela ob illud distraheretur. Considerabat illud Domini promissum: *Nolite timere pusillus Grex, complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Vendite quæ possidetis, facite vobis sæculos qui non veterascunt: thesaurizate vobis thesauros in cœlis, ubi ærugo & tinea non demolitur. Ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.* Non ergo diffidit de Dei providentia, sed jactabat curam suam in eum, sciens *qui non darent fluctuationem justo.* Noverat quoque hæc sibi non perire quæ distribuebat, sed recondi & asservari, atque in securum locum per manus pauperum deportari. Audiverat enim Sapientis monitum, & obedire volebat. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, & post multa tempora invenies illum.* Per aquas angustiæ transeunt pauperes, sed velut *Navis institoris de longè portans panem* manibus suis commissum, & in cœlum usque transvehunt, ubi nequit corrumpi.

Luc.12.

Psalm.54.

Eccl.11.

Prov 31.

Misit ergo S. Rochus panis abundantiam per transeuntes aquas, & in cœlum usque transmisit. Semen optimum aquis commisit, sed in illis non periturum, quin potius copiosissimum & beatissimum fructum producturum. Nec parcè seminavit, sed seminavit in benedictionibus, ut meteret & debenedictionibus. Nihil sibi retinuit, ut perfectius Patris terreni & cœlestia monita adimpleret, & nihil contra salutem dispensaret. Nihil sibi retinuit, omnia propter Christum lubenter deserens, ut nudus Christum nudam sequeretur. Nihil sibi retinuit, nec affectum quidem. Imitatus est Patrem *S Rochus tertii Ord. S. Francis.* suum Franciscum, cujus tertio Ordini sese inscripsit- se traditur; imitatus est, inquam, illum, per viam paupertatis & contemptus sæculi, cujus inhærens presso pede vestigiis. O fortem animum! O generosum adolescentem! O invictum Christi militem? Etenim hoc admiratione dignum est, quod Nobilis, illustri natus loco, opulentissimusque parentum hæres (qui Montis pessulani Domini erant temporales, sic omnibus mox possessionibus valedixit, ad meliorem adspirans hæreditatem & substantiam in sequela pauperis Christi. Potuit ergo Christo dicere idem quod Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Pluta certè reliquit quam Petrus, quia plura possedit. Quid reliquisti Petre, naviculam, retia, tugurtiolum? hic verò & opes amplissimas deseruit, & honores, ad quos ob claritudinem generis facilè poterat pertingere, contempsit, & gloriam omnem sæculi flocci fecit. Denique, tantum reliquit, quantum Alexander concupiscere potuit. *Matth.19.*

PARS II. *Quomodo patre & matre S.Rochi mortuis, Deum eum deduxerit.*

SEd vide ulterius, quomodo paterna monita qua potuit perfectione adimplere conatus sit. Commendarat Pater ei morte vicinus, ut frequentet ægros viseret, & eis opitularetur; utque in Xenodochiis & Nosocomiis non deesset pauperum turbæ, qua valeret ope & opera. Hujus moniti memor, abit peregrinus & ignotus, per Hospitalia varia, & exteris regionibus, ut omne obsequium impendat ægris qualibet ægritudine afflictis. Sciebat id Christo Domino gratissimum, quandoquidem hac ratione obsequium præsterur infirmis & infimis ejus membris, juxta illud: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Totus igitur charitate ardens, & carbonibus charitatis congestis super caput suum, nihil veretur pestilentiæ carbones in corporibus humanis; sed eos contrectat, sanatque, vel solo crucis signaculo eis impresso. *Matth.25.*

Neque uno in loco id egit, sed transiens per pedemontanos & in Italiam penetrans, ubiq; manifestam fecit ut virtutē charitatis suæ, & crucis Christi; varias conferens sanitates in Aquapendente. Cesenæ, Placentiæ, Romæ, variisq; aliis locis, ubi ad obsequium ægrotum admissus fuit in Pandochus, seu Hospitalibus publicis, peregrinationem instituerat ad loca sanctitate celebria, & hæc fuit occasio variis civitates invisendi, in quibus vestigium sanctitatis

tatis suæ aliquod reliquit, pertransiens benefaciendo ægris. Neque enim, ut multis contingit, hanc peregrinationem inconsulto Deo, aut curiositatis gratia, aut præcipiti mente susceperat, sed Dei inspiratione impulsus: ejusque propterea specialem directionem, specialemque favorem in omnibus est expertus: ita ut posset singulariter dicere: *Pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* Assumpsit eum Dominus hac in peregrinatione, in honorem suum & Sanctorum suorum venerationem susceptа; duxit eum per vias à se destinatas, perduxit tandem usque ad virtutis consummationem. Adimpleverat enim & ipse illud Tobiæ: *Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & consilia tua in ipso permaneant.*

S. Rochus peregrinatur.

Tobiæ 4.

Quamvis igitur illud experientia de nonnullis doceat verum esse: *Qui crebrò peregrinantur, rarò sanctificantur:* scimus tamen peregrinationes ad loca Sanctorum miraculis, vel pignoribus, vel morte & sanguinis effusione consecrata, multis fuisse proficuas, talesque peregrinationes, si ea pietate & intentione susciperentur, quo primitus institutæ fuerunt, omnino esse commendandas, & antiquitus à viris nobilitate, sapientia, sanctitate inclytis fuisse initas. Olim enim & Principes, & Reges, & Episcopi, & viri doctissimi, æque ac sanctissimi, concurrebant è longinquis partibus ad loca Martyrum sanguine sacrata, ut animarentur locorum illorum visitatione, ad sanguinem, si opus foret, pro Christo fundendum, & ut ibidem instruerentur specialius à Deo per intercessionem Sanctorum de his qui salutem suam concernebant, aut Ecclesiæ directionem, aliave gravissima negocia Audi nonnulla exempla.

Exempla peregrinantium.

1. *S. Hubertus* porrexerat devotionis gratia ad limina SS. Apostolorum Petri & Pauli, dum Sergio Pontifici mors S. Lamberti denunciata est per Angelum, delato Pastorali pedo & aliis ornamentis Pontificalibus per eundem Angelum, ut his ibidem inauguraretur & indueretur Hubertus, in Pontificia dignitate Lambertо successurus. En peregrinum felicem.

2. *S. Servatius* ad limina Apostolorum quoque peregrinus abiit, audiens. Hunnos meditari irruptionem in Gallias. Ibi multa se inedia affligens, auxilium divinæ bonitatis per preces Apostolorum efflagitabat, ut hanc gentem incredelam averteret Deus. Accepit autem responsum per Apostolum Petrum, divino jam sancitam esse decreto irruptionem istam, & depopulationem Galliarum per Hunnos. Addidit & S. Apostolus: *Nunc sume consilium, accelera velociter, ordina domum tuam, compone sepulturam, require munda linteamina. Ecce enim migrabis à corpore, nec videbunt oculi tui mala, quæ facturi sunt Hunni in Gallia.* Quare Servatius citò ad Tungros rediens, valedicensque populo suo, & necessaria sepulturæ præparans, Trajecti oculos clausit, extremamque diem obiit: non sine gravi suorum luctu, quia vir erat eximiæ sanctitatis, qui miraculis, prædicatione, virtute, moribus, ad perfectionem Apostolorum proximè accessit. Quem & ea Spiritus gratia dotatum ferunt, ut prædicantem audientes diversæ nationes, unaquæque sua lingua locutum putarent, nihil non intelligentes quod ab ipso prolatum erat. Testis est Matulus lib. 3. cap. 4. Gregorius Turon. lib. 2. histor. Francor. cap. 5. & 6. En tibi rursus Peregrinum felicem.

3. *Carolus Magnus Rex & Imperator* quater Romam ex devotione profectus est, ut testatur Anastasius Bibliothecarius in Adriano. O illustrem ad Sanctorum pignora Peregrinum!

4. *S. Catharina Senensis* similiter Romæ lubens agebat, & stationes urbis obiens, magna id faciebat pietate & reverentia, dicens: *Ego calco sanguinem Martyrum.* O piam considerationem! O beatam peregrinationem.

5. *S. Alexius* ob eximium Christi amorem relicta Sponsa prima nuptiarum nocte, illustrium Orbis terræ Ecclesiarum peregrinationem suscepit. Quibus in itineribus ipnotus per septendecim annos fuit, donec apud Edessam Syriæ per imaginem Beatissimæ Virginis nomen ejus divulgatum fuit; quapropter & inde discessit, ut latenter posset securius Deo suo servire. An non & hic Peregrinus Deo gratissimus?

Simili planè intentione *B. Rochus*, suis divenditis, & in pauperum levamen erogatis, tamquam mendicus & pauper voluit Christo servire, voluit & ejus servis sese addicere, sed ignotus, & ideo abiit peregrinus. At Deus ejus virtutem & gratiam cœlitus collatam noluit esse ignotam, sed per sanitates ægrorum illam prodebat. Atque ideo Rochus, ne vanitatis ventus mentem abriperet, non diu hærebat in locis illis, ubi agnosci cœperat ejus virtus & gratia: sed ulterius transibat, ut securiùs in abscondito obsequium illi redderet, qui abscondita cordis non ignorat, & cui non est *absconditus homo cordis nostri.*

PARS III.

Quomodo Deus S. Rochum pestilentiam probarit.

INterim, ne magnitudo miraculorum & signorum, quæ operabatur Rochus erga ægros, cum extolleret, utque varias, auri instar, probatus & excoctus tribulationibus magis effulgeret, & per patientiam coronam majorem acquireret; voluit Deus aliquoties eum affligi morbo gravissimo pestilentiæ, quem in aliis sanarat. Notum est, quomodo in femore velut sagitta pestilentiæ transfixus, febreque acutissima afflictus, coactus sit sese sub arborem projicere. Jacebat & languebat pauper Christi, destitutus ab hominibus, ibique incognitus, ac omni solatio destitutus. Nec tamen fiduciam unquam deseruit, sed indicibili gaudio & patientia totum se divinæ commisit providentiæ, sciens quod non derelinquat sperantes in se, quia cum ipsis est in tribulatione, potens eos quando voluerit, eripere & glorificare. Dicere ergo poterat cum

Psal. 22. Psalt: *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es: Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Consolabatur se percussus, virga divinæ potentiæ, agnoscens nonnisi paternæ providentiæ esse virgam: quam quidem exosculabatur & adorabat; quia etsi ad tempus percutit, mox potest sanare. Ipse enim erigit elisos, & diligit justos, illisque omnia adversa facit cooperari in bonum. Ipse potens est in prosperitatem tandem convertere asperitatem omnem, tenebras in lucem, mortem in vitam, maledictionem in benedictionem.

Job. 30. Poterat rursum dicere illud: *Ad dextram Orientis calamitates meæ illico surrexerunt.* Nimirum omnia electis contingunt à dextris, etiam calamitates; & cooperantur illis, ut sint de numero eorum qui à dextris Judicis constituentur cum benedictione, evacuata omni maledictione, quæ refundi tur in eos qui erunt à sinistris. Propterea S. Job ventum illum, qui domum prostravit & pueros suos, dixit surrexisse à dextris, similiter & omnem dolorem suum & calamitatem à dextris ortum habere. Audi Gilbertum Abbatem ser. 38. in Cantica, de hac re differentem: *Iob jure ventum illum dextrum vocavit, qui nihil ei valuit sinistrum inferre; quin etiam viro justo corona gloriæ comportavit augmentum, quando virtus probata enituit, & quando provocata excrevit.* Ita ille. Sic igitur nec calamitas, S. Rochi inter sinistra debet computari, quia justis à dextra Deo prodeunt omnia, & ad dextram impellunt: ideo & virtus ejus & patientia maximè in ea effulsit calamitate. Probavit Dominus cor ejus per noctem tribulationis, igne examinavit pestilentiæ & doloris, non est inventa in eo iniquitas & tenebræ, sed mira lux patientiæ. Quam quidem patientiam cum fiducia conjunctam attendens Deus, mox subsidium tulit admirabilis providentiæ. Quod subsidium? Audi.

Jacebat Rochus sub arbore, non solùm afflictus dolore sed & inedia confectus, nemine quicquam ei subministrante, vel solatii, vel alimenti. Sed non jacebat, qui erectum in cœlum animum gerebat: nec Deo incognitus erat, nec ab eo desertus, qui & creaturas irrationales suscitat; ut suis alimentum præbeant, dum desunt homines. Suscitavit igitur canem cujusdam Nobilis in vicino agentis qui quotidie panem è mensa Domini sui deferebat, in subsidium pauperis deserti & ope omni destituti. Mirabile profectò, quod canis animal vorax, portionem sibi destinatam reservat in hominis alimentum: quodque illi charitatem impendat bellua, quam negat rationalis natura. Sed ita fieri decrevit ille, qui dicebat Eliæ: *Præcepi corvis; ut pascant te.* 3. Reg. 17. Quod interpretantes Hebræi, dixerunt corvum certis horis è culina Regis Achab carnem & panem abstulisse, & Eliæ attulisse, ut Propheta regio cibo vesceretur, vel invito Rege. Et nunc Eliæ corvus, bonus ac fidus, eluit culpam inundatione aquarum apud Noë contractam, inquit Sedulius. Videbatur enim ingratum fuisse, dum ad Noë non fuit reversus, sicut columba: nunc expurgat ingratitudinem, dum ad Eliam revertitur ferens alimoniam. Sic & præcepit Dominus cani ut Rochum aleret, voluitque ut illud Psaltis verum esse agnosceremus. *Non vidi justum derelictum.* Quod quidem patuit olim in fonte Agar, in mandibula Samsonis, in dicto corvo Eliæ, in lacu Danielis, in manna Israëlis. Sed multo clarius patescit, & in novo Testamento innumeris exemplis, quæ prioribus non absimilia, illa de die in diem renovare censentur. Notum est de corvo S. Pauli Eremitæ, de tribus panibus S. Mariæ Ægyptiacæ, de S. Clementis fonte, de cerva S. Ægidio quotidie lac suppeditante; & nunc de Rochi cane, ac de infinitis aliis divinæ providentiæ admirabilibus modis.

Psal. 36.

S. Rochus per canem pascitur.

S. Rochus ab Angelo solatium accipit, & sanatur.

Neque verò solùm à cane, sed etiam ab Angelo solatium accepit Rochus in sua infirmitate, ejus ope sanitatem recuperans. Potuit meritò ei Angelus dicere, quod olim Tobiæ: *Quia eras acceptus Deo, tentatio probavit te, & ego obtuli orationem tuam Domino.*

Quia *acceptus eras Deo*, ô Roche, ideo signavit te suæ crucis signaculo jam ab utero: ut agnoscerес te servum crucis, totamq; vitam tuam, crucem quandam fore.

Quia *acceptus eras Deo*, ideo effecit, ut ab infantia tecum crescеret miseratio.

Quia *acceptus eras Deo*, ideo probavit te, suadens, ut abires peregrinus relicto sæculo & paterna domo.

Quia *acceptus eras Deo*, ideo cum Pater tuus & Mater tua dereliquissent te, assumpsit te, & deduxit huc usque.

Quia *acceptus eras Deo*, ideo probavit te dolore & angore, inedia & tabe.

Quia *acceptus eras Deo*, ideo non deseruit te, sed providit de alimento, & nunc providet de sanitate.

Quia *acceptus eras Deo*, ideo in omnibus viis tuis custodit & protegit te. *Et ego obtuli orationem tuam Domino*, quam in mediis languoribus effudisti cum corde tuo. Exaudivit igitur te Dominus. *Surge*, 3. Reg. 19. *sed grandis adhuc tibi restat via*, grandis probatio, grandis tentatio, ut tanto clarius agnoscatur, quam is acceptus Deo, qui vult te probari varia tribulatione, tamquam aurum fornace, tamquam granum flagello, tamquam ferrum lima & percussione.

S. Rochus in patriam redit.

Sanatus ergo fuit Rochus, eique inspiravit Deus per Angelum in patriam ut remearet, ibi multa passurus, ibi coronam perseverantiæ adepturus. Rediit igitur ad natalem urbem Montem pessulanum, ubi Dominio à se relicto potiebatur quidam ex Avunculis. Cum autem ea in provincia omni tumultu plena forent, ab Avunculo tamquam explorator comprehenditur, & carceri retro ignotus mancipatur. Ibi delituit quinque annis, continuò meditans Christi afflictiones, & propter illum omnia forti & lubenti animo sustinens. Poterat sese vel verbo

verbo manifestare, sicut & Alexius delitescens sub gradibus paternæ domus per annos septendecim; sed maluit continuò etiam à suis patiendo coronam sibi fabricare, & per contemptum sæculi ad æterna sibi viam sternere. O fortem Christi militem! O invictum crucis Vexilliferum, qui totam vitam suam crucibus voluit signatam, ut sui foret imitator Ducis! Volens autem Deus tandem probatum militem coronare, & finem certamini & laboribus ejus imponere, rursus in carcere pestilentiæ acerba tabe, quam jam secundò passus fuerat, eum affligi permisit, & usque ad mortem cum illa conflictari. Suscepit igitur & hunc agonem postremum, sibi à Domino decretum, magno animo, magna patientia, resignationeque perfecta; ut & de illius manu approximantem vertici suo coronam susciperet in consummatione virtutis. Cum autem jam ei mors instaret, divino impulsus spiritu & charitatis ardore, rogavit obnixè Dominum, suæ certus prædestinationis & electionis, ut quicunque peste afflicti, ejus subsidium & intercessionem implorarent, piorum votorum suorum non fraudarentur effectu. *S. Rochus agonizat.*

Non inanis fuit ejus oratio. Nam Angelico ministerio tabella ei allata est, & postmodum juxta corpus suum vita functum reperta, quæ hoc promissum continebat: *Peste laborantes ad Rochi patrocinium confugientes pestem truculentam evasuros significo.* Et licet hoc semper infallibiliter non contingat, quia *peccatu nostris opponimus nubem, ne transeat oratio*, & impleta mensura peccatorum Deus quandoque decernit plebem affligere tabe pestilentiæ in melius bonum: Attamen experti sunt frequentissimè populi ejus hac in re subsidium evidentissimè. Illudque manifestum fuit in Concilio Constantiensi anno 1414. ubi ob contagium urbem vicinaque loca depopulans, ejus imago in solemni processione delata fuit: moxque sanguinolentum illud Dei flagellum cessavit. Exinde populi magna pietate & concursu ejus patrocinium imploraruntur, Ecclesiis & Oratoriis. Altaribus & Sodalitiis. Imaginibus quoque in ejus honorem erectis, votisque nuncupatis. non sine fructu pietatis amplissimo. Et hæc tacita putatur fuisse canonizatio, facta communi consensu nationum, clero ubique & populo cultum publicum S. Rocho decernente, Concilio œcumenico Constantiæ congregato, Ecclesiaque Romana tacitè eum approbante.

Sacro autem corporis ejus pignore gloriantur Veneti ad se delato anno 1485. & cum gaudio ac solemnitate magnifica suscepto, & clero & populo, exstructo etiam Templo sub ejus invocatione. Quod quidem de magna parte corporis intelligendum autumo. Nam Arelatenses in Gallia asserunt in Conventu SS. Trinitatis asservari majorem partem. De qua re in quodam Diplomate anno 1617. sic attestatur Gaspar à Laurentiis Archiepisc. Arelatensis: *Singulis agitur annis in hac civitate festum S. Rochi, & fit solemnis processio, deferendo arcam in qua requiescit major pars prædicti S. Rochi, ubi inter sumus cum Clero nostro & Regularibus omnium Conventuum hujusce civitatis: adsunt & Consules cum Magnatibus & populo.* Partem autem ex capite detractam Generalis Ord SS. Trinitatis Duacensi Conventui pro munere sacro tradidit, ubi & magna veneratione colitur. Quam & approbavit Hermannus Ortembergus, Atrebatensis Episcopus, speciali Diplomate, an. 1618. Leodienses quoque in Bernardifago (Monasterium est juxta Leodium) asserunt partem Calvariæ, & Rochi adservari, ibi repositam per Cardinalem glorioſę memorię Etardum à Marka; sitóque illuc celebris peregrinatio à civibus Leodinis. Dicitur autem hoc sacrum munus Cardinalis illuc misisse, quia Monasterium istud truculentissima peste sic perculsum & percussum fuerat, ut nemo vel ex Religiosis, vel ex famulantibus evasisset. Ex eo autem tempore, quo hoc sacratissimum pignus accepit, nulla ulterius ibi pestis serpsit, quod circa an 1516. factum tradunt. *Vi. Raisse Hieron. Gazophilacii pag. 510.*

Concludo, & ex supra dictis duo notatu digna colligo. *Primum* est, ideo voluisse Deum B. Rochum toties pestilente tabe corripi, ut cum constitueret Tutelarem Patronum his, qui similiter affliguntur. Didicit enim ex his, quæ passus est, aliis compati, & in compensam suæ perseverantis patientiæ hanc à Deo specialem gloriam accepit, ut ab aliis invocaretur similia patientibus, eisque auxilio foret. Sic enim solet divina disponere sapientia & providentia, sicque suos remunerare, dicente Apostolo de ipsomet D. Jesu: *in eo, in quo ipse passus est, & tentatus, potens est, & iis, qui tentantur auxiliari.* Sic S. Apollonia pro dolore dentium invocatur, quia ei crudeliter excussi dentes fuere: Sic quoque S. Agatha & Barbara pro dolore Mamillarum, quia in his passæ fuerunt: Sic S. Job in infortuniis & adversis, quia illa fortiter tulit & superavit? Sic denique & alii Sancti pro aliis morbis, quia his quandoque laborarunt, & sanarunt. Eandem ergo ob causam Deus S. Rochum glorificare voluit in terris, sanando ejus precibus morbum epidimiæ, quia hanc humillimè & patientissimè toleraverat. *Nota 1.* *Heb. 2.*

Secundum est, multos Sanctos ex Spiritus instinctu aliquid speciale postulasse in termino vitæ suæ, & impetrasse. Quidam conversionem sese torquentium, ut S. Stephanus, S. Jacobus, S. Paulus, SS. Joannes & Paulus, S. Dorothea, S. Agnes, & alii multi Martyres. Alii aliud singulare. Sic S. Barbara efflagitavit, ut nemo sine Sacramentis decederet, qui eam specialiter coleret. Sic S. Margareta, victis tormentis, otavit, ut eos Deus liberaret, qui doloribus & tormentis oppressi eam invocarent, factoque tertæ motu, Christus in medio Angelorum illi apparens, dixit petitionem suam esse exauditam. Sic denique Rochus orat pro peste afflictis, ut Deus eos exaudiat ad intercessionem suam recurrentes. Quod ipsum rogasse videtur S. Macarius, Gandavi peste obiens, & in corpore suo illam sistens, ac ne ulterius plebem depasceret, impetrans. *Nota 2.*

Cõclusio. RESpice ergo, Domine Deus, vota & preces, quas tibi offert plebs fidelis per interceſſionem S. Rochi fidelis ſervi tui, in ejus honorem hodie congregata. Averte per illius merita manum tuam vindicem, & flagella iræ tuæ. Imple promiſſum ſibi in morte factum, & fœdus inter te & ipſum in gratiam noſtri pactum, ut à mortifera peſte corporis & animæ liberemur, & per varia hujus mundi pericula peregrinantes, dirigantur pedes noſtri in viam æternæ pacis, ubi cum ipſo Te valeamus in ſæcula ſæculorum benedicere & collaudare.

IN FESTO S. BERNARDI.

LECT. SI. tripart. *Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene placuit anima mea, ponam ſuper eum ſpiritum meum.* Matth. 12.

Proferet judicium gentibus. Matth. 12. Iſaiæ. 42.

PARS II. *Quomodo Bernard. à puero fuerit electus.* HÆc verba ab Evangeliſta Matthæo, ex Iſaia deſumpta, abſque dubio de Chriſto Domino verificantur, & in illo adimpleta ſunt. Hic eſt enim *Puer & ſervus Dei*, per excellentiam, tum quia filius Dei naturalis, tum quia miniſter ſpecialis electus, ad implendam admirabilem œconomiam noſtræ redemptionis. Hic eſt dilectus ille filius & ſervus, in quo ſibi complacuit Pater & Dominus; per quem etiam placet, quiſquis ei placet. Hic eſt ille *Iſa. 11.* floridus & Nazarenus, *ſuper quem requievit ſpiritus Domini*, quem & refudit in alios. Hic eſt, qui judicium proferre debebat gentibus, docens non ſolum Judæos, quæ juſta ſunt, ſed & gentes erudiens ad juſtitiam per legem Evangelicam Legislator enim & judex eſt conſtitutus, & ſumma æquitate cuique jus dicet, non clamoroſè, ſed ſincerè, nullius accipiens perſonam. Denique hic eſt de quo ibidem dicitur: *Calamum quaſſatum non confringet, & linum fumigans non extinguet*; quia incredibili manſuetudine erat toleraturus infirmos, ægros curaturus, imbelles confortaturus, cæcos illuminaturus.

Interim, licet ad Chriſtum reſpiciat propheticum illud dictum, tamen etiam verificatur in illis, quos ſuæ participes fecit unctionis & miſſionis, ſpeciali eos proſequens dilectione, eligensque ad cooperandum ſaluti humanæ. Quapropter quam aptè ſingula S. Bernardo conveniant, hic conabimur elucidare.

Primò igitur verba: *Ecce puer meus, quem elegi*, digna ſunt conſideratione & attentione, quia plena ſunt ſuavitatis, plena amoris: quibus inſinuare optamus, jam à puericia à Deo electum dilectumque fuiſſe Bernardum, & ex eo tempore Nardum ejus dediſſe ſuavitatem odoris, quo Filii Regis in accubitu Paterni ſinus quieſcentis benevolentiam & dilectionem attraheret. Equidem Deus ab æterno ſuos elegit & diligit, ſed quandoque hujus electionis & dilectionis ſpecialia dat teſtimonia ab utero vel primæva ætate, ut propterea dixerit Propheta: *Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei. Et poſuit os meum quaſi gladium acutum, in umbra manus ſuæ protexit me, & poſuit me ſicut ſagittam electam; in pharetra ſua abſcondit me. Et dixit mihi. Servus meus es tu, quia in te gloriabor.* An non abſconditus in utero Bernardus, abſconditus ſub protectione Dei, quaſi ſub umbra manus, erat quaſi gladius in vagina, quaſi ſagitta in pharetra, quæ corda inimicorum Regis penetrare debebat & transfigere per compunctionem & amorem? Nonne hic puer jam ſervus Dei erat, per quem debebat glorificari?

Iſa. 49.

Non ſine myſterio mater adhuc eum utero geſtans, vſa eſt ſibi geſtare catulum totum candidum, in dorſo tamen rufum, jam latratus edentem. Quod licet ſtatim non intellexerit, ſed potius territa fuerit; erat tamen præſagium futurorum, prout à viro quodam ſpiritu Dei pleno poſtmodum cognovit. Ille enim cum ab ea anxia hac de re conſuleretur, conſiderans verificari de prædicatoribus illud Prophetæ: *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo*, trepidanti reſpondit: *Ne anxia ſis. Optimi catuli mater eris, qui domus Dei cuſtos futurus, magnus pro ea contra inimicos fidei latratus eſt edituru. Erit enim eximius Præco verbi divini, & tamquam bonus canis gratia linguæ medicinalis animi morbos eſt curaturus.* Hoc reſponſo, quaſi ex ore Dei ſuſce-

Pſal 67.

Hoc interpretatur de prædicatoribus S. Greg. 20. Mor. c. 7.

pto, læta mater jam tunc in amorem necdum nati pueri tota transfunditur, intelligens de ipſo verum eſſe illud Domini: *Ecce puer meus, quem elegi.* Protinus igitur, ut felici eum partu edidit, non modo obtulit Deo, ſicut & alias proles conſueverat offerre; ſed ſicut de Anna matre Samuelis legitur, quod cœlitus impetratum filium ſervituram in perpetuum in tabernaculo Domini deſtinavit; ſic & ipſa eum in Eccleſia Dei acceptabile obtulit munus.

Quia ergo puerum hunc elegerat Dominus, ideo ſuggeſſit piæ matri, ut ſibi eum offerret ſpeciali amore, tamquam precioſum munus: ac deinde accuratè enutriret & inſtrueret ad omnem pietatem, tanquam pignus cœlitus manibus ſuis depoſitum, & à Deo conſignatum ejus ſanctæ ſollicitudini. Poterat ergo Deus dicere de Bernardo, quod olim de Ephraim: *Filius honorabilis mihi puer delicatus, ex quo locutus ſum de eo, adhuc recordabor ejus.* Quid eſt puer honorabilis & delicatus? Hebræa id explicant, dum dicunt: *Ipſe mihi eſt puer deliciarum*, mihi ſcilicet pretio, in honore, in deliciis; nunquam ejus obliviſcar ſed magis ac magis cum donis & gratiis adaugebo jam ab utero.

S. Bernardum natus, à Deo electus.

S. Bernar. puer oblatus Deo.

Ierem. 31.

Hic nempe fuit puer honoris & deliciarum, puer precioſus & agapitus, tum Patri cœlesti, tum matri terrenæ; quæ ſimul cum lacte carnis inſtillare ei ſollicita erat lac pietatis. Atque ideo ſpecialiter

deco

In Append. l. 1. vitæ ejus. de eo refertur: *Numquam fuxit ubera nutricis, sed tantum matris; ut cum lacte pia genitricis pietatem sugeret, non errorem.* Certè ejus quàm à matre puer hauserat instructionis, in ætate matura non immemor fuit; eratque illa ei tamquam frænum retrahens à sæculari voluptate, & tamquam stimulus instigans ad cœlestium cupiditatem. Fateri hoc ipsum solebat, referens quomodo cum de religione ingredienda secum tractaret, fratres ac amici carnales animum suum divertere conati sunt literarum & scientiæ amore, ut sic arctius cum sæculo implicarent, & propositum sanctum everterent. Fluctuabatque & propemodum retardabantur gressus ejus his sæculi funiculis: Sed Matris sanctæ memoria importunè animo ejus instabat, & sæpius videbatur videre occurrentem sibi, & impropetantem: *Non ad hujusmodi vanitatem & nugacitatem te adeo tenerè & sollicitè educavi, non in hac spe erudivi, vide ne fascinatio nugacitatis obscuret bona, & inconstantia concupiscentia transvertat sensum sine malitia.* *Sap. 4.* Hæc erat vox terrenæ Matris, *quæ illi obviabat tamquam Mater honorificata*; sed magis cœlestis Patris, qui non patiebatur illud irritum esse: *Eccl. 15.* *Ecce puer meus quem elegi.* Audivit ergo utriusque vocem, & evicit tarditatem, admovit auribus cordis illud Sapientis: *Audi, fili mi, disciplinam Patris tui, & ne dimittas legem Matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.* *Prov. 1.* Quasi ei diceret vox cœlestis: Esto quasi modo genitus infans, sine dolo lac concupiscens salutis, ne sequaris eos, qui *Deut. 33.* aliud tibi lac propinant, *qui inundationem maris quasi lac sugunt*, hoc est, falsis & amaris hujus sæculi fluctuantis aquis oblectantur. Non tibi istud lac Mater propinavit, sed lac amabile & rationabile, hoc est, præcepta vitæ: hæc namque præcepta jugiter animo inserebat tuo, rigabat lachrymis, fovebat exemplis. Sic hæc perfectè observes, *addetur gratia capiti tuo & torques collo tuo*; erant enim instar coronæ speciosæ in vertice tuo, & instar ornatus aurei circa collum tuum, & per illa doceberis ad incorruptibilem adspirare coronam & gloriæ torquem immarcessibilem.

Certè jam à puero potuit Dominus de eo dicere: *S. Bern. à puero coronagratia rumornatus.* *Complacuit sibi in illo anima mea*: quia corona gratiarum & charitatum à teneris annis adornatus fuit, omnium bonarum dotum contextos flores ejus præferebat indoles & genius. Erat enim doci simplex & quietus, foris rarus, secum habitare amans, mirè charitativus, obediens, humilis, modestus, planè verecundus, planè devotus, nusquam multum loqui visus, candidus & purus. Quantum verò in his tenelli animi dotibus sibi complacuerit Dominus, satis declaravit, dum ei puero apparens se puerum, gloriam nativitatis suæ manifestavit; ut ejus teneræ fidei suggereret incrementum, & divinæ in eo inchoaret mysteria contemplationis. Aderat namque solemnis illa nox Nativitatis, & ad vigilias omnes parabantur pro more. Cumque nocturni officii hora aliquantisper protelaretur, contigit exspectantem Bernardum cum cæteris, paululum soporati. Tunc apparuit ei Puer Jesus, velut denuò *procedens Sponsus de thalamo suo*, de Matris utero Verbum Infans, speciosus forma præ filiis hominum, rapiens pueri sancti minimè puerilis affectus. Persuasum est autem animo ejus, eam fuisse horam Dominicæ Nativitatis; idque solebat suis dicere. Et tanta eum tunc prævenit benedictione Dominus, ut summo affectu ad hoc mysterium Nativitatis Jesu ex Virgine ferretur, de eo suavissimè, copiosissimè, devotissimè differens. Atque ob hanc devotionem voluit postmodum Dominus Bernardum collactaneum suum esse, dum Maria Mater Jesu, ejus sacris labiis ex uberibus suis lac fundere visa est, ipso orante illis verbis: *Monstra te esse Matrem, sumat per te preces, qui pro nobis natus tulit esse tuus.*

Vide sermones ejus de Nativ. & super Missus. ubi hoc ipse fatetur.

Complacuit quoque sibi Dominus in illo, ob castitatis specialem amorem, cordi ejus jam à puericia profundè insertum. Obsidebant juvenis animum sodalium dissimiles mores, & procellosæ amicitiæ, similem sibi facere gestientes; sed ne inficeretur, hos sodales nox declinare sollicitus fuit & à sæculi cænosis viis se avertere. Nec destitit tamen *Coluber in via, Cerastes in semita mordens ungulas equi, ut cadat ascensor retrò*, ipsi insidiari ac calcaneo ejus tentationum variis concursibus laqueos ei tendens; quos tamen feliciter evasit semper. Quadam vice cùm curiosius aspiciendo, defixos in quandam mulierem oculos aliquamdiu tenuisset; continuò ad se reversus, & de semetipso erubescens, in semetipsum ultor severus exarsit. Stagno siquidem aquæ gelidæ collotenus insiliens, tamdiu ibi permansit, donec penè exanguis affectus, gratiâ cooperante, etiam à calore carnalis concupiscentiæ totus refriguit, induens illum castitatis affectum quem induerat qui dicebat: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.*

Complacuit Deo ob castitatis amorem & specialem.

Gen. 49.

Iob. 31.

Alterâ vice cùm iter peragaret, & in hospitio mulier ejus decore capta, nec ad eum accessisset, ejus exardens in concupiscentiam, consilii inops, contenta voce inclamavit: *Latrones, Latrones.* Quo clamore, quia excitata erat tota familia, fugit mulier cum rubore. Cumque à sociis postmodum interrogaretur, cur ita inclamasset? Respondit: *Verè latro aderat, qui thesaurum mihi pretiosissimum deprædari nitebatur.*

Audiverat, & mente altâ retinebat illud Angeli ad S. Anatoliam: *O Virginitas, non reperiris in operibus tenebrarum, sed semper in luce es! O virginitas, vestis ex purpurea & regia; qui te induet, altius cæteris sedebit! O virginitas, tu ex gemma pretiosa, tu es thesaurus Regis! Fures conantur eam eripere, & insidias ei moliuntur, sed tu vigila, & vigilanter eam conserva, sisque certa te eam possidere.*

Adv. in suo Martyrol.

Audiverat & illud S. Ephrem, serm. de castitate: *O castitas, oculorum frænum, quæ in latebris ad incestum*

rotum corpus transfers! O castitas, quæ carnem redigis in servitutem, & cœlestia velocissimè penetras! O castitas, quæ cor possidenti lætificas, & animæ ad cœlestia alas adjungis! O castitas, currus spiritualis, possessorem suum in sublime evehens! O castitas, quæ instar rosæ in medio corporis & animæ flores, totamque domum replesodore! O castitas, mater dilectionis, & Angelicæ vitæ ratio! Hanc ergo adamavit, coluit, fovit toto vitæ decursu.

PARS II. *De multiplici spiritu D i in S. Bernardo. Apoc. ult.*

QUia sibi complacuit in illo Dominus, properavit illum educere de plateis Babyloniæ, de medio vanitatum & iniquitatum hujus sæculi fluctuantis; ut in securiorem portum religiosæ quietis traduceret. Docuit eum ad perfectiora adspirare, & alios secum invitare, ut adimpleret illud: *Qui audit, dicat, Veni.* Propterea dicimus verum esse de illo illud Domini? *Posui super eum spiritum meum.* Quem spiritum?

1. *Spiritus zeli pro aliorum conversione. Psal. 30.*

Primò, spiritum zeli & ardoris, quod non solùm suam, sed & aliorum conversionem ferventissimè procuraret, ad gloriæ divinæ incrementum. Mundi enim vanitatem perfectè calcare ftaruens, investigare cœpit, ubinam certiùs animæ suæ consuleret sub jugo Christi, & ubi securius ageret *in abscondito faciei Domini à conturbatione hominum:* & ftatim occurrit ei Cistercii innovata religionis plantatio, ubi messis multa, sed operarii adhuc pauci. Quia multi terrebantur (ob nimiam religionis paupertatis austeritatem) disciplinæ Monasticæ ibi se subjicere: cùm tamen animum verè Deum quærentem hæc exterrere haud deberet, sed potiùs allicere. Postquam aliquanto tempore cum Deo consuluisset, an astra & castra cœlestis militiæ eum illuc vocarent: tandem quâdam die ad Fratres suos pergens, agentes cum Duce Burgundiæ in obsidione castri Grancejani, in medio itinere reperta Ecclesia, cam ingressus est, multis ultrò citroque cogitationibus agitatus. Ibi ovavit, cum multo imbre lachymarum expandens manus in cœlum, *Psal. 111.* & *effundens sicut aquam cor suum ante Dominum.* Tunc ergo *confirmatum est cor ejus, ut non commoveatur* in resolutione sancta; & exarsit in pacem Christi, reperiendam in Cistercienfi religione novella.

Neque intra se continuit conceptam tunc flammam, *Psal. 82.* sed *sicut ignis qui comburit silvam, & sicut flamma combürens montes*, viciniora quæque corripit: sic spiritus zeli in eo ardentissimus quasi *ignis quem Dominus venit mittere in terram, & vult ut accendatur*) mox conatus est fratres suos, cognatos, sodales, amicos inflammare, & sibi assimilare. *Luc. 12.* Quod quidem ita feliciter effecit, ut quinque suos fratres ad idem secum propositum renunciandi sæculo tandem adduxerit, operante in eis gratiâ Dei, verbo virtutis ejus. Quapropter cùm hi primâ die, quâ eodem spiritu congregati fuere, manè ingrederentur Ecclesiam, Apostolicum illud legebatur capitulum: *Fidelis est Deus, qui cœpit in vobis opus bonum, ipse perficiet usque in diem* JESU *Christi.* *Philip. 1.*

S. Bern. 5. fratres suos lucratur Christo.

Quod quidem pro felici omine acceperunt, non secus quam si de cœlo sonuisset. Sicut & Antonius illud: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, & sequere me.* Sicut & Augustinus illud: *Non in cubilibus & impudicitiis, sed induimini Dominum* JESUM *Christum.* Sicut & Alipius illud: *Infirmum in fide & assumite.* Sicut Franciscus illud: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum.* Item & illud: *Nihil tuleritis in via, &c.* Sicut & Nicolaus Tolentinus illud: *Nolite diligere mundum, &c.* *Matth. 19. Rom. 13. 14. Matt. 16. Luc. 9. 1. Ioan. 2.*

Exultans ergo in spiritu, effectus Dux & Pater spiritualis Fratrum suorum, spiritum zeli & ardoris, quem posuerat super ipsum Dominus, non permisit incinerari, aut hic sistere; sed manum Domini intelligens secum operantem, cœpit ulterius progredi, & alios aggregare ignito eloquio Domini: ita ut cum illis cum quibus agere solebat de sæculi rebus, jam nonnisi de seria conversione tractaret, repræsentans eis gaudia mundi fugitura, celerem mortem, æternitatem pœnæ & gloriæ. Crescente ergo numero, *& Spiritu sancto dante voci ejus vocem virtutis, fiebat multitudinis cor unum, & anima una*, & habitabant unanimiter in eadem domo, *& nemo aliorum se audebat eis conjungere*, aut domum illam ingredi, qui non esset de cœtu. Quod si quis ingrederetur, videns & audiens quæ gerebantur, vel adhærebat eis, vel recedens flebat semetipsum, illos autem beatificabat. Ipsi autem fere mensibus sex post primum propositum in habitu sæculari steterunt, quoad plures congregarentur, & quorundam negotia per id temporis expedirentur. *Actor. 4. Actor. 5.*

Tandem annos natus viginti tres, cum triginta sociis Christi jugo se subdidit in Cœnobio Cistercienfi. Et exinde domus illâ benedictione Dei repleta est, & quasi vinea Domini Sabaoth dedit fructum suum, *extendens palmites suos usque ad mare*, & propagines suas ultra mare. Nempe spiritus ille zeli & ardoris, de quo Dominus; *Posui super eum spiritum meum*, semper incrementum accepit, toto orbe flammas & scintillas suas exserere, non sine maximo fructu. Quis enim enumeret animas quas flammis suis succendit, & ad perfectum Dei amorem adduxit, atque à sæculo ad religionem illexit? Quis recenseat eos qui in centum sexaginta Monasteriis recens ædificatis, exemplis, scriptis inflammati sunt ad perfectionem, & spiritum Dei conceperunt? Quod si de solis ejus filiis in Claravalle loqui oportet; cum jam vitæ cursum consummaret, & ad montem claritatis ascenderet, reliquit in ea inhabitantes & Domino servientes septingentas septuaginta animas. Sic quæ prius sterilis & vacua erat, cœpit *multiplicata gente magnificare lætitiam*, & impletum est in ea illud Prophetæ: *Adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis tuæ: Angustus est locus, fac locum ut habitemus. Et dices in corde tuo: Quis genuit mihi istos? Ego sterilis, & non parturiens, & istos quis enutrivit?* Etenim de loco illo angusto, citra & ultra alpes ac maria filii

S. Bernar. cum 10. socium religionem intrat. Psal. 79. Isa. 9. Isa. 49.

educti

ducti sunt condentes ad inhabitandum & Deo serviendum novas colonias, spiritum Patris sui Bernardi sectantes, & zelum in conversione aliorum.

2. *Spiritus prophetiæ.* *Secundò*, posuit Dominus super eum spiritum prophetiæ, quo & occulta prospiceret, & futura prædiceret in aliarum salutem, non sine admiratione audientium. Hic spiritus prophetiæ notissimus

1. fuit in eo, jam ab initio conversionis ejus. Cùm enim fratrem suum Gerardum in suam pertrahere conaretur sententiam & sequelam, illeque obstinato animo consilium salubre ac fratris monita repelleret, dixit ei liberâ voce Bernardus: *Scio, scio, quia sola vexatio dabit tibi intellectum.* Digitumque lateri apponens ait: *Veniet dies, & citò veniet, cum lancea latori huic infixa faciet iter pervium ad cor tuum consilio salutis quod aspernaris.* Dictum, factum. Paucis enim interpositis diebus ab hostibus vulneratus est, lanceaque lateri infixa trahebatur ad custo-

Vide l. 3. l. 1. vitæ Bernard. diam, ubi mortis metu inclamabat: *Monachus sum, Monachus sum Cisterciensis.* Hoc verò non ei ad mortem, sed ad vitam factum est: convaluit enim præter spem, & votum non mutavit; sed miraculo

2. quodam è carcere eductus est. Rursus, cùm alter ejus Frater primogenitus Guido, conjugio alligatus conversioni consentiret, si conjux annueret; illa verò omnimodis renueret, dixit ex spiritu Prophetiæ Bernardus: *Aut consentiet, aut celeriter morietur.* Flagellatur ergo postmodum mulier infirmitate gravi: vidensque grave sibi esse contra stimulum calcitrare, accersito Bernardo veniam deprecatur, & assensum præbens conversioni, interveniente parili voto castitatis separata à viro, in cœtum sanctimonialium transcripta est.

3. Notissimus quoque fuit spiritus prophetiæ erga Henricum fratrem Regis Franciæ venientem ad Claravallem pro expeditione cujusdam negotii. Cùm enim ille discessurus, jam peracto negotio, visitaret Conventum Fratrum, & se eorum precibus commendaret, dixit vir Dei: *Confido in Domino haud de morituro in eo statu in quo es; sed citò experieris quantum tibi prosit oratio quam experisti.* Quod quidem eodem die contigit, nam non sine admiratione periit admitti in hunc cœtum Religiosum. Cunctis autem exultantibus, fremebat quidam de ejus comitatu Andreas Parisiensis, & convicia jactat in Henricum, vocans insanum. E contra Henricus orabat virum Dei, ut daret operam ejus conversioni. Respondet Bernardus cunctis audientibus: *Dimitte hominem modò, anima ejus in amaritudine est, sed non sis sollicitus, tuus est.* Audiebat hæc Andreas, & abhorrens à conversione, murmurabat & dicebat intra se: *Scio nunc te falsum Prophetam, hoc enim non fiet; improperabo tibi in conspectu Principum hanc falsitatem.* Sed mirabilis Deus in consiliis super filios hominum, quando & quomodo vult adimplet suum propositum. Alterà die ibat Andreas mala omnia imprecans Monasterio, optans funditus dirui & perire illud cum habitatoribus suis. At nocte proximâ victus, & quasi vinctus, trahente se spiritu Dei, diem expectare non potuit, sed ante lucem accurrit ad Monasterium, de Saulo Paulus effectus.

Notissimus denique in eo fuit spiritus Prophetiæ erga quemdam honorabilem Canonicum Moguntinum, quem Archiepiscopus obviam miserat viro sancto venienti Moguntiam. Ille Bernardo approximans, dixit se à Domino suo missum ad serviendum ei; obsequiumque omne obtulit. At vir Dei eum paulisper intuitus, ait: *Alius te Dominus misit ad sibi serviendum.* Miratus est ille, quid diceret vellet, dixitque rursus se ab Archiepiscopo destinatum. E contra servus Christi: *Fallere. Major est Dominus qui misit te Christus.* Tunc intelligens quò sermo tenderet: *Putasne*, inquit, *me Monachum fieri vellet Ne quidem cogitatio ea de re mihi unquam incidit.* At illo renuente, asserebat S. Bernardus id ita à Deo esse dispositum. In eo igitur itinere valedicit sæculo, & cum multis aliis litteratis & honoratis secutus est Bernardum. O virum perspicacem! lumine Dei plenum! pervidentem corda hominum investigabilia! ò scrutatorem animorum!

4.

Audi aliud quod accidit M. Stephano Vitrejo. Cùm Caralaunum veniisset vir Dei, & sagenam prædicationis expandens, copiosam multitudinem nobilium & litteratorum ad se traxisset: hic Stephanus eorum Magister famosus paulò post venit Claravallem. Nunciat id Portarius Bernardo (qui tunc novellas plantas eloquiis irrigabat cœlestibus) dicitque tantum Magistrum advenisse ut sæculo renunciet cum suis discipulis. Tunc vir Dei audientibus omnibus in vocem erupit: *Malignum spiritus eum adduxit Solus venit, solus regredietur.* Ne tamen pusillis scandalo foret, suscepit hominem ad novitiatum studioseque commonuit de perseverantia. At post sex menses defecit, & sicut solus venerat, solus recessit. Agnoverat insidias satanæ S. Bernardus eum scil. venisse, ut discipulos seduceret & secum reduceret. At illi de ejus ruina potius confirmati sunt, frustratusque est hostis: nec de omnibus quæ prædixerat vir sanctus quicquam cecidit in terram.

5.

Tertiò, posuit Dominus super eum spiritum mansuetudinis. Propterea de eo verum est: *Calamum quassatum non confringet, & linum fumigans non extinguet.* Initio quidem ita cum zelo austeritatem erat amplexus, ut penè omnes à se absterreret; eumque suos alloqueretur, ita sublimia proponebat, ita perfecta exigebat, ut durus eis esset sermo. Quando singuli culpas suas apud eum, tamquam Patrem, accusabant super diversis illusionibus cogitationum quas homines patiuntur, ipse Angelicam vitam ducens, similemque ab eis requirens, fragilitatem humanam non considerans, æstimabat in viros verè religiosos cogitationes similes haud posse incidere. Tandem videns eorum humilitatem, cœpit ei suspectus esse zelus hic nimium austerus erga fratres: didicitque, spiritu lenitatis in eum superve-

3. *Spiritus mansuetudinis.*

nisse.

mente, inter homines quasi homo conversari, & humanas infirmitates aliorum tolerare: nec calamum quassatum confringere, aut linum fumigans extinguere contingeret, infirmos ad desperationem perfectionis nimiâ austeritate adigendo. Linum enim fumigans extinguere, est peccatores propter fumum fœtoris despicere, & ad reconciliationem divinæ miserationis per benignitatem non revocare. Non extinguere verò est, ne desperent ad fiduciam salutis eos cum lenitatis spiritu allicere. Calamum quassatum conterere, est anxias & propter instabilitatem afflictas mentes ad constantiam & spem vitæ promissionibus non erigere, sed severitate nimiâ premere, & quadam desperatione confringere.

Instar *Calami conquassati & lini fumigantis* videbatur Godefridus de Perona, vir nobilissimus, quem vir Dei de partibus Flandriæ ad servitutem Dei traxerat. Hic cum eum sequeretur ad Monasterium, in gravissimam tentationem incidit; ita ut retro aspicere pene tesolveret. Intuitus enim unus ex fratribus ei perfamiliaris: *Quid est*, inquit, *quod facies tua tota tristitia nubilo est obvoluta?* Cui ille: *Eheu, nunquam latus ero.* Quod cum ille S. Bernardo, tanquam communi Patri retulisset, anxius de consodali, divertit in viâ Bernardus ad quoddam templum, & oravit ferventissimè. Cæteris foris præstolantibus, Godefridus tædio obrutus, super lapidem obdormivit. Demum cum ambo surrexissent, ille de oratione, iste de somno, apparuit Godefridus tanto hilarior cæteris, quanto priùs tristior. Cumque ei frater prædictus diceret: *Quid est hoc Godefride. Tu enim nunquam te latum fore asserebas?* Cui ille: *Si dixi; Nunquam latus ero, dico jam: Nunquam amplius tristus ero.* Nempe oratione viri sancti, quasi flamma ignis, linum fumigans reaccensum est; & arundineus calamus, mollis, instabilis, & quasi confractus, firmus ita & stabilis redditus est, ut nulla valeret ratione conquassari.

Fuit Godefridus postea Prior Claravallis.

Linum fumigans, Calamusque conquassatus erat Robertus, ei secundùm carnem propinquus, secundùm spiritum filius & Monachus. Quorundam suasu deceptus, ad laxiorem vitæ modum dicesserat Cluniacum. Dolebat, & ad tempus dissimulabat S. Bernardus, spiritu lenitatis ductus. Quo eodem spiritu tandem per epistolam statuit eum revocare: & quia severitatem nimiam Bernardi discessus sui causam prætexebat ille, inter cætera sic scribit: *Non causas discessionis, sed moras causor regressionis. Veni, & pax erit. Si culpa mea fuit, quod discessisti; ignosco, agnosco. Nec ulteriùs tibi formidandum est quod præsenti futurus sim formidolosus, cui absenti toto jam sum corpore prostratus, totis astrictus visceribus. Humilitatem exhibeo, charitatem promitto. Securus accede, talibus præventus obsidibus. Fugisti sævum, revertere ad mansuetum. Revocet te mea lenitas, cujus severitas effugavit. Cupio te duci non spiritu servitutis iterum in timore, sed spiritu adoptionis filiorum, in quo rursus clamare, & tu non confundaris. Abba Pater, ideo & blandimentis & precibus, non terroribus apud te ago, aut minis.* Hæc Epistola dictabatur à S. Bernardo sub dio, scribente Willelmo Rievallis, postea Abbatis; inopinatusque erupit subitò imber, ita ut scribens reponere voluerit chartam. Cui Bernardus: *Opus Dei est, scribere ne timeas.* Scripsit ergo in medio imbre, sine imbre. Cumque undique plueret, chartam expositam virtus operuit charitatis, quæ & epistolam dictabat. Ob hoc miraculum prima inter Epistolas Bernardi est posita.

Vide epist.

Denique, *Linum fumigans, & calamus conquassatus* erat Canonicus ille Regularis, qui Claramvallem veniens importunè agebat ut reciperetur à S. Bernardo in Monachum. Ipse autem Bernardus, videns non hanc esse illius vocationem, suadebat ut revertereretur ad suam Ecclesiam. Ille totus fumigans, tandem ait Viro sancto: *Ut quid in libris tuis tantoperè commendas perfectionem, si eam desideranti renuis opitulari? Si libros illos tenerem, discerperem.* Cui vir mansuetus: *Putore in nullo illorum legisse, in claustro tuo non posse te esse perfectum. Morum correctionem, non locorum mutationem in libris omnibus commendavi.* Tum verò homo, velut insanus, impetum faciens, maxillam ejus ita graviter percussit, ut succederet rubor ictui, tumor rubori. Qui aderant, in sacrilegium erant jam involaturi, sed vir mansuetus nihil turbatus, jussit ut nemo eum tangeret, nemo noceret, nemo ei molestus esset; sed educeretur benignè. Quod factum est, misero illo miserabiliter tremente. Sic verificari de S. Bernardo videmus illud textus nostri: *Non clamabit, nec audietur vox ejus foris. Non erit tristis, neque turbulentus.* Infirmitates & injurias, sive verborum, sive verberum, pacificè tolerare noverat. Et quidem in libertate spiritus eminebat, sed ita tamen cum humilitate & mansuetudine, ut quodammodo videretur & vereri neminem, & omnem hominem revereri. Increpatione rarius utebatur, monitis & obsecrationibus potiùs agens. Si verbum quandoque amarum proferret, non id ex amaritudine cordis, sed ex veritate & libertate profluebat charitatis. Isa. 42.

Hac de re sic loquitur serm. 42 in Cant. *Utinam neminem objurgare necesse sit, id enim melius. Sed quoniam in multis offendimus omnes, mihi tacere non licet, cui ex officio incumbit peccantes arguere; magis autem urget charitas. Quod si arguero, & fecero quod meum est, illa autem increpatio minimè quod suum est faciat; sed revertatur ad me vacua, quasi jaculum feriens & resiliens: quid me animi tunc habere putatu? Nonne angor & torqueor? Coactor tunc è duobus, & quid eligam nescio, placere ne mihi in eo quod locutus sum, quoniam feci quod debui: an pœnitentiam agere super verbo meo, quia quod volui non recepi,* hæc S. Bernardus. Qui & paulò post sinceritatem charitatis suæ ostendens, subjungit eadem de re, & dicit: *Dices fortè mihi, quod bonum meum ad me reverta-*

vertatur, quia liberavi animam meam, & mundus sum à sanguine hominis, cui annunciavi ut avertetur à via sua mala. Sed hoc non me solatur mortem filii intuentem. Qua enim mater etiamsi sciat se omnem curam filio ægro adhibuisse, & se videat frustratam; illo nihilominus moriente, temperet à fletu? Hæc ipse.

Denique dicere solebat: *In aliorum correptione, ubi resonat utrimque modestia, dulce esse colloquium; ubi verò ex altera parte, utile; ubi ex neutra perniciosum. Ubi enim hinc inde duritia sonat, furgium est, non correctio: nec disciplina, sed rixa ut deceat tunc magis dissimulare, & commotione sedatâ utilius castigare subditum.*

PARS III. *S. Bern. judicium & veritatem gentibus protulisse.* 1.

VIdendum nunc restat, quomodo de S. Bernardo verum sit quod in textu nostro sequitur: *Proferet judicium gentibus.* Certè, si diligenter ejus gesta revolvimus, inveniemus quomodo à multis gentibus sive nationibus, electus fuerit Judex & Arbiter in gravissimis causis salutem Reipublicæ & Ecclesiæ concernentibus. Notum est Schisma defuncto Honorio Papa suscitatum à Petro Leonis, qui se nominari fecit Anacletum, per vim & fraudem adspirans ad supremi Pontificatus verticem, & persequens Innocentium legitimè electum. Coactus est dictus Innocentius sese Roma proripere, ac venire Pisas, deinde & in Galliam secedere. Convocata tunc fuit Ecclesiæ Gallicanæ Synodus universalis ad Stampas, urgente Rege, & Episcopis ac Prælatis; ut maturo consilio providerent, ne in Ecclesia sibi fabricarent idolum, aut in cathedra Petri venerarentur monstrum. Ibi & accersitus est specialissimè Abbas Bernardus, cujus sanctitas & sapientia in rebus arduis & obscuris miram lucem afferre solebat. Convenientibus illinc Rege & Principibus, cum Episcopis Gallicanis, omnium consilium fuit, & una sententia, ut negotium Dei famulo imponeretur, & ex ore ejus tota causa penderet. Examinata igitur in pondere sanctuarii electione Romæ facta, & electionis ordine, electorumque meritis; unus omnium ore locutus est, & suscipiendum ab omnibus Innocentium pronunciavit. Cujus sententiæ mox cuncti acclamaverunt, & subscripserunt, obedientiam ei promittentes. An non tibi in Bernardo hic adimpletum videtur illud: *Proferet judicium gentibus?* Et rursus illud: *Eduxit in veritate judicium?* Arbiter ipse & Judex constitutus fuit in causa omnes gentes concernente, quia spiritus veritatis loquebatur in eo. Meritò ergo judicium ejus secutæ sunt nationes, non solum Gallicanæ, sed etiam Germanicæ & Anglicæ. Nam & Regem Angliæ Carnotum usque adduxit, & animi pendulum pro Pontificia electione, induxit tandem ad occurrendum Innocentio in Carnoto, & ad obedientiam ei promittendum; in suam recipiens conscientiam, si quid hic peccati pertimesceret. Innocentium quoq; Leodium postmodum deduxit, ubi ei Rom. Imperator honorem exhibuit.

Vitis fiorigera.

An non & ipse interfuit Concilio quod Pontifex ipse celebravit Rhemis, atque etiam illi quod celebravit postmodum Pisis? An non rebus & negotiis publicis, quæ ibi tractabantur, continuò assedit cum Cardinalibus? An non per omnia & consiliis & definitionibus & judiciis affuit, ita ut non tam videretur esse in parte sollicitudinis, quàm in plenitudine potestatis? Ergo de ipso meritò dicimus: *Judicium proferet gentibus educet in veritate judicium.* 2.

An non ad Mediolanenses missus est, tanquam Reconciliator & Judex, ut sedaret schisma ibi excitatum per Anselmum Petri Leonis partes tuentem? Audiens verò Mediolanensis populus Abbatem sanctum suis propinquare finibus, obviat ei agminatim septem ab urbe milliaribus, & proprios deserens lares, summâ eum excipit reverentiâ, osculans pedes, lacinias detrahens vesti, vel eam certatim tangens, ut sanctificationem aliquam attactu viri quisque concipiat. Et quæ non ibi lætabundæ acclamationes ob adventum servi Dei? Tandem eum solemni reddidit hospitio Senatus & populus devotus. Cumque tractatum esset de publico, ad quod missus erat negotio cum Albanensi & Carnotensi Episcopo, ita omni feritate depositâ judicio Abbatis, & obedientiæ Innocentii se substravit potentissima & populosissima civitas, ut rursus jure de eo dicamus: *Proferet judicium gentibus; educet è veritate judicium.* 3.

An non ad Rogerium Siciliæ Regem destinatur? Ibi Petrum Pisanum, Jurisconsultū celeberrimum, & Oratorem facundissimum, aliosque consultissimos viros & Oratores in suam traxit sententiam, pugnantes antea pro Leone Ecclesiam devastante. Petrus Pisanus coram Rege canonicam esse Petri Leonis electionem asserebat, multis adductis canonum assertionibus magna cum facundia. At Vir Dei non in sermone, sed in virtute Regnum Dei esse sciens, sic eum affatur: *Scio Petre, virum te esse literatum & sapientem: sed utinam te patronum causa justior & pars sanior obtineret. Legionibus magis quam pragmaticis ad vocationibus me assuetum causa fidei & charitas urget eloqui, quia tunicam Domini: quam tempore passionis, nec ethnicus præsumpsit scindere nec Judæus, Petrus Leonis lacerat & disrumpit. Una est fides, unus Dominus, unum Baptisma. Nos nec duos Dominos, nec geminam fidem, nec duo baptismata novimus. Una arca tempore diluvii fuit. In hac octo anima, ceteris pereuntibus, evaserunt; quotquot extra fuerunt perierunt. Hanc typum Ecclesiæ tenere nemo ambigit. Arca alia nuper fabricata est: & cùm sint duæ, alteram necesse est esse adulteram; & in profundum mergi. Arca quam regit Petrus si ex Deo est, necesse est ut arca quam regit Innocentius, obruatur. Peribit ergo Orientalis Ecclesia, peribit Occidens totus, peribit Francia, peribit Germania: Iberi & Angli, & Barbara regna in profundum mergentur. Religio Camaldulensis. Carthusiensis, Cluniacensis, Cistercensis, Præmonstratensis, & alia innumerabilia servorum Dei Collegia, necesse est ut sub uno turbine corruunt in* 4.

abyssum. Episcopos, Abbates, & alios Ecclesiæ Principes, collo præcipiti mola asinaria alligata, pelagus vorax excipiet. Solus ex Principibus mundi arcam Petri intravit iste Rogerus, & cæteris omnibus eneatis, ipse salvabitur? Absit ut totius mundi Religio pereat, & ambitio Petri, cujus vita qualis extiterit palam est, regnum cœlorum obtineat. Ad hæc verba qui præsentes erant non ultra se potuerunt continere, sed Petri abominati sunt & vitam, & causam. Abbas autem tenens manum Petri Pisani, elevavit eum, & simul surgens dixit: *Tutiorem si mihi credis, intrabimus arcam.* Et salutaribus eum aggrediens monitis, persuasit ut rediens Romam Innocentio reconciliaretur. Ergò & hic protulit judicium gentibus Siculis; ut ad veritatem reduceret eos.

5. Præterea notissimum est quanto zelo Bernardus judicium protulerit & veritatem Aquitaniæ Principi Guilielmo, quem admirabili conversione orbi conspicuum reddidit. Historiam vide in nostro Rationali Evangelizantium Dom. 4. post Pascha in fine.

6. Dicamus ulterius; protulisse quoque servum Dei Bernardum judicium gentibus, dum contra fidei hostes, contra errores & hæreses veritatis decreta in lucem eduxit, ac de illis hostibus trophæum erexit, per Ecclesiæ apertam sententiam eos condemnantem. Fuit ejus tempore Petrus Abailardus Magnus celeberrimus in Theologia, sed de fide perfidè dogmatizans, quem in Synodo Senonensi convicit & confudit, ita ut magnus ille disputator, qui suo præsidebat ingenio & doctrinæ, non valuerit resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur in Bernardo. Tandemque Apostolica dignitas scripta ejus incendio, scriptorem silentio condemnavit.

7. Fuit & alter Gillebertus Porretanus, Pictavorum Episcopus, in sacris litteris exercitatus, sed sublimiora se ad insipientiam sibi servatus. Quia de S. Trinitatis unitate, & divinitatis simplicitate, non sentiebat rectè, nec scribebat fideliter; sed discipulis suis panes proponebat absconditos, aquas furtivas propinabat. Hic in Concilio Rhemensi à Bernardo proferente & explicante veritatem fidei convictus est, & resipuit.

8. Sic & in partibus Tholosanis judicium protulit veritatis, contra quendam Henricum Monachum Apostatam, qui divinis detrahebat Sacramentis & Ministris, instar hæreticorum hujus temporis. Doctrinam fidei tunc Bernardus miraculis confirmavit. Rectè ergò de ipso canimus: *Os justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium.* Psal. 36.

9. Dicamus denique, hâc etiam ratione posse dici de S. Bernardo: *Proferet judicium gentibus*; quia multis nationibus ex sua religione providit Episcopos qui Judices sunt Orbis, & divinum gentibus judicium innotescere faciunt. In primis Roma ex ejus Monasterio ornatur supremo Pontifice Eugenio, Prænestæ habuit Stephanum Episcopum, Ostia Hugonem, Tuscia Baldumum. Rursusque Roma habuit Henricum & alterum Bernardum Cardinales. Citra Alpes Lausennæ datus est Amedeus, Seduno Garrinus, Lingonis Godefridus. Antisiodoro Alanus, Nannetis Bernardus, Belnaco Henricus, Tornaco Giraldus, Eboraco Henricus. In Hibernia duo Episcopi nomine *Christiani* fuere. Atque omnes hi Episcopi, luminaria sunt de Claravalle assumpta, Ecclesiamque illustrarunt vitæ & doctrinæ luce. Hanc autem lucem Bernardo debent Instructori suo, quia ab illo pietatem hauserant, & salutis scientiam. Alii denique plurimi in varias orbis partes missi sunt, ut pœnitentiam & judicium nuntiarent fidelibus; magnumque fructum fecêre exemplo pietatis & austeritatis suæ: ita ut undique eis constructa fuerint cœnobia, sanctitatis domicilia, in quibus & verbo & exemplo aliis proficerent.

Concludamus, & aliquid de fine Bernardi dicamus. Mirabile sane fuit hominem continuò infirmum, & velut semineccm, tot labores potuisse pro Ecclesia suscipere, tot itinera aggredi, tot scripta edere, tot heroica gesta patrare. Sed omnia poterat in eo qui eum confortabat, qui & tandem complevit labores illius, & coronavit ætatis anno trigesimo tertio. Tunc verò ei dictum fuit à Domino: *Ecce puer meus quem elegi, suscipiam eum, complacuit sibi in illo anima mea.* Qualis fuerit finis S. Bernardi.

Ostensum id fuit cuidam Abbati, et animo & affectu devoto. Paucis enim diebus ante felicem sancti Patris discessum, videbat eum pretiosissimis ornatum Sacerdotalibus ornamentis, & cum excellenti gloria & solennitate ad altare deduci. Adcujus introitum Ecclesia magna magnis personabat vocibus cum exultatione: *Puer natus est nobis.* Verè puer, quia mitis & humilis corde, verè puer à puritate & candore, verè puer & parvulus effectus, ut regnum introiret cœlorum, verè puer de quo Dominus: *Ecce puer meus, suscipiam eum.* Jam nascebatur Ecclesiæ triumphanti, dum hic moriebatur: hic consummabatur, ut ibi incipere posset. Ideo ibi exultatio in die natalis sui, dum exoriebatur æternitati, tot filios ad eandem adducturus sobolem sanctam, generationem timentium Dominum. Quia de illo verum est: *Minimus erit in mille, & parvulus in gentem robustissimam, ego Dominus in tempore ejus subitò faciam istud.* Unus enim humilis & parvulus Bernardus, nonne *crevit in mille millia, ita ut semen ejus possideat portas inimicorum suorum*, tandemque in gloriam trophæa referens ingrediatur cum fausiis Ecclesiæ Triumphantis acclamationibus? *Isti sunt semen cui benedixit Dominus.* Isa. 60. Gen. 24. Isa. 65.

Ostensum id quod fuit Wilhelmo de Monte Pessulano, Monacho Monasterii Grandisylvæ. Fuerat vir iste magnificus in sæculo, visitavitque virum sanctum in extremæ ægritudine, lachrymansque quod eum amplius non esset visurus. Cui tunc Vir

Dei

Dei: *Ne timeas, adhuc me sine dubio videbis.* Hujus promissi effectum devotè cùm expectaret, apparuit ei ipsa nocte quâ decessit, & dixit: *Wilhelme.* Et ille: *Ecce ego Domine. Veni*, inquit, *mecum.* Ibant ergò pariter usque ad montem altissimum. Interrogat Sanctus, an sciret quò venisset. Ille dicit se nescire. Cui Bernardus: *Ad radices montis Libani venimus. Manebis hic, ego ascendam.* Interrogatur qua de causa velit ascendere? *Discere volo*, inquit. Miratus ille, ait: *Quid vis discere Pater, quem nulli hodie in scientia scimus esse secundum?* Tunc ipse: *Nulla hic scientia, nulla vera cognitio, sursum scientia plenitudo, sursum notitia veritatis.* In hoc verbo montem conscendit, & ille expergefactus est, protinusque occurrit illi vox illa, *Beati qui in Domino moriuntur.* Cumque visionem indicasset Abbati & Fratribus, eâdem horâ obiisse Bernardum postea agnitum fuit.

Cōclusio. CLamare poterat tunc filiorum unusquisque *Pater mi, Pater mi, currus Israël & auriga ejus.* Tu fluctuantium portus, clypeus oppressorum, cœco oculus, pes claudo. Tu perfectionis exemplar, virtutis forma, speculum sanctitatis. Tu gloria Israël, lætitia Jerusalem, unicum temporis tui decus, honor & deliciæ sæculi, oliva fructifera, vitis abundans, palma florida, cedrus multiplicata, platanus exaltata. Vas electionis & honoris in domo Dei. Vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso, solidum in fide & sanctitate, ornatum gemmis omnium virtutum & gratiarum. Tu Ecclesiæ fortissima splendidissimaque columna. Tu vehemens Tuba Dei. Tu dulcissimum Organum. Spiritus sancti pios obfectans, desides excitans, debiles portans: cujus medicinalis, manus & lingua morbos curabat, illa corporum, ista morum; cujus vita fructuosa, cujus mors pretiosa.

O Pater sancte, qui ascensiones in corde disposuisti in valle lachrymarum, quàm feliciter ascendis de Claravalle in Montem Libani, *Montem candidationis*, plenitudinem lucis, celsitudinem claritatis. Ascendis mundo corde & manibus, in Montem Domini, ad divitias salutis, ad thesauros veræ sapientiæ, ubi purè puram videas veritatem, ubi unus tibi cum omnibus Sanctis Magister sit Christus, ubi omnes docibiles Dei. Trahe nos post te, & miseriæ nostræ vallem misericorditer respice. Subvenī laborantibus, adesto periclitantibus, manum da ascendentibus, ut tecum Dei laudes decantare valeamus; in æternis montibus.

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI.

LECT. 13. bipart. *Cùm dies factus fuisset, vocavit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis.* Luc. 6.

PARS I. *De electione Apostolorum.* DIgna sunt consideratione quæ peracta leguntur à Domino in Apostolorum suorum electione, prout recitat Evangelium hodiernum. Non enim mysterio carent, si examinentur.

Inprimis electurus Apostolos, Evangelii sui Testes & Præcones, Ecclesiæ futuros Rectores, fidei & Religionis Parentes, Orbis Legislatores, Veritatis Doctores: *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Celsa erat dignitas Apostolica de qua agebatur, sublime munus, sublimes requirens perfectiones; oportunè ergo locus excelsus à Domino deligitur ad id designandum. *Ascende in montem tu qui Evangelizas Sion*, id est, ascende in verticem doctrinæ & vitæ, in verticem veritatis & pietatis; si tuo cupis muneri satisfacere, terrena despice, scande ad cœlestia. Hoc scilicet vult insinuare Dominus, dum eligit suos in monte. *Cur in mōtem ierit Christus & pernoctarit in oratione.* *Isa.* 40.

Ulteriùs, sciebat etiam opus Patris sui esse operarios in messem mittere. Quocirca dixerat: *Messis quidem multa, operarii autem pauci: rogate Dominum messis ut mittat operarios in messem suam.* Præcipuos ergò messis hujus Operarios delecturus; Patrem rogat, ut electionem benedicat & dirigat, à qua Ecclesiæ tota dependebat felicitas. Nec leviter aut perfunctoriè hac de re agit cum Patre, fœderat pernoctans in oratione Dei, ait Evangelista. Totam impendit noctem in oratione Dei, sive in oratione ardentissima, celsissima, divinissima: quia agebatur de negotio quo tota nox sæculi cum tenebris ignorantiæ, erroris, idololatriæ, expugnanda erat, & eliminanda cum Satana Principe suo. Principe tenebrarum adveniente luce veritatis & gratiæ cœlestis. Agebatur de seligendis & mittendis Primogenitis filiis lucis, qui, discussâ caligine, orbem totum erant illustraturi: *Vos estis lux mundi.* Totâ igitur nocte in monte orat Christus, ut nocti amplius non sit locus, sed illud in hac electione à Patre impleatur: *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* *Matth.* 9. *Matt.* 5. *Psal.* 75.

Equidem Christus Dominus, qui est, *Lumen de Lumine, Candor Lucis æternæ, Sapientia Patris*, non egebat aliâ directione aut luce in hac electione, nec egebat oratione, sed declarare nobis voluit quàm fuerit sibi cordi nostra salus, prò qua tam sæpe & tam prolixè Patrem est deprecatus, jaciens primordia nascentis Ecclesiæ, in qua salutem debebamus assequi. *Orat Dominus, non ut pro se obsecret, sed ut pro me impetret. Nam etsi omnia possuit Pater in potestate filii: filius tamen ut formam hominis impleret, obsecrandum Patrem putat esse pro nobis, quia Advocatus est noster*, inquit S. Ambrosius lib. 5 in Luc. Quid ergo pro salute nostra oportet nos facere, quando Christus pro nobis in oratione pernoctat? Virtutis Magister suo nos informare exemplo, sed torpidi sumus & negligimus. Hinc dicebat S. Cæsarius Arelatensis hom. 29. desidiam nostram arguens. *Orat misericordia & non orat miseria: prostratus in terra orat meritus, & non inclinatur agrotus: orat innocentia & non orat nequitia: orat qui peccatum non fecit, & non se prosternit multis peccatis obnoxius: orat judex & desiderat parcere, & non orat reus ut indulgentiam mereatur accipere.* Maximè verò hic orandum docet Dominus, *Sap.* 7.

cùm negotium aliquod pietatis vel salutis est auspicandum, ut adspiret ipse, & illud felix fausturnque reddat. Sic si de ministris Ecclesiæ eligendis vel constituendis agitur, imitandum est hoc Domini exemplum. Hoc imitati sunt Apostoli dum in locum Judæ Matthiam subrogant, dum Paulum & Barnabam ad gentes dimittunt: *Ministrantibus illis Domino, & jejunantibus, dixit Spiritus S. Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes, & orantes, imponentesque eis manus dimiserunt illos.*

Act.13.

2. *Cur in die & non in nocte Apostolos elegerit Christus.*

Secundò, *cùm dies factus esset, vocavit discipulos suos, & elegit duodecim ex illis*, inquit S. Lucas. Videsne quòd diem expectarit, ut designaret primarios filios & ministros lucis, & duodecim horas diei? O quàm multi nocte cœcâ eligunt illos quos ad honores vel ministeria sublimia erigunt! Inducit enim eos ad electionem, non claritas virtutis, sed caligo & cæcitas passionis, Moventur & diriguntur non à cœlesti luce, sed ab humana & terrena consideratione. Audi illud: *Ierunt ligna, ut eligerent super se Regem, dixeruntque Olivæ, impera nobis.*

Iudic.9.

Videtur hæc electio primordialiter in luce & lance rationis expensa fuisse, consilium enim inierunt, & suffragiis communibus elegerunt arborem regali dignitati idoneam. Nam ejus liquore Reges unguntur, ut indicetur suavitas & misericordia, quam erga subditos debent ostendere; ejus quoque fructu non solùm pascuntur homines, sed etiam illuminantur noctes. Denique meritò præferunt Olivam, cujus liquor totus est medicinalis, & propterea significat Regem & Superiores omnes, non solùm debere pascere, aut lucem præferre subditis, sed etiam mederi debere eorum vulneribus. Quapropter excusans se quidam ne fieret Princeps, dicit: *Non sum Medicus, & in domo meo non est panis.*

Isa.3.

Excusavit se quoque Oliva: *Num quid possum deserere pinguedinem meam, quâ Dii utuntur & homines, & venire ut inter ligna promovear?* Excusavit se similiter Ficus & Vitis. Nec ultrà urgent qui eligunt, sed à luce rationis divertentes ad caliginem extremæ cæcitatis, Rhamnum eligunt in Regem, ad infructuosam arborem & infructuosarum pessimam & nocentissimam principatum deferunt. Est enim Rhamnus spinosus frutex, & arbuscula sentibus vicinisque contexta, quæ teneat quicquid attigerit, & retentum vulneret, & vulneratorum sanguine delectetur, inquit S. Hieronymus in c. 2. Aggei. Interim principatum illa acceptat, & dicit: *Sub umbra meâ requiescite.* Quam verò umbram, sive quam sub umbra sua quietem, protectionem, securitatem pollicetur, potest Rhamnus, quandoquidem qui sub ea latent, vix caput erigere, brachium porrigere, aut corpus movere queant, quin spinarum pungantur aculeis? Hæc est ergo pœna eorum qui aliquos eligunt, non solùm infructuosos, sed & sibi ipsis postea nocituros.

Iud.9.

Cur rudes & ignari

Christus Dominus equidem elegit ad Apostolatum sterilis, & ex se infructuosos, ignaros, illiteratos, ignobiles, inopes, ut hanc electionem non suis adscriberent meritis, sed gratuitæ ejus voluntati. Potuit autem eos reddere subitò frugiferos, instar Olivæ, Ficus, aut vineæ. ut Deo & hominibus fructus producerent suaviſſimos: *Non vos me elegistis, sed ego vos elegi, ut eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Olim dixerunt Ethnici ab unoquoque Deorum electam arborem; quæ eis esset dedicata, cujusque singularem gererent curam. Juppiter Quercum elegit, Apollo Lauram, Neptunus Pinum, Venus Myrtum, Juno Juniperum, Minerva hanc electionem demirata interrogat Jovem, cur infructiferas arbores Dii sibi elegissent? Responsum verò accepit, ideo id factum, ut ipsæ arbores intelligant, non ob sua merita, sed ex mera Deorum gratia se electas, & Diis dicatas tanquam eorum Insignia. Certè hæc est causa cur Christus steriles & viles sibi adlegit Apostolos, ut ipsi non gloriarentur in se, sed ipse glorificaretur in eis; quia potuit eos sola sua electione reddere frugiferos, & toto orbe gloriosos, cum fructum non potuerint Dii suis conferre arboribus.

ri ad Apostolatum electi.

Ioan.15.

3. *Cur Christus 12. elegerit.*

Tertio, non sine mysterio duodecim elegisse dicitur, quos & Apostolos nominavit. Voluit enim ut sicut erant duodecim tribus Israel, & duodecim Patriarchæ, è quibus populus Dei erat primogenitus, sic etiam forent duodecim Apostoli, quasi Patres totius populi Christiani. Iterum, sicut annus duodecim constat mensibus, & dies duodecim horis, Solque lucem est Orbi fundens per duodecim Zodiaci signa: ideo etiam numero duodenario primos Prædicatores dixerit in mundum, per quos ipse Sol justitiæ mundo veritatis lucem impertit. Hanc rationem affert Venerab. Beda Joannis 6. Eandem profert Sedulius, comparatque quatuor Evangelistas quatuor anni temporibus. Sic enim canit de Evangelistis:

Quatuor hi Proceres unâ to voce canentes,
Tempora ceu totidem latum spargunturin orbem.
Sic & Apostolici fulget semper duodenus honoru
Apex, numero menses imitatus & horas.

Plurimi autem numeri hujus mystici figuræ sunt in sacris literis. Quid aliud duodecim fontes in deserto præsignant, quam duodecim Apostolos doctrinæ aquas Orbi sterili fundentes? Quid aliud sunt gemmæ duodecim in veste summi Pontificis, quam Apostoli Ecclesiam vestem Christi illustrantes? Quid duodecim leones Throni Salomonis? Quid duodecim boves mare æneum portantes? Quid duodecim lapides ex quibus altare constructum? Quid duodecim fundamenta civitatis Dei & duodecim portæ? Quid duodecim stellæ coronantes mulierem amictam Sole? Quod duodecim sedes ad judicandum Israel? Quid duodecim Principes tabernaculum olim & Arcam Dei circumstantes? Fuit ergo hic numerus in honorem duodecim Apostolorum in Figuris etiam antiquis consecratus. Et hunc ita voluit observari Dominus in suis Apostolis, ut cùm esset diminutus per interitum

Vide suprà de hoc quæ dixi in festo S. Matthiæ.

Judæ,

Judæ, voluerit eum restaurari per electionem Matthiæ; nec plures voluit eligi, ne alius numerus efficeretur. Unde S. Aug. tract. 27. in Joan. *Non quia periit unus, ideo duodenarii numeri honor damptus est; nam in locum pereuntis alius subrogatus est, mansitq; numerus consecratus; Se Judas exterminavit, non duodenarium numerum violavit. Ipse deseruit Præceptorem, sed eum ei apposuit successorem.*

4. *Cur hi 12. sunt vocati Apostoli.*

Quarè, hos vocavit Apostolos, hoc est missos instar Legatorum, sive ut dicit Tertull. lib. de præscriptionibus cap. 20. *Ex discipulis duodecim præcipuos lateri suo Christus adlegerat, destinatos nationibus Magistros.* Hi ergo erant velut Legati à latere, quos ideo Christus elegit, ut ad evangelizandum toto orbe postea mitteret. Hoc expressit S. Marcus,

Marci 3. dicens: *Ascendens in montem, vocavit ad se quos voluit ipse. Et fecit ut essent duodecim cum illo, & ut mitteret illos prædicare.* Addit quoque Marcus: *Et dedit illis potestatem curandi infirmitates, & ejiciendi dæmonia.* Nempe miracula debebant eis servire tanquam sigillum missionis & legationis suæ. Hæc quoque erant arma, quibus dura ad credendum corda mox poterant expugnare. Moysi Virgam miraculorum dederat Dominus, Insigne scilicet legationis & potestatis sibi à Deo factæ, adeducendum populum de captivitate Ægypti & servitute Pharaonis. Et quid non effecit hac virgâ, in aquis, in aëre, in terra, in omnibus elementis? Sic & Virgam virtutis suæ commisit Dominus Apostolis,

Psal. 109. quâ confirmarent doctrinam quam tradebant, & dominarentur inimicis Christi: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.* Adjuncta ergò fuere prædicantibus Evangelium miracula, ut fidem verbis daret virtus ostensa, & nova facerent qui nova prædicarent: eumque pollicerentur regnum cœlorum, magnitudinem promissorum probare debebat magnitudo signorum. Quapropter S. Gregorius declarat similitudine, tunc miracula frequentiora forent, quàm modò. Hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt, inquit ipse. *Ut enim ad fidem eresceret multitudo credentium miraculis fuit nutrienda. Quia & nos cum arbusta plantamus, tamdiu ea aquam infundimus, quoad usque ea in terra coaluisse videamus: at si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit.* Ita S. Gregorius hom. 29 In Evang.

PARS III. *De electione S. Bartholomæi.*

INter hos à Domino electos Apostolos sextus ab Evangelistis Marco, Matthæo, Luca, nominatur Bartholomæus. An verò secuti sint ordinem vocationis, an ætatis, an dignitatis, non constat; quia non eodem ordine à singulis Evangelistis recensentur. Unde ex his non potest colligi, quis sanctitate, aut gratia, vel gloria præcellat: nec hoc multum disputandum, cum abæterna Dei prædestinatione dependeat nobis ignota. Matthæus tamen

Matth. 10. non sine causa expressè dixit: *Duodecim apostolorum nomina hæc sunt: Primus Simon qui dicitur*

Actor. 1. *Petrus*, &c. Atque ipse ab omnibus primus nominatur, sicut & in Actis Apostolorum, quia ad Christianam spectabat notitiam scire primatum Petri. De aliis verò non est dictum, secundus est iste, tertius ille, &c. quia dignitate Apostolatus erant æquales.

Cæterum, quia ordinariè Evangelistæ jungunt Philippum & Bartholomæum, existimarunt nonnulli Interpretes Bartholomæum, eundem esse cum Nathanaële, quem Philippus adduxit ad Jesum, de quo & ipse dixit: *Ecce verè Israelita, in quo dolus non est.* Cui Nathanaël: *Unde me nosti?* Respondit Joan. 1. Christus: *Antequam Philippus te vocaret, cum esses sub ficu, vidi te.* Fuerat ille Nathanaël in aliquo loco longè distante ab oculis Christi, & occultè ibi quidpiam agebat remotis arbitris, forsitan orans, vel sacræ lectioni vacans: nec potuit ille locus Christum latere, nec ipse Nathanaël, nec hoc ipsum quod agebat. Unde admirans Nathanaël se ita ab eo agnitum, pronuntiat: *Rabbi tu es Filius Dei, tu es Rex Israël.* Non quòd agnoverit jam ex tunc perfectè divinitatem Christi, sed excellentiâ quadam Filium Dei nominavit, putavitque esse talem singulari adoptione, non essentiâ, ut vult sanctus Chrysostomus (cum Theophila, & aliis) distinguitque confessionem hanc à confessione Petri, qui Filium Dei agnovit, & verè Deum. Hunc itaque Nathanaëlem eundem esse cum Bartholomæo, censuit Rupertus, Jansenius, Arias Montanus, cum aliis nonullis; tum ob dictam rationem, quia solet conjungi cum Philippo, tanquam ab eo vocatus; tum quia Nathanaël erat proprium nomen, Bartholomæus verò nomen à Patre sumptum, ut sit idem quod Filius Tholmæi, sicut Barjona filius Jonæ. Tum denique, quia Nathanaël cum Petro, Andrea, Philippo vocatus est; ergo ad Apostolatum electus fuit sicut & illi, maximè cum fuerit à Domino collaudatus, tanquam verè Israëlita, verè sincerus, minimè simulatus aut hypocrita, sed columbinis moribus præditus, aptus proinde ad Apostolatum. Hæc sententia si vera est, consequenter dicendum foret Bartholomæum fratrem fuisse Philippi; & ideo per illum adductum fuisse ad JESUM, sicut & Petrus per Andream fratrem suum. Nam Nathanaëlem fuisse Philippi fratrem, docent multi Interpretes, inter quos S. Thomas, Hugo Cardinalis, Nicolaus Lyranus, Dionysius Carthusianus, & utraque Glossa, tam ordinaria quàm interlinearis. Neque refert quòd S. Augustinus in cap. 1. Joannis dicat: *Deberet Nathanael esse primus in Apostolis, & nec medius invenitur; nec ultimus in duodecim. Quia peritus in lege fuit, voluit illum Dominus inter Apostolos povere, qui in idiotas eligit, ut confunderet mundum. Non quæsivit per Oratorem Piscatorem, sed de Piscatore literatus est Imperatorem.* Ita loquitur S. Augustinus, sed hæc ratio nona est plena, nam Paulum legis peritum Dominus postea creavit Apostolum, sic & potuit Nathanaëlem, ne penitus doctos repudiare & desperare

Quicquid sit, & quisquis fuerit Bartholomæus, perfectè secutus est Dominum se vocantem & eligentem, potuitque illud Apostolicum dicere præ cæteris: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Reliquit enim pro Domino non solùm retia & naviculam, si piscator fuerit, ut multi volunt; nec solùm inflantem scientiam reliquit, si legis peritus fuerit, ut aliqui dixerunt; neque solùm reliquit honores & nobilitatem, si nobilis fuerit, ut nonnulli etiam asseruerunt: sed reliquit & pellem, pro Christi amore passus excoriationem. Instar serpentis prudentem se ostendit, dum ut arctum foramen & cœli angustam viam sine impedimento posset ingredi, veterem deponit pellem, adepturus novam. Sciebat enim illud: *Rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum.* Quapropter paratus est illam relinquere in egressu hujus vitæ, maximo licet cum cruciatu & dolore, sciens quòd pro mortali recipiet immortalem, pro corrupta gloriosam & incorruptam, pro obscura pellucidam. Certè si olim pelles animalium tegebant & exornabant tabernaculum Domini: multò magis Bartholomæi pellis adornat Ecclesiam Christi, & reddit eam gloriosam. Sic potest & ipsa dicere: *Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Quasi dicat: Fateor, quòd multis persecutionibus foris vexata, subnigra sum cute & pelle, & velut contemptibilis possum videri intuenti tantùm quæ forinsecus sunt: sed si quis perspicacius rem considerârit, formosa sanè sum & Martyrum exuviis adornata, velut tabernaculum pellibus Salomonis. Glorior certè Sebastiani pelle undique telis confixa Vincentii & Laurentii adustâ, Blasii pectinibus ferreis dilaniatâ, Stanislai membratim concisâ, sed divinitus redintegratâ, Theodori ungulis ferreis dilacerata, Quintini calamis acutis & hastilibus perfossâ: Agathæ & Barbaræ mamilla amputata vel avulsa; sed maximè gloriosior pelle Bartholomæi excoriatâ, qui cæteris Dux fuit ad martyrium & agonem crudelissimum.

Hostiæ quæ offerebâtur olim in sacrificium pellis erat detrahenda, prout præscribitur in Levitico: In hostiam & victimam perfectam debebat offerri S. Bartholomæus, ideo gavisus est pellem sibi detrahi, eamque ob causam dicimus eum omnia reliquisse, ut perfectè sacrificaret se Domino, perfectèque eum sequeretur. Joseph relinquit pallium adulteræ mulieri, nolens Deum offendere: Adolescens Evangelicus relinquit syndonem, nolens detineri: Samaritana relinquit hydriam apud puteum, ut liberiùs abeat Christi promulgatura gloriam. Bartholomæus quoque mundo adultero relinquit pellem, ne divinam incurrat offensam, relinquit illam persecutoribus suis, ne remoram sibi ponat ad sequendum Dominum: relinquit eam, ut liberiùs abiens possit ubique gloriam Domini prædicare, & ut nudus nudum sequatur crucifixum, cujus stigmata & characteres ejus carni inscribuntur profundè, tanquam electæ arbori detractâ cortice. Hi characteres & hæc decorticatio symbola sunt dilectionis illius perfectæ, de qua in Canticis: *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Quasi dicat: Adeo speciosa est & pretiosa gemma charitatis, ut omnia ejus respectu quasi nihil computanda sint, & omnia quæ desiderari possent, ei non valeant comparari. Quapropter homo pro illa conservanda debet esse paratus omnem substantiam domus suæ dare, hoc est omnes facultates suas, ipsam vitam, & proprium corpus, quod vehit domus animæ est. Considerans ergo S. Bartholomæus pretium & valorem divini amoris, omnia sua pro illa dedit, temporalia relinquens & vitam, corpusque suum & animam impendens, ut amorem illum conservaret, & declararet. Sic expoliavit se Jonathas, & dedit tunicam suam David in signum dilectionis, multò magis dilectionem suam probare cupiebat Bartholomæus erga Christum Dominum, dum expolians se tunica sua, hoc est pelle corporis sui propter Christum, eam in pignus amoris ei offert, & lavat eam in sanguine suo.

Cæterum paulo altius à nobis repetenda est occasio tam cruenti martyrii, tamque atrocis excoriationis S. Bartholomæi. Rem hic compendio enarrat Breviarium Romanum ex Augustino: *Bartholomæus Apostolus Galilæus, cum in Indiam exteriorem, quæ ei in orbis terrarum sortitione ad prædicandum Jesu Christi Evangelium obvenerat, progressus esset, adventum Domini Jesu juxta S. Matthæi Evangelium illis gentibus prædicavit. Sed cum in ea provincia plurimos ad Jesum Christum convertisset, multosque labores calamitatesque perpessus, venit in majorem Armeniam. Ibi Polymium Regem, & conjugem ejus, ac præterea duodecim civitates ad Christianam fidem perduxit. Qua res in eum magnam invidiam concitavit illius gentis sacerdotum. Nam usque adeo Astyagem Polymii Regis fratrem in Apostolum incenderunt, ut vivo Bartholomæo pellem crudeliter detrahi jusserit, ac caput abscindi, quo in martyrio animam Deo reddidit.* Ita Breviarium. Addunt aliqui, priusquam ei pellis detraheretur, fuisse fustibus cæsum & cruci suffixum. Ita Nicephorus, Lippomanus, Surius, & alii. Ex his nonnulla moralia documenta desumi possunt.

Inprimis hic consideratione dignum est, quam variis Deus pressuris, tormentis, martyriis, exerceat electos suos, tum ut eorum probetur in dilectionem, tum ut eos nobis exhibeat in exemplum patientiæ & virtutis, fideique per dilectionem operantis. Quapropter dicit Apostolus: *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones.* Subdit postmodum Apostolus: Alii enim *distenti sunt*, ut contunderentur instar tympani, *non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem*, hoc est, nolentes ab illis

Matt.19. *S. Barth. præ reliquis omnia reliquit.* *Iob 19.* *Cant.1.* *Ecclesia pelle S. Barthol. gloriatur.* *Levit.1.* *Gen.39.* *Marc.14.* *Ioan.4.* *Dilectio S. Barth. erga Christ.* *Cant.8.* *1.Reg.18.* *Occasio tam atrocis Martyrii S.Barth.* *Morale. Dei sui electos ex test.* *Hebr.11.*

illis suppliciis liberari, quæ facilè possent vitare, si tyrannis vellent obedire; quia adspiciebant ad meliorem vitam, quam esset illa qua privabantur. Addit denique: *Alii secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus*: hoc est, affligebantur ut malefici, viles habebantur vestiti more rusticano & indumentis villosis & hirsutis; attamen tales & tanti erant apud Deum, ut mundus eos habere non mereretur. Pleraque hic ab Apostolo de variis dicta, uni Apostolo Bartholomæo competunt, si singula examinare voluerimus. An non *per fidem vicit regna*, dum in regno Indiæ citerioris adeo multos convertit? Dum etiam in Armenia Regem Polymium cum civitatibus suis ad fidem perduxit? An non *Castra vertit exterorum, obturavit ora leonum*, dum oracula dæmonum mutafecit, & delubra, de quibus quasi castris suis virtutem suam exerit, evertit & inania reddidit.

An non *distentus est & sectus*, crudelissimeque instar tympani extensus; sive dum primum fustibus contusus est, sive dum postmodum atrociter pellis ei detracta est? Dicere ergo de eo possumus, quod
2. Mac. 6. dicitur de Eleazaro: *Voluntariè præibat ad Tympanum*. Sic enim legunt Græca, pro eo quod nos habemus: *Voluntarie præibat* ad supplicium. Erat enim quoddam tormenti genus, quod Tympanum vocabant, in quo homines distendebantur, instar tympanorum, ut fustibus contunderentur. Sed Ecclesia gloriatur modò de pelle Bartholomæi, tanquam de tympano, quo fugat hostes, hoc est dæmonia. Unde potuit majori dicere ratione S. Bartholomæus, quod olim Ziscka Tyrannus suis Bohemis: *Post mortem meam volo ut è pelle mea tympanum constituatis, quo contra hostes ad prælium procedatis: illi enim vel solo illius sonitu terrebuntur*. Hoc ex intolerabili dicebat arrogantia, quia in bello felix semper fuerat. Sic & Rex Angliæ Edouardus I. expertus quantum præsentia sua contulisset felicitatis in bello diuturno contra Regem Scotiæ moriens obstrinxit filium juramento solemni, quod se mortuum mox bulliret ad separanda ossa à carne, quodque ossa illa continuò deferret in prælliis contra Scotos. O arrogantem insaniam! O infamem arrogantiam! Interim Ecclesia non sine pietate ossa Sanctorum colit, & illis gloriatur contra hostes spirituales, eorum sæpissime experta potentiam & gratiam, quotidianisque miraculis ea à Domino illustrari intuens. Quod & de S. Bartholomæi ossibus
Ossa S. Barth. miraculosa. Greg. Tur. l. 1. de gloria Mar. c. 34. pernotum est, quæ cum ab infidelibus in mare dejecta forent cum arca plumbea, in qua non concludebantur, divinitus aquis subvehentibus illam arcam) ad Insulam Siciliæ, Liparis dictam pervenerunt; ac ibi revelatione divina à Christianis suscepta sunt honorificè, exædificato eis templo. Postmodum Saracenis rursus ejus sepulchrum violantibus & sacra hæc ossa dispergentibus, monente S. Bartholomæo, à quodam viro Religioso recolle-

cta sunt indicio divini splendoris, & Beneventum ad Regnum Neapolitanum translata, ubi diu cultu debito fuere honorata. Tandem ab Otthone Imperatore Romam portata sunt, & in Tiberis Insula collocata, Ecclesia ibidem dedicata ejus nomine. Agitur autem Romæ festus dies 25. Augusti, quia eo die translatio facta fuit. Aliæ autem Ecclesiæ festum diem colunt martyrii ejus qui fuit 24. Augusti. *Claudius à Rota in Legenda.* *Baron. annot. ad martyrol.*

An non denique Bartholomæus circuivit orbis partem, egens, angustiatus, & afflictus, cum tamen dignus eo non foret mundus? vestes ejus & sandalia per viginti sex annos dicuntur non fuisse attrita, instar vestium illarum & calceamentorum, quibus Israëlitæ circuierunt annis 40. per desertum. Centies quoque in die, centiesque in nocte genua in oratione flectebat. Varias denique peragrabat Provincias egenus, quia opes despuebat terrenas, ut nudus nudum sequeretur Christum, pro cujus etiam amore paratus fuit pelle denudari, & crucem pati, tandemque inter illos numeratus est, qui *in occisione gladii mortui sunt*.

Alterum morale documentum ex historia S. Bartholomæi elicitur, considerando conversionem Polymii Regis, quam mox secuta est non solum conversio totius familiæ Regiæ, sed etiam duodecim civitatum cum populis variis. Hic nempe elucescit, quam verum sit illud S. Fulgentii Epist. 6. ad Theodorum: *Fit, ut, qui sunt in sæculi culmine constituti, aut secum plurimos perdant, aut secum multos in vita salutis acquirant*. Nimirum, sicut magnæ naves multas secum cymbas colligatas trahunt; &, si mergantur, illas etiam secum mergunt: sic contingit & potentibus, ut non soli pereant, sed multos secum in perditionem pertrahant. Ideo dicitur: *Gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum eis.* Job 26. Qui sunt gigantes gementes sub aquis, nisi potentes & magnates mole negociorum quasi aquarum oppressi? Meritò gemunt isti: tum in præsentia anxiis curis distenti, tum in futuro, quia aquis crebrò merguntur inferioris abyssi. Sed non soli gemunt, verum etiam illi, qui habitant cum eis, hoc est, qui eorum ministerio & negociis sunt involuti, quia & hos secum trahût in abyssum & perditionem. Quodsi verò Magnates per aquas varias negociorum & curarum ad portum contendunt, tandemque appellunt, etiam secum trahunt eos, qui sibi colligantur, nec soli salutem consequuntur. Eorum nimirum exemplum prævium & auctoritas multis persuadere potens est & Dei virtutem, & fidei veritatem.

Tertium documentum ex dictis elicitur; quam scilicet verum sit illud Domini: *Non veni mittere pacem, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam: & inimici hominis domestici ejus.* Multis possetexemplis declarari, quomodo filii adversus patrem, & filiæ adversus matrem, ob diversitatem fidei exsurrexerint, quomodo parentes filios, vel filias adtam-

ad tormenta tradidorint, ut de S. Barbara, Christiana, & aliis pernotum est. Hic autem videmus quomodo frater à fratre separatur. Astyages à Polymio, dum Bartholomæum ita crudeliter persequitur ob fratris conversionem, dum in illum crudelitas omne virus effundit, quia in fratrem vires forent inanes.

Matt. 24. Sic & illud Domini agnoscitur: *Duo erunt in agro, unus assumetur, alter relinquetur: duo in lecto, unus assumetur, alter relinquetur, &c.* Duo ejusdem familiæ, ejusdem sanguinis & ortus hic reperiuntur, duo ex eodem utero prognati fratres, quorum unus Dei provida dispositione ad divinæ gratiæ sortem & fidei lucem pertingit, alter in tenebris infidelitatis relinquitur, inimicus luci & gratiæ, dum a S. Bartholomæo illam oblatam respuit. Insurgit etenim atroci mente cæcus contra manuductorem, naufragus contra gubernatorem, ægercontra medicum & vivificatorem: ideo in cæcitate hæret, in naufragio perit, in morte permanet. Hic ergo relinquitur, dum interim frater assumitur, illuminatur, vivificatur & salvatur.

Cóclusio. GRatias Tibi, Domine JESU Christe, Salvator & Redemptor noster, infinitas debemus, quod pro nobis totas noctes in oratione agere dignatus fueris: quodque post orationem duodecim Apostolos elegeris ad propagationem nostræ salutis, eos constituens Angelos pacis, Ministros veræ lucis, ad annunciandum toto orbe Evangelium pacis, & ad illuminandum eos, qui sedebant in tenebris & in umbra mortis. Sed & speciales tibi debemus gratias pro vocatione & electione S. Bartholomæi Apostoli, per quem voluisti nobis esse manifestum, quantum oporteat pro nomine tuo pati & quanta sit vis dilectionis omnia propter te relinquentis, omnibus pro amore tuo sese exspoliantis. Fac nos igitur ejus exemplum intueri, ejus dilectionem imitari, terrena despiciendo, & propter te propriis nos ipsos passionibus exuendo. Sit nobis ipse instar virgæ Jacob decorticatæ, & prope canales positæ, ut concipiamus similem fœtum, hoc est, fervens desiderium tibi serviendi, pro te patiendi, corticemque rerum mundanarum despiciendi; ut tandem vestias nos veste immortalitatis, veste gloriæ & incorruptionis, vestimento æternæ lucis.

Gen. 30.

IN FESTO S. AUGUSTINI.

28. Aug. Lect. 44. tripart.

Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso. Eccl. 50.

PARS I. *Quomodo Augustinus fuerit exandoque lutum.*

INclytus Propheta Jeremias, jussus fuit à Spiritu descendere in domum figuli, ut audiret ibi verbum Domini. *Et descendi*, inquit ipse, *& ecce faciebat opus super rotam, & dissipatum est vas quod faciebat è luto manibus suis. Et conversus fecit quasi vas alterum, sicut placuerat in oculis ejus. Et factum est ad me verbum Domini: Ecce sicut lutum in manu figuli, ita & vos in manu mea domus Israel.* Ingrediamur & nos hodie mentis consideratione in domum figuli. At cujus figuli? Utique in domum illius figuli, qui ex altitudine sapientiæ & potentiæ suæ novit ex eodem luto vasa effingere; quædam quidem in honorem, quædam verò in contumeliam, quædam vasa electionis, quædam abjectionis; quædam in ministerium, quædam in interitum. Ingressi hujus figuli officinam inveniemus ipsum fecisse vas quoddam luteum, serviens contumeliæ & immunditiæ pro aliquo tempore; sed postmodum arte & potentia sua illud ita transmutasse, ut in honorem esset & gloriam; *Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.* Illud quoque propius contemplantes, possumus dicere: *Vas admirabile opus excelsi.* Hoc vasis Symbolo Augustinum designo, cujus hodie memoria in benedictione est. Qui cum videretur in ætatis flore, quasi vas iræ & ignominiæ, nonnisi virgam ferream optari debere: Digito Dei & mutatione dexteræ excelsi, statim in vas gloriosum transmutari visus est, in vas admirabile & aureum, omni virtute præfulgidum, administrandum sapientiæ & gratiæ divinæ pretiosa dona immensa Domini. Repetamus hæc paululùm ab altiori principio, & videamus quomodo à luto fœdissimo inchoans, desierit in aurum pretiosissimum.

Eccl. 4.

Admirabilis & famosa est Statua illa quam vidit Nabuchodonosor, cujus *Caput ex auro optimo, Pectus & Brachia ex argento, Venter & femora ex ære, Tibiæ ferreæ & pedum, quædam pars ferrea, quædam fictilis & lutea.* Hæc, si litteraliter velimus interpretari, dicemus significari Principatuum hujus sæculi inconstantiam & mutabilitatem, illius quidem dispositione, in cujus manu sunt corda Regum, & spiritus Principum; illius voluntate qui *ludit in orbe terrarum*, ab uno in alterum regna transferens. Illa modò reddit felicissima & gloriosissima, quasi aurea; modoque eis aliquid demit gloriæ & felicitatis, ita ut ab auro in argentum, & ab argento in æs ferreum videantur deficere; ac tandem in lutum & favillam omnis eorum gloria redigitur. Quod si mysticum & moralem sensum in hac statua sequimur, dicere mihi liceat significari inconstantiam & instabilitatem eorum, qui in regno & via Dei & à perfectione resiliunt, quod non paucis contingit. Cum enim aureum habuerint initium, purum scilicet charitatis fervorem; paulatim ab illo desciscentes deficiunt ad argentum; deinde ad æs & ferrum, dum fiunt duri ad salubriora consilia, interioremque Dei percussionem; tandemque ad lutum convertuntur, toti voluptatum cœno immersi, & *Cum spiritu cœperint, carne consummantur.*

Dan. 2.

Galat. 3.

Ego verò dum de Augustino nostro dicere ordior, diversam, imò Regiæ illi & Propheticæ Statuæ adversam vobis erigere Statuam gestio. Quare adversam? Quia *Caput ejus ex luto est*; per quod initium adolescentiæ ejus designo, *Pectus & venter ex ære & ferro*, juventutis ejus progressum intelligo.

Pedes

Pedes tandem, sive finis, *ex auro optimo & probatissimo*. Declaremus, si lubet singula.

Primò igitur videamus *Caput ejus in luto*. Si ea de re quispiam ambigit, revocet in memoriam, quomodo in pubertate sua Fausti Manichæi infausta hæresi pluribus annis fuerit dementatus, *infixus quasi limo profundi*, ex quo non poterat se extricare. Quapropter sic loquitur l. 3. Confess. cap. 6. *Incidi in homines superbè delirantes, & carnales nimis, & loquaces, in quorum ore laquei Diaboli, & viscum confectum commixtione syllabarum nominis Dei, sed & Domini Jesu Christi, & Paracleti consolatoris Spiritus Sancti. Hæc nomina non recedebant de ore eorum, sed sonotenus & strepitu linguæ, cæterùm cor inane erat veri. Et dicebant, Veritas, & veritas, & nusquam erat in eis.* Lutosa erat hæresis hæc, non solum malè de Deo sentiens, & falsè loquens, sed etiam de elementis hujus mundi; duo rerum principia asserens, unum principium rerum bonarum, alterum malarum; Solem visibilem Christum esse affirmans, & multa alia ineptissima. Unde hanc postmodum irridet S. Augustinus, & se magis propter illam. *Sensim*, inquit l. 3. Confess. c. 10. *ad deas nugas deductus sum, ut crederem sicum plorare cum decerpitur, & matrem ejus arborem lachrymis lacteis*, &c. Et cap. 7. deplorat, quod non conciperet Deum ut spiritum, hac hæresi deceptus; nec illum sic quæreret, sed ut corporeum imaginaretur. Sic enim ait: *Væ, væ, quibus gradibus deductus sum in profunda inferni? Quippe laborans & æstuans inopia veri, cum te Deus meus quærerem non secundum intellectum mentis, quo me præstare voluisti belluis, sed secundum sensum carnis.* Fatetur postea se in illam hæresim incidisse, quasi in mulierem & meretricem, descriptam in ænigmate in Proverbiis Salomonis: *Mulierem audacem, inopem prudentia, sedentem super sellam in foribus, & dicentem. Aqua furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior, venite, comedite, bibite.* Hæc, inquit, me seduxit, quia invenit foris habitantem me in oculo carnis meæ. Hoc ergo caput fuit ex luto in Augustino nostro, dum adhuc in flore ætatis ageret. Hæc est *sapientia, non desursum descendens à Patre luminum, sed animalis, terrena, diabolica, lutosa*, in qua multis hæsit annis. Quocirca hac de re cap. 11. sic rursus fatetur: *Novem fere anni secuti sunt, quibus ego in illo limo profundi, ac tenebris falsitatis, cum spe surgere conarer, & gravius alliderer, volutatus sum. In his annis*, ait ipse lib. 4. Confess. cap. 3. *seducebamur & seducebamus, falsi atque fallentes in variis cupiditatibus: & palam per doctrinas, quas liberales vocant; occultè autem falso nomine religionis. Hic superbi, ibi superstitiosi, ubique vani, & popularis gloriæ sectantes inanitatem.*

Aug. hæresi Manichæorum infectus.

Prov. 9.

Pravo consortio deditus.

Sed si amplius desideras nosse lutum ejus, & *Caput ex luto*, revoca in memoriam, quomodo in flore ætatis consortium pravum variis eum modis seduxerit. Sic enim fatetur lib. 2. Confess. cap. 3. *Præceps ibam tanta cæcitate, ut inter coætaneos meos puderet me minoris dedecoris. Cum audiebam eos jactantes flagitia sua, & tanto gloriantes magis, quanto magis turpes essent, fingebam me feciſſe, quæ non feceram, ne viderer abjectior, quo eram innocentior. Ecce cum quibus comitibus iter agebam, platearum Babyloniæ, & volutabar in cœno ejus, tanquam in cinamomo & pretiosis unguentis.* Ulterius fatetur ipse Augustinus, quomodo in his plateis Babyloniæ concupiscentia carnis rapuerit imbellem suam ætatem per abrupta cupiditatem, ut mersaret in gurgite flagitiorum. Describit id toto cap. 2. lib. 2. Confess. ubi inter cætera sic alloquitur Dominum: *Ubi eram, & quam longè exulabam à deliciis domus tuæ anno illo sexto decimo ætatis carnis meæ, cum accepit in me sceptrum, & totas ei manus dedi, vesania libidinis licentiosa. Jactabar, & effundebar, & diffluebam, & ebulliebam per fornicationes meas, & ibam longius à te, & tacebas. Ibam porrò longè à te, in plurima sterilia semina dolorum superba dejectione, & inquieta lassitudine.* Ecce lutum & caput ex luto.

Utique libido lutum est, & quidem lutum adeo tenax, ut in illo quandoque hærere contingat, non solum eos qui per terram repunt, homines hujus sæculi; sed etiam illos qui jam perfectionis apicem attigisse videbantur. Quapropter de muliere dicitur: *Laqueus venatorum est, & Sagena cor illius.* Qua duplici metaphora indicatur, carnis & mulieris libidine non solum irretiri eos, qui tanquam pisces se aquis sæculi ejusque sordibus totos immergunt, pro quibus mulier *Sagena* dicitur, sed etiam eos, qui tamquam aves in cœlum quibusdam perfectionis alis ferri videbantur, pro quibus mulier *Laqueus* nominatur. Equidem mirabilia sunt judicia Dei super filios hominum, ut non glorietur accinctus æquè ut discinctus, sed contremiscat omnis caro. & qui stat, videat ne cadat. Videmus enim quosdam, qui ascenderant quodammodo usque ad cœlos, & ambulabant in medio lapidum ignitorum, ab impetu caudæ draconis cecidisse quasi stellas de cœlo, & infixos in limbo carnis in malis obstupuisse. Testis est Salomon. Videmus & alios è stercore peccati, in quo velut jumenta computruerant, erectos fuisse, ut solium & gloriam Filiorum Dei occuparent. Testis est Augustinus noster. Hoc admirans Ecclesiastes pronunciat: *Verti me ad aliud, & vidi sub Sole nec velocium esse cursum*, eorum scilicet qui ad bravium currunt: *nec fortium belluæ*, ut contra spirituales nequitias dimicent: *nec Sapientiam panem*, qui mentem cibat & intellectum: *nec Artificum gratiam*, qui perfectionis molem fabricant: *sed in omnibus tempus & casum*, hoc est, varium mutationem & instabilitatem. Quia *non est volentis*, [illegible], *neque currentis, sed Dei est miserentis*, teste Apostolo. Hoc in Salomone, hoc in Augustino nostro possumus [illegible] noscere. Salomonis caput fuit ex auro, brachia ex argen[illegible]to, hoc est, initia regni fuere aurea propter charitatem, [illegible] argentea propter sapientiam; sed finis fuit ex luto ob [illegible]ridinem immundam. E contrario res procedit in nostro [illegible]ugustino,

Aug. vitiosa libidine sordibus.

Eccles. 7.

3. Reg. 20.

1. Cor 10.

Ezech. 28.

Eccl. 9.

Rom. 9.

cujus caput & brachia fuere ex luto, ut jam explicuimus, quia virorem ætatis contrivit in immunditia, cárne, & hæresi; finis verò fuit aureus, Dei miserentis bonitate, ut statim videbimus. Sed prius declaremus, quale ejus fuerit pectus.

PARS II. *Quomodo Aug. quâdoque ex & ferrum fuerit.*

SEcundo igitur loco explicandum venit, quomodo *Venter ejus & pectus ex ære fuerit & ferro.* Hoc nimirum ideo congruè dicitur, quia paulatim cœpit à Manichæorum delitiis & insipidis erroribus mentem avertere, multo tempore nec Manichæus, nec Catholicus, ut fatetur lib. 6. Confess. Quod ergò à Manichæorum hæresi jam alienabatur, lutum erat deserere: sed nihilominus ferreus & durus remanebat ad suscipiendam impressionem veritatis & fidei rectæ, cujus sigillum cordi ejus applicabatur, tum per matris lachrymas, tum per S. Ambrosii sermonem & exemplum, tum per Catholicorum librorum lectionem, tum per cœlestem inspirationem. Internis ergo Dei tunsionibus quasi asperum æs aut ferrum obnitebatur, & cum magni consilii Angelo aliter quam Jacob luctabatur intus, & reluctabatur. Doctrinæ quoque exteriori nimia sui ingenii præsumptione & tumore non assentiebatur sincerè, quamvis eam audiret avidè, sed non cum ea qua decet intentione.

Sic enim fatetur lib. 5. cap. 13. *Veni Mediolanum ad Ambrosium Episcopum, in optimis notum orbi terræ pium cultorem tuum, cujus tunc eloquia strenuè ministrabant adipem frumenti tui, & lætitiam olei, & sobriam vini ebrietatem populo tuo. Suscepit me paternè homo Dei, & eum amare cœpi, primo quidem non tanquam Doctorem veri, sed tamquam hominem benignum in me. Studiosè audiebam disputantem in populo, non intentione qua debui, sed quasi explorans ejus facundiam, utrum conveniret famæ suæ. Verbis ejus suspendebar intentus: rerum autem incuriosus & contemptor adstabam, & delectabar suavitate sermonis, quamquam eruditioris, minus tamen hilarescentis atque mulcentis quam fausti erat, quantum ad modum dicendi.* Hæc ipse de se & de Ambrosio.

Lib. 5. c. 14.

Per S. Ambrosium paulatim informatus.

Paulatim tamen in hoc pectore duro, ex ære & ferro conflato, Ambrosii stylus sculpebat fidei veritatem, & veniebant in animum cum verbis (quæ diligebat Augustinus) res quoque quas negligebat. Et dum cor aperiebat ad excipiendum quam diserte diceret, pariter intrabat & quam verè diceret, sed gradatim. Sic implebatur illud Sapientis: *Verba sapientum quasi stimuli, & quasi clavi in altum defixi, quæ per Magistrorum consilium dantur à Pastore uno.* Comparat hac similitudine verba sapientum stimulis & clavis, quia habent vim corda penetrandi. Dicitque esse data à Pastore uno per Magistrorum consilium. Quia S. Scripturæ, quibus utuntur sapientes ad institutionem vel conversionem aliorum, à Deo summo Pastore, per successionem continuam docentium in Ecclesia Dei, ad fideles deriventur.

Eccles. 12.

Ulterius procedit, quomodo pectus Augustini ex ære & ferro foret, ante conversionem à libidinosa vita. Fatetur enim ipse de se, quomodo fuerit instar ærtis sonantis, tinnientis, & raucam omnino vocem ad Dei percussionem edentis, dum lib. 8. cap. 5. ait: *Respondebam verba lenta & somnolenta; Modò; ecce modò, sine paululum: & modò non habet modum sine paululum, ibat in longum. Nec erat aliud quod responderem veritate convictus, dum undique te vera dicere ostenderes, & mihi inolamares: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Rursus ait ipse de se & ferreo suo pectore: *Suspirabam ligatus, non ferro alieno, sed ferrea mea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido: & dum servitur libidini, facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi anulis sibimet innexis tenebat me captivum dura servitus. Duæ voluntates meæ, una vetus, alia nova; illa carnalis, ista spiritualis, confligebant inter se, atque discordando dissipabant animam meam.* Hæc ipse. At non in his omnibus cernere erat pectus partim ferreum, & partim æreum, hoc est, durum ex parte & obsistens, ex alia verò parte aliquid resonans, sed omnino raucè cum ingrato murmure. Audi iterum: *Rodebar intus, & confundebar pudore, & sententiarum verberibus flagellabam animam meam, ut sequeretur me conantem post te ire, & retinebatur. Recusabat, & non se excusabat. Consumpta erat & convicta omnia argumenta. Remanseras sola trepidatio, & quasi mortem reformidabat restringi à fluxu consuetudinis, quo tabescebat in mortem.* 8. Conf. c. 11.

Denique, quomodo durus fuerit ut æs aut ferrum, convincitur ex eo quod adeo longis & copiosis matris monitis, precibus, lachrymis non cederet, per novem annos. Sic enim confitetur lib. 3. c. 11. *Novem ferè anni secuti sunt, quibus ego in illo limo profundi ac tenebris falsitatis, cum sæpè surgere conarer, & gravius allideret, volutatus sum. Cum tamen vidua illa casta pia & sobria, quales amas, jam quidem spe alacrior, sed fletu & gemitu non segnior, non desineret horis omnibus orationum suarum de me plangere ad te. Et intrabant in conspectum tuum preces ejus, & me dimittebas, tamen adhuc volui & involutus in illa caligine. Pro me ad se flebat illa fidelis tua amplius quam flent matres corporea funera: videbat enim illa mortem meam, ex fide & spiritu, quem habebat in te.* Durum certè erat cor, quod his lachrymis non molliebatur tanto temporis pacto, tantoque cordis amore profusis. O verè ferreum, æreumque pectus, tanto tempore, tantaque duritie ad Dei matrisque voces obnitens interiori cum murmure & rebellione!

PARS III. *Quomodo Aug. aurò & purissimo factus fuit.*

TErtiò videamus, quomodo post caput ex luto, & pectus ex ære & ferro, pedes tandem cernantur non solum ex argento, sed etiam ex auro primo & purissimo. Imò totus in vas aureum & pretiosissimum fuit transmutatus, qui prius reputabatur

tur inter vasa testea, & qui amplexatus erat stercora, nutritus fuit, aliosque nutrire potuit in corceis. Hoc nimirum factum est in ejus conversione, quando carnis & Sæculi vinculis disruptis, dissipataque omni cunctatione turbulenta, exarsit in pacem & pacem Christi. Tunc scilicet quasi vas purissimum flamma divinæ charitatis excoctum fuit, ut fieret vas gloriæ, qui antea vas erat ignominiæ.

Aug. meritis S. Mariæ suæ conversio.

Hanc autem conversionem adscribit ipse & nos cum ipso meritis Sanctæ Matris suæ Sic enim ait lib. 5. cap. 9. *An verò tu Deus misericordiarum pater nescires cor contritum & humilitatum vidua casta, ac sobria frequentantes eleëmosynas, obsequentis atque servientis Sanctis tuis, nullum diem prætermittentis oblationem ad altare tuum: bis in die mane & vespere ad Ecclesiam tuam sine ulla intermissione venientis, non ad vanas fabulas & aniles loquacitates, sed ut te audiret in tuis sermonibus, & tu illam in suis orationibus? Hujus ne tu lachrymas, quibus non aurum aut argentum petebat, nec aliquod volubile aut mutabile bonum, sed salutem animæ filii sui, contemneres? Nequaquam, Domine, immò verò aderas, & exaudiebas, & faciebas eo ordine, quo prædestinaveras esse faciendum.* De qua te rursus ait lib. 3. cap. 9. *Exaudisti eam, nec despexisti lachrymas ejus, cum profluentes rigarent terram sub oculis ejus in omni loco orationis ejus.*

Gen. 35.

Hanc piam Augustini matrem rectè conluleris cum Rachele apud Ephratam pariente, quæ cum partum suum ediditset, vocavit eum *Benoni*, hoc est, *filium doloris mei*, ob eam scilicet, quam pariendo senserat, acerbitatem. Sed & postea appellatus fuit *Benjamin*, hoc est, *Filius dextræ & gaudii.* Certè S. Augustinus primum quidem fuit matri suæ Benoni, & filius doloris, de qua ipsemet dicit lib. 5. cap 9. *Majore me sollicitudine parturiebat spiritu, quam carne pepererat.* Quoscumque idoneos inveniisset rogabat multis cum lachrymis, ut veritatem filium docerent, & mala dedocerent, sicque sibi illum rursus parturienti obstetricante manu sua cooperarentur. Quapropter audivit quodam die ab Episcopo pio & docto: *Vade, non potest fieri, ut pereat filius tantarum lachrymarum.* Mater hæc, pietate fortis terra marique eum secuta est; & per marina discrimina consolobatur nautas, rudes abyssi viatores, pollicens eis perventionem cum salute, quia cœlitus promissum acceperat de filii conversione.

Conf. l. 4. c. 12.

l. 6. c. 1.

Sed non fuit sine anxietate & dolore, donec illum diem videret, quo ipsum genitum videret Christo, quem pepererat mundo. Ad hunc effectum quotidie visa est ad Ecclesiam currere, & in Ambrosii ora suspendi, ad fontem salientis aquæ in vitam æternam. Diligebat enim illum virum sicut Angelum Dei, quia per illum cognoverat filium suum ad ancipitem fluctuationem jam esse perductum, & transiturum ab ægritudine ad sanitatem. Tandem igitur filius ejus, in Christo regeneratus, fuit ei non amplius filius, delatis, sed filius dextræ & lætitiæ. Vis videre filium lætitiæ? Audi cum [illegible]

Turbulenta omni cunctatione dissipata, ingredimur cum Alipio ad matrem, indicamus, gaudet: narramus quemadmodum gestum sit, exultat & triumphat. Et benedicebat tibi, qui potens est ultra quam petimus aut intelligimus, quia tanto amplius sibi à te concessum deme videbat, quam petere solebat miserabilibus flebilibusque gemitibus. Hinc & ipsa postmodum dicebat Augustino, magno cum gaudio & securitate: *Fili, nulla re jam delector in hac vita. Quid hic faciam adhuc, & cur sim nescio, jam consumpta spe hujus sæculi. Unum erat, propter quod in hac vita aliquantum immorari cupiebam, ut te Catholicum viderem, priusquam morerer cumulatius hoc mihi Deus meus præstitit, ut te etiam contempta felicitate terrena servum ejus videam. Quid hic facio?* Ita lib. 9. c. 10.

Luc. 7. Evangelica vidua in Naim. S. Monicam ſcenam exhibet.

Rursus piam Augustini matrem rectè contulerimus cum vidua Evangelica in Naim, cujus filium Christus suscitavit, ejus lachrymis commotus. Hanc describens S. Basilius Seleucus ser. de Elisæo, sic ait: Lachrymarum fluvios emittebat, & miserabiles pro filio voces, quales par erat à mœrore profluere: *Cuinam, fili, viduam & orbam matrem reliquisti, quem te adempto adjutorem reperiam? Cui hac senectute exactæ mea grandis innitetur, vel quomodo angustias orbitatis & viduitatis ferre potero? Duos illustres oculos possidebam. Virum & Filium; utrumque mors effodit. Quis, fili, matrem sepulchro mandabit, justaque persolvet? Illum qui me lachrymis prosequi debebat, lachrymor ego, & sepulchrum ei paro, qui parare mihi debuerat. Par erat, matrem ante filium à morte rapi: hic enim est natura ordo, ut filii parentes præmittant: sed quia ordinem pervertisti, me celeriter tibi adjungat Deus: Satius mihi erat, eodem sepulchro condi, quam sine filio brevi hac luce frui. Nulla mihi vita ultra jucunditas, cum ille non supersit, cujus causa vivere cupiebam. Quamdiu supererat sine dolore arumnas ferebam, & viri calamitatem filii expectatio paulatim à memoria subtrahebat: sed solatium meum mors acerba conturbavit, & in dolorem intolerabilem convertit. Quam diversa sunt eventa ab his quæ mihi proposueram? Ejus nuptias exspectabam, prothalamo sepulchrum construxi; quando de nuvo cogitabam, monumentum tunc paravi. Cum de nuptiali conditione tractabam, testamentum ejus consignatum accepi; & filius matrem hæredem scripsit, qua filium hæredem constituere debebat. Cum vestem nuptiis pararem, funebribus vitiis cadaver constringere cogor. Quam diversa sunt hæc ab iis quæ proposueram? Nullus dolor cum cordis mei acerbitate conferendus, nulla calamitas par calamitati meæ. Nullus vulnus meum sanare poterit: nemo tantus in urbe medicus, non est, inquam, non est. Sed num apud urbis portam invenero.*

Cum adhuc mulier loqueretur, Medicus qui desiderabatur, præsto erat. Ille viduarum Patronus occurrit: Pater orphanorum adolescentem vocavit: vitæ largitor mortem fugavit: matris lachrymas misericordiæ amator expressit. Mortuus è portu egredienti, vitæ ingredienti accurrit: *Noli flere,*

mors quæ te impugnabat, expugnata est. Noli flere, inferni sedes animam à me repetitam restituet. Noli flere, non Satanas devorabit prædam, sed evomet. Sic mœroris flammam suæ benignitatis fonte extinxit & rore, ad misericordiam allectus lachrymis. Hæc S. Basilius Seleucus graphicè & eruditè.

Quæ quidem omnia in sensu spirituali prælarè applicari possunt Monicæ viduæ, Augustino adolescenti, Christo Medico & Suscitatori. Flebat ipsa dolore cordis acerbo filii sui spiritualem mortem; nec à fletu destitit, donec eià Christo dictum est: *Noli flere; filium tuum ad vitam cernes revocatum, & ab inferis suscitatum; nec Satanas devorabit prædam, sed evomet. Ipse tibi oculos piè claudet, & sepulchro condet, effectus servus Dei: à sepulchro peccatorum & errorum erutus, in eadem regula & linea fidei tecum constituetur.* Quapropter in die festivo S. Monicæ in Ecclesia Dei legitur istud Evangelium: *Ibat Jesus in Naim, & ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ, & hæc vidua erat, &c.* Atque ipse Augustinus huic viduæ comparat matrem suam, lib 6. Conf. cap 1. ubi ait: *Me tanquam mortuum, sed resuscitandum tibi flebat, & ferebo cogitationis offerebat, ut diceres filio viduæ: Juvenis tibi dico: Surge; & reviviscæret, & inciperet loqui, & redderet illum matri suæ.*

Hoc mirum factum est, in ejus mira conversione per cœlestem vocem? Tunc igitur qui prius erat fœdum lutum, ac vas spurcissimum, in nova fornace amoris est recusum, in vas aureum est transmutatus, omni detersa scoria & rubigine præfulgi-
Prov. 25. dum. Impletumque est illud Sapientis: *Auferes rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum.* Argentum rubiginosum sapientiæ & doctrinæ sæcularis purgatum flamma claritatis, in aureum desiit fulgorem in Augustino converso; & factus est,
Eccl. 50. *Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.* Vas planè solidum, quod non amplius ad libidinis viscositatem, ad carnis & concupiscentiæ lubricitatem potuit defluere, sed ab omni vitiorum illuvie liberum fuit. Sic enim fatetur lib. 9. Confess. cap. 1. *Quam suave mihi subitò fuit carere suavitatibus nugarum mearum? Quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim à me vera tu & summa suavitas: ejiciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni & sanguini, omni luce clarior, sed omni secreto interior; omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. Jam liber erat animus à curis mordacibus ambiendi, & acquirendi, & volutandi, atque scalpendi libidinum scabiem, & garriebam tibi charitati meæ, & divitiis meis, & saluti meæ, Domino Deo meo.* Vas ergo fuit, Augustinus, mox à sua conversione, non solum solidum, sed & pretiosum, divinas laudes cœlique delicias, & divitias continens, ac aliis propinans
Rabanus in 2. Lect. mira ubertate. Vas non solum solidum & aureum, sed etiam omni lapide pretioso ornatum: *In auro* (inquit Rabanus Interpres celebris) *splendor sapientiæ, in lapidibus pretiosis virtutum decor exprimitur. Cum ergo virtutes Sacræ fulgori sapientiæ intermiscentur, vas anima hæc habens pretiosissimum demonstratur.*

Fulgorem sapientiæ in Augustino totus agnovit mundus, quia per illius radios quaquaversum fuit illuminatus: *In medio Ecclesiæ aperuit Dominus os* Eccl. 15. *ejus, & implevit eum spiritu sapientiæ & intellectus.* Hunc que spiritum ubertimè in omnes refudit, & in sæculum sæculi refundet, quasi cœli vinum è vase suo pretioso propinans Doctoribus & populis. Quapropterà S. Paulino, & aliis SS. Patribus vocatur *Puteus Sapientiæ, Supremus Magister Theologiæ,* Elogia S. Augusti. *Ornamentum Schola, Flos Ingeniorum, Columna Ecclesiæ, Templum Religionis, Scutum Fidei, Exemplum & Fax Prælatorum, Lux Prædicatorum, Doctor Doctorum, Eruditorum Sanctissimus, Sanctorum Eruditissimus.*

Virtutes quoque omnigenæ, quasi lapides pre Virtutes S. Augusti. cioſi, eum circumdant, & mirè promicant, Charitas sive amor Dei ignitissimus, Charitas sive amor proximi zelocissimus, Humilitas profundissima, Continentia & Castitas sanctissima & strictissima, Abstinentia cum austeritate conjuncta, Pœnitentia in finem usque vitæ perseverans, Prudentia cum Fortitudine confœderata, Justitiaque cum Temperantia. Quas in particulari ex ejus vita hic describere potest Concionator, & laudum ejus Præco. Audiendus est pro conclusione Volusianus Epist. 2. describens uno verbo Augustini cœlestem sapientiam, omnem aliorum Episcoporum sapientiam superantem: *Vir est totius gloriæ capax Augustinus. In aliis Sacerdotibus absque detrimento cultus divini toleratur insciția: at cum ad Antistitem Augustinum venitur: logi deest quicquid ab eo contigerit ignorari.*

Propter hanc eminentiam sapientiæ inter sanctos Doctores, *Aquila* Augustinus dicitur, sicut Gregorius *Homo* ob facilitatem, Ambrosius *Leo* ob constantiam, Hieronymus *Bos* ob laborem & solliditatem.

Postremum hoc adjicio, S. Augustinum ideo *Vas* S. Augusti. *aureum* dici, *ornatum omni lapide pretioso*, quia omnis benedictionis in cæteris electis repertæ participeps fuit. Vas ergo benedictionis omnigenæ dicendus est, ita ut de ipso dicere valeamus illud Ecclesiastici: *Benedictionem omnium gentium dedit illi, & testamentum confirmavit super caput ejus.* Sive, ut alia lectio habet: *Benedictio omnium aliquorum requievit super caput ejus.* Certè omnis generis benedictio in electis reperta requievit super caput Augustini, speciali quodam testamento & pacto Dei.

Primò, accepit benedictionem Patriarcharum, 1. dum fœcunditatem illam accepit sanctæ generationis filiorum timentium Deum. Factum enim est SS. Patriarcharum. speciali Dei benedictione, ut ejus generatio, esset quasi Stellarum multitudo, ita ut de ipso verum sit, quod de Abraham pronunciat Ecclesiasticus: *Dedit* Eccl. 44.

illi gloriam in gente sua, crescere illum quasi terræ cumulum, & ut stellas exaltare semen ejus, & hæreditate illos à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos terræ. An non Religiones plusquam quadraginta cum Patris titulo honorant, quæ universum per orbem propagines suas extenderunt? An non milleni filii & filiæ, tanquam stellæ cœlo tandem figendæ, ei enatæ sunt? *Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob*, pro qua Augustinus accepit benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo. *Psal.* 23.

2. SS. Prophetarum. *Secundò*, accepit benedictionem Prophetarum. Si enim Prophetæ divino fuere lumine illustrati, ut cœlestia mysteria intelligerent, & alios deinde edocerent, ac illuminarent: quanto perfusus fuit cœlitus lumine Augustinus in mysteriis divinis & arcanis cœlestibus illuminatissimus & peritissimus, quæ & aliis magna luce explicavit & communicavit magno totius Ecclesiæ fructu? Hoc testantur tot opera ab eo conscripta, adeò timorum mysteriorum plena. Si in Prophetas insiliebat Spiritus Domini ad divinas laudes decantandas, ita ut prophetare frequenter in sacris Literis idem sit, quod ex Spiritus instinctu divinas laudes decantare: quis ambigit, eum hanc benedictionem Prophetarum 1. *Reg.* 19. 1. *Paral.* 25. v. 1. ubertim à Domino accepisse, jam à sua conversione? Qui prius fuerat cœcus latrator adversus divinas literas, de melle cœli melleas, de lumine Dei luminosas; postmodum legens ardebat, & exultans decantabat ex eis laudes Domino, cum cordis jubilo, miris sanè modis, miris odis, & avebat illas refundere in alrorum corda. Audi quid de se dicat cap. 4. lib. 9. *Quas tibi Deus meus voces dedi cum legerem Psalmos David, cantica fidelia & sonos pietatis, excludentes turgidum spiritum: rudis in germano amore tuo, catechumenus in villa cum catechumeno Alipio herinus, matre adhærente nobis, muliebri habitu, virili fide, anili securitate, materna charitate, Christiana pietate? Quas tibi voces dabam in Psalmis illis, & quomodo inflammabar ex eis: & accendebar eos recitare, si possem, toto terrarum orbe, adversus typhum generis humani?* Rursus hac de re cap. 6. sic ait: *Non satiabar illis diebus dulcedine mirabili considerare altitudinem consilii tui super salutem generis humani. Quantum flevi in Hymnis & Canticis tuis, suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter? Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & exæstuabat inde pietatis affectus, & currebant lachrymæ, & mihi bene erat cum illis.* Si olim de Saul dictum est: *Numquid Saul inter Prophetas?* quia accedens ad cuneum Prophetarum, spiritu Dei correptus divinas laudes. 1. *Reg.* 19. decinit: quantò magis id de Augustino dicere possumus, qui spiritu divinæ pietatis impulsus mirabili gestu cordis & vocis exsiliebat in laudes divinas, ita ut à corde non solum exsilirent per os, sed etiam per oculos. Denique, si prophetare idem est quandoque sacris in Literis, quod miracula facere, (Sic corpus Elisæi dicitur prophetasse emortuum, & ossa Joseph) etiam hoc modo Augustinus benedictionem hæreditavit Prophetarum, cujus ossa post mortem multis effulsere miraculis. *Eccl.* 48. *Eccl.* 49.

3. SS. Apostolorum & Martyrum. *Tertiò*, accepit benedictionem Apostolorum & Martyrum, quia miro erga Deum amore flagravit, quasi Apostolica charitate transfixus, miraque constantia fidei veritatem propugnavit, pro illa mortem obire paratus. De ejus ardentissima charitate notum est, propter quam cor flammans gerit, & sagitta percussum suis in iconibus. Unde Confess. l. 9. cap. 2. sic Dominum alloquitur: *Sagittaveras tu cor nostrum charitate tua, & gestabamus verba tua transfixa visceribus; & exempla servorum tuorum, quos de nigris lucidos de mortuis vivos feceras, congesta in sinum cogitationis nostræ, urebant & absumebant gravem torporem, ne in ima vergeremur.* De hac quoque charitate cor suum inflammante sic loquitur lib. 13. Confess. cap. 8. *Amo, te Deus meus, amo te; & si parum est, amem validius. Non possum metiri, quantum desit mihi amoris, ad id quod satis est, ut curras vita mea in amplexus tuos.* Et rursus exclamat ustulante cor ejus amoris incendio: *O Ignis sancte quam suaviter ardes, quam secretè luces, quam desideranter aduris! Væ illis, qui ex te non ardent, qui per te non lucent?* Denique, propter eminentiam charitatis illud tribuitur à nonnullis Doctoribus Augustino: *Dominè, valde exultat in te anima mea, dum cogitat quod tu sis Deus meus. Verum si per impossibile fieri posset, ut Augustinus esset Deus, & tu esses Augustinus, omnino vellem esse Augustinus, ut tu esses Deus.* Ex hac charitate Dei, zelus Apostolicus salutis proximi in corde Augustini increscebat, quem tot sermonibus, totque libellis pietatis testatum reliquit. Atque etiam zelus fidei ejus eluxit in persequendis hæresibus & hæreticis. De quo sic Breviarium Romanum: *Hæreticos perpetuò insectatur, & coram, & scripto, ac nullo loco passus consistere, Africam à Manichæorum, Donatistarum, Pelagianorum, aliorumque hæreticorum errore magna ex parte liberavit.* O quam ei acceptum fuisset, si Christi pro fide cruorem potuisset fundere! Vide Menz. c. 33. Brev. Ro. 28. Aug.

4. SS. Confessorum, Monachorum, Anachoretarum, Pœnitentium. Denique, ut compendio dicamus, accepit benedictionem Sanctorum omnium Confessorum Monachorum, Anachoretarum, Pœnitentium quos innocentia vitæ adæquavit, in oratione, lachrymis, pœnitentia, ducens vitam sanctissimam, totiusque pietatis præclarissimum absolutissimumque exemplar sese exhibens. Unde & sequaces suæ virtutis omni de statu habuit, qui juxta regulam ab eo propositam sese Deo voverent, & ad pietatem vitam componerent. Etenim Presbyteros, Canonicos, Eremitas, Virgines, pium S. Augustini institutum complectitur. Itaque *benedictio illius qui apparuit in Rubo, fuit super verticem justitiæ ejus*, ut fieret *Nazaræus inter fratres suos*, Dux populi, Dux Sacerdotum, Dux Religiosorum, specialitur à Deo ad hoc electus deputatus. Deut. 33.

LECT. 45. *De conversione S. Aug in horto sub arbore. Multa memoratu digna juxta arbores peracta.*

DE EODEM FESTO.

Sub arbore Malo suscitavi te, ibi corrupta est Mater tua, ibi violata est genitrix tua. Pone me ut signaculum super cor tuum, &c.
Canticorum 8.

Multa legimus sacris in Literis juxta arbores peracta, quæ sunt memoratu digna, nec à nostro proposito aliena.

1. *Gen. 18.* *Inprimis* sedebat Abraham sub Quercu in ipso fervore diei, dum ei apparent tres viri, quibus dicit: *Afferam pauxillum aquæ, & lavate pedes vestros, & requiescite sub arbore. Ponamque buccellam panis, & confortate cor vestrum, postea transibitis.* Agnovit autem postea Abraham, ex sermone, fulgore, majestate, quinam essent illi, qui ad eum diverterant. Unde postmodum exorat pro Sodomæ liberatione, cum ei secretum cœleste aperuisset Deus.

2. *Gen. 21.* *Secundò*, Cum Agar erraret in solitudine cum puero suo Ismaële, filio Abrahæ, & consumpta esset aqua in utre, abjecit puerum subter unam arborem, & abiit, seditque è regione procul, dicens: *Non videbo puerum morientem, & sedens contra leva vit vocem suam, & flevit.* Exaudivit autem Deus vocem pueri, & per Angelum demonstravit ei puteum aquæ.

3. *Gen. 34.* *Tertiò*, Jacob postquam luctatus esset cum Angelo, & evasisset multas tribulationes, monitus est ascendere in Bethel, & altare erigere Domino. Prius autem omnia idola domus suæ & inaures eorum infodit subter terrebinthum; hoc est, aures & argentea ornamenta idolorum, ut oblivioni traderentur.

4. *3. Reg. 19.* *Quartò*, Elias fugiens Jezabelis persecutionem, & æstu & lassitudine confectus projecit se sub arborem. At ibi mox excitatus est ab Angelo, & pane subcinericio cum vasculo aquæ confortatus; jussusque est progredi in montem, ubi Deum erat allocutus in solitudine apparentem in sibilo auræ tenuis.

5. Hæc quidem in vetere Testamento. In novo autem, notatu digna est Ficus illa & arbos, sub qua jacebat Nathanaël aliquid secretò agens, forte lectioni sacræ vel orationi vacans, de quo Dominus: *Antequam Philippus vocaret te, cum esses sub ficu, vidi te.* Ab illo intuitu sub ficu, initiatio quædam fuit conversionis ejus ad agnitionem Christi & veritatis fidei.

6. *Luc. 19.* Sic etiam non sine mysterio Zachæus à Christo vocatur, dum arborem Sycomorum ascendisset, ut Christum videret; de qua jubetur festinanter descendere, & illum in domum suam accipere, ut benedictione repleatur, & fiat filius Abrahæ. Ergo & ab arbore sumpsit exordium conversio ejus ad Christum. De qua arbore multa Christianè philosophantur SS. Patres. Inter hos S. Gregorius sic dicit: *Sycomorus ficus fatua dicitur, Pusillus Zacheus Sycomorum subiit, & Dominum vidit, quia qui mundi stultitiam humiliter eligunt, ipsi Dei sapientiam subtiliter contemplantur. Quid in hoc mundo stultius, quam amissa non quærere, possessa rapientibus relaxare, nullam pro injuria injuriam reddere, sed patientiam exhibere? Per Sycomorum ergo Dominus transiens cernitur, quia per hanc sapientiam stultitiam, etsi necdum ut est solidò, jam tamen per contemplationis lumen Dei sapientia quasi in transitu videtur.* l. 26. Moral.

Augustini nostri sancta ad Deum conversio etiam juxta arborem in horto contigit, prout ipsemet describit Confes. lib. 8. cap 6. Audiverat ex ore cujusdam Potitiani duos Nobiles in hortis contiguis ad mœnia Trevirensia deambulantes, cum ibi invenissent in quadam casa vitæ S. Antonii codicem, mox immutatos fuisse admirabili dextera Excelsi, atque deserta Imperatoris aula illico arripuisse religiosum institutum. Et ambo habebant Sponsas, Quæ posteaquam hoc audierunt, dicaverunt & ipsæ virginitatem. O felix hortus, felices arbores; sub quibus adeo admirabilis conversionis fructus subitò enatus est, subitoque ad maturitatem productus! S. Augst. juxta arborem conversus.

Audita autem hac narratione, mirè commotus fuit interius Augustinus, ita ut de se sic ipse dicat lib. 2. cap. 7. *Tu inter verba hæc retorquebas me ad meipsum, auferens me à dorso meo, ubi me posueram, dum nollem me attendere; & constituebas me ante faciem meam, ut viderem quam turpis essem, quam distortus, & sordidus, & maculosus, & ulcerosus. Et videbam, & horrebam, & quò à me fugerem, non erat. Ita rodebar intus, & confundebar pudore horribili vehementer.* Terminato autem sermone, & abeunte Potitiano, in illa grandi rixa interioris domus suæ, vultu & mente turbatus, sic invadit Alipium. *Quid patimur? quid est hoc; quid audisti? Surgunt indocti, & cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis, sine corde, ecce ubi volutamur, in carne & sanguine?* His dictis abiit in hortum, ubi nemo audiret, aut impediret ardentem litem tumultuantis pectoris, frementis salubriter, & indignantis sibi ipsi, quod non iret resoluto vestigio in placitum Dei. Alipius verò pedem intuit post pedem in hortum; & ipse secedens, & cum Augustino sedens. Tandem post longam spiritus & carnis luctam, quam ibi patiebatur, sic de se prosequitur ibid. cap. 12. *Ubi verò à fundo arcano alta consideratio contraxit, & congessit totam miseriam meam in conspectum cordis mei, oborta est procella ingens, ferens ingentem imbrem lachrymarum. Et ut totum effunderem cum vocibus suis, surrexi ab Alipio, & secessi remotius quam ejus mihi onerosa esse posset præsentia. Mansit ergo ille ubi sedebamus, nimis stupens. Ego sub quadam fici arbore stravi me, & dimisi habenas lachrymis, & prorumperunt flumina oculorum meorum, acceptabile sacrificium tuum (Deus). Et multa Domine? Quamdiu ira, & ira? Memor non fueris quæso non hac hora sinu turpitudinis mea? Dixi ergo hæc*

hac, & flebam amarissima contritione cordis mei. Hæc ipse de se.

Tandem audivit vocem de vicina domo cum cantu dicentis, & crebrò repetentis: *Tolle, lege, tolle, lege* cœpitque cogitare, num pueri solerent in aliquo lusu simile quid cantare, nec occurrebat audivisse se uspiam. Nihil aliud igitur interpretans, quam divinitus sibi juberi ut aperiret codicem, & quod primum occurrisset, legeret (quia & ex Evangelico verbo mox fuisse conversum Antonium audiverat) rediit ad locum, ubi Alipium reliquerat cum codice Apostoli. Arripuit, aperuit, legit in silentio quod primum occurrit: *Non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, sed induimini Dominum* JESUM *Christum, & carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis vestris.* Statimque cum fine hujusce sententiæ, quasi luce securitatis cordi infusa, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt. Indicat Alipio, quid in se ageretur. Ille cupit videre quid sequeretur in libro. Sequebatur autem, *Infirmum in fide assumite.* Quod quidem ad se retulit, & in eodem est proposito confirmatus; & sine ulla turbulenta cunctatione conjunctus. Inde ad Matrem ingrediuntur, indicant rei gestæ seriem; exultat illa, & benedicit Deo pro hac conversione, quam tot lachrymis ab illo petere solebat, & decantat: *Convertisti planctum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia. Ut cantet tibi gloria mea, & non compungar, Deus meus in æternum confitebor tibi.*

Rom 13.

Psal. 29.

Moralia ex S. Aug. conversione.

Hæc est summa historiæ Conversionis ejus, & circumstantiarum. Ex qua nonnulla moralia documenta possumus elicere.

1.

Primò igitur attende, quam ei aptè conveniat illud Canticorum: *Sub arbore Malo suscitavi te. Ibi corrupta est Mater tua, ibi violata est genitrix tua.* Arbor Malus, sive arbor pomifera, quandoque sumitur in genere pro omni arbore fructifera. Mater nostra Eva per peccatum corrupta est sub arbore mortifera: Christus omnem animam peccatricem suscitat à morte ad vitam sub crucis vitali arbore. Sive ergo Ficus fuerit prima arbos, ut quidam volunt, sive Malus; verum est, quod ibi in Eva Matre nostra & Adamo Patre facti sumus filii iræ, filiique mortis. Unde & alia lectio habet: *Ibi parturivit te Mater tua, ibi peperit te genitrix tua.* Hos autem, quos sub arbore morti genuerunt Adam & Eva, sub arbore regenerat vitæ Christus & Maria. Sed rectè Christus dicere potest Augustino: *Sub arbore suscitavi te; ibi te peperit Mater tua*, non solum ob arborem Crucis, in cujus fide vitam gratiæ accepit: verum etiam ob arborem, sub qua se straxit, & percepit vocem vitæ, ut resurgeret a morte: Ibi non solum Christus & Maria sed & Monica, Matri eum peperit, quia ejus meritis & lachrymis novæ hujus conversionis fœtus est adscribendus, ut ante diximus. Ibi ille, qui prius erat *Filius doloris, & Benoni*, factus est novo partu filius gaudii & amoris, & lætitiæ suæ, cognatus. *Mulier cum parit, tristitiam habet,*

Cant. 8.

Vide Ponte in illum locum Cant. Ita legunt LXX.

Joan. 16.

at cum peperit, non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Hoc Monicæ sanctæ convenit, quæ illicò tristitiam omnem oblivioni tradidit, dum natus est ei filius sancta conversione, non sæculo, sed cœlo.

2.

Secundò attende, non potuisse sine copioso propriarum lachrymarum imbre ad lucem educi, qui tot lachrymarum fluenta è maternis eduxerat oculis. Ideo dicit, *Flebam amarissima contritione cordis mei.* Jam flebat pro se, pro quo aliis fleverant. Et rursus ait: *Congestâ tota miseria mea in conspectum cordis mei, aborta est procella ingens, ferens ingentem imbrem lachrymarum.* Non poterat perire filius tot lachrymarum, sed quasi initiali baptismate in lachrymis accipiebat ortum vitæ. Ibi sepeliebatur Ægyptius, renascebatur Hebræus. Ibi extinguebatur ignis cupiditatis sæcul: renascebatur novus ignis amoris divini. Ibi suffocabantur peccata, revivescebat cœlestis gratia. Ibi velut per madentem spongiam obliterabantur præterita, & atramento ac digito Dei vivi cordis tabulis inscribebantur nova & admiranda, quæ in stuporem totum poterant orbem rapere. Ibi Sol, qui eum prius ut latum viderat respexisse, & duriciem majorem inuxisse, respexit eum ut ceram, quæ liqueficeret quasi à facie ignis. Exinde fuerunt ei lachrymæ familares & dulces, exinde preciosum accepit donum lachrymarum. Initio conversionis frequens fuit in lachrymis compunctionis, quibus *contribularet cervicem superborum in aqua.* Postmodum dabat & lachrymas devotionis, audiens cantica Ecclesiæ suavesonantis. Ac frequentissimè in meditationibus suis lachrymas effudit amoris, præ cœlestibus desideriis. Impensè apud Deum orabat, ut sibi concederet continuum *irriguum superius, irriguum inferius*, ut nulla ex parte atida maneret tellus cordis. In ipsa quoque ordinatione in Presbyterum, amare flebat, timens honoris fastigium, ac sæculi periculum. Quid plura? Fuerunt ei lachrymæ panes die ac nocte, quia vel super suis, vel super aliorum flebat miseriis. Cum barbari Vandali cuncta devastarent, & Urbem Hipponensem obsiderent, satis peccatis Pastor attribuebat eladem gregis. Et ita factum est, ut ex dolore & zelo compassionis in febrim incideret tertio mense obsidionis. Cum lachrymis autem legens Psalmos pœnitentiales continuæque inhærens lamentationi, spiritum Deo reddidit. Sic qui à lachrymis suum inchoaret conversionem, in lachrymis finivit vitam, & inter homines conversationem: quemque lachrymæ pepererant Ecclesiæ & sanctitati, lachrymæ pepererunt gloriosæ æternitati. O felicem filium lachrymarum! Verè perire non poterat talis filius lachrymarum; quia nec tales poterant perire lachrymæ, sive ab aliis prose, sive à se prose & aliis fusæ.

Psal. 73.

S. Aug. lachrymis vitam suis vitam finivit.

3.

Tertiò attende, quam variis modis tempore destinato suos ad se Deus vocet & adducat prædestinatos, juxta varias eorum inclinationes. Reges & Magos Orientis, quia Astrologiæ & stellis sæpe dicitur

Varius modus Dei vocandi.

per

per stellam ad se abducit. Piscatores volens suos facere Apostolos, per retia eos & pisces, copiosamque piscationem, in admirationem rapit; ostenditque quomodo futuri sint piscatores hominum, si vocantem sequantur supremum Piscatorem. Sic Magdalenam amoribus deditam mito trahit amore, malesanum amorem carnis convertens in purum amorem veritatis, & vitæ cœlestis. Sic & Samaritanam ad fontem aquæ materialis procedentem ex necessitate, erigit ad considerationem & haustum aquæ vivæ. Sic & Eunuchum Candacis Reginæ Æthiopum, quia studiosus erat lectionis Scripturarum sacratum, per lectionem Isaiæ cum instructione speciali Philippi illuminat. Similiter dicimus de S. Augustino, quia libris deditus erat assiduo studio, per Epistolæ Paulinæ brevem, sed efficacem lectionem eum voluit Dominus illuminare, & ad perfectam conversionem adducere. Unde ei iusonat vox cœlestis: *Tolle lege, tolle lege.* Quæ absque dubio vox Angelica fuit, quia Deus modò per seipsum, modò per homines, modò per Angelos soler alloqui & vocare quos vult justificare, & glorificare, ut alibi explicatum à nobis latius est.

Luc.7.
Joan.4.
Actor.8.
Vide Hor. Pastor. dect.4.

Postremò; cum hæc Augustini conversio, ut dictum est, sub arbore Ficu facta sit, potuit de eo dicere Dominus quod de Nathanaële: *Cum esses sub Ficu vidi te.* Oculis scilicet lucidissimis misericordiæ suæ respexit eum Dominus sub hac Ficu, quem jam à principio respexerat sub Ficu in Adamo, prout etiam de Nathanaële interpretatur ipsemet Augustinus.

Joan.1.

Sub hac igitur arbore, ut finem jungamus principio, paululum requiescens in fervore diei, quasi sub ilice *Abrahæ*, lavit pedes suos, & bucellam panis confortatus est, ut transiret ulterius, & de lutosa via ad novum iter cœlestis vitæ sese accingeret.

Sub hac arbore, instar *Agar* flens, exauditus est, & ostensus est ei puteus aquæ vivæ, cujus siti exarescebat.

Sub hac arbore, instar *Jacob*, infodit omnia idola domus suæ, idola hæresis & erroris, idolaque vanæ sapientiæ, ut ascenderet in Bethel, in domum veræ sapientiæ, in finem Ecclesiæ Catholicæ, sacrificium veræ laudis Domino immolaturus.

Sub hac arbore instar *Eliæ*, post longam persecutionem Jesabelis, id est, concupiscentiæ, pane lachymarum refectus est, & aqua cœlestis gratiæ potatus Angelico ministerio, ut posset in Montem Dei ascendere, & ipsum alloqui, non amplius in flamma superbiæ, nec in turbine concupiscentiæ, nec in vento tumidæ sapientiæ, sed in sibilo tenuis auræ, humilis & lenis obedientiæ. Per hanc enim in Ecclesiam venit, catechumenorum numero se adscripsit, baptismum petiit, & postmodum cum Deo colloqui sæpius promeruit. De hac conversione & baptismo Augustini agens S. Ambros ser. 91. (si tamen ejus est) sic ait: *Jubilate de tanta victoria, in qua Augustinus, tanquam Dux cum commilitonibus suis. Adeo dato & Alipio, captivi nostri sunt. Quis expugnavit animum? quis superavit? Non argumenta, non vis aliqua verborum, sed Dei duntaxat virtus & clementia. Hæc quidem captivitas Augustinum beatum facit. Triumphare visus est, illa præsertim hora in qua novum hominem sacro baptismate induimus, in qua unà divino quodam instinctu cantavimus de Christi fide. Agamus gratias Domino* JESU *Christo, qui religioni nostræ tantum ac talem Principem dedit. Gaudeamus in Domino. Gaudeant Angeli tam celebri conversione. Gaudeat cœlum terraque, ac benedicant omnes Dominum qui ad subsidium hominum illuminavit Augustinum. Hanc conversionem in futurum homines divinis prosequentur honoribus.* Hæc ibi, & plura, quæ videre poterit pius lector apud Ambrosium, in fine tom.3. Adimplevit porrò S. Augustinus, divinæ gratus vocationi, quod in Canticis sequitur. Ubi postquam dixisset Sponsus: *Sub arbore malo suscitavi te*, subjungit; *Pone me ut signaculum super cor tuum, super brachium tuum.* Reddidit dilectioni dilectionem, obsirmavit cor annulo Dei; ut nullus vanus amor ultra irreperet; obsignavit & manus, ut deinceps semper in gloriam Dei omnia operaretur.

IN FESTO S. BAPTISTÆ.

Pro Festo Decollat.

Multa testimonia de Joanne producimus, ipse autem ex humilitate de se noluit aliud dicere, quam illud: *Ego vox clamantis in deserto.* Fuit autem vox efficax, nam multi convertebantur confitentes actus suos, & petentes baptismum in signum pœnitentiæ. Quapropter ei convenit illud: *Vox Domini super aquas: Vox Domini in virtute: Vox Domini confringentis cedros: Vox Domini concutientis flammam ignis: Vox Domini præparantis cervos.* Quæ omnia S. Basilius de Joanne interpretatur. Vox erat Joannes alta & sublimis, penetrans usque ad corda: nec in angulo mussitabat, sed in publico personabat, magno spiritu, magna constantia. Non erat vox adulantis aut blandientis, sed clamantis & arguentis, ut alibi explicui.

Luc.4.
Vide dicta Dom.1. Advent. lectio.4. p.1. de Virginibus S. Joannis. Psal.28. V. Dom.4. Advent. lect.1.

Nulli hæc vox parcebat, sed contra vitia Principum & Magnatum, Pharisæorum & Scribarum, militum & aulicorum, totiusque populi, detonabat sine trepidatione, sine personarum acceptione. Non parcebat Pharisæis in plebe ob doctrinam & pietatem honoratis, sed eorum detegens hypocrisim & vitam venenatam, vocabat *Genimina viperarum.* Non parcebat Regi, nec privatim, nec publicè, sed dicebat ei: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*; fremente licet Herode & Herodiade crebrò id conculcabat. Vocis ergo fungebatur munere non solum in deserto, sed etiam in Regis palatio.

Luc.3.
Marc.6.

palatio. Quia in Principum palatiis deesse solet vox veritatis, quæ vitia arguere soleat & aulæ dedecora, cœlestis lingua Prophetæ noluit deesse; sed tanquam calamus Scribæ velociter scribentis continuò exarabat in corde duro Regis hæc verba: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Meritò conquerebatur quidam Rex, quod cum omnia sibi in aula abundarent, esset tamen inopia veritatis, quia vel non ingrediturad Reges, vel non nisi fucata. Ibi enim regnat adulatio. Ibi corvi, qui eruunt oculos. *Isa. 53.* Ibi Simiæ, ibi Syrenes, ibi *Canes muti non valentes latrare*, ibi desunt veræ justitiæ intrepidi præcones, non desunt parasiti & blanditores, qui Principum vitia foveant.

Eccl. 4. Joannes ergo, sciens scriptum esse: *Pro justitia certa, & agonizare usque ad mortem*, hoc adimplebat, quod de eo canimus: *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar.* Non veretur vultum Herodis aut Herodiadis, qui in spiritu venerat & virtute Eliæ, ut coram Regibus staret intrepidus. Interim, quia veritas odium parit in cordibus pravis flagitiosorum, & vox clamantis veritatisque insonantis ingrata est, ideo hanc vocem premere & perimere incestus Herodiadis nititur animus. Odium parricidale in corde ejus succensum propter vocem veritatis primò quidem ebullit in minas, deinde se publicè profundit per vincula & compedes, tandemque in flammam exsurgit tantam, ut nonnisi Prophetæ possit cruore sopiri.

S Joannes erat lucerna ardens & lucens. Joan 5 Joan. 3. Joannes erat *Lucerna lucens, & ardens. Ardens in seipso austeritate conversationu, erga Christum intimo fervore devotionu, erga peccantes constantia libera increpationis. Lucens exemplo, digito, verbo*, inquit S. Bernardus. Sed hanc lucem ægri oculi reformidant, odiosa eis est; *Dilexerunt magis tenebras quam lucem*, ideo rebelles sunt lumini istamque lucernam extinguere conantur, lucemque suffocare, & ardorem fulgurientem.

Erat speculum. Joannes erat Speculum, quod non solum imaginem Solis reverberantem & radiantem in se susceperat, quam & in alios refundebat; sed etiam erat Speculum suam, cuique inspicienti imaginem in veritate repræsentans, deformibus deformem, pulchris pulchram. Sed deformes & maculosi, qui nævos suos corrigere renuebant, insaniunt in speculum, & instar simiæ sese in eo inspectantis insurgunt in illud, ut perfringant & proculcent.

Erat medicus. Joannes erat Medicus, ulcus tangebat, secabat, cataplasma efficax adhibebat. Sed ulcus hi gerebant, quod dicitur, *Noli me tangere*, febrisque exæstuans non permittebat eos agnoscere Medicum vel medelam; ideo furorem stringunt & rabiem, exacuuntque ferrum in eum, quem adamare debuerant & honorare.

Occasione cui S. Joannes per Herodem. Quæritur ergo occasio necis Prophetæ per Herodem, maximeque per Herodiadem illecebris incestis Regem dementantem. Convivium solemne instituitur, advocatur puella, saltitat, gesticulatur, ludit ut illudat. Fit promissio regia, confirmatur juramento turpi, turpe adimpletur. Conspiratur in Joannem, amputatur ei caput in carcere, affertur in disco, currunt rivi sanguinis, oculi pascuntur convivantium. In turpi voto mutandum erat decretum; sed crudelissimè adimpletur, quod criminosè spondetur: Intuere, ô Rex, *tuo ferculum dignum convivio, porrige dexteram, ut inter digitos tuos, rivi defluant sacri cruoris. Et quoniam non exsaturari epulis fames, nec sitis restingui poculis, bibe sanguinem scaturientibus adhuc venis profluentem. Cerve oculos in ipsa morte sceleris tui testes, aversantes conspectum deliciarum. Clauduntur non tam mortis necessitate, quam horrore luxuriæ. Os illud aureum exangue, cujus sententiam ferre non poteras, conticescit, & adhuc timetur.* Vox ejus: ô Herodes, adhuc timorem tibi incutit, quia Vox veritatis morte non extinguitur, & Vox sanguinis impientissimè profusi non tacet in auribus Dei, nec terra quæ suscepit eum. Imò clamabit in æternum, te & incestos omnes accusans & condemnans, in abyssosque mergens. Et quia hic sanguis clamat, saltatrix tua non erit immunis, sed absorbebit eam glacies, exsectoque saltabit capite, ac postmodum æternùm saltabit in igne. *V. Amb. in Brev.*

Porrò hoc fuit providentiæ divinæ cuncta admirabili ordine dispensantis, quod Joannes virtutis omnis speculum, sanctitatis norma, pudicitiæ exemplum, Angelus conversatione, incestis datur, traditur adulteræ, addicitur saltatrici, ita ut vitium videatur triumphare de virtute, libido de castitate, impietas de innocentia & pietate. Sed id permisit Deus in Joannis majorem gloriam, tum quia sic voluit eum corona martyrii condecorare, tum ut pudicitiæ germen proprio ipse rigaret cruore, tum denique, quia debebat adimpleri, quod Joannes dixerat: *Illum oportet crescere, me autem minui;* quapropter Joannes minutus est capite, Christus crevit in cruce. *Joan. 3.*

Sed neque hic Herodes, aut Herodias, sed vox veritatis censetur vincere & triumphare. Notæ sunt propositiones post convivium Darii purpuratis exhibitum, a cubicularibus ejus productæ, quæ & hic locum habent post convivium Herodis. Unus scripsit: *Forte est vinum.* Alius scripsit: *Fortior est Rex.* Tertius scripsit: *Fortiores sunt mulieres, super omnia autem vincit veritas.* Primus probat propositionem suam, quia vinum seducit mentem, Regisque ac orphani facit mentem vanam, prævalet & dominatur. Item servi ac liberi, pauperis & divitis, & omnem mentem convertit in securitatem & jucunditatem, facitque oblivisci omnem mœrorem & omne debitum, & omnia per talenta loqui facit. Secundus probat propositionem suam de fortitudine Regis, quia terram & mare obtinet, & super omnia dominatur, jubet demoliri montes, muros, turres. Si dixerit occidite, occidunt, si remittite, remittunt; si exterminate, exterminant; si ædificate, ædificant. Quomodo ergo non præcellit Rex, cujus dicto *3. Esd. 3. 4.*

sic omnes obaudiunt? Tertius probat suam propositionem de mulieribus & veritate. De mulieribus quidem, quia magnus est Rex in potestate sua, inquit, & tamen vidi concubinam Regis sedentem juxta Regem ad dexteram, & auferentem diadema de capite ejus, & imponentem sibi, & palmis cædebat Regem de sinistra manu. Et Rex intuebatur eam, & si arriserit ei, ridet; si indignata fuerit, blanditur. An non ergo sunt fortiores mulieres? Tandem addit: Sed fortior omnibus veritas. *Omnis terra invocat veritatem, cœlum etiam eam benedicit, & non est cum ea quicquam iniquum, iniquus Rex, iniqua mulieres, & filii hominum, ac opera eorum. Veritas manet & invalescit in æternum, & vivit, & obtinet in sæcula sæculorum. Benedictus Deus veritatis.* Ita postremò ille.

Fortè vinum. An non hæ propositiones singulæ hic locum habent? *Primò*, quidem cernitur quam forte sit vinum, quod Regis mentem sic seducit, ut dimidiam partem Regni dare paratus sit propter saltationem, ut jusjurandum iniquum adjiciat per mitam temeritatem, Cum incaluisset mero, omnia hæc peraguntur, ut notat textus Evangelicus. O vinum, quàm sæpe mentem dementas, & quàm iniquè dominaris! Loth in incestum præcipitas, denudas Noë, Absalonem in fratrem Ammon armas, Holofernem exarmas, Herodem ad imum impietatis deducis. Verè, *fortè est vinum*, prævalens his qui bibunt illud!

Fortis Rex. *Secundò*, cernitur hic quam fortis sit Rex, in cujus ore situm est vitæ vel mortis decretum, ita ut audeat in Dei Prophetam, Præcursorem, Legatum, Angelum, mittere manus, ferrumque stringere, & contra Deum pugnare: *Misso speculatore jussit amputari caput Joannis in carcere.* Si ergo Rex dixerit, exterminate, exterminant; si percutite, percutiunt; si occidite, occidunt. O Regis forte verbum!

Mulieres fortes. *Tertiò*, cernitur hic quomodo fortiores sunt mulieres, ipsæ enim sunt quæ Regem ad facinus adeo horridum impellunt; ipsæ sunt quæ ejus cordi dominantur, eumque seducunt, alias lubenter audiebat Joannem.

Fortissima Veritas. *Quartò*, cernitur, quomodo *super omnia veritas*; prævalet enim Vino, Regi, Mulieribus. Licet Joannes sit in vinculis, vox tamen veritatis non alligatur, nec carcere clauditur. Licet morti addicatur, mortem non timet, nec regiam potestatem, nec vini luxuriam, nec muliebres insidias. Triumphat in eo Veritas, lubens pro ea caput offert Præco Veritatis. Iniquum est Vinum, iniquus Herodes Rex iniquæ mulieres & opera eorum; cum Veritate non est quicquam iniquum, sed ubique clamat contra iniquitatem, in deserto, in palatio, in ergastulo, in convivio, in cœlo. Benedictus ergo Deus Veritatis, benedictus & Præco Veritatis, qui vivit & invalescit in sæcula. Hic & alios docuit state pro veritate & castitate, Matthæum, Paulum, Lambertum, Rumoldum, Stanislaum.

IN FESTO NATIVIT. B. M. V.

Nativitas tua, Dei Genitrix Virgo gaudium annunciavit universo mundo, &c. Lect. 47. tripart.

APud veteres quæstio fuit, an dies nativitatis lætitiâ sit celebrandus, an potius luctu. Primam opinionem secuti sunt nonnulli, de quibus sacris in eloquiis fit mentio, qui varia solennitate opiarisque conviviis diem suum natalem celebrant, non solùm amicos, sed etiam sibi famulantes ad geniem plausum quotannis invitantes. PARS I. *Hominum nativitates esse deplorandas.*

Sic dicitur: *Dies tertius natalitius Pharaonis erat, qui faciens, grande convivium pueris suis*, hoc est famulis, *recordatus est Magistri pincernarum & pistorum Principis.* Gen. 40.

Rursus, in die natalis Regis Antiochi (qui sacer habebatur) sacrificia offerebantur, *& cum Liberi sacra celebrabantur, cogebantur Judæi hederæ coronati Libero circuire.* Fiebant utique sacrificia Baccho, & multa ebrietate ac libidine ei litare tunc mos erat, circumeundo urbem cum Hederæ coronis, quia Hedera Baccho arbor sacra erat. Hæc ergo erant Bacchanalia & Liberalia, à Baccho seu Libero Deo sic dicta. 2. Mac. 6.

Denique Herodes natalis sui cœnam fecit Principibus, & Tribunis, & primis Galilææ; introductaque est Filia Herodiadis, ut saltaret coram recumbentibus. Marc. 6.

Alteram opinionem, luctu scilicet potius quam gaudio prosequendum diem nativitatis, secutæ sunt aliquæ nationes. Sic Thraces soliti feruntur infantium nativitates planctu & lessu celebrare, funera verò lætitia & tympanis. Huic etiam opinioni videntur suffragari sacra eloquia. Nam Ecclesiastes disertè pronunciat: *Melior est dies mortis, die nativitatis.* Nempe natalitius dies in turbulentum hujus vitæ pelagus nos inducit, ubi draco latibulum suum posuit; transitus verò dies ex stadio ærumnoso nos educit. Sed & ipsi infantes docere videntur natalem diem non convivio agendum, sed fletu. Quare enim in lucem prodeuntes à ploratu incipiunt, inquit S. Augustinus ser. 24. de verbis Apostoli? Respondet: *Quando plorat nascens, prophetat sua calamitatis est; lachryma enim testes sunt sua miseria. Nondum loquitur, & prophetat. Quid prophetat? In labore se futurum vel timore. Et si bene vixerit, & justus fuerit, certè in mediis positus tentationibus semper timebit.* Ita ille. Neque minus Regum aut Principum lugenda nativitas quam aliorum, quia ut ipse fatetur Salomon: *Nemo ex Regibus aliud habuit nativitatis initium*, quam à fletu. Sum ego, inquit ipse, *mortalis homo similis omnibus, & ex genere illius qui prior factus est: & in similiter factam desiit terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans.* Meritò deplorandum est grave jugum, quod incipiunt trahere filii Adæ à die exitus de ventre matris usque in diem sepulturæ, *ab eo qui vestitur purpura-* Eccl. 7. Sap. 7. Eccl. 40.

purpura & hyacintho, & portat coronam, usque ad eum, qui sedet in cinere, & vestitur in lino crudo. Si hominem natura nudum, & in nuda humo, natali die abjicit ad vagitus & ploratum; si ab hoc lucis rudimento vincula excipiunt, & omnium membrorum nexus; qualis dementia eorum qui ab his initiis existimant se ad superbiam & voluptatem genitos?

Dictam quoque opinionem secuti videntur viri sancti, qui ut dicit Origines, Levit. 12. Nemo ex
Gen. 21. omnibus Sanctis invenitur diem festum vel convivium magnum egisse in die Natalis sui. Abraham celebrasse non legitur nativitatem sui Isaac aliquo convivio; sed fecisse grande convivium in die ablactationis dicitur. Celebrant Sancti ablactationem, quando scilicet mundi voluptas velut lac virosum
Job. 3. repudiatur. Job lamentatur diem nativitatis, sicut
Jerem. 20. & Hieremias, eumque maledicere videntur, spectando ærumnas quas affert, simulque peccatum originale, & alia mala quibus homines involvit miserabiliter & deplorandè. Maledicere ergo non aliud est quam dicere infelicem, & graviter de eo conqueri, tanquam ærumnarum omnium originario die. Quod si Sancti ita conqueri potuere, quid de impiis?

Certè non potest celebrari nativitas hominum cum securitate gaudii, quia de multis verum est
Matt. 26. quod de uno: *Melius ei foret, si natus non esset homo ille.* Quando considero in conceptu Cain Matrem
Gen. 4. Evam gaudentem & dicentem: *Possedi hominem per Deum*; cogor dicere: O Eva, si scires hunc filium tuum adeo fore infelicem, ac tandem ex parte Dei reprobandum, non lætareris vel in conceptu, vel in partu, nec diceres: *Possedi hominem per Deum.* Quando considero Absalonem editum in mundum; quia filius est Regis speciosus, & vultu amabilis, video multos in ejus nativitate gaudentes. Sed, eheu! quot ærumnas intulit Patri, quot ærumnas & sibi nunquam finiendas? Eheu, quam infelix nativitas! *Melius foret, si natus non esset homo ille*; melius inquam, quam æternum lugere. Sic maledicti jam Cham, & reprobi Ismaëlis deplorandæ potius fuerunt nativitates, quàm celebrandæ. Multi quoque
Gen. 35. parentibus filii sunt *Benoni*, id est, *filii doloris*; cruces & ærumnas intolerabiles ei pariunt, ideoque luctu digna eorum & nativitas est & vita. Propterea dixit
Eccl. 16. Sapiens: *Ne jucunderis in filiis impiis, si multiplicentur; nec oblecteris, si non est timor Dei in illis. Utile est mori sine filiis, quam impios post se relinquere.*

Sed nunquid infelicissima fuit nativitas & Pharaonis & Antiochi & Herodis, quas quotannis celebres fuisse luxu & plausu, sacra eloquia commemorant? Profectò cum infelicissimus fuerit eorum exitus è vita, qua ratione nativitas dici potest beata? Quinimmò, teste sacro textu, Pharao & Herodes, dum diem natalis sui festivis celebrant gaudiis, uterque infausto auspicio festivitatem suam san-
Gen. 40. guine & crudelitate fœdavit. Nam Pharao eo die Pistorum Principem suspendi jussit. Herodes infa-
Marc. 6. mi scelere Baptistam interemit, & caput cruentum inter fercula in convivium inferri inaudita feritate voluit.

Interim, dies ut suum natalem quotannis celebrent: consulendum est Christianis omnibus. Non id quidem convivia cum luxu instruendo, sed ad convivium Eucharisticum cum pietate accedendo. Quid est Eucharisticum epulum, nisi epulum quod in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis est institutum? Recurrente ergo natali die Eucharistiam sumendo, gratias agat Christianus pro beneficiis, quæ de momento in monumentum à Deo accipit jam ab exordio vitæ. Gratias agat de beneficio baptismi & vocationis ad fidem, de beneficiis toties in vita perceptorum Sacramentorum divinorum, per quæ à peccatis emundatur, de beneficio lucis gratiæ, de beneficiis quoque aliis particularibus, quæ, nisi sit ingratus, debet agnoscere à divina manu quotidie se accipere, tam secundum animam, quam secundum corpus. Renovet quoque in die nativitatis suæ devotionem particularem erga Angelum sibi ad custodiam deputatum, & gratias agat, quod ex tunc, adstiterit curam ipsius agens, nocte & die non deserens. Ad hunc effectum panem Angelorum sumat, & perpetuum obsequium spondeat tantæ nobilitatis Angelo ad custodiam sui misso. Hoc nimirum est spiritualiter nativitatem celebrare suam, non carnaliter, & quidem magis spiritualem, quam temporalem nativitatem.

Natalis cujusque dies quomodo celebrandi.

ALiorum nativitates si deplorandæ, Virginis Deiparæ Nativitas tota est plena gaudio; & ideo eam solemniter celebrat Ecclesia, & omnes ad lætitiam adhortatur in ea.

PARS II. *B. M. V. Nativit. esse gaudio plenam.*

Primò quidem, quia hæc Nativitas ab omni fuit immunis peccato. Ecclesia aliorum etiam Sanctorum non celebrat Nativitatem, sed ultimum diem, celebrat vitæ eorum, vocatque Nativitatem, quia in immortalem vitam electos generat, estque finis laborum, consummatio meritorum, quietis initium, victoriæ dies, gloriæ porta, portus appulsio, veræque vitæ exordium. Tres tantum celebrat Nativitates, Christi, Mariæ, Joannis, tum ob puritatem & immunitatem à peccato originis, quæ in his tribus Nativitatibus reperitur; tum ob alia mysteria & privilegia. Joannes enim & Maria nascuntur ex sterilibus parentibus propter mysterium: Christus autem ex Virgine Deus & Homo super omne mysterium. 1.

Secundò, B. Virgo non solum prodiit ex utero immunis à peccato, sed etiam copiosis gratiæ donis adornata, ita ut ex tunc omnes Angelos & electos gratiâ superarit, & chrismatum spiritualium muneribus superexcellerit. Quia ex tunc electa erat Dei Mater, & sic donis huic dignitati (quæ affinitatem cum Deo continet) proportionatis adornata fuit. Ex tunc *Pandora* verè dici potuit, sive omnigenis donis Divorum honorata, longè potiori ratione quam fictitia illa Pandora apud Ethnicos veteres. 2.

Finxere enim Poëtæ, Pandoram ita Deorum sibi gratiam conciliasse, ut concordi favore quisq; eam suis certatim insignibus coronarit. Jupiter ei fulmen, Neptunus Tridentem, Mars romphæam, Vulcanus ignem, Mercurius caduceum, Apollo laurum, Bacchus Thyrsum, Pallas ægidem, Cupido pharetram, Minerva librum, Venus mytrum concessit. Sed & his Deorum insignibus adjuncta fuere correspondentia dona; potentia scilicet & fortitudo à Jove & Marte; sapientia & eloquentia à Mercurio & Apolline; venustas & gratia à Junone & Venere. Sic perfectionis apicem est consecuta omni ex parte, & inde Pandora dicta, quasi *Donum omnium Deorum*, sive omni rerum genere donata, & cui omnes dona tribuerunt. Videri potest de ea re Hesiodus in sua Theogonia.

Hæc quidem figmenta sunt. Verum interim est, quod Virginem nostram ita divinitus favor respexerit ab æterno, ut omni gratiarum genere eam cumularit eminentissimè; sicque meritò Pandora dicitur. Pater enim æternus ei potentiam communicavit ad patranda miracula, & fecit ei magna qui potens est. Filius sapientiam & eminentissimum intellectus lumen ei contibuit. Spiritus sanctus claritatem & dona ei in gradu sublimissimo dedit. Addo, Deum nihil contulisse magnum & sublime Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Doctoribus, Martyribus, Confessoribus, Virginibus, immò Angelis & Archangelis cujuslibet Hierarchiæ, quod non concesserit excellentius Virgini. Propterea censentur omnes Sancti & electi Dei, sive homines, sive Angeli, perfectiones suas in MARIAM contulisse: Seraphim, suum ardorem; Cherubim, suam scientiam; Throni, suam auctoritatem, Dominationes, Potestates, Virtutes, suam præeminentiam & potestatem; Principatus, Archangeli, Angeli, suam lucem & puritatem; Apostoli & Martyres, suam ardentissimam charitatem & constantiam, Confessores, suam innocentiam & temperantiam; Virgines, suam castimoniam & integritatem; Denique omnes electi, suam quilibet perfectionem. Ergo rursus meritò Pandora dicitur, Divorum omnium donis condecorata; non quod ab illis ea acceperit, sed à Deo, & quidem eminentiori quam illi gradu, quia post Christum prima est electa, & per eam cæteri electi dona participant, eo quod Mater Dei constituta, consequenter omnium in Christo & per Christum electorum Mater sit.

Omnium SS. perfectiones in M. V.

Quia porrò perfectissima est in cœlestibus omnibus donis, ideo de ea verum est illud: *Una est Columba mea, perfecta mea.* Quod Rupertus & alii meritò de Deipara intelligunt, quia in multis unica est.

Cant. 6.

B. M. V. in multis unica.

1. In maternitate Dei unica est.
2. In virginitate materna singularis & una.
3. In conceptione immaculata unica Columba.
4. In volatus sublimitate & contemplatione unica Aquila.
5. In sanctitatis perfectione ita unica, ut nulla pura creatura similem sit gradum assecuta.
6. In vitæ candore & puritate Tuturu unica nullo veniali decolorata.
7. In morte, velut Phœnix, unica, amoris igne succensa.
8. In gloria unica est, particularem thronum constituens.

Propterea de ipsa verum est illud: *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Opes enim spirituales gratiarum & donorum divinorum in eam Deus contulit abundantissimè super omnes, quia Mater Dei electa erat ab æterno. Et has quidem divitias jam ab utero possedit, quia *sanctificavit tabernaculum suum Altissimus manè diluculo.* Quicquid sanctitatis & perfectionis undique dispersum erat in Sanctis, in eam collegit, quam Sanctuarium & sacratum Tabernaculum sibi constituere volebat. Sicut enim olim ad veteris Testamenti tabernaculum opes omnes omnis generis conferebantur, aurum, argentum, lapides pretiosi, byssus, purpura, monilia; sic & fecit Deus, Tabernaculum & Sacrarium sibi augustissimum adaptans ex pretiosissimis opibus, non corporalibus, sed spiritualibus. Etenim & de Virgine Deipara verum est, quod de Templo pronunciatum est: *Opus grande, non enim homini habitatio præparatur, sed Deo.* Sic & verum est illud S. Petri Damiani: *Attende, & vide bis solum Opificem supergredi Opus istud.* *Psal. 45.* *1. Par. 2.*

Tertiò, non solum Virgo ex utero sanctificata fuit, sed etiam in gratia ita confirmata, ut peccatum in eam tota vita cadere non potuerit. Hoc significat illud: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus, Deus in medio ejus non commovebitur, adjuvabit eam manè diluculo.* Ita nimirum per auxilium cœleste circumdata fuit & adjuta, ut nulla commotio eam titubare fecerit, nullus concupiscentiæ motus in ea fuerit. O sanctificatio & gratiæ confirmatio soli MARIÆ data, quæ omne etiam & veniale peccatum excluderet, omnemque concupiscentiæ fomitem extingueret! Rursus propterea de ea dictum est, quod sit tota pulchra, tota sine macula; quodque sit *Hortus conclusus. Fons signatus:* Hortus quem serpens ingredi non potuit, ut flatum venenatum immitteret: Fons ita clausus & sigillatus, ut aquam purissimam, quam continet, nemo vel pulviculo inspergere potuerit. Denique, quandoquidem per Conceptionem MARIÆ & Nativitatem Sapientia sibi domum ædificabat, talem sibi domum constituit, quam septem columnæ solidarent, ne unquam vacillaret; quam cœleste tegumentum sic contegeret, ut nec stilla venialis in eam cadere valeret. Hæc est specialissima protectio MARIÆ custodiens; hæc est multiformis spiritus gratia eam perfectissimè confirmans ex utero. Orgitur Nativitas plena cœlesti gaudio, dum ea nascitur, quæ tot privilegiis adornatur! *Cant. 4.* *Prov. 9.*

Quartò, Virgo ab utero & in utero Matris suæ probabilissimè & pientissimè asseritur usu rationis donata.

donata. Si enim hoc Joanni concessum, *ut in utero haberet intelligendi sensum, qui exultandi habebat effectum*, teste S. Ambrosio: cur id privilegii MARIÆ denegemus? Certè usus rationis peractum fidei & cognitionis divinæ cum sit fundamentum sanctificationis & meriti, multum pertinet ad perfectionem sanctificationis & gratiæ, ideoque non videtur Deiparæ denegandus, sicut mortalium sit concessus, secundum regulam S. Bernardi epist. 147. Fuit igitur in ea actus fidei & amoris eximius, cum eximia contemplatione divina & gratiarum actione conjunctus. Tanquam Aquila nobilissima ex ipso nido, hoc est ex utero, in rutilantis Solis divini radios mentis oculos fixit, ejusque intellectus irradiatus fuit cœlitus luce contemplationis, ejus voluntas inflammata ardore divini amoris, & id quidem ab ipso conceptionis instanti. O intellectum beatissimum! O voluntatem felicissimam.

An non igitur Nativitas illius, quæ tantis effulget prærogativis, meritò cum gaudio celebratur? Si nativitas quorundam læta & celebris fuit, ob quædam indicia lucis, & præsagia sanctitatis futuræ; quanto magis Mariæ Nativitas, per quam omnis sanctitas in alios derivatur?

Læta Nativitatis exempla.

Sic læta fuit S. Claræ nativitas, cujus Mater *Hortulana* nomine, Horto Ecclesiæ hanc plantulam editura, cum non parum de partus periculo sollicita ante crucem in templo oraret, vocem sibi audire visa est: *Ne paveas mulier, salva enim lumen quoddam parturies, quod ipsum mundum clarius illustrabit.* Quo edocta oraculo natam infantulam *Claram* appellari voluit. Sedulius in Seraphica Historia.

Sic etiam læta fuit S. Aviti nativitas, quia in suo ortu tanto cum lumine prodiit, ut obstetrices ab officio deterritæ cœlestem splendorem ausæ non fuerint intueri, Surius 17. Junii.

Similiter lætus fuit S. Suitberti ortus, quia eo tempore, quo in lucem editus est, totum cubiculum splendor irradiavit, mansitque irreverberatis radiis protensus, donec divinum illud pignus in lucem editum esset; quo edito, paulatim recessit. Surius 1. Martii.

Sic denique S. Caroli Borromæi ortus fuit illustris & lætus. Nam cum in arce Azonia duabus horis ante ortum Solis editus fuerit in lucem, eo temporis puncto, quo nascebatur, apparuit supra cubile Matris insolitus quidam fulgor, radio Solis similis, latitudine cubitorum sex, longitudine verò non minore, quam glande sclopetaria trajiceres; quem palam contemplati sunt præsidiarii milites, & custodes loci, aliique plurimi. Ita habet ejus vita à variis scriptoribus edita.

Sed quantò magis ratio gaudendi in hac Nativitate Virginis, quandoquidem in illa die salutis nostræ aurora surrexit, adducens verum Solem justitiæ, illuminaturum eos qui in tenebris & umbra mortis sedebant! O læta Nativitas tota luminosa; & sine nebula, prænuncians Solis illius ortum, quem omnes exspectabant, sitmansque de illo promissiones antea factas! Hæc Nativitas primus radius est benignitatis divinæ, quo primum cœperunt noctis antiquæ tenebræ dispelli, sicut in ortu auroræ incipit dissipari caligo.

PARS III.
Quibus hæc nativitas gaudium nunciarit.

HÆc Nativitas Deiparæ Virginis dicitur gaudium universo mundo annunciasse, imò & cœlo, & inferno.

1. *Angelis.*

Primò quidem Angelis exspectantibus restaurationem civitatis suæ (imminutæ per eos qui exciderant) hæc Nativitas gaudiosa fuit, quandoquidem hæc Virgo electa erat, ut cooperaretur hominum redemptioni, per quos numerus imminutus debebat redintegrari. Hæc electa erat Regina cœlorum, Reginaque Angelorum, cujus Angelus conceptionem Joachimo & Annæ post longam sterilitatem nunciarat, simulque in nativitate nomen ei indendum indicarat; ergo Angelis ex hac nativitate gaudium. Quinimò piè aliqui contemplantur ab Angelis hanc Reginam in nativitate fuisse adoratam. Sicut enim de Christo dicit Apostolus: *Cum introducit iterum primogenitum in orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes Angeli ejus*; sic & de MARIA primogenita & electa ante omnem creaturam (etiam Angelicam) & ab æterno constituta Reginam, cum introduxit eam per ortum in hunc orbem terrarum, dicere potuit: *Adorent eam tanquam Reginam omnes Angeli.*

Hebræi.

Certè hoc festum annuæ celebritatis in Ecclesia ob nativitatem Virginis Mariæ, ab Angelis ortum duxisse, multi ex Historicis testantur. Sic enim rem enarrant: *Dies Nativitatis Mariæ aliquando fideles latuit. Contigit autem, ut quidam vir sanctus contemplationi vacans sedulæ, singulis annis octava Septembris jucundissimos Angelorum cantus audiret; Dominumque instanter oravit, ut sibi dignaretur indicare, cur eadem & non alia hanc melodiam audiret? Tandem responsum accepit, Virginem Mariam eo die natam, de ejusque Nativitate cœlestem Curiam solemnitatem celebrare. Insuper mandatum accepit, ut id filiis Ecclesiæ manifestaret, quatenus concordes sierent cum Angelis eo die festum celebrando. Cum ergo Pontifici summo & aliis id insinuatum fuisset, illi scripturis & antiquitatum testimoniis insistentes, Virginis Nativitatem eo die celebrandam universaliter statuerunt.* Hæc illi.

Festum Nativitatis ejus B. M. V. ab Angelis ortū duxit.

P. Natal. Vincent. in spec. Durand. l. 7. c. 8. & aliis.

Secundò, gaudium hæc Nativitas inferno annunciavit; quia Patres, qui in limbo (pars est inferni) detinebantur, quasi in carcere cœnebroso, auroræ illucescentis & Solis appropinquantis radiolos persentiscere potuerunt: & hoc initium fuit gaudii consummandi per Christi adventum. Ipsis ergo dici tunc potuit: *Levate capita vestra, quia appropinquat redemptio vestra.* Gaudete Adam & Eva, & agnoscite filium ex stirpe vestra, qua vos cum posteritate vestra, a maledicto & liberatura & venenato serpentis. Hæc enim est, de qua ad illum inicto dictum est: *ipsa conteret caput tuum.* Gaude Noë cum

2. *Patribus in limbo.*

Luc. 21.

Gen. 3.

progenie tua, & agnosce icidem tibi præostensam, per quam sumantur promissiones de non immittendo ultra maledictionis diluvio terram dissipante. Gaudium tibi sit, ô Abraham! Pater fidei, Pater excelsæ multitudinis, quia hæc de semore tuo orta est, & semen producet, in quo benedicentur omnes gentes. Gaudium tibi annunciatur, ô Jacob! quia hæc est stella, quæ ex te oritur; immò hæc est scala tua, cui Dominus innititur, per quam Angeli ascendunt & descendunt, Filio Dei descendente per eam, & per eandem nos recipiente Angelis deducentibus. Gaudere & vos Ægyptiacæ servitutis liberatores Moyses & Aaron, quia perfectior appropinquat liberatio à servitute Dæmonis; & ecce Rubi ardentis & Virgæ vestræ florentis signata adimplerur in hac nascente Virgine: illa enim ignem concipiet divinitatis, & florem producet, super quem requiescit spiritus omnigenæ sanctitatis. Sic & aliis Patribus annunciat gaudium Nativitas Mariæ, quia in ea complentur oracula & figuræ his pridem ostensę, dum respirarent ad redemptionem.

3. *Hominibus.* *Tertiò*, gaudium annunciavit hæc Nativitas hominibus. Nam & Parentibus Mariæ non exiguum fuit gaudium, post longam sterilitatem talem edere prolem cœlitus denunciatam, per Angelicamque vocem nomine insignitam proprio & mystico Mariæ. Meritò Anna divino spiritu plena lætro animo personat: *Congaudete mecum, quæ promissionis germen ex sterili ventre peperi, & benedictionis fructum uberibus meis, ut optaveram, nutrio. Sterilitatis mœstam vestem exui, ac latam fœcunditatis indui. Congaudeat mecum Anna illa Phenenna adversaria, & inopinatum hoc miraculum suo concelebret exemplo. Exultet Sara senili gaudio gestiens, meumque abs sterilitate conceptum præfigurans. Concinant simul steriles omnes, ob visitationem meam cœlitus factam. Dicant matres omnes: Benedictus, qui orantibus id quod optabant, largitus est.* Sic loquitur S. Damascenus Orat. 2. de Nativit. Mariæ, sic introducit S. Annam loquentem, & ad sibi congratulandum ac congaudendum omnes invitantem. Certè *Corona parentum filii eorum*, ut dixit Sapiens; meritò igitur Anna & Joachim in talis prolis nativitate exultant, quasi novâ cœlitus coronâ condecorati. Meritò & nos dicimus: O beatus venter, beata viscera quæ talem prolem à Deo donatam portaverunt: beata ubera, quæ lactaverunt Matrem illius, qui universum nutrit mundum! Quapropter S. Damasc. iterum Orat. 1. sic inclamat: *O Joachim & Anna castissimum par turturum, par beatum, vobis omnis creatura obstricta est! Per vos enim omnium donorum præstantissimum Creatori obtulit, nempe castam Matrem, quæ sola Creatore digna erat.*

Prov. 17.

Omnibus sanè hominibus gaudium annunciavit hæc Nativitas Mariæ, quæ Deum in pectoris sui capere debebat hospitio, pacem terris, cœlis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenorum cum cœlestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium pro hujus hospitii pensione promerita. Gaudii magna seges est, quod MARIA nobis nata est gratia superefluens, ut eam effundat in omnes. Gaudeant igitur peccatores, quia eis orta est Mater misericordiæ & refugium: gaudeant afflicti, quia venit consolatrix afflictorum: gaudeant rei & captivi, quia ipsa potens est dissolvere vincula: gaudeant justi, quia nata est Mater salutis, genitrix vitæ, inventrix gratiæ, clavigera cœlestium donorum, quæ dona elargitur copiosè his, qui ejus Nativitatem & festa celebrant cum debita pietate.

Etiam peccatoribus.

Sic S. Ildefonsus, castitatis amator & zelator, virginitatem perpetuam Mariæ contra quendam Heladium, veteris Helvidii errores suscitantem scriptis & disputatione tutatus fuerat, tantæque Virginis Propugnator & Cultor ejus festa magna pietate celebrabat. Cum igitur quodam die coram altari preces funderet, apparuit ei Beata Virga angusta specie, templum replens fulgore, & sacram vestem, sive casulam sacrificalem proferens: dixit: *En castitatis tuæ cum fidei ardore conjunctæ & nostræ virginitatis defensæ præmium ex cœlesti thesauro tibi allatum.* Inter hæc verba vestem illam suis ipsa manibus capiti ejus inseruit, & addit: *Hac veste, fili mei, Meaque totius anni festa celebrato* Casula illa adhuc servatur Oveti in Hispaniis. Ita Chronic. Hispan.

Dona Nativ. M. V. celebrantibus data.

Sic quoque S. Bernardinus Virginis festa, & maximè ejus Nativitatem, devotissimè celebrabat. Quapropter is, qui ejus vitam scripsit apud Surium 20. Maij, ita ait: *Certè ego ipse concionem illo habente Senis de B. Virgine an. 1427. in die Nativitatis Virginis ita audivi eum dicentem: Ego Frater Bernardinus semper fui devotus Virgini; in die enim Nativitatis ejus ego natus sum; eodem die baptizatus sum; illo ipso monasticum habitum indui. Item eodem professus sum, & primum sacrificium obtuli Deo; eodem die cupio exire ex hac vita.* Hoc ei concessum non fuit, sed Deus voluit, ut vigilias Ascensionis suæ descenderet, dum in choro caneretur: *Pater manifestavi nomen tuum hominibus, nunc autem ad te venio.*

Joan. 17.

Sic & B. Alanus de Rupe, è Dominicano Ordine, sacræ Theologiæ Doctor, Virgini Mariæ mirè fuit addictus, ejus cultus strenuus restaurator. Ipsa enim Alanum elegerat ut Rosario suo, cujus defluxerant Rosæ, fervorque intepuerat, per sacras exhortationes virorem pristinum redderet. Quapropter & hunc in Sponsum assumens, ejamoris arctissimi arrhas donavit, annulum scilicet, è cinerinis capitis sui compositum, & Rosarium unum quod ejus collo imposuit. Quibus ille amoris virginei tesseris recreatus, per quindecim annos indefessò labore cultum Virginis per Rosarium in Belgio, Gallia, Germania promovit. Atque etiam lactis copiam oranti Virginem in os ei fudisse, sicut & S. Bernardo, traditur. Quapropter cum novellus fuisset Deiparæ Sponsus, (sicut ipse seipsum tacitè nominat in libro de Rosario seu Psalterio Virginis) ipsa die Nativitatis B. Mariæ Sponsæ suæ in devotione perseve-

perseverans, ex hac luce evocatus est ad cœlestem lucem, atque æternitati feliciter renatus, mercedem recepit à Virgine Deipara, ad cujus cultum innumera millia zelo ardentissimo induxerat.

Cóclusio. OBsecramus te per sanctam Nativitatem tuam, ô Beatissima Virga, Mater Dei electa, ut verum solidumque gaudium conscientiæ nobis impetres, gaudium illud in quo consistit Regnum Dei quod intra nos est. Et quia ex te ortus est ille qui solvens maledictionem dedit benedictionem, & confundens mortem donat vitam sempiternam: Fac meritis & precibus tuis ut omnis à vertice nostro maledictio dispellatur, omnisque benedictio corda nostra repleat. Ac tandem morte felici æternitatis nativitatem consecuti, vitam illam possideamus, in qua te cum Filio tuo videre possimus, & in ejus tuoque consortio misericordias Domini in æternum cantare.

17. Sept.

IN FESTO S. LAMBERTI.

Lect. 48. tripart.

Laudemus viros gloriosos, Parentes nostros in generatione sua, &c. Eccl. 44.

Exordiū. FIlii hujus sæculi de avitis stemmatibus gloriantes, solent atria sua parentum fumosis imaginibus adornare, & eorum heroica gesta bellicaque trophæa, sæpè repetitis encomiis in cœlum usque tollere. Neque adeò eis obnitimur, si inde stimulum ad virtutem desumant, si avito splendori & generi labem non inspergant otio degeneri. Longè verè potiori ratione, decet nos laudare viros jam in cœlo gloriosos, parentes nostros in generatione sua: Tob. 2. *Nos enim filii Sanctorum sumus, & vitam illam expectamus quam Deus daturus est his, qui fidem nunquam mutant ab eo.* Illos parentes nostros secure laudamus, qui nos Christo genuerunt semine verbi Dei, doctrinaque & exemplo sanctæ fidei: quia nunc in cœlo agunt, tanquam Senatores regni, tanquam Patres conscripti. At filiis autem hujus sæculi multi laudantur in terris, quorum animæ æternùm torquentur in inferis. O sors infelix! ô laus inanis!

Inter Parentes porrò gloriosos meritò recensetur S. Lambertus, qui multos Christo filios peperit, non solùm in Leodicensi ditione, sed etiam in circumvicinis Provinciis & populis, quos ad fidei lucem eduxit, vel in ea confirmavit. Ideo ejus hodie festivitas & memoria cum benedictione plerisque in locis celebratur. Tu igitur, Pater sancte, qui Angelicis jam choris insertus es, & divino altari vicinus, impetra mihi calculum Prophetæ, quo rubigo labiorum meorum extergatur; benedictionem impetra, ut aliquam laudem tuarum delibare valeam portionum, eamque filiorum tuorum avidis cordibus refundere.

Propositio. Tria porrò in S. Patroni laudem hîc explicanda nobis sunt. 1. Quam gloriosus in vita. 2. Quam gloriosus in morte. 3. Quam gloriosus post mortem.

PROprium virtutis præmium est, laudis elogium. Laus haud solida est vera, sed stolida & vana, quæ aliunde quam è virtute procedit, aut à veris animæ bonis. Hoc agnoverunt antiqui Sapientes, inter quos quidam sic loquitur: *Si laudas virum, quia dives est, hoc fortunæ debetur. Si quia fortis, agritudine fatigabitur. Si quia nobilis, parentes ejus laudas, non ipsum: Si quia pulcher, in senecta pulchritudo abibit. Sed si laudas, quia sapiens, bonus, moribus ipsum laudas, siquidem hoc non est ætate casuve pendulum, nec à genitoribus hæreditarium.* Hoc ipsum indicat Ecclesiasticus, dum rationem afferens cur laudare conveniat *Viros gloriosos parentes nostros in generatione sua*, non allegat gloriam sæculi, non nobilitatem aut divitias mundi, non decorem corporis aut pulchritudinem faciei: sed longè sublimiores rationes in medium producit.

PARS I. *Quam gloriosus fuerit in vita S. Lamb.* *Apulejus de Deo Socratis.* *Cur Sancti laudandi.*

1. Quia per eos *multam gloriam fecit Dominus*, sive multa gloriosa operatus est, multaque magnifica: sic laus eorum in Dei laudem refunditur, quasi rivulus in fontem. 1.

2. Quia fuere homines *Magni virtute, & prudentia sua præditi, virtute prudentia sanctissima verba in populo nuntiantes.* 2. Eccl. 44.

3. Quia non sectati sunt opes, aut gratiam, decoremque inanem exterius promicantem, sed prodivitiis virtutem sibi sufficere ducentes, veræ sapientiæ cultores fuere, veræ *Pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis*, pacem secum & cum suis foventes, & ad veram pacem omnes inducere connitentes. 3.

4. Quia *Viri sunt misericordiæ, quorum pietates non defuerunt.* Quare Viri misericordiæ? Audi ex S. Bernardo. *Quia misericordiam à Deo consecuti, misericorditer quoque nobis à Deo dati, misericordia erga proximum fuere pleni, & pietate erga Deum.* Propterea rursus de eis subdit Ecclesiasticus: *Sapientiam eorum narrant populi, & laudem eorum nuntiat Ecclesia, vivitque nomen in generationem & generationem.* Nempe qui laudem terrenam fugerunt, & calcarunt gloriam sæculi, veram nunc laudem & gloriam promerentur, cùm in cœlo, tum in sæculo. Honor enim & gloria est velut umbra, fugit se insequentes, & sequitur se fugientes. 4. V. Bern. serm. de SS. Petro & Paulo.

Laude igitur & benedictione prosequimur celebri hoc nobis die, *Virum gloriosum, Parentem nostrum S. Lambertum*, non quia è copiosis nobilibusque prognatus est parentibus, ex illustri prosapia Trajecti ortus; sed quia in omni ætate Deus per eum gloriosa operatus est & magnifica: quia dives & magnus fuit virtute & sapientia, quia sapientiæ & prudentiæ verba sanctissima populus maximam fruge ministravit. Denique, quia ejus pietas nunquam defecit, zelo erga Deum, exemplo erga proximum. Sed pauca ex multis in particulari de his attingamus.

S. Lamb. *Fuit magna innocentia & sanctitatis.*

Inprimis, sanctitatis signa, & innocentiæ ea, quæ stimoniæ felicia in eo auspicio ostendit Deus, jam ab incunte ætate, dum vivo illi à vestis detulit

prunas Præceptori hyeme ignem postulanti; in sinum enim & vestem illas congessit, nec maculæ quicquam visum est, aut ustulationis. Castimoniæ perfectæ, tam præsentis, quàm futuræ, signum id voco; quia olim ita castitas & integritas solita fuit probari.

Sic ex antiquis Patribus quidam toto incumbens zelo conversioni Meretricis celebris, cui nomen Porphyria, cùm ob frequens ejus alloquium (per quod tandem conversionem ejus operatus est) suspitionem apud nonnullos incurrisset, voluit sese expurgare publicius. Hoc igitur ut efficaciter faceret, carbones ardentes in vestem accepit, & ardenti fide coram multis dixit: *Credite fratres, quod sicut rubum Deus custodivit illæsum ab igne, & sicut nec tunicam hanc incendunt prunæ: ita nec ego cognovi peccatum mulieris, ex quo natus sum.* Ita refertur in vita S. Joannis Eleëmosynarii.

Simile audi de B. Simplicio. Electus fuerat Episc. Augustudunensis, uxoratus. Uxor, quia cum eo semper castitatem servarat, nec domo, nec thoro separata est, secura à libidinis incendio: Interim non desiit Satan eis excitare calumniam: ita ut quodam natalis Domini die concurrerent cives, & hæc uxori sanctæ improperarent: *Inerubile est mulierem semper viro adherentem abstinere à viro, & à corruptione immunem esse, quia scriptum est: Nemo abscondit ignem in sinu, & non comburitur. Nemo tangit picem, & non inquinatur.* His ipsa commoda, vocat puellam quæ ad depellendum frigus arculam carbonibus plenam tenebat, expansaque veste prunas omnes ardentes suscepit, & spatio horæ fovit. Evocansque vitum suum Pontificem, ait: *Accipe & hunc ignem tuus nequaquam velaminibus nociturum, ut ostendant hæ flammæ extinctas esse in nobis flammas luxuriæ.* Fecit, nec velamen nocumentum accepit. Hoc miraculo populus credidit, & intra septem dies ultra mille homines invocatione sacri lavacri sunt sanctificati, & fidei ex incredulitate adjuncti. Ita S. Gregor. Turon. de glor. Confessorum cap. 76. & 77.

Dicimus ergò hic non absimiliter, signum istud prodigiosum in adolescentulæ ætatis primordiis a S. Lamberto editum, symbolum fuisse integritatis & castitatis, quam in omni ætate mirè coluit; pro quâ etiam sanguinem oppignoravit, dum adulterium confanti voce prohibens, fictus est *Victima castitatis & pudicitiæ*; pro cujus tutela decertabat. Hanc ergo inter sæculi illecebras, quasi inter flammas intemeratam servavit, ideoque illæsus ignem in veste portare valuit: O innocentiam laude dignam.

S. Lamb. ad Episcopatum coactus.

Ulterius S. Lambertus ob eximiæ castimoniæ & pietatis, simulque ob prudentiæ & sapientiæ laudem, licet ætate junior, Episcopatum coactus est susciperè, urgentibus votis Procerum & piæ plebis. Successit enim Sancto Theodardo, viro inclyto, per martyrium sublato: sub cujus disciplina jam adolescens traditus fuerat sacris litteris imbuendus. Sub eo autem ita profecit, ut spiritum duplicem, si Magistri hauserit; non solùm successor & hæres, effectus Episcopalis Pallii; sed etiam glorioſi Martyrii, ac omnium virtutum imitator. Non ergò ad Episcopalem dignitatem arte irrepsit, aut temerè se ingessit: non per caminum fuliginosæ ambitionis ardentisque cupiditatis ascendit, sed per ostium divinâ sibi vocatione apertum intravit. Vocatus enim est ab eo qui dicit: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet.* Joan. 10. Vocatus est ab eo qui primus est Pastor & Princeps Pastorum, qui potest cui vult dicere: *Pasce agnos meos, Pasce oves meas.* Quapropter S. Lambertus suam vocationem agnoscens, illud Hieremiæ valuit usurpare: *Ego autem non sum turbatus te Pastorem sequens; diem hominis non desideravi, tu scis.* Jerem. 17. Quasi diceret ex conscientiæ testimonio securo: Tu scis, Domine, quod honorem hunc non ambivi, nec diem illum concupivi quo evectus sum ad gradum sublimem, quem ambire solent homines & desiderare, tanquam diem felicitatis & prosperitatis, ut honorentur, ut delicientur, ut plausus hominum sectentur; nam homines hanc esse felicem sortem autumant. Sed potius extimui hunc diem prosperitatis humanæ, & dignitatis excelsæ, sciens nonnullorum querimoniam esse: *Elevans allisisti me.* Et rursus: *Posuisti me super ventum, & elisisti me valide.* Ego propterea, dum exaltasti me, *non exaltavi cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus Psal. 130. super me;* sed dejeci me infra me; & tandem non sum turbatus te Pastorem sequendo, vociferue obediendo ac tui gregis curam in me, sed sub te, suscipiendo. Hæc omnia tu scis Domine, *quia in cœlo est testis meus, & conscius meus in excelsis.* Psal 101. Job. 30. Job. 16.

Hæc potuit dicere, qui ex humilitate cupiebat *latere sub medio*, ne forte fumigaret in sublimi candelabro. Sed qui supremus est Dominus domus, Lucernam ipsum effecit, non fumigantem, sed flammantem, non turbidam, sed corruscantem, & posuit in sublime: sicque Lambertus per illum ascendit qui ipsum prius accendit, *ut luceret omnibus qui in domo sunt.* Neque potuit se excusare super ætate juniori, qui inter Seniores promovebatur, & illis præficiebatur. Erat enim in illo *Ætas senectutis Sap. 4. vita immaculata; & cani sensus ab adolescentia.* Monitum illud Apostoli ad Timotheum Episcopum scribentis animo jam imbiberet, & cordi adpresserat. *Nemo adolescentiam tuam contemnat. Sed esto exemplum fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.* Nempe in qua vul. ætate communicat Deus spiritum veræ sapientiæ quibus vult. De qua re dicebat S. Ignatius epist. ad Magnesianos: *Daniel sapientissimus, duodecim annorum effectus, Spiritu sancto replitus est; & Seniores canitiem vanam habentes, calumniatores & alienæ pulchritudinis appetitores esse manifestavit Samuël etiam cum esset pusillus, nonagenarium Heli sacerdotem per increpationem redarguit, quòd honoraret filios*

supra

supra Deum. Similiter audit Hieremias à Domino: Noli dicere Puer ego sum. Salomon duodecimo anno incipiens regnare, meretricum quæstionem dissolvit. Josias octo annorum aras & monumenta subvertere cœpit, lucos excidere, & templa dæmonibus consecrata. Hæc S. Ignatius.

Itaque, mox susceptâ Episcopali curâ, in curanda Dei Ecclesia sese gregis forman, virumque prorsus Apostolicum exhibuit; non solùm verbo, sed etiam exemplo, in omni caritatis officio, in fidei fervore, in spei longanimitate & pietatis perseverantia. Sicque populis ministrans sapientiæ sanctissima verba, & sanctimoniæ efficacissima exempla, multorum animos à tenebris errorum ad fidei lucem, à cœno vitiorum ad sinceram virtutem traducit. Ac sicut adhuc puer ex arida terra & petra aquam eduxerat precibus suis, cum pueritiæ suæ instructore Landoaldo Presbytero: ita postmodum è cordibus terrenis & aridis, immò saxeis, aquam gratiæ & compunctionis, aquam lachrymarum & devotionis potuit elicere, in conversione eorum. Laxatam enim & luxatam disciplinam Ecclesiasticam reformavit, & integrum restituit. *Ad Taxandros, Brabantos, aliosque finitimos populos digressus eos jugi prædicationi & mirabili patientia ad Christum convertit, suaque Diœcesi adjecit, verè horum apostolus.* Quinimò plures nobilitatis genere illustres, ac postmodum sanctitate illustriores, ad sæculi contemptum induxit. Inter hos fuit Landrada Virgo nobilissima, quæ velum è manibus ejus sanctissimis suscepit, quo Christum sibi in sponsum assumere se profiteretur. Item, Oda Ducis Aquitaniæ vidua, quæ Christianæ perfectionis desiderio frequentans Virum Dei in ejusdem monitis ad consummandæ viduitatis sanctæ cœptum certamen sese accinxit, & possessiones suas peramplas in pauperum ac Ecclesiæ usum erogavit; Dominumque ipsum in specie pauperis in domum suam suscipere promeruit. Denique, & his accensendus est sanctus Hubertus, quiad Lambertum cœlitus est missus, ac deinde ejus instructione, & hortatu, arctiorem viam est ingressus; spretisque gloriæ mundanæ illecebris Christi amore, sub regulari disciplina S. Remacli vitam egit sanctissimam. Ac postmodum devotionis ardore limina Apostolorum adiens Lamberti successor divinitus est ordinatus per Sergium Pontificem.

Vide Offic. Leodiense.

S. Lamberti multos ad contemptum sæculi perduxit.

O virum igitur laude dignum, ob sapientiam & prudentiam, quâ populis nunciavit sanctissima verba: ob zelum & charitatem; quâ tot animas ad Christum convertit, & ad sæculi despectum: ob fidei fervorem & constantiam, quæ nunquam in ipso intepuit aut vacillavit: ob patientiam & spei longanimitatem, quæ in ipso admirabilis fuit.

S. Lamb. fuit summæ patientiæ.

An non admirabilis in eo patientia & spei longanimitas, dum turbante Ebroino Apostata factionibus suis regni Francorum statum ipsumque Lambertum è sede sua Episcopali deturbante, ipse in Cœnobio Stabulensi septem annis exulare cogitur? An non ibi Monasticæ disciplinæ, & jugo obedientiæ, Tyronis instar, se subdidit? An non admiranda perseverantia orationi insistebat, & pœnitentiis corpus marcerabat, cilicinum ad nudam carnem cum nodosâ chorda gerens amictum? An non hoc solo amictu contectus, noctes nive geluque asperas sub dio ante Crucifixi imaginem Orationi defixus peregit? O humilitas, ô abstinentia, ô pietas, ô rerum omnium sublunarium despicientia in ipso plane laude digna! Laudemus igitur exultantibus animis *Virum gloriosum, Parentem nostrum in generatione sua, cujus memoria in benedictione est, & nomen vivit in generatione & generationem, imò vivet in sæcula sæculorum.*

PARS II.

De gloria S. Lamb. in ejus mort.

MOrtis ac martyrii S. Lamberti occasio nota est, eam convenit tamen hic rememorare, ad inclyti Pontificis gloriam Pipinus Rex Austrasiæ, qui sedem circa Leodium in Jupilia fixerat, Plectrude legitimâ uxore rejectâ Alpaidem superduxerat. In aulis autem Principum vix reperias qui veritatem aperiant, & reprehendant eorum vitia & dedecora. Blanditiores ibi & Stelliones variegati, hoc est, adulatores multi: Veritatis Consiliarii & Propugnatores pauci. Principes *ædificant parietem, & luto*, & Parasiti eum *liniunt absque temperamento.* Non accusantur, aut deteguntur eorum facinora ad emendationem, sed excusantur, obteguntur, vel defenduntur ad fomentum & favorem. Ipsi in suis peccatis obdormiunt, dum Consiliarii pravi *sub cubito eorum pulvillos consuunt.* Quia nemo in aula Regis Balthasaris arguebat eum, mittitur è cœlo manus & calamus, qui linguæ officium exequatur, & ei impietatem repræsentet, stupenda exarans in pariete verba, tremorem ipsi incutientia. Similiter in aula Nabuchodonosoris nemo ei veritatem aperiebat, intolerabilem nemo superbiam Regis increpabat, ideò arbor nocturno in somno ei præsentata id peragit, interpretante eam Daniele. Sic in Aula Pipini Regis decrat Consiliarius apertæ veritatis Assertor, & oppressæ pudicitiæ Tutor; non defuit Pontificis sancti vox & calamus, continuò in Regis corde lubrico exarans & resonans instar Joannis: *Non licet tibi repudiare uxorem propriam, & superinducere illegitimam.*

Ezech. 13.

Ibidem. Dan. 5.

Dan. 4.

Neque solùm scripto & voce id frequenter Regi insinuavit, sed etiam facto ipso exprobravit, nolens ullatenus Alpaide communicare, vel in colloquio, vel in cibo, licet ad regiam mensem frequenter & humiliter invitaretur. Nolebat illis accensori de quibus Propheta: *Væ vobis, Speculatores cæci, Canes muti, non valentes latrare.* Nolebat propter ossa (propter dona aut munera) os claudere, aut abblandiri his qui pernicioso in statu agebant. Et quia jam exotto scandalo vulneri efficaciter medendum erat, acri vocis suæ scalpello ulcus sulcabat, ut putredi-

Isa. 56.

nem resecaret. Tandemque nihil se proficere cernens, ne eorum contagio contaminaretur, aut peccato involvi videretur, omne Alpaidis Regiæ pellicis alloquium & consortium interdicebat. Sic adimplebat monitum Apostolicum, & posteris Præsulibus quomodo cum peccatoribus publicis agere deberent, in se præbebat exemplum.

Imitatores S. Lamberti.

1. Quapropter eum imitatus S. Dunstanus, Cantuariensis Archiepiscopus, Anglorum Regem Edgarum adulterio contaminatum gravissimè arguebat. Abstraxerat Rex puellam præ nobilem è quodam Monasterio in quo educabatur, & eâ abusus fuerat cum scandalo, quia uxorem propriam habebat. Mœrore ob id perculsus Dunstanus venit ad Regem. Cumque Rex venienti Archiepiscopo more suo occurreret, eumque per manum ad solium suum deducere vellet, manum Dunstanus turbato vultu retraxit: nec se ab eo contingi passus est. Attonitus Rex inquirit causam. At ille: *Tu postposito omni pudore adulterium commisisti, tu despecto Deo, signum castitatis non veritus, virgini suam integritatem eripuisti; & cur manum summo Patri virginis immolantem impuris manibus non tradam, quæris? Lava prius per pœnitentiam manum à sordibus, & tunc demum, quo gratia divinæ reconciliaris, honora & amplectare manum Pontificis.* Territus Rex terræ procumbit, pedesque Antistitis petit, se peccasse contestans, gemitu vocem interrumpente. Attendens igitur Dunstanus humilitatis exemplum, absolvit eum, sed pœnitentiam septennem injunxit. Ita habetur apud Surium mense Majo, cap. 38. vitæ ejus.

2. Similiter imitator fuit S. Lambertus B. Raymundus de Pena Forti, qui fuit tertius Generalis Ord. Prædicatorum, miraculis florens vivus & mortuus. Hic cùm foret Jacobo Regi Atagoniæ à confessionibus, sæpè monebat eum ut concubinam relinqueret: pollicebaturque id Rex, sed semper procrastinabat. Transfretavit Rex Barcinona ad Majoricensem insulam, duxitque secum virum sanctum, spondens se concubinam relicturum, cùm illuc perveniisset, ille cernens Regem non stare promissis, timensque illius peccato involvi, Barcinonam repetere resolvit: Rex id audiens, sanxit edicto ne quispiam eum transveheret sub pœna capitis. At ipse divino impulsus spiritu; cappam super mare extendit, præmissoque crucis signo ingreditur, scapulare in altum elevans scipione suo, ut serviret instar veli. Sic ex Insula illa solvens, spiritu Dei stante; centum & sexaginta milliaria sex horis absolvit; Barcinonamque appulit vestibus siccis, plebe ad id miraculi confluente, & vestigia ejus exosculante. Quia igitur noluit adultero communicare, Deus hoc miraculum in ejus gratiam voluit præstare, & in adulterii condemnationem.

3. Denique imitator S. Lamberti fuit Stanislaus, increpans publicè adulterum Regem Boleslaum. Heu, quò non ducit salax voluptas? Non est veritus Rex iste primùm quidem concubinas suo superinducere matrimonio, deinde violenter alienas uxores rapere & constuprare, denique & belluino se flagitio contaminare, & de hoc nefando flagitio etiam publicitus se ostentare. Non illum pudor à turpitudine, non metus à periculo, non ratio ulla ab amentia revocabat. Quid faceret Pontifex Stanislaus, qui jam sæpius eum privatim arguerat? *Indoluit, & contremuerunt venus ejus, & accensus est ira secundum judicium legis Apostolicæ, nec zelus ejus tantam potuit nequitiam dissimulare. Jussit ergo ut quoties Rex templum ingrederetur, divina cessarent officia: imò & jumento, quo ille impurus abutebatur, omnem ornatum manibus suis ipse detraxit: & discerpsit, naresque & aures amputavit, ut nefariam libidinem palam coerceret; hoc ipso declarans, nihil charitate imperiosius.* Ita Scriptor vitæ ejus apud Surium 7. Maji.

Sed ad S. Lambertum revertamur. Non potuit ipse non accersere in caput suum odium Alpaidis Regem illecebris suis dementantis, nolens ei ullatenus communicare. Illud verò odium primò in minas ebullit, tandemque in tantam flammam erupit, ut nonnisi Præsulis veritatem annunciantis, & pro ejus tutela constantis, nece & sanguine potuerit sopiri. Tanta est enim mulieris libidini deditæ crudelitas, ut nihil moderatum suadere valeat, sed extremum exitium sibi obsistentibus moliatur. *Non est caput nequius super caput colubri; non est ira super iram mulieris.* Propterea Veneri hoc Elogium adscripserunt Antiqui; *Dea Machinatrix.* Quod patuit antiquitus in uxore Putipharis erga castum Joseph, in Herodiade erga Baptistam, & in aliis. Eccli. 13.

Habebat igitur Alpais fratrem Arduennæ Ducem, cui nomen Dodo, hominem ferum, quem omni studio Antistitem sanctum extimulare, & incendere non destitit. Ille quasi dedecus grande suæ censens adspersum familiæ, ob publicam reprehensionem sororis suæ: hoc ulturus, omnem inquirit occasionem Viro sancto inferendæ necis. Natus est tandem eam in Ecclesia SS. Cosmæ & Damiani ad Legiam, ubi initio sui Pontificatus S. Martyrem Theodardum Prædecessorem suum sepelierat. Ibi ergo oblato sacrificio orabat extensis in modum crucis brachiis; & ecce irrumpente in eum loco Dodone cum suis assectis, hasta pectore ad ima transfixus est, postquam annis quadraginta fuisset Episcopus.

O Mors felix, ô gloriosum Martyrium! Postquam enim Deo sacrificium incruentum obtulisset, seipsum pro causa Christi obtulit sacrificium cruentum! O felix victima, pro tutela Castitatis & veritatis oblata, post oblationem mysticam Agni sine macula! Dicamus igitur hic illud S. Augustini serm. 44. de Sanctis: *Vir beatus longanimiter tolerans omnem acerbitatem temporalium, ut coronaretur in misericordia & miserationibus, mundanas contempsit opes, corporales refrenavit illecebras, multas pertulit est impurus. Et in perfectione sacrificii nil ibi sibi* Joan. Bertelius in hist. Lucemburg. asserit id factum ad sacrificium.

reservans, seipsum obtulit holocaustum, bibens illum calicem pretiosum, quem sedens ad magnam mensam sibi prius ab invitatore viderat appositum. Si pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus, quàm pretiosa est illa, quæ quandam habet conjunctionem temporis & loci cum sacrificio incruento Agni; in quo renovatur memoria sacrificii in cruce cruenti.

Sic *S. Matthæus* ad altare occiditur, quia Tutor castitatis Iphigeniæ.

Apud Suvium 15. Kal. Aug. Sic *S. Stanulaus* sacrificium peragens manu Boleslai Regis ante aram, trucidatur, eandem ob causam quâ S. Lambertus manu vel jussu Dodonis Ducis. Sic denique occumbit *S. Fredericus* Trajectensis Episcopus in templo, peracto sacrificio orans, idque jussu Ludovici Regis; eò quòd eum arguisset ob introductam pellicem consanguineam. O malesuada Venus, tot malorum machinatrix, tam copiosum, tamque pretiosum impientissimè fundens cruorem! Sed ô felices victimæ, tali causa, tali loco, tali tempore immolatæ, & cum Principali victima Christo JESU conjunctæ! Certè S. Lamberti glorioſum fuisse Martyrium, satis probat, quòd sacratissimum Sacerdotis & Martyris corpus exanime à domesticis ejus (qui mortis periculum evaserant) in eodem orantis habitu repertum fuerit, quo ante altare sanctorum Martyrum, mors prostratum occupaverat. Apparuit quoque crucis admirabile signum super locum Viri sancti, militem Christi crucifixi virtute crucis victorem significans. Etenim JESUS crucifixus, eum vocavit, ipse eum justificavit, ipse magnificavit, ipse coronavit, ipse dedit ei certare, dedit & vincere.

Ea refert Officium Leodiense.

Cernere est in hac gloriosa morte, quam verum sit illud apud Esdram à cubicularibus Darii Regis scriptum: *Forte est vinum. Fortis est Rex. Fortiores sunt mulieres. Super Omnia autem vincit Veritas.* Fortè est vinum vanitatis, quod animum fortem seducere valet, & sibi subjicere. Fortis est Rex, qui omnia quæ animo arridentsuo potest jubere. Fortiores sunt mulieres, quæ Regis animum valent dementare. Sed super omnia Veritas triumphat; benedictus Deus Veritatis. *Iniquum est vinum, iniquus Rex, iniqua mulieres, iniqui filii hominum, & in iniquitate sua peribunt, & Veritas manet & invalescit in æternum & vivit, & obtinet in sæcula sæculorum.* Pateſcunt hæc omnia, dum triumphat Martyr de Rege iniquo, de Muliere furente, de Persecutoribus impiis: sicque trophæa refert fides de perfidia, veritas de vanitate, castitas de libidine, humilitas de superbia, mansuetudo de crudelitate, pietas de iniquitate, charitas de odio persequente. Benedictus ergo Martyr. Testis fidelis Divinitatis, Amator castitatis, Osor impietatis, Sectator sanctitatis, Præco & Defensor veritatis. Hæc omnia clarius elucescent, si gloriam ejus coruscantem post mortem consideremus.

3. Esdr. 4.

PARS III. *De gloria S. Lamb. post mortē.*

Primò, gloria S. Lamberti statim à morte cælitus manifestata est. Nam dum corpus ejus à domesticis Trajectum translatum foret ad Ecclesiam Principis Apostolorum, ut sepulchro paterno inferretur; cumque ibidem ejus celebrarentur exequiæ, maxima suavissimi odoris cœlitus effusa fragrantia omnes fuere perfusi. Sed & obsignato diligenter tumulo, & recedente populi frequentia SS. Angelorum cum hymnis & immenso lumine illic adfuit manifesta custodia. Quorum præsentiam & dulcisonam modulationem multi religiosi viri sæpius audire & videre meruerunt. Vocemque beati Martyris sibi cognitam protestati sunt se verè audisse, inter chorum illum sanctorum spirituum S. Trinitatis hymnos decantantium. Quæ visio quotidie circumquaque divulgabatur, & tota vicinia cum devotione sepulchrum Martyris frequentabat. O glorioſum virum, Deum laudantem in cœlis, quem toto corde dilexerat & laudaverat in terris! O beatam animam, quæ ad tempus corpore in sacro cubuli suo lætanter quiescente, exultat cum Sanctis in gloria. O sanctissimum Pontificem, antiquis non inferiorem, cujus & corpus honorat, & animam in suum susceptt consortium chorus Angelorum decantantium. Non inferior est S. Martino Sacerdotum Luce, cujus animam dum excipit Angelorum chorus, divinas eos laudes decantantes audit S. Severinus. Non inferior est S. Paulo, Monachorum Duce, quem vidit inter beatorum spirituum, Prophetarumque & Apostolorum cœtus in cœlum conscendere S. Antonius. Non inferior Moyse, & aliis Sanctis, quorum exequias Angeli celebrarunt, & corpora tumularunt.

Secundò, illud ejus gloriam in funere adauxit, quòd cum in obsequium funeris tota fere regio accurreret, fama tanti sceleris excitata: & cum sanctum corpus exosculandi gratia accederent omnes, nulla tamen pellex aut mulier impudica potuit accedere. Sed si qua se ingerebat ad corpus S. Martyris exosculandum, quasi quodam rotata turbine cogebatur retrocedere. Per hanc repulsam manifestum erat displicuisse maximè Deo, sicut & S. Martyri adulteram & pellicem illam, quæ duplici crimine sanctam conspurcarat & conturbarat Ecclesiam. Simul etiam per hoc indicabatur viri sancti castitas, quam à puero adamaret, & coluerat in finem usque vitæ.

Nulla mulier impudica ad corpus S. Lamb. potuit accedere.

Propter hanc etiam castitatem, & incorruptionem corporis & mentis, voluit Deus sacrum ejus corpus multis annis præservari à corruptione. Nam anno decimo tertio post passum Martyrium membris adhuc solidis & intemeratis, suavissimoque odore fragrantibus, à S. Huberto ejus successore est repertum, & à Trajectensi paterno sepulchro ad Legiam, Martyrii locum, est reductum. Incorruptio ergo illa odorifera testimonium erat incorruptæ in eo virginitatis, simulque specimen quoddam & indicium futuræ in sancta hac carne gloriosæ immortalitatis. Hinc & Angeli (in illa apertione

tumuli, dum repertum fuit intemeratum Martyris corpus) rursus ut in exequiis, ejus triumphum decantarunt, & gloriam Deo reddere à fidelibus multis visi & auditi sunt. Quidni ergo laudemus nos *Virum glorioſum, Parentem noſtrum*, quem toties Angeli collaudarunt? Sed & illa Translatio ejus planè glorioſa fuit (quam quotannis ſolemniter recolit Eccleſia Leodienſis 28. Aprilis) eam comitante multorum gloria miraculorum, dum cæcis redditus fuit viſus, contractis paralyticis greſſus, & à multis infirmis languor omnis depulſus. Habuerat quoque Hubertus varias viſiones, quibus monebatur S. Martyris corpus ad locum Martyrii in Legiam transferre. Locusque ille crebris luminaribus cœlitus emiſſis viſus fuerat reſplendere.

Translatio S. Lamb. fuit glorioſa.

Non ergo dicat quiſpiam hæreticus: *Cur honoras pulveres & cineres? Cur honoras corpus exangue & exanime?* Ecce enim Deus illud honorat miraculis, Angeli cœleſtibus præconiis. Cœlum lumine & ſplendore: quidni honorent & homines? Pretioſa in conſpectu Domini, in conſpectu Angelorum, mors Sanctorum ejus: cur non ſit & in conſpectu fidelium? Honoro ergo in carne glorioſi Martyris Lamberti exceptas pro Chriſti fide cicatrices. *Honoro per confeſſionem Domini ſacratos cineres. Honoro in cineribus ſemina æternitatis. Honoro membra, quæ fuerunt Spiritus Sancti organa. Honoro corpus, quod me Chriſtum docuit diligere, & pro illo mortem non timere. Honoro corpus, quod Deum honoravit in gladio, & tandem cùm eo regnabit in cœlo.* Pretioſa ſunt nobis membra pro Chriſto contuſa pretioſæ cicatrices remanentes, pretioſa oſſa & cineres, tamquam parentum pignora, tamquam triumphantium trophæa, tamquam virtutis monumenta, tamquam pretioſæ confeſſionis teſtimonia, tamquam arrhæ patrocinii, tamquam ſemina ſuſcitanda, & æternum glorificanda. Eccleſia Triumphans ſuſcepit animam, nobis relinquit corpus in amoris pignus diligenter cuſtodiendum & honorandum, ut tanto fidentius S. Martyris & Sacerdotis valeamus implorare patrocinium. Laudet ergo Legia cum filiis ſuis *Virum glorioſum, Parentem ſuum Lambertum*, cujus ſacris exuviis, ſacro corpore gloriatur. Sed etſi feſtivitas hæc ſit Legiæ peculiaris privilegio ſepulchri, eſt tamen omnium communione ſuffragii. *Non clauditur locis, quod diffunditur meritis. Invocari ubique poteſt Martyr, quia ubique exaudit, qui in Martyre honoratur. Hæc etiam eſt gloria Martyrum, quorum etſi per univerſum orbem ſeminetur in cineribus portio, manet integra in virtutibus plenitudo.* Ita loquitur S. Ambroſius, ſer. de S. Nazario.

Tertiò, gloria S. Lamberti ex eo etiam increvit, quod Dodo & ejus complices membrorum tremore, & horrenda Dei ultione, infra annum miſerrimè perierunt. Dodonis viſcera omnia ſtatim computruere, eaque mirè fœtentia per os rejecit, ac tandem ob fœtoris intolerantiam corpus ejus in

Interfectores S. Lamb. infra annum miſerè pereunt.

Moſam projectum eſt vermibus, & tabe corruptum. Qui S. Epiſcopum telo interfecerat, cum fratre ſuo congreſſus, illum occidit, & pariter ab illo peremptus eſt. Ita Surius & Sigebertus in Chron. Quam verè convenit S. Lamberto illud: *Dedit Dominus confeſſionem ſancto ſuo, & exceſſo in verbo gloriæ. Domini corde ſuo laudavit Dominum, & dilexit Deum, qui fecit illum, & dedit illi contra inimicos potentiam.* Eccl. 47. Tunc quoque adimpletum eſt illud promiſſum Domini: *Certa pro veritate uſque ad mortem, & Deus expugnabit inimicos tuos.* Eccl. 4.

Joſeph certavit uſque ad mortem (uſque ad vincula & carcerem, capitiſque diſcrimen) pro veritate & caſtitate; & tandem *Deus expugnavit inimicos ejus*, propalans caſti adoleſcentis innocentiam, & adulteræ detegens cum infamia fraudem flagitioſam: *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum.* Pſal. 118.

Suſanna certavit uſque ad mortem pro veritate & caſtitate; ideo Deus ſuſcitans ſpiritum Danielis adoleſcentis, *expugnavit inimicos ejus*, & condemnavit ſenes inveteratos dierum malorum, cruenta nece, & perpetua ipſos plectens labe ignominiæ: *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum.*

Certavit *Baptiſta* uſque ad mortem pro veritate & caſtitate; & licet ab adulteris innocens interemptus fuerit; tamen *Deus expugnavit inimicos ejus*, glacie Herodiadi in undis ſaltitanti caput exſecante, & Herode in exilio vitam ærumnoſam infelici morte terminante: *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum.*

Certavit *S. Stanislaus* ad mortem pro veritate & caſtitate, & *Deus expugnavit inimicos ejus, & pugnavit pro eo.* Nam & corpus ipſius in agros ſparſum per Aquilas à feris cuſtodivit, & in partes ſectum redintegravit. Poſtmodum cœleſtis ſplendoris indicio luminaribusque per decennium cælitus demiſſis honoravit, & honorari voluit. Denique, hoſtis ejus Boleslaus ſtimulis conſcientiæ exagitatus, nec cibum, nec ſomnum capere valuit, factusque omnibus odioſus, in Hungariam tranſire fuit coactus. Ubi ſecundo exilii anno languore & amentia percuſſus, in ſylvis à propriis canibus eſt devoratus. Ita in ſe perpeſſus eſt, juſto Dei judicio, quod B. Stanislao ſtruxerat, canibus & avibus devorandum projiciens: *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum.* Sed etiam revelarum fuit quibusdam viris religioſis, regnum Poloniæ in tot factiones diſtractum iri, in quot partes B. Stanislai corpus fuerat dilaniatum, in ultionem necis ejus. Quod veriſſimum fuiſſe, rerum ſucceſſus ſatis declaravit. Ita Scriptor vitæ ejus apud Surium, 7. Maij.

His conformiter certavit uſque ad mortem & ſanguinem pro veritate & caſtitate S. Lambertus, divinaque ultio apertè *pro eo pugnavit, & ejus inimicos expugnavit.* Effuſus eſt ſanguis ipſius *per limpidiſſimam petram, non ſuper terram, ut poſſit aperiri*

Ezech. 24. *operiri pulvere*, ut verbis Prophetæ Ezechiëlis utar. Qui justum opprimit, quasi in limpidissimam petram sanguinem fundit. Nulla unquam operietur terra, sed omnium oculis patebit; quanto magis Luc. 18. Dei? An verò oculus Dei hoc inultum sinet? *An non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico autem vobis, quia citò faciet vindictam illorum.* Petra ergo limpidissima erat Lambertus, super quam ædificari debebat LEGIA SANCTA. S. R. ECCLESIÆ FILIA. Sic sanguis super petram effusus, non potuit operiri pulvere. Lapis erat & petra, in quam qui impinget, corruet; super quem autem ceciderit, Matth. 23. confringetur. Si sanguis Zachariæ exquiritur, quia fusus fuit inter templum & altare typicum; quanto magis hic sanguis profusus impientissimè in templo coram altari, in quo prius oblatum erat sacrificium illud sanctissimum, omnium sacrificiorum veterum impletivum.

Sanguis ergo iste clamabat, vel ad Deum vindictam, vel ad impios pœnitentiam: sed quia noluerunt amplecti pœnitentiam cum piis lamentis, inciderunt in vindictam cum terribilibus tormentis. Sic Deus pro Martyre pugnavit, & ejus hostes expugnavit. Quid verò de Alpaide, quæ cruenti flagitii radix fuerat & incentrix? ut ostendat Dominus, quod sicut sanguis suus ab impiis profusus, sic & Martyrum suorum sanguis, magis postulet veniam, quam vindictam, Heb. 12. *melius loquens quam Abel*, Alpaidem perire non voluit, sed ad pœnitentiam converti, & misericordiam impetrare, illo ipso Martyris sanguine; quem per impios fuderat, apud Deum pro ipsa intercedente. Videns ergo ultionem horrendam, in fratrem suum & sceleris complices cœlitus desævientem, aperuit oculos, & adulterinis renuncians amoribus, in locum pœnitentiæ secessit, ex sibi hæreditariis bonis Monasterium exeitans à fundamentis in Otipa magna, ibi se ab omni sæculi vanitate & illectamentis segregans, lachrymis instar Magdalenæ pœnitentis indulsit, & perpetui clausiri austera solitudine se condemnavit. Accitis igitur è Nivella Virginibus, ad extremum usque vitæ pœnitentiæ speculum & exemplum se exhibuit.

Pugnavit itaque contra eam Deus, sed feliciter expugnavit, adeo admirabili conversione eam sibi subjiciens, & Martyri supplicem reddens. Quapropter hic possumus cum Psalmista inclamare: Psal 65. *Venite & videte opera Dei, terribilis est in consiliis super filios hominum.* Quod interpretans S. Gregorius hom. 4. in Evang. sic subdit: *Vidit Propheta, quod alius misericorditer vocatur, alius justi ia exigente repellitur, & quia alia parcendo, alia Dominus ira ascendo disponit, expavit; quod penetrare non potuit. Et quem non solum investigabilem in quibusdam suis sententiis, sed etiam inflexibilem vidit, terribilem in consiliis esse memoravit.* An non hoc ipsum hic cernamus in Alpaide, & fratre ejus Dodone, ac consortibus? Hi justitia exigente plectuntur: divitus: illa misericordiam invenit, & fit ei Deus propitius. O *Deus terribilis in consiliis super filios hominum!* Venite, videte, admiramini opera ejus, qui creat lucem & tenebras, & quando vult, de tenebris potes lucem educere.

EODEM FESTO. LECT. 49.

Laudemus viros gloriosos, parentes nostros in generatione sua. Eccl. 44.

ILli, qui in Patres & Patronos nobis à Deo dati sunt, si munere fungimur Filiorum & Clientum, nos in protectionem suam suscipiunt, nos adamant, nobis opitulantur, & quadam ratione nos continuò generant, donec æternæ gloriæ renascamur. Quapropter possunt cum Apostolo dicere: Gal. 4. *Filioli, quos parturio donec formetur in vobis Christus.* Ut enim Christus & ejus gratia in nobis formetur, sua nos adjuvant doctrina & admonitione, quam tanquam semen sacrum reliquerunt animis nostris inserendum, ut tandem sese exserat in fructum, adjuvant quoque exemplis virtutum nobis relictis; adjuvant denique continua apud Deum intercessione. Tria igitur eis debemus, quia Patres sunt.

Patronos non solum laudandos sed & imitandos.

Tria SS. Patronis debemus.

Primò quidem, debemus eis affectum & honorem, recolendo scilicet eorum memoriam cum amore & devotione. Unde & illud possunt nobis dicere: Mal. 1. *Si ego Pater vester, ubi est honor meus?* Hic affectus se prodit, dum imagines & aras erigimus in eorum honorem, dum festa eis dicata devotè celebramus, dum lumina, in signum lætitiæ de gloria ipsorum, accendimus, dum reliquias sacras, vel monumenta, ab eis relicta, & quicquid ad eos quacunque ratione spectare potest, veneramus, dum genibus flexis eorum preces postulamus, vel vota eis nuncupamus.

1. *Affectum & honorem.*

Secundò, laudem eis debemus & benedictionem: Prov. 10. *Memoria justi cum laudibus, nomen impiorum putrescet*, inquit Sapiens. *Laudemus viros gloriosos, parentes nostros*, ait idem. Si memoria Josiæ pii Regis, qui se Patrem plebis suæ amantem exhibuerat, tanta cum odoris suavitate, tantaque cum benedictione & laude celebrabatur, ut dicat Ecclesiasticus: Eccl. 49. *Memoria Josiæ in compositionem odoris facta opus pigmentarii in omni ore quasi mel indulcabitur, & quasi musica in convivio vini.* Idipsum majori ratione convenit fieri, dum memoria agitur eorum qui Patres nostri sunt in generatione sancta. Nimirum memoria eorum debet instar mellis labiis cordis suaviter ruminati, ut cor dulcedine affectum erudiet verbum bonum & suavisonum, in laudem & benedictionem eorum. Nam & ratio, quæ pro Josia affertur, illis etiam convenit: Ibid. *Ipse est directus divinitus in pœnitentiam gentis, & tulit abominationes impietatis, & gubernavit animum ad Dominum cor ipsius, & in diebus peccatorum corroboravit veritatem.* An non hoc ipsum S. Lamberto convenit, & aliis Ecclesiarum Patronis? An non sicut de Josia refertur

2. *Laudem & benedictionem.*

Hebræi mortuum esse juxta arborem, & juxta fontem, ita & ipse mortuus est juxta arborem crucis, & juxta fontem aquæ vivæ? Sit ergo memoria ejus cum benedictione. Hoc scilicet præstatur per Hymnos, Psalmos, & Cantica in ejus laudem decantata.

5. *Cum amore imitationem.*

Tertiò, debemus simul cum amore & honore imitationem. Ideo namque Sanctorum laudes decantamus, ut ad imitationem eorum accendamur. Non enim terrenis nostris egent laudibus, quos Pater æternus in sui assumpsit honoris consortium. Gaudent interim, si sic eorum delectemus præconiis, ut simul excitemur exemplis, insistamusque vestigiis. Si filii Sanctorum simus, ad eandem quamodò fruuntur, æternam vitam & hæreditatem prætendimus; sed per eandem viam, perque eadem vestigia: alioqui nos ipsos seducimus & decipimus, quia non est aliud iter ad gloriam, quam illud quod nobis præmonstrarunt præeuntes.

Olim sapiens Seneca morti propinquans, & carceri manciparus, cum prohiberetur testari, nihilominus amicorum non immemor eos ad se vocavit, & dixit, se hac vita haud excessurum, nisi eis pretiosum aliquod legatum consignando. Cum autem interrogaretur; quod illud foret? *Imago est vitæ meæ, ô amici*, inquit ipse, *hanc vobis consigno in testamentum, & pignus amicitiæ, ut eam crebrò intuemini ac imitemini.* Hoc si potuit dicere sapiens Ethnicus, fide nequaquam illustratus: quanto verius id viri sancti dixerint, *testimonium ei perhibente conscientia in Spiritu Sancto?* Verè nobis, tanquam filiis & amicis, non terrenas opes testamento legarunt, quandoquidem eas aspernari docuerunt: sed *imaginem vitæ suæ* pro omnibus divitiis apud nos voluerunt asservari, nostrisque oculis frequenter observari, ut ad imitationem nos erudiat. Hoc etiam admonet S. Basilius Epist. 1. ad S. Gregorium Nazianz. sic scribens; *Sicut pictores imaginem ex imagine pingentes sæpe ad exemplar respiciunt, lineamenta ad suum opus transferre satagunt; sic oportet eum qui se perfectum efficere vult, ad Sanctorum vitam oculos intendere, atque illorum bona per imitationem sua facere.* Ita S. Basilius. Ideo nimirum eorum imagines, vel pictas, vel sculptas gerimus, ut virtutum in ipsis promicantium non solum memores, sed etiam imitatores simus.

Cor. Tac.

Rom. 9.

Soliti sunt antiquitus illustrium Parentum filii Patris imaginem, in modum cordis formatam in numismate, cordi appendere, ad recordationem, ad amorem, ad imitationem virtutis paternæ. Unde Scipioni ignobili (qui sic dictus est, quia à paternis virtutibus degener fuit) jussu Senatus Romani, Numisma, in quo insculptam publicè gerebat Patris effigiem sublatum fuit, judicante Senatu ipsum indignum illius Numismate & imagine, cujus virtutem non æmulabatur.

Val. Max. l. 3. cap. 5.

E contra *Boleslaus*, quartus Poloniæ Rex, Patris sui imaginem aurea gestans in lamina collo suspensam, cum aliquid grande aggressurus foret, eam deosculari solitus erat, & dicere: *Absit, ô Pater mi, ut rem tuo unquam nomine & virtute indignam geram.* Sic stimulum calcarque sibi subjiciebat, ad heroica Patris gesta non solum recordanda, aut laudanda, sed etiam imitanda.

Crom. l. 5. de reb. Pol.

Constat verum esse illud *S. Francisci* apophthegma: *Quinam virtutibus magni & nobiles extiterunt; alii nihil faciendo, sed tantum res gestas eorum narrando, clari volunt fieri?* Attendant hæc Christiani, qui Sanctorum sunt filii: non nomina eorum, sed & virtutes gnaviter sectentur, nisi velint illud audire cum confusione: *Si filii estis Abrahæ, opera Abrahæ facite.* Et rursus: *Attendite ad petram, unde excisi estis, ad Abraham Patrem vestrum.* Quod si peccatis maculosi sint & denigrati, tunc rectè eis improperatur: *Numquid filii Æthiopum vos omnes?* Imò & illud: *Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* Si semen Abrahæ & Sanctorum estis, illorum fidem, obedientiam, mansuetudinem, ac virtutum aliarum exempla exhibere necesse est; alioqui ipsi Judices vestri erunt & Vindices, quos Patronos vocatis & Patres: *Est Moyses qui accusat vos, in quo speratis.*

Joan. 8. Isa. 51. Amos 9. Joan. 8. Joan. 5.

Sic dicimus: Attendite ad Lambertum Patrem vestrum vos qui eum invocatis ut Patrem & Patronum. Et qui ei dicitis: *Ora pro nobis B. Pater Lamberte*, videte, ne respondere possit: *Nec ego Pater, nec vos Filii.* Si enim peccatis inhæretis, & vitam criminosam ducitis, *Genimina viperarum* vos esse noveritis. Quapropter nec tunc ad vos dirigitur illud: *Laudemus viros gloriosos, parentes nostros in generatione sua.* Generatio enim eorum: *generatio est filiorum timentium Deum, quarentium Dominum, quarentium faciem Dei Jacob.* Ab illo accipiunt ipsi misericordiam & benedictionem pro filiis suis, intercessione & meritis suis. Sed neque eos digne laudare potestis præconio vocis, si non & eos collaudetis imitatione virtutis. Quomodo enim laudare possumus dignè S. Lamberti innocentiam & justitiam, si nocui sumus & injusti? Quomodo pietatem, si indevoti? Quomodo castitatem, si impuri? Quomodo charitatem, si invidi? Quomodo zelum & fervorem, si frigidi? Si hæc rectè velimus laudare, conemur imitari: non enim vera est illa laus, nec in sublime ascendit, quam lingua & vox exprimit, sed manus & opus deprimit. Atque de his illud dici meritò potest: *Vox quidem, vox Jacob est; sed manus, manus sunt Esau.* Manus utique peccatoris impia operantis, ut Esau, non concordat cum pia voce Deum & Sanctos laudantis, ut Jacob. Non est speciosa laus in ore peccatoris in peccatis perseverantis. Quapropter ei improperatur à Domino: *Quare tu enarras justitias meas & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum.* Si hoc improperatur a Deo, etiam à SS. Patronis idipsum improperatur his, qui eorum tanquam Parentum volunt laudes decantare, sed impuro corde, impura conscientia. Sic qui cum injustis adulteris portionem

Quomodo rectè Sancti laudentur.

Psal. 23. Gen. 27.

tionem ponunt, quomodo S. Patroni Lamberti laudes prædicabunt, cujus sanguis adhuc clamat contra injustos & impuros? Hos quos semel voce oris, voceque cruoris condemnavit, adhuc quotidie censetur, condemnare, & contra eos clamare, nisi resipiscant.

Concludamus igitur, & repetamus illud Tobiæ ad patientiam & in omni virtute perseverantiam
Tob. 2. sese exemplo Sanctorum excitantis: *Nos filii Sanctorum sumus, & vitam illam exspectamus, quam daturus est Deus his, qui non mutant fidem ab eo.* Vitam illam jam assecuti sunt SS. Patres nostri, per doctrinam & fidem Catholicam Romanam quam inviolatam conservarunt, & inter idololatras ac erroneos propagarunt, cruoreque suo, ubi opus fuit, obsignarunt. Non ergo eam mutemus, non vacillemus vel minimum in ea. *Non simus sicut parvuli fluctuantes, nec circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, ad circumventionem erroris.* Licet aliqui hæretici finitimi circumeant Provinciam nostram, & Civitatem Leodiensem, errores circumferendo, ut incautos circumveniant & seducant; non attendamus his, sed nobis sint anathema. Non simus similes illis qui se in aliquo spacio domus in gyrum commoverunt, quibus nihil firmum, sed omnia vertibilia & irrequieta videntur, ob vertiginem capitis. His enim similes sunt, qui se novis doctrinis circumferri sinunt; nam deinceps nullum dogma eis firmum apparet, sed omnia notabilia, quia laborant spiritu vertiginis & erroris. Hinc nimirum tot hæreses & errores. *Hinc quoque tot fidibus luditur una fides.*

Nos autem inconcussam conservemus fidem, quam S. Lambertus tot laboribus plantavit his in Provinciis, tot sudoribus aspersit, tandemque non solum proprio ore, sed & cruore rigavit. Cui incrementum dedit Deus & stabilimentum, jam à mil-
Hebr. 13. le & amplius annis. A tot enim sæculis stetit *Legis Sanctæ, Ecclesiæ Romanæ filia*, semper in fide incorrupta. Meminit enim illius moniti Apostolici: *Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.* Talis Præpositus nobis fuit S. Hubertus, talis S. Lambertus, talis S. Remaclus, talis S. Theodardus, talis S. Amandus, talis S. Servatius, talis S. Maternus, qui omnes in Leodiensi, sive Tungrensi Ditione locuti sunt verbum Dei, verbumque fidei, in quo stamus; & non solum vitæ sanctitate, sed etiam miraculis innumeris illud confirmarunt. Quid ergo vacillemus ob novitia dogmata, quæ nos circumstant, & circumvenire nituntur, erumpentia è paludibus Batavicis?

Quid dicis hæretice, quid dicis hostis antiquæ veritatis, fator novi erroris? Cur Missæ sacrificium non offeramus? cur Missam non audiamus? cur Sanctorum sacras non honoremus reliquias? cur eos non invocemus? Sacerdos Romani fidei fuit Lambertus & Hubertus. Missam uterque celebravit. Lamberti exuvias sacras Hubertus veneratus est, in ejus honorem templum extruxit. Curab eis traditam fidem mutemus? Cur docere nos vis post mille annos, quod Legia Sancta hactenus repudiavit? Apage, apage. Nos filii Sanctorum sumus, nec fidem mutamus ab ipsis traditam, quia nec aliam vitam, quam eam, qua nunc fruuntur, expectamus, *quam daturus est Deus his, qui fidem non mutant ab eo.* Dicimus cum Naboth: *Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem Patrum meorum tibi.* 3. Reg. 21. Absit à nobis, ut vineam pulchram & fructiferam Patrum, permittamus converti in hortum olerum, veræ doctrinæ palmites, in herbarum semina, quæ citò decidunt, & arescunt. Talis est doctrina hæretica, decidua & evanida, ac in lutum tantum desinens, ut olera.

O Sancte Patrone, hanc cœtus imperra gratiam solo Leodico, quod tuo rigasti sanguine, ut erroris novitii infelix germen in eo non pullulet, sed citò suffocetur, & extirpetur radicitus. Tuo fiat patrocinio, ut non mutemus fidem, quam nobis tradidisti; sed cum fide imitemur virtutem, quam ad extremum usque spiritum in exemplum nobis exhibuisti. Denique, tuis fiat meritis, ut servata usque in fidem fidelitate, qua nos Deo obstrinximus in baptismo, vitam illam assequamur, quam possides, quam dat Deus his, qui non mutant fidem ab eo.

APPENDIX.

NOTABILIS HISTORIÆ

DE PLECTRUDE, ET EJUS NEPTE S. NOITBURGE.

Cum animum ad Alpaidem pellicam adjecisset Pipinus, Plectrudis, legitima ejus conjux, recesserat Coloniam ex consilio S. Lamberti: ibique cum nepte sua Noitburge piè & sanctè vivens, condidit insigne Monasterium Virginum. Hanc verò Noitburgem, (quam sanctissimè Plectrudis matertera instituebat & educabat) ejus filii Drogo Dux Campaniæ, & Grimoaldus Regiæ Francorum aulæ Præfectus, volebant cuidam Nobili desponderе; sed morte præventi sunt. Nam Drogo febre abreptus fuit, Grimoaldus autem à Rongario quodam apud aram S. LAMBERTI ornans interfectus. Interim consanguinei Virginis idem exequi constituerant: At illa Sponsos omnes fastidiebat præ amore Sponsi immortalis, regnumque mundi, ac ejus ornatum propter illum despiciebat. Quapropter se totam ad preces conferens, obnixè eum rogavit, ut prius ipsam à vita tolleret, quam alteri consensum daret Sponso cogeretur. Audivit ejus preces, qui non deserit in se sperantes, & incontaminatam animam ex vitæ hujus angustiis ad se evocavit. Porrò ipsum etiam exanime corpus cohonestavit insigni miraculo, duobus luminatibus, uno ad caput, altero ad pedes divinitus ardentibus: fortè significans, quam illa fuisset intellectu illuminata & affectu requi-

Erat

gato. Solet enim in sacris Literis per caput intellectus accipi, per pedes affectus. Ad hoc divinum spectaculum populus undique accurrit, & matertera cum suis advolavit, læta quidem de Dei beneficio singulari, sed & dolens de tam repentino Virginis à se decessu, in qua solatium totum ponebat, orbata marito, & filiis duobus. Sed probabat eam Dominus, ut solet electos suos. Accidit & paulo post res admiratione dignissima. Postquam enim honorificentissimè esset deportata à Colonienſibus ad templum, & inter sacri funeris exequias alterius defuncti cadaver in idem templum inferretur, & juxta ejus feretrum deponeretur; ut Virginis meritis eluceſcerent, ad vitam defunctus rediit, palam affirmans se S. Noitburgis meritis & precibus à mortuis revocatum. Quæ res omnes excitavit ad laudandum præpotentem Deum, qui sic in Sanctis suis mirabilis est. Hæc sanctitas Virginis institutioni Plectrudis adscribenda, sed & in S. LAMBERTUM est referenda, cujus consilio se Plectrudis regebat, & Noitburgis ejus neptis.

IN FESTO S. MATTHÆI.

LECT. 50. tripartita.

Vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine, &c. Matth. 9.

PARS I. *Quomodo Christus Matthæum vidit & vocavit. Marc. 3.*

NOn casu existimandum est Dominum prætertisse, dum intuitus est transeundo Matthæũ sedentem in telonio, de quo textus Evangelicus: *Et cum præteriret, vidit Levi Alphæi sedentem ad telonium.* Quærebat enim speciali intentione & sollicitudine oves errantes Pastor, ut reduceret: quærebat circumiens Medicus ægros, ut sanaret: quærebat Sol beneficus sedentes in tenebris, ut illuminaret: quærebat Fons sitientes, ut refrigeraret & reficeret: quærebat vinctos & onustos Redemptor, ut dissolveret & sublevaret. Ovis erat errabunda Matthæus, necdum agnoscens Pastorem: Æger erat periculosè, nec Medicum requirebat: In tenebris delitescebat, nec ad lucem respirabat: Sitiebat supra modum, sed ad cisternas quæ continere non valent aquas, os apponebat: Vinctus erat, & onustus, sed vincula & onus ignorabat. Venit ergo ad eum Pastor, & pertransiens vocem edit, quam mox ovis agnoscit tanquam vocem Pastoris, & eum sequitur. Venit Medicus, & in solo transitu potens est è lecto ægritudinis jacentem evocare. Transit Sol, & dissipat suo intuitu omnem caliginem hominis delitescentis in umbra mortis. Fons ille qui olim clamabat: *Qui sitit veniat ad me*, pertransiendo ad se allicit hunc sitientem, ut ultra non sitiat, sed bibat aquam salientem in vitam æternam. Prætertit Redemptor, & è compedibus educit vinctum, onustumque pondere mergente in internum exonerat, ut tollat in cœlum. O quam potens est qui in transitu solo hæc omnia potest præstare, imò solo intuitu, aut verbo! O felix transitus! ô felix vox, vel intuitus! De illo igitur dicitur: *Prætereans vidit hominem in telonio sedentem.*

Vidit porrò Matthæum Dominus, ut ipse videret Dominum; Vidit JESUS hominem, ut homo videret JESUM. Vidit pertransiendo, & ulterius progressus est videndo, ut & Matthæus non remaneret ibi, sed pertransiret cum ipso ad novam vitam progrediendo. Non ergo solis corporalibus vidit eum oculis, sed maximè intueri eum dignatus est oculis divinitatis. De his dicitur: *Oculi Domini lucidiores super Solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda in abscondita partes.* Mox tenebræ omnes diffugiunt, ubi Sol iste dignatur hominem benigno vultu respicere; dissipat omne malum intuitu suo, dissipat omne frigidum calore suo, hominemque inflammat amore lucido. Quid enim est intuitus ille Domini, nisi dulcissima cordis penetratio, quæ fit per interiorem inspirationem & lucem, per inflammationem & amorem? Hanc efficaciter facit ille, quia Deus est cordis, & quocunque voluerit inclinat illud. Quem sic respicit Deus, potiori multò ratione potest dicere quam Agar: *Tu Deus, qui vidisti me.* Dum enim dignatur hominem benigno hoc intuitu, deducit enim ad *Puteum Videntis & Viventis.* Ad hunc puteum deduxit Matthæum, ut hauriret & effunderet aquam vivam, non solùm bibens pro se, sed etiam copiosè propinans eam totius orbis hominibus. Hausit enim aquam gratiæ & evangelicæ doctrinæ, quam tanquam fluvius refudit copiosissimè, & in finem usque sæculi omnibus propinabit, invitans omnes sitientes ad aquas profluentes de Puteo & Fonte vitæ.

Efficacia visus Christi.

Eccl. 23.

Gen. 16.

Apprimè profectò convenit illud: *Est homo macidus egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans pauperate, & oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate, & exaltavit caput ejus & mirati sunt in illo multi, & honoraverunt Deum.* Ecce honoramus hodierno festo Deum, & ejus potentiam, sapientiam, bonitatem, ac misericordiam decantamus, quia Matthæum divitem quidem secundùm sæculum, sed in veritate egentem, virtute deficientem, auxilii & gratiæ omnis indigum, oculus ejus benignus respexit, & de stercore vili opum humanarum, deque humili officio Publicani evenit ad Apostolatum. Evexit de sede pestilentiæ, ad sedem sublimem Evangelicæ doctrinæ, ex qua doceret non jam opes conquirere terrenas per lucrum injustum & mammonam iniquitatis, sed cœlestes adipisci divitias per semitam veritatis. Hoc decuit non solum tanquam Apostolus, relinquens omnia, ut inveniret omnia, sed etiam tanquam Evangelista, notas nobis faciens vias illius qui de se dicit: *Ego sum via, veritas & vita*; imò & tanquam Mater, hoc est cellis Domini, effundens sanguinem suum pro veritate & castitate. Hæc certè ex se non poterat homo macidus & egenus, deficiens, & pondere cupiditatis oppressus, nisi oculus Domini respexisset illum in bono,

Ecel. 11.

Joan. 6.

bono quando hærebat in malo, & de stercore ac cæno exaltasset eum, ut collocaret in cœlo cum Principibus populi. Meritò ergo hoc admiramur in hac festivitate, & magnificamus Deum, qui suam sic conspicuam facit potentiam & bonitatem in tempore, erga eos quos respexit ab æternitate. Qui enim sic respexit Matthæum prætereundo, respexerat eum ab æterno, viderat & subficu in Adamo: Videndo prædestinârat, ut suo tempore vocaret, justificaret, magnificaret, tandemque glorificaret dicente Apostolo: *Quos prædestinavit hos & vocavit, & quos vocavit hos & justificavit; quos autem justificavit illos & glorificavit.* Rom. 8.

Cur dicatur: Vidit hominem.

Notant autem nonnulli, signatè dici in textu Evangelico, cum de Matthæi vocatione agitur: *Vidit Hominem.* Cùm enim quatuor Evangelistis quatuor diversæ figuræ assignentur tanquam insignia eorum, Matthæi insigne est *Homo*, sicut Marci *Leo*, Lucæ *Vitulus*, Joannis autem *Aquila*. Vidit ergo Christus hominem transeundo, illum scilicet *Hominem*, qui jam præfiguratus erat Ezechielis cap. 1. Illum, inquam, *Hominem*, qui cum Leone, Vitulo, Aquila mysticis trahere debebat currum gloriæ Dei, & illum toto orbe invehere. Hoc fecit Matthæus per Evangelium suum, gloriam Dei manifestando usque in fines orbis terræ. Et quia ille homo dum eum vidit Dominus adhuc, repebat in terra, dedit ei alas quibus volare posset ad cœlestia; replevit & eum impetu spiritus, ut velociter ambularet vias Dei & perseveranter, nec *reverteretur cum ambularet.*

Propterea dicit ei Dominus: *Sequere me*; quod quidem intelligendum est non tam de sequela quæ fit gressu corporis; quàm de ea quæ fit gressu mentis; quomodo secuti sunt eum Apostoli, postquam vocem ejus & lucem perceperunt. Idem ergo est ac si diceret ei Dominus: Relinque telonium, relinque lucrum injustum, relinque priorem vivendi consuetudinem pravam, sæculique latam & tritam viam; & sequere me per viam perfectionis, per semitam vitæ, per tramitem securum, quem tibi ostendam ad superna tendentem. Quod si telonium amas & lucrum, telonium tibi magis lucrosum præparo: non te subtraham operi, sed laborem commutabo, ut jam conquiras lucrum non homini perituram, sed Deo permansurum, *usque non trigesimum in quadragesimum, quinquagesimumque nummum tristus redigas supputator, sed trigesimum in sexagesimum & centesimum gaudii fructum lætus reconditas divinis commodis profuturum*, inquit S. Chrysologus serm. 29.

Sequere me, quid sit.

PARS II. Quomodo vocantem secutus est Matthæus.

AUditâ Domini voce invitante, continuò secutus est eum Matthæus: non procrastinavit, aut distulit jam accepto consilio salutis, sed disrupit laqueos & vincula sine ulla mora, aut vacillatione. Non attendit ad Occidentem, dum vocavit ipsum Oriens, non aliena præstolatus est consilia, dum magis consilii Angelus invitavit. Aliter contingit plerisque, hujus sæculi negotiis implicatis cum periculo animæ. Qui ubi monentur se extricare, & saluti suæ cum securitate consulere, de die in diem differunt: proponunt quidem idipsum peragere, sed propositum non deducunt ad effectum, Dæmon vana spe corda eorum demulcet, ut hodie vocem Domini non audiant, sed corvinum eras ingeminent, & tandem pereant. Similes sunt Hericio in partu crepanti, quia distulit parere dum tempus adesset; spinosus enim fœtus crescens ut utero eum tandem suffocet. Serpens ad decipiendum argutus spiris suis involuit multos, ut præsens tempus negligentes, crastinum, sive futurum, cujus spem dat, Deo donent. Sic continuò eos de die in diem trahentes bonum propositum, spe frugis seducit, & vitam tandem latenter subducit. Non sic se gessit Matthæus qui mox vocationi paruit, & statum peccati reliquit.

Ericius parviendo crepat.

Sed quæritur, an status Publicanorum esset peccato conjunctus, & an Matthæus in hoc exequendo munere peccarit? Respondeo, cùm Publicani illi dicantur, qui publica vectigalia habent conducta, posse illud munus exerceri sine peccato, quandoquidem illa possint esse justa, & justè exigi. Quapropter dum Publicani ad Baptistam venerunt dicentes: *Magister quid faciemus?* Ipse non jubet munus deserere, sed respondet: *Nihil amplius quàm quod constitutum est vobis, faciatis.* Immò antiquitus apud Romanos Publicani erant in pretio & honore. Nam Cicero in orat. pro Plancio ait: *Flos equitum Romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum Reipublicæ, Publicanorum ordine continetur.* Apud Judæos tamen malè audiebant Publicani, & habebantur tanquam peccatores; cùm quia talia officia vix sine peccato fieri possunt, idcoque audiebant tanquam injusti & avari, raptores, omnique compassione carentes, & imprudentes; tum etiam quia Romanorum vectigalia apud Judæos (qui se liberos existimabant) exigerent, & compellerent contribulos suos, sicque tyrannidi intervirent, ideo infames habebantur & peccatores.

Status publicè peccato conjunctus. Luc. 3.

Certè in hoc munere exercendo peccasse Matthæum, passim tradunt SS. Patres, Audi Ambrosium Luc. 5. *Propria reliquit, quia rapiebat aliena.* Audi & Hieronymum Matth. 9. *Videbant Publicanum a peccatis ad meliora conversum locum invenisse pœnitentia.* Fusè etiam hac de re agit S. Chrysol. ser. 19. Explicans enim quomodo sederet Matthæus ad telonium, sic dicit: *Sedebat, qui stare non poterat ponderè cupiditatis oppressus, & ipsa totus conscientia fraudis incurvus.* Hoc postmodum eloquenter explicat auri naturâ consideratâ, quod quidem natura grave gravius fit avaritiâ possidentis, plusque aggravat corda, quàm corpora. Quidita? Quia *aurum nascitur in terra, profunda sectatur montium fundamenta, perque ima venarum cæca discurrit anfractibus: ideo igitur dum suam semper repedat ad naturam, cælestes animos ad inferna deponit.* Ita ipse.

An Matthæus in suo munere peccarit.

Immò aurum excæcat & captivat aspectum, fidem frangit, violat affectum, vulnerat charitatem, turbat quietem, adimit innocentiam, suadet fraudes, docet furtum. Hæc sunt germina auri & illi cognatæ avaritiæ, quæ ab Apostolo vocatur *Radix omnium malorum.* 1. Tim. 6. Ab his ergo malis & vinculis præpeditum Matthæum absolvit Dominus, dum ei dicit, *Sequere me.* Unde admiratione digna est hic Domini dignatio & gratia, inquit idem Chrysologus, dum Matthæum ad se vocando & ad Apostolatum eligendo, dat *Fraudulento fidem, cupiditate magistro officium largitatis, Doctori fœnoris magisterium sanctitatis, Publicano sæculi cœleste secretum.*

Vocatio Matthæi admirabilis.

Ita admirabilis fuit hæc vocatio, sive Christum attrahentem spectes, sive Matthæum prompte obedientem, ut S. Hieronymus cum nonnullis ex antiquis Scriptoribus hanc attractionem obedientiæ mox conjunctam, divinitati in vultu Christi refulgenti attribuerit. Sic enim loquitur: *Fulgor ipse & majestas divinitatis occulta, quæ etiam in humana facie Christi relucebat, ex primo aspectu videntes ad se attrahere poterat.* Matth. 9. *Si enim in magnete & succinis hoc esse vis dicitur, ut annulos & festucas & stipulam sibi copulent, quanto magis Dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat quos volebat?* Hoc equidem non rejicimus, dicimus tamen non necesse fuisse Christum è vultu fulgorem emittere, ut ad se vocaret peccatores, qui solâ id potuit vel voce, vel voluntate. Fuit ergo hoc verbum, *Sequere me*, adeo potens, adeoque efficax, ut cor Matthæi mox potuerit immutare, & Christo adglutinare, omniaque impedimenta disrumpere: ut omnibus abdicatis eum sequeretur. Nam qui foris verbo vocavit, intus audiri se fecit, & audientem obedientem reddidit. An verbum Verbi sine affectu esse potuit? An non vox ejus *Vox est Domini in virtute, Vox confringentis cedros, Vox præparantis cervos. Vox intercidentis flammam ignis?* Psal. 28. Igne cupiditatis mox intercidit & extinxit in Matthæo; & sedentem in telonio, pondereque avaritiæ pressum, illicò currentem fecit instar cervi, & promptum ad ascendendum in sublime perfectionis, excusso omni onere cupiditatis. Non longâ ergo opus fuit concione ad convertendum hunc peccatorem, illi qui *Verbum abbreviatum fecit super terram.* Duobus verbis uritur, *Sequere me*, & nihil huic verbo abbreviato potest obstare, quin suum sortiatur effectum; quia & illius vox hic auditur, qui potest verbo mortuos suscitare, prout patuit cum dixit: *Lazare veni foras. Adolescens tibi dico surge.* Sic & sæpius alibi verbo sanat, aut peccata remittit, qui verbo potest omnem immutare creaturam prout voluerit, verboque panem & vinum in corpus suum & sanguinem transelementare. Sic ergo ad se convertere potuit Matthæum unico verbo, & quidem, quod admirabilius est, nihil minus cogitantem, sed & aliis intentum & implicatum. Hæc nimirum est specialissima gratia Dei, de qua latius egi in Candelabro nostro mystico tract. 5 lect. 2. Planè enim admirabile est, quòd is qui sedebat in telonio, velut in cathedra avaritiæ & loco iniquitatis, nihil aliud ruminans quam de suis contractibus, usuris, exactionibus professioni suæ annexis, quem nulla aut de pœnitentia, aut de vita in melius instituenda subibat cogitatio, subitò ad vocem unam attrahitur, velut à magnete ferrum, deseritque locum & statum iniquitatis, disrumpit chyrographa usuraria, solvit debita, restituit pignora, sæculi negotiatione expedit, & ad eum toto affectu convertitur, qui non venit vocare justos, sed peccatores. Verè hæc est mutatio dexteræ Excelsi, digitusque & vox sola Dei id potuit.

Virtus divina vocis.

Hic igitur considera quàm verum sit quod alibi dicit Dominus: *Dives difficile intrabit in regnum cœlorum*, sive ut habet S. Lucas: *Quàm difficile qui pecunias habent, intrabunt in regnum Dei! Facilius est Camelum per foramen acus transire.* Subditur verò postea: *Apud homines impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Hoc manifestè hic cernimus. Ecce enim dives ingreditur in regnum Dei, sed prius contempris suis divitiis: quod rarum est, quam mirum in modum divitiæ animum illigant & stringunt. Ecce Camelus ingreditur per foramen acus, per angustam perfectionis semitam Matthæus dum ingreditur; sed prius onus deponit & gibbum, omniaque secernit impedimenta: quod quidem suis viribus facere non poterat, sed hoc apud Deum facile erat. Noluit autem eum Christus cum suis divitiis, unde non dicit: *Affer mihi, sed sequere me, quia Matthæum, non Matthæi sæculos requirebat*, inquit S. Chrysol. serm. 28. Sic & alterum quempiam qui volebat sequi cum opibus repudiat, & dicit: *Vulpes foveas habent & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Quasi dicat, interprete S. Chrysostomo: Quid pecunias credis te collecturum, si me sequaris? nonne vides, nec diversorium quidem mihi esse, nec tantum quidem quantum avibus? Tales autem volo esse eos qui me sequuntur, tantaque paupertatis, ut omnia relinquant. Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromatum dicit hoc loco divites pravos vocari Vulpes, qui in effodiendis & infodiendis vitiis versantur, planè terræ filii. Tales Vulpes suas habent foveas, areæ enim in quibus aurum & argentum recondunt illarum foveæ sunt. Volucres etiam dici possunt illi qui divitiis superbiunt, & in sublime sese erigunt, in excelsum volunt ponere nidum. Christus pauper & humilis tales repudiat sectatores, eligit autem pauperes & humiles. Ideo ad se vocavit Apostolos, censu pauperes, loco humiles, arte viles, vita obscuros, labore communes, addictos vigiliis; negatos honoribus: sed eos effecit innocentia locupletes, sanctitate sublimes, simplicitate pretiosos, vitæ merito illustres, æterni honoris consortes. Hoc potuit vel his solis verbis efficere, *Sequere me.* Sic affectum Matthæi ad opes terrenas commutavit unicâ voce in affe-

Matth. 19. Luc. 18.

Matthæus per foramen acus transit.

Jerem. 4.

in affectum ad cœlestes. Sic Æthiops mutare potuit pellem suam (Matthæus ad Æthiopiam mittendus) & pardus varietates suas, discens benefacere.

PARS III. *Quomodo convivio Matthæus gratias egit. Luc. 5. Matthæus vocatus, alios vocat. Apoc. 22.*

MAtthæus à Christo ad sequelam suam invitatus, invitavit & Christum in domum suam ad vescendum, fecitque convivium ei magnum, eratque *turba magna publicanorum & aliorum, qui cum illis erant discumbentes*: Vocaverat nimirum consodales suos Matthæus ut quemadmodum & ipse ad meliora proficerent Christi verbo & consortio. Adimplebat igitur illud: *Spiritus & Sponsa dicunt, Veni, & qui audit, dicat Veni.* In quem locum sic dicit S. Gregorius hom. 6. in Evang. *In quantum vos profecisse pensatis, vobiscum alios trahite, in via Domini socios habere desiderate. Si ad Deum tenditis, curate ne soli veniatis. In Apocalypsi dicitur: Qui audit, dicat Veni, ut qui jam in corde vocem superni amoris acceperit, foris etiam proximis reddat vocem exhortationis.* Sic & Andreas à Domino invitatus secum duxit Petrum, ut socius foret gaudii jam in corde suo inchoati ex verbis Domini, quia spirituale illud gaudium è fonte divino haustum ex multorum associatione & concursu non imminuitur, sed potius adaugetur. Propterea dicebat B. Ephrem tractatu in pretiosam margaritam: *Desidero sermones tuos Domine, quia dum sitio, fontis instar mihi sunt, & esurientem me nutrit per illos. Quoscumque volo ad tua fercula convoco, pluraque relinquimus quàm invenimus. Cum multis comedo, & solus invenior, bibo cum multitudine, & quasi solus essem, tu mihi propinas gratiam.* Certè gaudebat Matthæus aliis communicare gaudium & lucem, quam corde conceperat in sua conversione, ut & illi non forent sine fruge, sicut & Augustinus de se dicit in suis Confessionibus: *Ubi gustaveram Domine lucem tuam, frendebam quòd alius indicare non possem.* Ubi lucem sensit in lectione epistolæ Paulinæ sub arbore, incidens in illud: *Non in cubilibus & impudicitiis, sed induimini Dominum Jesum Christum:* & lachrymarum profluvium velut acceptabile sacrificium Domino sub arbore obtulisset, surgit & adit Alipium, ut socium eum gaudii & lucis efficiat, & ferculum ei ex convivio sibi à Domino proposito proponat. Unde cum iteratò librum aperuissent, adverterunt, quod sequitur, *infirmum autem in fide assumite*, & ferculum istud Alipio servabatur, ut renovato & adaucto gaudio cum Augustino epularetur, & ad Dominum cum illo perfecto corde converteretur.

Rom. 13.

Si gaudebat Matthæus convivium instruens ablactationis suæ ab uberibus sæculi, gaudebat & Christus, non de cibo terreno, sed cœlesti; nactus scilicet occasionem docendi & convertendi peccatores. Hic enim erat cibus ejus, facere voluntatem Patris sui, ut dixit Apostolis suis occupatus in conversione Samaritanæ. Ideo ergo accessit ad Convivium Christus, ut spirituales suis præberet convi-

Joan. 4.

viis cibos. Et haud dubium est, in hoc epulo fructum fecisse docendo Publicanos, prout asserit S. Chrysostomus, Hieronymus, Beda & alii Patres. In illo convivio epulabatur velut ex linteo illo mystico, quod Petro ostensum fuit ex variis animalibus etiam serpentinis, quæ jubebatur occidere & manducare: hæc enim animalia symbolum erant peccatorum varii generis, quos in Christi corpus trajicere, sive illi incorporare, debebat Petrus, sicut & fecerat Christus, illos convertens, & illis convescens. *Act. 10.*

Impiè ergo murmurant Scribæ & Pharisæi: *Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magister vester?* Quis justè murmuret contra Solem, quod radios suos fundat, etiam per loca tenebrosa? & lutosa? Quis contra fontem, quod rivulos dispergat per loca sordida ut sordes eluat? Quis contra Pastorem, quod oves errabundas requirat? Quis contra Medicum, quod conversetur & convescatur cum ægris? Quis contra Deum, quod misericors sit & miserator, nosque suæ misericordiæ & bonitatis faciat participes? Hoc nimirum faciunt Pharisæi, dum arguunt Christum Deum, quia inclinat se homini, quia conjacet peccatori, quia esurit pœnitentiam, quia propinat pietatis poculum, quia illuminat in tenebris jacentes, quia conversatur cum ægris ut eos sanet, cum mortuis ut eos suscitet. Non est, ut putant Pharisæi, Christi convivium hoc prandium ventris, sed mentis; non carnis, sed spiritus; non terreni luxus, sed gratiæ cœlestis; non humanæ voluptatis, sed divinæ bonitatis. *Venit ad convivium vita, ut faceret secum convivere mortuos: jacuit resurrectio, ut de sepulchris surgerent qui jacebant; decubuit indulgentia, ut peccatores levaret ad veniam: venit ad prandium reorum Judex, ut praveniret reatus sententiam.* Noli mirari Pharisæe, cur misereatur convivio peccatorum, qui propter peccatores & nasci voluit, & non recusavit occidi. Noli oblatrare, cur peccatorum vinu bibat, qui pro peccatoribus suum sanguinem fudit. Si vis amplius, suscepit ipse peccatum, ne perderet peccatores: in se sententiam Judex retorsit, ut peccatores se amasse proderet, magis solvendo debitum, quàm donando. Ita hac de re loquitur S. Chrysologus serm. 29. & 30.

Impium Pharis. murmur.

Christi convivium quale.

Hoc ipsum indicat Christus, dum respondet: *Non est opus sanis medico, sed malè habentibus. Non enim veni vocare justos, sed peccatores.* Non venit vocare justos, ad pœnitentiam scilicet, sed peccatores, ut habet Lucas, non enim indigent justi pœnitentia, vel quasi dicat: Non veni vocare eos qui se justos falsa quadam justitia putant, & arbitrantur sibi non esse opus medico, quales vos estis, ô tumidi & superbi Pharisæi, sed peccatores se humiliantes veni vocare, & curare. Hoc sic explicat S. Chrysol. serm. 29. *Non hic Dominus justos respuit, sed superbos, & eos notat, qui cum non sint, esse se jactant justos.* Denique, idem est ac si diceret Dominus: Non veni vocare justos, nullos enim invenio, quandoquidem omnes peccant. Quòd si possibile esset

3 p. q. 1. a. 3. invenire justos, non veniſſem. Ita explicat Theophylactus, illi ſubſcribens ſententiæ Theologorum quæ aſſerit Chriſtum non fuiſſe aſſumpturum carnem, ſi ſtatus innocentiæ perduraſſet. Cui etiam opinioni conforme eſt illud S. Aug. *Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla erit medicinæ cauſa. Si venit de cœlo magnus Medicus, magnus per orbem jacebat ægrotus.* Venit ergo Chriſtus tanquam Medicus, ut artem ſuam propalaret & commendaret, ægrosque ad ſe alliceret, peritiam ſuam oſtendere voluit ſanando graviſſimè laborantes, qualis fuit Matthæus. Sic enim ſolent Medici dum in aliquam civitatem veniunt, aliquos curare qui inſanabiles exiſtimabantur; ſicque nomen ſibi parere, & peritiam ſuam publicam facere, ut reliqui accedant cum fiducia.

Epilogus cum Apoſtrophe ad Chriſtum. Concludamus igitur, & ad hunc peritiſſimum, clementiſſimumque animarum Medicum cordis noſtri deſideria convertamus, & dicamus: Tu, Domine, qui ineffabili pietate tuâ dignatus es in hunc mundum venire, ut ſanares languidos, & vocares peccatores; reſpicere digneris languorem noſtrum ad portas mortis nos deducentem, niſi ſanes & eruas nos. Reſpicere, inquam, nos digneris, illis miſericordiæ oculis quibus reſpexiſti Magdalenam in triclinio, Petrum in atrio, Latronem in patibulo, Paralyticum in lecto, Matthæum in telonio. Voca nos, & effice ut ſequamur promptè & incunctanter, præparamusque tibi & Angelis tuis convivium gratiſſimum de lætitia converſæ mentis, de ferculo contritionis; de obedientia voluntatis, de dapibus perfecti amoris, de vino ſapido & defæcato bonæ conſcientiæ & internæ delectationis: donec tandem ad illud æternum convivium nos perducas, ubi ſatiabis intellectum divinitatis tuæ viſione, voluntatem fruitione, memoriam æternitatis continuatione, tum hominem intus & foris ineffabilis voluptatis inexhauſto fonte; ubi nullum amplius erit murmur, ſed vox continua exultationis, & laudis perennantis.

De Martyrio S. Matthæi. S. Matthæus poſtquam Evangelium Hebraicè ſcripſiſſet, in Judæa propter eos qui ex circumciſione crediderant, in Æthiopiam eſt profectus, ut horridos illos Æthiopes nigros & nudos candido vellere Agni immaculati veſtiret, hoc eſt, fide Jesu Chriſti imbueret. Ibi ergo Evangelium ſuum magno zelo prædicavit, & multis miraculis confirmavit. Regis enim filiam à mortuis excitavit, illoque miraculo Regem & uxorem ejus cum univerſa Provincia ad fidem convertit. Rege mortuo, Hirtacus ejus ſucceſſor, cùm Iphigeniam Regiam filiam vellet ſibi dari in matrimonium, in Matthæum iram & furorem convertit, quia huic matrimonio aſſentiri ipſa nolebat, eò quòd Matthæo inſtinctore & inſtructore virginitatem Deo voviſſet; in quo quidem ſancto propoſito conſtantiſſimè perſeverabat. Matthæum igitur Tutorem virginitatis Iphigeniæ ad altare, dum ſacrum myſterium celebraret, juſſit occidi. Ideo eum vocat S. Hyppolitus in lib. de

12. Apoſt. *Virginitatis Victimam.* O quàm felicitèr ſuum in victimam obtulit & immolavit ſanguinem, eo ipſo tempore quo Agni immaculati cruorem & carnem incruente immolabat! O gratiſſimum Deo duplex hoc ſacrificium, ſanguinis ſcil. cet Agni ſacrificium, conjunctum cum ſacrificio ſanguinis Matthæi. Poterat meritò tunc dicere illud Pſalmi Matthæus: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Vota mea reddam in conſpectu omnis populi ejus? pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.* Pretioſa utique mors hujus Apoſtoli & Martyris tali cauſa, tali tempore, tali loco, tali conjunctione, ſcilicet cum Chriſti morte, quæ in ſacrificio renovatur & rememoratur. Pretioſus & ſalutaris Calix, de quo per martyrium bibitur, pro Chriſto patiendo, & illi ſanguinem ſuum libando. Pretioſa hoſtia laudis, in qua nomen Domini invocatur, dum diſruptis omnibus vinculis cum hoſtia Agni vita Martyris in hoſtiam offertur. Meritò ergo etiam potuit reſonare Matthæus: *Dirupiſti vincula mea tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini invocabo.* Pſal. xiv.

Fuit autem S. Apoſtolus Dux multis, in ſacrificium ſe offerens cruentum pro cauſa Chriſti tempore ſacrificii incruenti. Fuit, inquam Dux cæterorum, quibus & idem contingit exemplo & imitatione ejus. I Sic S. Stephanus Papa & Martyr, in perſecutione Valeriani, *dum Miſſa ſacrum peragret, ſupervenientibus Imperatoris ſatellitibus, ante altare intrepidus cœpta myſteria perficiens in ſede ſua decollatus eſt*; corpusque ejus cum eadem ſede conſperſa Pontificis ſanguine in cæmiterio Caliſti ſepultum eſt. Ita Martyrol. Rom. 2. Auguſti. II. Sic S. Lambertus, Leodienſis Epiſcopus, eò quod Pipinum Auſtraſiæ Principem argueret, quòd Alpaidem pellicem foveret rejectâ Plectrude legitima uxore, à Dodone Arduennæ Duce prædictæ Alpaidis fratre & ejus aſſeclis ad altare SS. Coſmæ & Damiani oblato ſacrificio, brachiis expanſis orans, haſtâ transfixus, in recens ſacrificium ſeſe obtulit. III. Similiter S. Stanislaus, Epiſcopus Craeovienſis, à Boleslao Rege, eò quod publicè argueret ejus nefandam libidinem, & obduratum à communione removeret, hoſtiam incruentam ad altare offerens, cruentè necatus eſt. Breviar. Rom. 7 Maij. IV. Eadem ob cauſam S. Fredericus, Trajectenſis Epiſcopus, martyrio occubuit in templo, coram altari peracto Miſſæ ſacrificio, necatus à ſicariis miſſis à Rege Ludovico, eò quod eum argueret ob introductam pellicem conſanguineam, de quo Surius 15. Kal. Auguſti. An non hi omnes imitatores S. Matthæi, *Victimæ caſtitatis* jure dici poſſunt? V. Denique, S. Aureus Moguntiæ Epiſcopus, in altari ſacra faciens, crudeliſſimè ab Arianis trucidatus eſt, & in vicinum puteum præcipitatus, de quo Breviar. Moguntinum die 16. Junij. Hoc ipſum multis Sacerdotibus contigit initio furoris Calviniani in his Belgicis oris, & in aliis regnis, ut patebit

Imitatores S. Matthæi.

Joan. Bertius in hiſt. Lotharingiæ.

revolventi historias Martyrum illius temporis. O Felices victimæ, cum victima principali scilicet Christi JESU corpore & sanguine, feliciter immolatæ!

IN FESTO S. MICHAELIS.

LECT. 41. tripartita.

Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, &c. Exod. 23.

PARS I. S. *Michaelem fuisse ducem Israelitarũ. Columna Israelitica admirabilis.*

PLanè admirabilis & consideratione digna est Columna nubis per diem, ignis per noctem, quæ Israelitas Ægypto egredientes præcedebat.

Primò quidem, quia per annos 40. eos præcessit ostendens viam, quâ eundum esset in solitudine, donec pervenirent in terram promissam. *Secundò*, quia modò se movebat, modò quiescebat: cumque moveretur, movebant se castra Israëlitarum; & cum quiescebat, quiescebant & illa. *Tertiò*, quia eadem Columna (ut probabilior docet opinio) per diem apparebat, quasi columna nubis, per noctem quasi columna ignis. Non ergo duæ erant Columnæ, sed una duplex officium habens, vicissim, & assiduè, singulis diebus ac noctibus. Nam de die hæc columna nubis tota obumbrabat castra, ab æstu Solis ea protegens; quæ tamen castra occupabant locum aliquot leucarum nostrarum, quandoquidem multis centenis millibus constarent. De nocte autem eadem columna nubis splendebat ut ignis, & castra illuminabat, ut sese mutuò innotescerent, & viam quâ eundum erat. *Quartò*, quia hæc Columna erat amplissima, sive longitudinem spectes, sive latitudinem, nam à tantis castris tantumque locum occupantibus semper videri debebat, sive nocte ut illuminaret, sive die ut ab æstu protegeret. Imò & hæc Columna interponens se inter Hebræos & Ægyptios, hos obtenebravit, illos illuminavit; & Dominus per illam prospiciens interfecit exercitum Ægyptiorum. Quę omnia specialem Dei potentiam & providentiam in hac columna ostendunt. Quapropter haud dubium esse potest, quin Columna hæc ab Angelo specialiter moveretur & dirigeretur, sive cùm eundum, sive cùm quiescendum foret; sive nocte ad illuminandum, sive die ad protegendum & obumbrandum Israëlitas; sive denique ad tutandum eos contra hostes. Hoc manifestum est ex eo: *Tollens se Angelus Dei qui præcedebat Israelis castra, abiit post eos, & cum eo pariter columna nubis.* Quis ille Angelus, nisi is qui in columna delitescebat, tanquam ejus motor & director? Nempe eum eo profecta est & columna interponens se inter castra Hebræorum & Ægyptiorum, his se instar crassæ nubis expandens, ut nec Hebræos possent cernere, aut eis appropinquare, & ex alia tamen parte Hebræos illuminans, ut possent proficisci & mare rubrum transire. Sic sollicitam populi sui curam gerebat & tutelam; chaudens agmen Israëlis, & rutans eos ab Ægyptiis; plectens verò hostes tenebris, per quas tandem post Israëlitas ingressi mare mergerentur. Hic est ille Angelus de quo: *Ecce ego mittam Angelum meum qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem paravi. Observa eum & audi vocem ejus; nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaveris, & est nomen meum in illo.* Hic nempe est Angelus qui Præses erat exercitus Hebræorum: illæ præibat ostendens viam per columnam ignis & nubis, ille etiam nomine Dei præcedebat, sive Moysi, sive Hebræis; ille denique rebelles puniebat.

Exod. 14.

Exod. 14.

Exod. 23.

Hunc Angelum fuisse Michaëlem, multi ex sacris Interpretibus autumant. Nam Michaël vocatus *Princeps populi Israel*, & olim præerat Synagogæ Judæorum sicut & modò Ecclesiæ Christianorum. *Nemo est adjutor meus nisi Michael Princeps vester*, inquit Gabriël Archangelus Danieli. Iterum: *In illo tempore consurget Michael Princeps Magnus, qui stat pro filiis populi tui*, hoc est, qui præest, tueturque Judæos, tanquam populum Dei, filiosque Patriarcharum & Sanctorum. Hinc est quòd appariciones Angelorum attribuantur S. Michaëli, illæ scilicet quæ olim factæ fuere Patriarchis, vel quod per seipsum eis apparuerit, vel quod per Angelos inferiores eos illustrarit, eorum specialem gerens curam. Sic Michaël rectè dicitur vice Dei legem dedisse Moysi & populo in monte Sina. Atque etiam in fine mundi pugnabit contra Antichristum, & interficiet eum virtute Christi in monte Oliveti, ex quo se fingit ascendere ad Patrem. Quod enim dicitur: *Dominus Jesus interficiet eum spiritu oris sui*, interpretatur S. Thomas occidendum mandato Christi sed per Michaëlem Archangelum, qui post Christum Præses est divinæ justitiæ & supremus Judex; qui etiam Luciferum expulit è cœlo cum rebellibus suis Angelis. Sic ergò & ultimum prælium ei reservatur: tunc adhuc stabit pro filiis Israël, procurans ut in fine mundi ad Christum convertantur, & salutem assequantur.

Dan. 10.

Dan. 12.

Exod. 20.

2. Thess. 2.

Apoc. 12.

Sicut porrò olim Synagogæ, sive Ecclesiæ antiquæ, Præses fuit & protector, sic & modò Ecclesiæ novæ: Illam enim protegit & tuetur contra adversarias potestates, contra rectores tenebrarum harum; illam illuminat contra caliginosa discrimina, quibus undique cingitur. Et sicut Dux est exercitus cœlestis in Ecclesia triumphante, ita etiam Dux est in Ecclesia militante; quodque Gentilibus fuit Mars in suis bellis, hoc S. Michaël est Christianis. Hæc est causa, cur templa & oratoria à Gentilibus olim Marti variis in urbibus dedicata, postea in honorem S. Michaëlis consecrata fuerint, & ab eo nomen acceperint. Quod quidem Leodii, Coloniæ, Antverpiæ, Bonnæ, Luneburgi, & alibi factum esse, ex antiquis monumentis annotatũ est. Explososcil. Marte, Christiam Ducem suum Michaëlem in locis illis & templis coluerunt, & nomen ejus indiderunt. Seran. in c. 5. Josuæ. Cornel. in c. 12. Dan. &c.

Christiani explosoMarte S. Michaëlem.

Refert etiam Nicephorus l. 7. cap. 50. Constantinum Magnum audisse à S. Michaële, in loco qui *Sosthenium* dicitur: *Ego sum Michael, Archistrator Dominus*

Sabaoth, Christianorum fidei tutor, qui tibi contra impios tyrannos belligeranti, fideli & germano illius ministro, arma auxiliaria contuli. Itaque Constantinus è somno excitatus, in honorem S. Michaëlis altare ibi exstruxit, & Phanum, quod Sosthenium dictum fuerat, in Michaelium, sive in templum celebertimum S. Michaelis convertit, illud templum postea sæpius suis apparitionibus illustravit, nullusque incognita ægritudine aut incurabili morbo circumventus ibi Dei gratiam implorabat, quin opem mox assequeretur, ut testatur idem Niceph. loc. cit.

Sic & Justinianus Imp. militiæ cœlestis summo Principi Michaeli pluribus in locis erexit Ecclesias, *sciens probè, si talem tantumque Ducem sibi conciliaret, qui rebelles Angelos cientes in cœlo prælium superasset, certam securamq; de vincendis Wandalis se posse habere fiduciam*, inquit Procop. de bello Wandal. l. 1.

Itaque Michael est, qui Christianos reddit victores, non solum contra visibiles hostes fidei, sed & maximè contra hostes spirituales, eorum propulsans impetum, eorum vim elidens, impetrans lucem ac fiduciam usque ad extremum agonem, gaudens posse repræsentare animas, quæ sub vexillo Christi certarunt, ut coronam vitæ, & lucem beatam Abrahæ, & semini ejus sancto promissam consequantur. Propterea canit Ecclesia de animabus defunctorum: *Signifer S. Michael repræsentet eas in lucem sanctam, quam olim Abrahæ promisisti & semini ejus.*

Propterea S. Franciscus, licet singulari amore & cultu prosequeretur omnes Angelos, adeo ut in honorem eorum à festo Assumptionis B. Virginis quadraginta diebus jejunans orationi jugiter insisteret; tamen S. Michaeli, eo quod animarum repræsentandarum habet officium, spirituali erat amore devotior, propter fervidum quem habebat zelum ad salutem omnium salvandorum, ut testatur S. Bonaventura c. 9. vitæ ejus.

Surius in vitæ ejus. Sic & moriente S. Arnulpho Episcopo Suessionensi cellam ejus contremuisse legimus, & apparuisse ei S. Michaelem cum multis Angelicis spiritibus, pollicentem se ei Ducem fore ad beatam vitam.

Sic ægrotanti S. Wilfrido Episcopo Eboracensi idem S. Michael apparuit, & sanitatem restituit, addens se post quadriennium reversurum, tumque in pace vitam terminaturum. Testis est Beda l. 5. hist. Angel. c. 20. An non in his adimplebatur illud promissum Domini: *Ecce ego mitto Angelum meum qui præcedat faciem tuam, & custodiat te in via, donec introducat in locum, quem paravi?* Nec quemlibet Angelum, sed Principem illum & Ducem inter Angelos quandoque mittere dignatus est Dominus, ad solatium eorum qui Ecclesiæ præerant dignitate Episcopali, ut ostensum est in his Sanctis, quia speciali devotione in eum ferebantur.

Cur S. Michael cum statera pingatur. Quod autem S. Michael pingitur cum statera, quasi librans animas, eorumque opera bona & mala, hoc fieri ideo nonnulli interpretantur, quia creditur Michael animarum è corpore discedentium particulare judicium exercere. Propterea igitur cum gladio & bilance pingitur, ut summa ejus potestas, justitiæque æqualitas declaretur, in nostris sive meritis sive demeritis ponderandis. Serar in Jusuæ c. 5. Cornel. in c. 12. Dan. & alii.

Denique, S. Michael canet novissima tuba, excitabitque mortuos, ut veniant ad judicium. Immò & ipsum S. Michaelem existimant vexillum Crucis delaturum, cum Christus ad extremum venturus est judicium, ideoque etiam nominari *Signiferum Christi*. Ita Eckius hom. 8. de S. Mich. *1. Thess. 4.*

PARS II.
Ex quo ordine Angelorum sit S. Mich.

CUm verò S. Michael tot privilegiis sit adornatus, tantoque honore in Ecclesia colatur; quæritur, cujus sit ordinis inter Angelos?

Respondeo, triplicem de ipso opinionem esse inter sacros Interpretes & Scholasticos Doctores. Prima opinio asserit, eum primum esse in ordine Archangelorum. Ideo S. Judas in epistola sua vocat eum Archangelum, sicut & Ecclesia eum vocat in officio festi ejus. Hujus etiam opinionis videtur esse S. Hieronymus, explicans illud: *Ecce Michael unus de Principibus primus venit in adjutorium meum.* Quasi diceretur, Michael primus est de Principibus, quia Princeps ordinis Archangelorum. *1. Opinio.* *Dan. 10.*

Secunda opinio asserit, eum in ordine Principatuum esse primum, qui regnis præsunt. Hoc colligunt aliqui ex eodem citato Danielis loco; sic enim explicant illud: *Unus de Principibus* id est, primus in ordine Principatuum, quia illa vocula *Unus*, apud Hebræos idem sæpe significat quod *Primus*, eo quod ipsi crebrò numerum cardinalem pro ordinali accipiunt. Sic Michael secundum hanc opinionem Princeps esset ultimæ Hierarchiæ primus, in ordine Principatuum primatum tenens. Hæc est opinio S. Thomæ 1. p. q. 113. art. 3. quæ etiam colligitur ex S. Dionysio c. 9. cœlest. Hierarchiæ; cui opinioni subscribunt nonnulli recentiores. *2. Opinio.*

Tertia opinio asserit S. Michaelem esse absolutè primum & Principem omnium omninò Angelorum, ita ut sit primus in ordine Seraphinorum, omnesque excedat spiritus, & naturæ, & gratiæ, & gloriæ sublimitate. Hanc sententiam multi jam probabiliter sequuntur. *3. Opinio probabilis.*

Primò, quia Michael cum Lucifero & Angelis ejus pugnasse dicitur, & ipsius superbiæ restitisse. Hinc & illius nomen *Michael*, quod Hebraicè significat, *Quis ut Deus*: quia nempe cum humilitate agnoscens neminem se Deo posse æquiparare, Lucifero se opponens, dixit: *Quis ut Deus?* Sic veritate & humilitate cum Angelis, qui steterunt, sese opposuit ei, qui similis Altissimo per arrogantiam esse voluit; meruitque nomen illud glorioſum, *Michael, Quis ut Deus*, quo illum agnosceremus tanquam nomine inclyto sibi per victoriam illam parto. Neque enim Angeli egent nomine inter se, cum se invicem perfectè agnoscant, sed ea assumunt pro ratione *Apoc. 12.*

tione ministerii, quod apud homines obeunt. *Michael* ergo dicitur à nobis Princeps ille Angelicus, sive *Quis ut Deus*, tum quia pro Deo pugnavit contra Luciferum, tum quia pro nobis pugnat in causa Dei, tum quia pugnabit contra eundem in finem usque sæculi. Sic & Gabriel nomen istud suum ratione nostri accepit, id est, *Fortitudo Dei*, ut meminerimus, quod fortia Dei gesta annunciarit, tum Danieli antiquitus, tum maximè Beatissimæ Virgini. Sic etiam Raphaelis nomen novimus, idem significans quod *Medicina Dei*, quia Medicus fuit Tobiæ, nobisque medelam spiritualem & corporalem potest impetrare. Alia Angelorum nomina cum certitudine non novimus ex sacris Literis. Licet enim aliqui quatuor alia addant nomina, ut cum prioribus faciant numerum septenarium Angelorum, qui in Apocalypsi dicuntur in conspectu Throni stare, & Tobiæ 12. astare ante Dominum; tamen hæc nomina non sunt recepta cum certitudine, sicut priora tria. Dicunt autem hæc esse quatuor alia, *Uriel*, *Scaltiel*, *Jehudiel*, *Borachiel*. Et quidem Uriel idem est quod *Ignis* vel *Lux Dei*, Scaltiel *Oratio Dei*, Jehudiel *Laus Dei*, Barachiel *Benedictio Dei*; ideoque nomina ista non reprobamus, sed incerta niti auctoritate dicimus. Quam ob causam Concilium Romanum sub Zacharia Pont. de quo Baron. an. 745. tria prima agnoscit nomina, Michaelis, Gabrielis, Raphaelis, alia non admittit tanquam auctoritate insufficiente nixa. Nec tamen propterea censetur illa condemnare; nam de Uriele fit mentio l. 3. & 4. Esdræ. Sed libri isti non sunt canonici, quamvis nec sint improbandi ut falsi.

Secundò, ideo Michael primus omnium spirituum Angelicorum à nonnullis asseritur, quia Ecclesia vocat eum *Primatem cœlestis exercitus, Prapositumque Paradisi*. Sicut ergo Lucifer Dæmonum fuit Imperator supremus contra Deum: sic etiam videtur, quod Michael supremus fuerit Imperator, tanquam primus inter Seraphinos, pugnans pro Deo cum omnibus spiritibus Angelicis, qui steterunt in veritate.

Tertiò, quia sub nomine S. Michael celebratur festum omnium omnino Angelorum: ergo censetur primus. Immò totius Ecclesiæ Præses & Custos, animabusque suscipiendis Præpositus asseritur, & Signifer primarius Dei: quæ omnia primatum ejus inter omnes suadent. Propterea etiam, ut supra dictum est, S. Franciscus erga S. Michaelem tanta devotione ferebatur, quasi agnosceret eum Principem inter omnes omnino Angelos, quibus etiam specialiter devotus erat. Hujus porrò sententiæ inter antiquos videtur esse S. Basilius, qui hom. de Angelis sic dicit: *Tibi, ô Michael, Duci supernorum spirituum, qui dignitate & honore prælatus es cæteris omnibus spiritibus supernis tibi inquam supplico.* Nec refert, quod S. Michael passim Archangelus nominetur, etiam in officio Ecclesiastico, nam sic vocatur, non quod sit de ordine Archangelorum, (inquit Doctor Molanus) sed quia omnium Angelorum Dux & Caput est. Hanc quoque sententiam sequi videtur B. Laurent. Justinianus ser. de S. Michaele, Rupertus in cap. 8. Apocal. & multi Doctores Theologi recentiores.

Molan. l. 3. de Pictur. c. 12.

SIcut Deus populo suo Israelitico providit Angelum Michaelem, qui eum educeret, ex Ægypto, deduceret in desertо, perduceret le mine prævio, tandemque introduceret in terram promissam felici vestigio; sic etiam cuilibet nostrûm providit Angelum, qui præcedat, qui custodiat in via, qui nos introducat in locum promissum & paratum. Quemadmodum igitur de S. Michaele diximus rectè intelligi illud: *Ecce ego mittam Angelum meum* (Angelum scilicet per Antonomasiam) *qui præcedat te*, &c. idipsum rectè intellexeris ad nos directum ratione Angeli Custodis nobis à Deo designati. Quapropter singula ponderemus verba, ut tanto apertius beneficium istud agnoscamus, & gratamente rememoremus. Mira enim dignatio, & magna dilectio charitatis apparebit, si consideremus,

1. *Quis mittit?*
2. *Quem mittit, & ad quem?*
3. *Pro qua re mittit?*

PARS III. *Quemque habere Angelum custodem.*

Exod. 23.

Beneficium Angeli Custodis.

Primò igitur expende illud: *Ecce ego mitto.* Istud, *Ecce*, demonstrare solet sacris in Literis aliquid specialiter attendendum, ut variis posset probari sententiis, tum ex veteri, tum ex novo Testamento depromptis, de quibus alibi dixi. Rursus illud. *Ecce ego*, quid aliud designat, quam illum ipsum mittere, qui alibi emphaticè dicit: *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Et rursus: *Ego sum; ego sum Dominus, & non est absque me Salvator.* Et iterum: *Ego Dominus Deus tuus, sanctus Israel Salvator tuus.* Denique: *Ego feci, ego feram, ego portabo & salvabo; usque ad senectam ego ipse, & usque ad canos ego portabo.* Vide ergo dignationem, quod summa Majestas, quæ nostri non eget, nec bonorum nostrorum, mittit ad nos; is, inquam, cui cœlum & terra obtemperant; is, quem offendere non veremur, adhuc nostri curam gerit, nosque diligit & dirigit. O dignatio, ô directio, ô dilectio! *Confiteantur Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum, quia magnificavit Dominus facere nobiscum.*

1. *ex parte mittentis.*

Isa. 43.

Isa. 46.

Psal. 106.

Psal. 125.

Secundò, expende quem mittit, *Angelum*, inquit; *Ecce mitto Angelum meum.* Sublimes illos & beatos spiritus, proximè sibi adhærentes, familiæ suæ Principes & domesticos mittere dignatur. An non hæc indicibilis benignitas & munificentia? Si alicui infanti gregario, mox ut è materni uteri latebris emersisset, Rex aliquem è Primoribus regni sui aut domesticis familiæ suæ destinaret; qui ei semper assisteret; nonne meritò ejus dignationem & benevolentiam obstupesceret Orbis? At majus hic quippiam, majorique dignum admiratione. Quapropter in spiritu exclamat S. Bernardus: *Domine, quid est homo, quia innotuisti ei; aut quod apponis erga eum cor tuum? Mittis ei unigenitum tuum, immittis Spiritum, pro-*

2. *Ex parte missi & ad quem.*

Bern. in Psal. 90.

mittis

mittu vultum; & ne quid in cœlestibus vacet ab opera sollicitudinis nostræ, beatos spiritus propterpos mittis in ministerium, custodieque deputas nostræ. Parum est quod facis Angelos tuos spiritus, facis & Angelos parvulorum. Illos, inquam, tam felices, & tuos ad nos, & nostros ad te Angelos facis. O expendenda Dei benignitas, Angelos, id est, sublimes illos & beatos spiritus mitrentis! Ad quem vero? Ad hominem. Quasi non sit *homo putredo, & filius hominis vermis.* Ad hominem, qui ab Angelo olim ejectus fuit ob ingratitudinem & inobedientiam è loco voluptatis. Ad hominem, qui Angelo tenebrarum potius dedit aurem, quam Angelo lucis.

3. *In quem effectum.* Tertiò, maximè explicandum & ponderandum, ad quem effectum mittat. Illud exprimitur dicendum dicitur: *Ut præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem paravi.* Hæc nimirum sunt officia Angeli Custodis, in via præcedere & dirigere, custodire & protegere contra pericula, perducere denique & introducere in locum beatitatis; nec antea deserere hominem sibi commissum, nisi culpâ suâ mereatur deseri. Itaque sicut Angelus ille qui populum Israel deducebat per desertum peregrinationis suæ, radiante luce ostendebat viam, umbraque roscida contra æstum protegebat, donec tandem in terram promissam introduxit, sic & quilibet Angelus Custos, in hac peregrinatione nostra nos dirigit, illustrat, protegit, donec ad locum à Deo præparatum pertingamus feliciter.

Angeli Custodes officia. Certè varia sunt officia Angelorum erga nos miseros viatores, tam corporalia, quam spiritualia, tum ad tuendam corporis vitam, tum animæ. Corporalia beneficia emicuerunt etiam antiquitus erga Israelitas, dum per Angelos eis manna 40. annis conficitur, & propterea panis Angelorum nominatur. Dum Eliæ panis & aqua providetur in solitudine, cujus virtute per quadraginta dies potest ambulare. Dum Danieli in lacu leonum providet Angelus, cibum deportando per Abacuc Prophetam. Dum siti morienti, puero Agar providetur in deserto de fonte. Dum pueros in igne Babylonis tuetur Angelus. Dū Loth & familia educitur è Sodomis. Quæ omnia etiam symbola sunt spiritualium subsidiorum, quæ ab Angelis nobis præstantur, confortando nos in via pane spirituali, potando aqua salutis, protegendo contra ignem concupiscentiæ per rorem gratiæ, educendo de peccatis & peccatorum occasionibus, tanquam de Sodomæ flammis & scintillis.

In via autem custodire Angelus dicitur, immò *Psalm. 90.* *in omnibus viis*, quia peregrinatio nostra via quidem est, sed multiplex. Prima via est infantia, in qua nos custodit. Secunda est pueritia. Tertia est adolescentia. Quarta est juventus. Quinta est virilitas. Sexta est senectus. In his omnibus viis quomodo hominem custodiat, facilè est declarare. Et quia de hac re fusè tractavi in Horto Pastorum Tractatu 2. Lect. 6 & 7. hic non repeto, illuc Lectorem remittens.

Peregrinatio nostra via multiplex.

Hoc solum hic adjicio, non sine emphasi & speciali ratione in illis verbis dici: *Observa eum, & audi vocem ejus; nec contemnendum putes, non enim dimittet cum peccaveris, & est nomen meum in illo.* Hoc nimirum maximè planctu dignum est, quod illi Angeli, qui modò sunt adjutores salutis, si nos inveniant rebelles, fiunt postmodum Angeli ultionis. Hi namque sunt, qui colligunt zizania, & in fasciculos colligant ad comburendum igne æterno. Tantò verò gravius erit supplicium, hos sentire ultores, quantò majus fuit beneficium, eos habuisse cœlestes instructores. Propterea dicebat S. Bernardus: *Va tibi, quicumque es, qui desideras redire ad vomitum, reverti ad lutum. Putasne placatos eos habebis in judicio, quos jam sperato privare vis gaudio? Exultaverunt pro conversione tua, tanquam super illo quem ab inferorum porta cernerent revocari. Quid ergo, si jam à Paradiso janua viderint retrorsum abire, qui alterum pedem habebat in cœlo?* Certè hæc videtur esse vox Angelorum ad custodiam deputatorum: *Curavimus Babylonem, & non est sanata; relinquamus eum.* Quasi dicant: Conati sumus curare & sanare animam in confusione sua jacentem, & nihil monitis & inspiratione nostra profecimus. In pœnam igitur ingratitudinis relinquemus eam, auferemusque omnem custodiam, ut tandem gravius ruat, graviorique mulctetur supplicio. Quod si monitis Angelorum obtemperet anima, lætitia & gaudium accidentale eis exinde obvenit, & curam tanto diligentiorem impendunt, tantoque familiarius assistunt. *Hier. Ser.*

Gaudium pia animæ ab Angelo Custode. Admirabile est, quod de S. Francisca Romana vidua legimus. *Cernebat ipsa continuò Angelum suum, quasi juvenem elegantissimum, vultu & oculis in cœlum semper erectis stantem, manibusque in formam crucis ad pectus cancellatis. Facies verò ejus ita coruscabat, ut vix in eam posset intendere: in eaque luce noctu sine candela domum perambulabat, officium divinum recitabat, aliaque exercitia peragebat. Si morbo laborabat, aut à dæmonibus tentationibus & spectris vexabatur, mox Angelus crines suos movendo spargebat magnam lucem, ex qua ipsa accipiebat miram consolationem, & confusi discedebant dæmones. Quod si verbo, opere, cogitatione peccasset, subducebat se, & disparebat Angelus; sicque ipsa pœnitens culpam examinabat, agnitam lachrymis abluebat, & rursus Angelum præsentiam exhibebat. Hic ergo Angelus ei pædagogus erat in omnibus actionibus eam dirigens; eratque protector contra omnes tentationes & scrupulos, qui dum ei advenirent, sola fronte læta Angelus omnem fugabat anxietatem. Erat quoque ei rationis secius, & gustus; ac consolationis omnis spiritualis. Colloquens cum Angelo tantam ex ejus cœlesti voce percipiebat consolationem & dulcedinem, ut omnem harmoniam humanam despiceret pra illa voce, dicens cum Sponsa:* Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis. & Facies tua decora. *Denique, Angelus ille mirum in modum ardebat spiritum; unde meditans de hac angelica specie, intra efficacia loquebatur de pura-*

de puritate & innocentia, & rebus cœlicis. Postmodum Religionem instituens, habuit Angelum superiorem ex quarto ordine majori fulgore coruscantem. Ita habetur c.15. vitæ ejus.

Honoremus itaque magna devotione cœlestes illos spiritus, concives nostros, & militiæ nostræ Duces & adjutores. *Debemus eis reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia.* Sic agamus, ut eorum auxilium non sit sine fructu, & eorum non sit protectio inanis. Eorum gaudium & gloriam accidentalem adaugebimus, si monitis obtemperantes fuerimus. Eos ad ultionem accingemus, si vocem contempserimus. Nec enim parcent, quia *nomen Dei est in illis*; auctoritas scilicet Dei & potentia in ipsis resplendet, vel ad gratiam, vel ad vindictam. Ipsi amant nos, quia Christus amavit: & ideo in periculis assistunt, in dubiis & anxiis rebus ad lucent, in orationibus animant, illasque Deo præsentant, ut gratiam nobis referant. Sed quoniam Christo Domino ut Judici se conformant, nomine ejus sese de peccatoribus obstinatis ulciscuntur: & quos igne divini amoris accendere non valuerunt æterni ignis vindicti flammæ tradunt, tamquam Justitiæ divinæ administri.

Bern. in Psal. 90.

Licet verò omnes cœlestes illi milites & Duces à nobis sint colendi & honorandi, specialis tamen debetur. Primati cœlestis exercitus Michaëli honor & devotio; tum ratione peculiaris gratiæ & gloriæ, quam à Deo luminis omnis Fonte proximus illi participat; tum ratione officii & protectionis specialissimæ erga totam Ecclesiam, quia & animas tamquam Signifer primarius debet Deo repræsentare, & in Paradisum introducere. Sed quoniam omnis honor & cultus Angelorum in Deum debet referri, concludamus & dicamus.

Cõclusio. TIbi, ô Domine, sempiterna laus & gloria, qui cœlestes illos spiritus tamquam Primogenitos filios tuos ad imaginem tuam creasti initio sæculi, ut jubilarent coram te, & tot donis adornasti, ut essent astra matutina coram te lucentia tota æternitate. Tibi laus, sempiternaque gloria, quod & lucere nobis eos voluisti, & deputasti tanquam Duces, qui in locum nos dirigerent lucis & pacis de regione umbræ mortis. Tibi laus æternaque gloria, qui per Michaëlem in cœlo vicisti Draconem, & dejecisti in supplicium sempiternum, qui per illum defendis nos & protegis, quique tandem hostem tuum perduellem Antichristum per eundem superabis & calcabis. Fac nos, Domine, audire vocem horum cœlestium spirituum, ut in via præcedant nos cum gaudio, ac tandem introducant in locum à te præparatum. Jube, ut portent nos in manibus suis, ne offendamus ad tot lapides in via sparsos; eorumque auxilio da, ut possimus *super aspidem & basiliscum ambulare, & conculcare Leonem & Draconem*; tandemque cum illis frui gloria tua, & videre salutare tuum, quod ostensurus es in longitudinem dierum, in sæcula sæculorum.

Vitis florigeræ.

CUm B. Magdalena divinitus translata esset in Gantrum, ubi egit vitam admirabilem, vidit in eo Draconem, & omnis generis viperas in se assurgentes, timuitque & dixit: *Dulcis amor Jesu: ita post innumera dona, Draconis escam me efficis in hoc deserto?* Mox vero adfuit S. Michaël, qui serpentinam omnem progeniem calce percutiens, ex eo loco dedit præcipitem; spiritumque afflavit odoriferum, qui in flammam conversus, totum antrum lambens, à fœrida fœce viperea expurgavit, dixitque: *O Magdalena, Deus, quem diligis, vult te locum istum lachrymis rigare, ut futuris sæculis exemplum fias pœnitentiæ.* Eo disparente, cum oratione impetrasset fontem è saxo, & gratias ageret Christo, apparuêre ei plusquam mille spiritus, verba suavissimi amoris lingua Hebræa cantantes, adjicientes non expedire animæ adeo assiduam orationum frequentiam. Illa territa, & suspicata dæmones esse, divinam implorat opem: sic rursus adest S. Michaël cum sua militia, omnesque fugavit, & dixit: *Ne timeas Magdalena, tui custos est Altissimus*; Crucemque in ore speluncæ erexit. Tunc tuas tadlees in ore speluncæ collectas comedit, & aquam fontis sui bibit, & exinde nihil unquam humanum gustavit. Sequenti nocte orans coram cruce, miram amoris flammam sensit, & Angelorũ in media turba miram lætitiam, quasi ibi Paradisus esset. Sex mox ab illis ad infernalia loca delata, pœnas vidit damnatorum. Post ad Purgatorium deducta est, ubi spiritus pii ejus orationes postularunt pro se frequentes; deinde ad crucem repositæ dixit Angelus: *Hic tanto tempore moraberis, quanto amor tuus Jesus in terris.*

Exempli. *Sylvester in Rosa Aurea.*

Ex his patet, tum S Michaëlis, tum aliorum Angelorum officium & curam erga B. Magdalenam, Dei eximiam dilectricem. A quibus & postea septies in die fuit elevata ad audiendas laudes divinas. O quot igitur beneficia ab Angelis in nos derivabuntur, si Deum diligerimus! O quam meritò eos colimus, eorumque festa celebramus!

IN FESTO S. FRANCISCI.

4. Octob. Lect. 17. tripartita.

Pater mi, Pater mi, currus Israël, & auriga ejus. 4. Reg. 2.

INitio sæculi dixit Deus Adæ & filiis ejus: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Impertitque eis benedictionem, & donum fœcunditatis; ita ut familiæ numero prolium fuerint copiosæ, quibus terræ habitatio quaquaversum repleretur. In nova autem lege, sat multiplicata terra, dicit: *Crescite in fide & charitate, in spiritu, & non in carne, & replete cœlum.* Ideo dat benedictionem fœcunditatis spiritualis secundo Adam, & filiis ejus, omni sæculo viros destinans, qui semine verbi Dei novos filios Christo cœloque generent, ac Sponsæ ejus Ecclesiæ.

PARS I. *S Franc. nomen Patris convenire & currum Israel.*

Inter hos eminet S. Franciscus, in cujus festo canimus: *Deus qui Ecclesiam tuam fœtu novæ prolis*

amplificas meritis B. Francisci, &c. Adeo fœcundus
Gen. 15. fuit, ut illi benedictio illa Abrahæ competat: *Numera, si potes, stellas cæli, sic erit & semen tuum.* Verè
Gen. 17. nuncupari potest ipse *Abram*, id est, Pater excelsus, & *Abraham*, id est, Pater multarum gentium. Ad il-
Isa. 5. lum rectè dirigitur illud: *Dilata locum tentorii tui, & pellis tabernaculorum tuorum extende, ne parcas, longos fac funiculos tuos; ad dexteram enim & lævam penetrabis, & semen tuum gentes hæreditabit, & civitates desertas inhabitabit.* Quod quidem & initio Ordinis, & successu temporis amplissimè factum est, dum etiam ad infideles penetrarunt filii S. Franciſci, Capistranus, Oldoricus, & alii: & modò ad Japones funiculos suos & hæreditatem extenderunt, tabernaculaque Domini erexerunt.

Admirabilis S. P. Franc fœcunditas. Planè admirabile est, quam ei mox fuerit fœcunda soboles; quia cum duodecim tantum discipulos nactus fuisset à Domino, eosque in diversas orbis partes transmisisset ad evangelizandam gratiam salutis: paulo post ita excrevit numerus, ut in primo Capitulo generali quinque millia numerari potuerint, qui extructis casulis ex juncis & asserculis, super nuda humo cubitantes, paleaque, aut assere, aut lapide, pro pulvillo utentes, orbem totum sua austeritate in admirationem rapuêre. Quæ dicere tunc licuit illud: *Quis audivit tale? quis vidit*
Isa. 66. *huic simile? Numquid parturiet terra in die una, aut parietur gens simul? Sion peperit filios suos.* Huic tamen admirationi respondet Dominus, quod & nostro congruit proposito: *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? Si ego, qui generationem aliis tribuo, sterilis ero, ait Dominus?* Hanc igitur prolem fœcundam sibi à Domino promissam, in spiritu præviderat Franciscus. Hanc tunc exhortari ferventissimo divini amoris zelo cœpit, & in illis qui erant præsentes, instruebat omnes futuros filios suos. Tunc ex ejus ore perceperunt illa aurea verba: *O æternum benedictis filii, audite me, audite vocem Patris vestri. Magna promisimus, majora promissa sunt nobis. Servemus hæc, suspiremus ad illa. Voluptas brevis, pœna perpetua. Modica passio, gloria infinita. Multorum vocatio, paucorum electio, omnium retributio.* Quæ quidem verba, numero panca, spiritu copiosa, testamenti instar filiis consignavit. Igitur non solum hi qui tunc adfuere, sed & omnes in finem usque sæculi ejus futuri filii, potuerunt ei dicere quod Elisæus Eliæ: *Pater mi, Pater mi, currus Israel & auriga ejus.*

Compar. Elia & S. Francisci. Nempe Elias à Deo missus, multos habuit filios, qui Prophetarum filii dicti sunt; atque in Carmeli monte collibusque vicinis orationi vacabant, & laudibus divinis, spiritu prophetiæ pleni. Ita & Franciscus, alter Elias, missus fuit, ut filios spiritu Dei plenos aggregaret, ad concinendas Deo laudes; filios electos & perfectos, qui & in aliis verbo salutis spiritum gratiæ parturire valerent. Quis stellas cœli valeat recensere? Quis filios Francisci? Huic revelatum fuit, non defuturam sobolem electam usque in finem sæculi. Unde & cum Elia, ex illis aliqui in consummatione mundi veritatis præcones sunt futuri. Sic de illis dicimus, quod olim de Jonadab dictum legimus: *Non deficiet vir de stirpe Jonadab, stans in conspectu meo cunctis diebus.* Hier. 35.
O felicem Patrem Franciscum! O felices tali Patre Filios!

Quod si specialius intelligere velis, cur & ipse dici possit, *Currus Israel & auriga ejus*? adverte, quod Elias dictus fuit *Currus Israel*, quia portabat Israëlem, ejusque onera sustentabat. *Auriga* quoque dictus est, quia populum Dei regens & moderans; impellebat ad omne bonum; per vias rectas ducebat, ne aberraret per devia errorum à Deo vero, portabat ejus infirmitates. Ita Franciscus, quia veros Israëlitas & servos Dei in cœlum vehebat, dirigebat, supportabat, merito *Currus Israel & auriga ejus* nuncupari potest. Audi hac de re visionem considerationeque dignam, ex S. Bonaventura cap. 4.

Pernoctabat Assisii S. Franciscus absens à filiis, quia mane diei Dominicæ prædicaturus erat in Ecclesia cathedrali. Illam noctem anima in oratione pro more peragebat: & ecce circa medium noctis, quibusdam Fratribus quiescentibus, quibusdam adhuc orantibus. Currus igneus miri splendoris per ostium domus intrans, huc illuc tertiò se convertit. Super quem globus lucidus residebat, qui solis instar noctem clarere fecit. Obstupefacti sunt vigilantes, & dormientes excitati; in illaque claritate alterius alteri nuda fuit conscientia. Intellexerunt namque concorditer, videntibus invicem universis in cordibus singulorum, sanctum Patrem absentem corpore, præsentem spiritu, tali transfiguratum effigie, supernis irradiatum fulgoribus, & ardoribus inflammatum, supernaturali virtute in curru splendente simul & igneo sibi demonstrari à Domino: ut tamquam veri Israëlitæ post illum incederent, qui virorum spiritualium, ut alter Elias, factus fuerat currus & auriga. Credendum sanè, quod ille horum simplicium aperuit oculos, ut viderent magnalia Dei, qui oculos quondam aperuerat pueri, ad videndum montem plenum equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisæi! Regressus autem vir sanctus ad Fratres, cœpit conscientiarum ipsorum secreta rimari, & confortare ipsos de hac visione, ac multa de profectu Ordinis futura prædicere. Sicque cognoverunt Fratres, Spiritum Domini in tanta plenitudine super eum quievisse, ut tutò ejus doctrinam & vitam possent sequi. Hæc S. Bonavent.

An non tibi tunc meritò videntur potuisse toto inclamare vocis & cordis anhelitu: *Pater mi, Pater mi, currus Israel & auriga ejus?*

PARS II. *De duabus notis prioribus currus hujus.*

Dicamus ulterius, quod sicut Satan currum fabricavit, quod sæculi homines in interitum secum devolvere molitur: Sic & S. Franciscus ei adversum currum fabrefecit, tanquam currum gloriæ Dei, qui in cœlum eycheret eos, qui illum conscen-

jus currus,

dere

dere non gravantur. Currus illæ Satanæ quatuor rotis deorsum volvitur, & in tartarum currit. *Quatuor rotæ sunt, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, superbia vitæ, negligentia salutis.* In hoc curru, quasi triumphans, Satan & Peccatum vehitur, secumque animas pertrahit velatis oculis. A deo verò multi currunt, ut dixerit Propheta: *Propterea dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque termino, & descendens fortes ejus, & gloriosi ejus, & populus ejus ad eum. Captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.* Salutis scilicet scientiam ignoravit, & neglexit, omni concupiscentiæ sese addicens, populus qui Deo servire toto corde debebat, ideo periit.

Isa. 5.

S. Franciscus ex adverso currum suum erigens, hoc est, sanctum institutum quasi cœleste vehiculum: quatuor ejus esse voluit rotas, quibus in cœlum revocarentur, animæ pereuntes: *Spiritus vitæ est in rotis.* Primæ rotæ sunt, *zelus gloriæ Dei, & zelus salutis proximi:* Posteriores duæ sunt, *contemptus mundi, & contemptus sui.*

Ezech. 1.

De prima rota. *Zelo gloriæ Dei.*

ZElus gloriæ Dei ardens in S. Francisco fuit, tamquam in altero Elia, ita ut posset dicere cum illo: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum.* Certè in fine sæculi missus est ad glorificandum Patrem cælestem, & Filium ejus JESUM Crucifixum. Cum enim refrigesceret charitas, & memoria Passionis Domini oblivioni traderetur, ita ut posset conqueri: *Oblivioni datus sum, tanquam mortuus à corde.* Tunc suscitavit Pater æternus Franciscum tanquam alterum Christum, qui ejus spiritum revocaret & memoriam, ignemque quem vehementer optat accendi. Elegit propterea eum *conformem fieri imaginis filii sui*, in linea mentis perfectionis, in vitæ & spiritus similitudine. Vis intelligere hanc in plerisque similitudinem? Attende speciatim nonnulla.

3. Reg. 19.

Psal 30.

S. Franc. tanquam alter Christus.

Rom. 8.

1. Si de Christi adventu longè antea prophetia extitit; sic & de S. Francisci ortu. Nam Joachim Abbas de eo centum annis antea pronunciavit; *Veniet homo characteribus Jesu Christi insignitus.* Ejus quoque imaginem ad vivum depingi fecit ex eo tempore Venetiis, in Ecclesia S. Marci, cum stigmatibus sacris.

2. Si Christi ortus fuit in stabulo, ita & Franciscum in lucem parere non potuit mater, cruciata longis doloribus, donec peregrini cujusdam monitu (quem Angelum fuisse haud dubium est) è cubiculo suo in stabulum deportata fuit.

3. Si ab Angelis in nativitate sua Christus fuit honoratus; sic etiam Franciscus. Nam & in baptismate susceptorem ejus fuisse Angelum traditur: ejusque rei memoria cernitur Assisii in quodam sacello, quod à Francisco parvulo nomen retinet, ubi miraculi series parietibus appicta visitur.

4. Si Christus in paupertate & contemptu vitam traduxit, discipulosque duodecim habuit, quos misit sine pera, sine calceamentis ad prædicandum Evangelium salutis; similiter fecit & Franciscus, initio duodecim sui sectatores instituti nactus.

5. Denique, si Christus quinque vulneribus fuit decoratus; sic & Franciscus. Suis enim insigniis Rex noster Crucifixus voluit eum insignire in monte Alvernæ, ut sibi illum tantò perfectius conformaret, & orbi admirabilem redderet. Quare cum sic alloquitur S. Bonaventura: *Ejа nunc strenuissimè miles, ipsius fer arma invictissimi Ducis, quibus munitus, omnes adversarios superabis. Fer vexillum Regis Altissimi, ad cujus intuitum omnes pugnatores divini exercitus animentur. Fer sigillum summi Pontificis Christi, quo verba & facta tua tanquam authentica ab omnibus acceptentur.* Dicere quoque potest Franciscus, quod olim Apostolus: *Cætero nemo mihi molestus sit*, (nec homo, nec Satan, nec mundus, nec caro, nec infernus) *Ego enim stigmata Domini mei* JESU *Christi in corpore meo porto.* In corde utique invisibiliter illa portabat, sed in carne visibiliter; ut omnes JESUM in eo iterum agnoscant crucifixum, & per Franciscum sequantur illum: quia ejus præferens vulnera, omnibus inclamat, non aliam esse viam, qua ad regiam ejus perveniatur, nisi per crucem & passionem. Unde rursus Bonaventura: *Jam per hæc signa certissima, non dubbus aut tribus testibus ad sufficientiam, sed plurimis ad superabundantiam comprobata testimonia Dei in te & per te credibilia facta nimis, omne tollunt excusationis velamen infidelibus, dum credentes in fide stabiliunt, spei fiduciam sursum agunt, ignem charitatis accendunt.*

De Gal. 6.

Tantus erat zelus gloriæ divinæ in Francisco, ut quasi quidam carbo ignitus, divini amoris flamma videretur absorptus. Subitò enim ad auditum amoris Domini, excitabatur, afficiebatur, inflammabatur, quasi plectro vobis extrinsecæ chorda cordis interior tangeretur. Ferventi quoque charitatis incendio gloriosum SS. Martyrum æmulabatur triumphum; in quibus nec amoris flamma extingui, nec fortitudo potuit infirmari. Desiderabat propterea per martyrii flammam hostiam Domino se offerre viventem, ut & vicem Christo pro nobis morienti rependeret, & ad divinum amorem cæteros provocaret. Sed divina id noluit providentia, licet aliquoties eam ob causam ad infideles se transtulerit: Occulta sunt Dei consilia, sed justa; incomprehensibilia, sed irreprehensibilia. Atque ut sciret se in Deum transformandum, & Christo conformandum, non per martyrium carnis, sed per incendium mentis, Seraphicum inflammavit, Christi gerens effigiem, intusque miro modo afficiens, simul exterius plagis amoris Christo configuravit. Sic nec à Martyrii gloria fuit alienus, licet non fuerit per Martyrium consummatus.

ZElus quoque salutis proximi, quam secundam rotam currus ejus ignei diximus, semper in eo promicuit. Non se Christi reputabat amicum, nisi animas *proximi.*

De secunda rota. *Zelo salutis*

animas foveret, quas ille redemit. Saluti animarum nihil præferendum esse dicebat, quod Unigenitus Dei pro illis dignatus sit in cruce pendere. Cum nimia austeritas in ipso reprehenderetur, quia caro ipsius subdita spiritui non egebat flagello; dicebat se datum aliis in exemplum, & propter alios se custodire vias duras: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem in meipso non habeam, & proximis virtutum exempla non monstrem, parum prosum alis, mihi nihil*, ajebat ipse. Propterea etiam tantis cum laboribus ad verbum Dei in salutem animarum prædicandum discurrebat per vicos, urbes, castella; immò & per loca deserta, ubi paucis verbum Dei prædicabat summo cum gaudio.

1. Cor. 13.

Bona. c. 9.

Consultatio S. Fran. cum fratribus suis.

Zelum salutis animarum satis ostendit consultatio quam initio fecit cum Fratribus. Quid Fratres consulitis? an quod orationi vacem? an quod prædicando discurram? Siquidem ego parvulus, simplex & imperitus sermone, majorem accepi gratiam orandi, quam loquendi. Videtur etiam in oratione lucrum, & cumulatio gratiarum: in prædicatione distributio quædam donorum cælitus acceptorum. In oratione etiam purificatio est interiorum affectuum, & unio ad summum bonum: in prædicatione est pulverisatio pedum spiritualium, & distractio ac relaxatio disciplinæ. Denique, in oratione cum Deo conversamur, Angelorum instar: in prædicatione oportet multa uti condescensione ad homines, & humanè inter eos vivendo humana cogitare, dicere, audire. Unum est in contrarium, quod his omnibus videtur præponderare, quod scilicet Dei Filius ob animarum salutem de sinu Patris descendit, ut verbum salutis hominibus loqueretur, quos sanguinis precio redimeret, & emundaret lavacro, & poculo sustentaret. Et quia omnia debemus facere secundum exemplar eorum, quæ in ipso quasi monte sublimi videmus, videtur Deo magis placitum, ut intermissa quiete egrediar ad laborem. Ut autem super hac re divinum responsum audiret, misit ad F. Sylvestrum, qui tunc in monte orationi vacabat, & ad S. Claram; per eosque cognovit Deo placitum esse, ut ad prædicationem exiret. Tunc visus est (quasi facta super eum manu Domini) novam è cœlo induisse virtutem, & zelum novum.

Hæc ergo una ex rotis est, per quam currus igneus Francisci prosperè volvebatur, secum alios in cœlestia trahens, quia ignis & spiritus vitæ erat in rotis. Atque, sicut de Elia dicitur: *Surrexit quasi ignis, & verbum ejus quasi facula ardebat*; sic & de Francisco dicit S. Bonaventura: *Aderat servo suo ad quacunque pergeret, is qui eum unxerat spiritus Domini, & ipse Dei virtus & sapientia* CHRISTUS; *ut sana doctrina verbis affluere, & divina potentia miraculis coruscare. Erat enim verbum ejus velut ignis ardens, penetrans intima cordis, omnium que mentes admiratione replebat.* Postea subdit S. Bonaventura: Omnis ætas, omnisque sexus properabat audire

Eccl. 48. cap. 12.

virum novum cœlitus mundo datum. Ipse vero per diversas regiones progrediens, evangelizabat ardenter, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Adhuc modò verba ejus ignis sunt, dum rememorantur: adhuc exempla ejus tepidos accendunt. Nec absimilis est viro illo candidato, quem vidit Ezechiel inter rotas, sumentem de igne altaris cœlestis, ut mundum accenderet. Ipse enim juxta Seraphinos agens, non desinit ignem cœlicum mittere in corda sibi devotorum.

Ezech. 10.

POsteriores rotas currus nostri ignei, quem direxit & erexit S. Franciscus, diximus esse contemptum rerum sæculi, & contemptum sui. *Primò* quidem, omnes docere conatus est rerum sæculi contemptum: qui in ipso tantus fuit, ut nemo quamlibet avarus ita opes ardenter dilexerit, & desideravit, sicut ipse in paupertatis amorem exarsit. Hanc filio Dei familiarem attendens, & tamen toto orbe depulsam, studuit charitate perpetua desponsare; dicebatque esse Reginam, quia in Rege Regum, & ejus matre Regina, præstanter effulsisset; ideo verò eam ab hominibus negligi, vel despici, quia ejus speciem & pretium ignorarent. Nemo thesauri custodiendi sollicitior, quàm ipse Evangelicæ hujus Margaritæ; pro hac enim omnia vendenda, omnia spernenda docebat.

PARS III. De duobus posterioribus rotis. *Contemptu rerum sæculi.*

Fratribus quadam vice interrogantibus, quænam certior via ad cœlum, quidque inter cætera magis esset Deo acceptum? Ipse secretum cordis sui aperiens, tertiò respondit: *O Fratres mei, Paupertas.* Hanc asserebat viam tutam salutis, fomentum humilitatis, radicem perfectionis, cujus fructus multiplex, sed occultus. Hanc semper in ore, semper in corde, semper gerebat in oculis. Hanc Dominam suam, Reginam, Matrem, Sponsam vocitabat. Illam meditabatur de die, in somno revolvebat de nocte, sine illa sedere, decumbere, dormire, vestiri non poterat, imò nec vivere, aut mori; quia cum rerum omnium abdicatione & nuditate, JESUM Christum nudum sequi optabat, vel in vita, vel in morte. Quapropter sæpè illud suis inculcabat: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Sic exemplo Christi eos ad paupertatis amorem crebrò accendebat; quia hanc sui Ordinis fundamentum dicebat, cui omnis structura religionis inniti debebat, ut firmitatem acciperet, cujusque eversione funditus erat evertenda. Sic per revelationem didicerat, dum sacram hanc religionem initiaret, super illo triplici evangelico verbo in Missali sibi demonstrato. 1. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus,* 2. *Nihil tuleritis in via, nec peram, nec vulcamenta.* 3. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum; tollat crucem suam, & sequatur me.*

Paupertatem quanti S. Franc. fecerit.

Luc. 9.

Matt. 19. Luc. 10. Luc. 9.

Revera ipse à principio Religionis usque ad mortem ita à se abdicavit omnia, & affectum omnem

rerum

ferum sæculi, ut tunicâ chordulâ, & femoralibus dives, iis contentus fuerit; & quidem tanquam mutuò acceptis. Quadam die cum Deo in oratione per noctem familiaritet colloquebatur, quasi in flamma ardente, instar Moysis. Petiit verò ab eo tunc Dominus, ut aliquid sibi offerret, & quidem tertiò petiit. Ipse paupertatis suæ conscius, dicebat: *Domine, sum totus tuus, non habeo nisi tunicam & chordam, & tua sunt; quid potero offerre? Cœlum & terra, ignis & aqua omnia tua sunt.* Tunc ait ei Dominus: *Mitte manum in sinum tuum, & quod inveneris, offer.* Invenit autem monetam auream fulgidissimam, cui similem nunquam viderat & obtulit Deo. Dictumque est ei, *Offer secundò, & tertiò, quod inveneris, ut prius.* At timens ipse suæ hic dispendium paupertatis, protestatus est coram Domino: *Tu scis Domine Deus, quia non amo, nec volo aliquid præter te. Aurum & omnia despexi ob amorem tui: si ergo aliquid in sinu meo est, tu posuisti illud, & reddo Dominatori omnium.* Tertigitur fecit oblationem, & benedixit Deum, inventis tribus nummis aureis in sinu suo: & statim intellexit, per tres aureos apud se repertos significari obedientiam, castitatem paupertatem, quas per gratiam suam dedit ei Deus perfectè servare. Ipse ergo posuerat illos in sinu ejus, ut redderet ei, & per illos eum honorificaret.

Chron. Minor.

Denique, ut apertè agnoscas in eo sæculi contemptum, & paupertatis spiritum, usque ad mortem, attende quid in extrema fecerit infirmitate. Popposcit se deportari ad S. Mariam de Portiuncula, ut ubi acceperat spiritum gratiæ, ibi redderet spiritum vitæ. Volens igitur omnibus exploratum, nihil sibi commune esse cum mundo, super nudam humum se totum nudatum prostravit in fervore spiritus, quatenus hora illa extrema nudus lactaretur cum hoste nudo. Decubans sic in terra, veste saccina depositâ, faciem levans in cœlum, ait ad Fratres: *Ego quod meum est, feci; quod vestrum, Christus edoceat.* Illis collacrymantibus, unus ex eis quem Vir Dei Guardianum suum esse dicebat, votum ipsius divina inspiratione cognoscens, vilem tunicam Christi pauperculo obtulit; dicens; *Hanc tibi tanquam pauperi commodo, illam tu suscipe obedientiæ sanctæ mandato.* Jubilabat præ lætitia cordis vir Dei, quia usque in finem fidem servarat Dominæ Paupertati, quodque ad Dominum properaret exoneratus ab omnibus. Nec habitum quidem voluit, nisi ab alio commodatum, ut per omnia Christo esset conformis, qui pauper, & dolens, & nudus, in cruce pependit. O verè alterum Christum, qui & vivens viventi, & moriens morienti, & mortuus mortuo perfectâ studuit imitatione esse similis!

Bonavent. cap. 14.

De quarta rota, Contemptus sui.

QUantum ad contemptum sui, qui sequitur contemptum mundi, & perfecio cujusdam in cœlum ductantem; nihil illo in Francisco magis eminuit. Notum est quomodo frater suscitatus quidnam de se ipso sentiret, responderit: *Videor mihi maximus peccatorum.* Rationem subjecit: *Quia si quemlibet scelleratum Deus tanta misericordia prosecutus fuisset, arbitror quod gratior foret.* Unde & sibi frequenter solitus fuit dicere: *Latroni si tantæ contulisset Altissimus, gratior te foret, Francisce.* Notum quoque est, quomodo malebat de se vituperium audire, quàm præconium: quia hoc ad cadendum, illud verò ad emendandum impelleret. Quapropter cum populus ejus sanctitatem extolleret, præcipiebat alicui Fratri, ut vilia ei in faciem diceret. Cumque Frater ille, licet invitus, diceret eum rudem esse & indoctum, & mercenarium inutilem, hilari corde respondebat: *Benedicat tibi fili charissime Dominus, quia verissima loqueris, & talia filium Petri Bernardonis decet audire.* Dixit etiam aliquando socio suo: *Non mihi videor frater minor, nisi fuero in statu quem tibi describo. Ecce Prælatus existens Fratrum vado ad capitulum, & eos admoneo; in fine autem dicitur mihi. Non convenis nobis, quia illiteratus & idiotes; ejicitorque cum opprobrio. Dico tibi, nisi eadem mentis & vultus lætitia hæc audiero Frater minor nequaquam sum.* Sciebat nempe vir Dei hos esse perfectæ humilitatis gradus, *spernere sæculum, spernere seipsum, spernere se spernis.* Per hos conscenderat ad apicem perfectionis. Ideo contemnebat laudes hominum, dicens: *Quantum homo est in oculis Dei, tantum est, & non plus. Quod altum est apud homines, abominatio est apud Deum.* Quod si pergerent in laudibus ejus, dicere solitus erat: *Nemo laudandus est, cujus incertus est exitus. Filios & filias adhuc habere possum. Deo omni quod peccator potest, nemo sibi abblandiatur. Peccator jejunare potest, orare, plangere, carnem macerare: hoc solum non potest, Domino suo esse fidelis. In hoc gloriandum, Domino gloriam reddendo, si fideles sumus.* *Luc. 18.*

Inter cætera autem quæ indicant quantus fuerit sui-ipsius contemptus, illud Præcipuâ commendatione dignum est, quod ei contigit cum F. Masseo, quem Franciscus valde diligebat ob singulares gratias. Hic quâdam die humilitatem Francisci voluit experiri. Quapropter de sylva redeunti (ubi orationi vacarat, in qua ei sæpe magna pandebantur mysteria) occurrit, & ter ei dixit: *Unde tibi? Unde tibi? Unde tibi?* Quid fili mi, inquit vir sanctus? *Unde tibi*, ait Masseus, *quod totus mundus videtur venire post te, quodque omnes quærant te videre, audire, obedire? Tu nec multa polles gratia, nec magna scientia, nec prudentia, nec nobilitate. Unde ergo tibi, quod totus mundus veniat post te?* Hoc audito, vir sanctus totus in spiritu exhilaratus, stetit aliquo spatio temporis facie erectâ in cœlum, & directâ in Deum. Deinde genuflexus, gratias Deo agens, cum fervore spiritus convertit se ad Fratrem Masseum, & ait: *Iterum scire, unde mihi quod totus mundus veniat post me? Hoc mihi venit ab illis oculis Altissimi qui contemplantur bonos & malos in omni loco. Hi enim oculi non viderunt inter malos majorem me peccatorem, nec viderunt inquisitionem aliquam majorem. Et quum*

ad efficiendum opus hoc mirabile, quod intendit facere in terra, creaturam minus idoneam non reperit, propterea me elegit. Ita speculum vitæ Francisci, parte 2. cap. 37. Verè poterat ipse dicere, quod olim Chri-
Matth. 11. stus Dominus in spiritu exhilaratus: *Confitetur tibi Pater, quia hæc abscondisti à sapientibus, & revelasti ea parvulis. Ita Pater, quia sic placitum fuit ante te.*

Concludamus igitur, & dicamus, has esse quatuor rotas, quæ Franciscum evexerunt in cœlum inter Seraphinos: *Contemptum sæculi, Contemptum sui, Amorem ignitum proximi, Amorem ardentem Dei.* Hæ etiam quatuor rotæ omnes evehunt ejus sectatores. Nec opus est aliis equis currum hunc trahentibus: quia & ipsæ rotæ equi sunt, spiritus enim vitæ est in rotis. Angeli interim comitantur hac quadrigâ vectos, tanquam directores quadri-
Abac. 3. garum illarum de quibus apud Prophetam: *Quadriga tua salvatio.* Meritò itaque inclamarint Francisco in cœlum eunti tanquam alteri Eliæ, omnes ejus filii & discipuli: *Pater mi, Pater mi, Currus Israel & auriga ejus*, portans & dirigens veros Israëlitas, tuæ virtutis æmulos, & ad visionem Dei adspirantes in cœlum usque. Meritò rursus ei inclamarint: *Obsecro, fiat in nobis spiritus tuus duplex.* Quid est spiritus duplex, nisi spiritus ejus primitivus, sive verus spiritus Ordinis ejus, qui ipsius meritis & intercessione semper in aliquibus manebit usque in finem sæculi. Semper enim aliqui reperientur, qui sincerè ejus regulam & constitutiones sectentur; de quibus verbis S. Pauli dicit: *Quicunque hanc*
Galat. 6. *regulam fuerint secuti, pax super illos, & super Israel Dei.* Hæc enim est quædam promissio facta Fran-
Isa. 59. cisco, similis illi: *Hoc fœdus meum cum eis: Spiritus meus qui est in te, & verba quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, nec de ore seminis tui, nec de ore seminis seminis tui, dicit Dominus amodò & usque in sempiternum.*

Quid est rursus Spiritus Francisci duplex, nisi is quem antea descripsimus, & vocavimus spiritum vitæ in rotis? An non spiritus duplex est zelus gloriæ Dei, cum zelo salutis proximi? An non spiritus duplex, contemptus perfectus sæculi, cum contemptu fuit? An non spiritus duplex, spiritus obedientiæ & castitatis? An non spiritus duplex, spiritus agendi bonum, & fugiendi malum? An non spiritus duplex, spiritus activæ & contemplativæ vitæ? An non spiritus duplex, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus contemplationis & unionis?

Cõclusio. HUnc ô sancte Pater Francisce, impetra filiis tuis, ut nunquam ille deficiat de corde & mente eorum, nec de ore seminis tui, benedicti juxta votum tuum, & juxta promissum tibi à Domino *Hoc fœdus meum cum eis.* Hic spiritus semper eos regat, contineat à malo, impellat ad bonum, accendat ad zelum, ut pallii tui hæredes, sint & spiritus simul tui consortes, ac virtute & ductu illius, cum illis quos instruunt populis, hujus sæculi fluctuantis aquas, quasi Jordanis vortices, secuto valeant pertransire vestigio, & in Jerusalem, ad pacis æternæ visionem pertingere.

Epitaphium S. Francisci, scriptum à Romano Pontifice Gregor. IX. Appendix.

FRANCISCI ROMANI.
CELSA HUMILITATE CONSPICUI
CHRISTIANI ORBIS.
FULCIMENTI,
ECCLESIÆ REPARATORIS,
CORPORI NEC VIVENTI, NEC MORTUO,

CHristi Crucifixi plagarum
clavorumque.
Insignibus admirando,
PAPA novæ fœtuæ collacrymans,
Lætificans & exultans,
Jussu, manu munificentiâ posuit,
Anno Dom. M. CCXVIII.
XVI. Calendas Augusti.

Ante obitum mortuus est, post obitum vivus.

Hoc Epitaphium uncialibus litteris inscribi jussit Pontifex Assisii humili Francisco, qui moriens optarat ex humilitate sepeliri in colle inferni, sive in loco suppliciis malefactorum destinato. Hoc autem Epitaphio glorioso vult indicare, quomodo mortificationem JESU semper in suo corpore circumtulit, qui post mortem integro corpore stans, & vividis oculis in cœlum respectans, cum sacris stigmatibus, sanguine quasi recenti manantibus perseverat. Talem vidit Nicol. V. Pontifex, anno 1449.

DE EODEM FESTO.

Ecce servus meus suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea, dedi spiritum meum super eum. Isa. 42. Lect. Attripartita.

TAntæ fuit excellentiæ S. Franciscus, ut eam nullis titulis ei datis satis assequi valeamus. Rectè hi ei tituli conveniunt: *Cœlestis homo, Angelus terrestris, Seraphim in carne, Angelus crucifixus, electus. Similis Filio Dei & filio hominis, Typus Redemptoris, Exemplar perfectionis, Regula vitæ & virtutis, Sigillifer & Vexillifer nostræ religionis.* Licet his & multis aliis titulis gloriari valeat, ipse tamen qui semper humilitatem adamavit, & tanquam sororem indiviso nexu sibi sociavit, hoc titulo mihi præ cæteris gloriari videtur, SERVUS JESU CHRISTI. Servum Pars I. S. Franc. Illustr.

vum perpetuum applicabant Hebræi ad postes domus, & subulâ ei aurem perforabant. Aures ei perfodit Dominus per insigne obedientiæ donum; unde potuit & ipse dicere illud Psaltis: *Aures autem perfecisti mihi*, sive ut alia lectio habet: *Aures autem perfodisti mihi.* Ad quem verò effectum? *Ut facerem voluntatem tuam Deus.* Fecit nimirum ipse voluntatem Domini perfectissimè, adimpletumque est in illo: *Ad omnia quæ mittam te ibis.* Hunc quoque servum specialem Deus duplici sigillo signavit, sigillo scilicet Divinitatis in mente, sigillo quoque humanitatis in carne: ita ut bis valeat dicere: *O Domine ego servus tuus, ego servus tuus.* Aptè igitur ei conveniunt verba thematis propositi: *Ecce servus meus quem elegi, complacuit sibi in eo anima mea.* Sed cui assimilabimus fidelem hunc servum à Domino electum?

Psal. 39.

Jerem. 1.

1. Electus ut sit alter Noë.

Dicamus *primò*, eum electum esse, ut sit alter Noë, de quo dicitur, quòd invenerit gratiam coram Domino, quodque ambulaverit cum Deo. Elegit nimirum Deus Noë, ut arcam fabricaret, per quam à diluvii fluctibus mundus salvaretur. An non elegit Deus sanctum Franciscum ut inveniret gratiam, & coram se ambularet, novamque religionem quasi arcam novam, fabricaret, quam qui ingrederentur, à tempestate & fluctibus hujus sæculi tuti forent, & salutis portum assequerentur? Fabricans Noë Arcam suam tres in ea fecit mansiones: sic suam Franciscus instituens religionem tres in ea fecit ordines, tresque regulas; & divinitus promissum accepit, illum qui in ordine permanserit, non periturum, nec à fluctibus absorbendum tartareis.

2. Ut sit instar Abrahæ.

Gen. 44.

Eccl. 44.

Dicamus *secundò*, electum ipsum fuisse, ut foret instar Abrahæ *Pater excelsus, Paterque multarum gentium*, cui dictum est: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, faciamque te in gentem magnam.* Promisitque Deus postmodum, *ut stellas cœli exaltare semen ejus; & hæreditare à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terræ.* Sic & promisit Deus S. Francisco religionem suam perduraturam usque ad judicii diem; ejusque filios, instar stellarum, firmamentum Ecclesiæ militantis & triumphantis illustraturos. Quemadmodum etiam de Abraham dicit: *In carne ejus stare fecit testamentum suum Deus:* ita & de Francisco dicere possumus, novum fœdus, novumque testamentum & pactum in carne ejus impressisse Dominum, per novam circumcisionem scil. carnis, factam per sacra stigmata, ut fœdus ejus cum eo, & cum electo ejus semine, nunquam deleri valeret aut obliterari, sed staret in perpetuum.

Ibidem.

3. Instar Moysis.

Dicamus *tertiò*, electum fuisse instar Moysis, Elegit Deus Moysen, ut populum de captivitate Pharaonis educeret, & virga sua percutiendo mare, per abyssos eis viam sterneret: sicque per viam trium dierum ad montem Dei Horeb pertingerent, ad sacrificandum. Sic elegit Deus servum sibi Franciscum, qui de Ægypto tenebrosa, de captivitate Diaboli & vitiorum, veros Israëlitas educeret viam pœnitentiæ; quæ primo instar colubri horribilis apparet, sed postmodum cum fiducia dum apprehenditur, virga fortitudinis est, & solatii, ac virtutis. Per hanc virgam viam suis securam aperuit per abyssos hujus sæculi: atque per viam trium dierum, per paupertatem scilicet, castitatem obedientiam, eos perduxit ad montem Dei. Iterum Moyses Dei fidelis servus ad hoc electus fuit, ut post quadraginta dierum jejunium legem in monte acciperet Dei digito in petra conscriptam. Unde & totus rediit radians ex alloquio Dei, ita ut non possent filii Israël in ejus faciem intendere. Sic & S. Franciscus quadraginta dierum jejunio in monte Alverni promeruit consortium Dei, ita ut ore ad os eum allocutus fuerit: simul quoque meruit non solum legem mortuam in petra conscriptam, sed legem vivam, vivi amoris indicem, digito Dei in corde & carne sua exaratam. Quocirca factus est ipse *Liber scriptus intus & foris*: intus quidem ardenti & seraphica charitate; foris autem sacra stigmatum impressione, quæ sunt litteræ Dei quibus primævus vitæ liber scriptus est. Franciscus igitur Copia quædam est hujus libri vitæ & exemplar ex eo tamquam originali deductum, quod perlegere potest doctus & indoctus, idiota & barbarus.

4. Instar Jeremiæ. Jerem. 1.

Dicamus *quartò*, electum esse instar Hieremiæ, cui dicitur: *Priusquam te formarem in utero novi te.* Et rursus: *Posui te super gentes & regna, ut evellas & destruas, ædifices & plantes, &c.* An non electus est B. Franciscus ut evellat & destruat, & ædificet & plantet? An non ex utero matris suæ segregatus est ad id operis, ac postea specialiter vocatus ad ipsum. Quid illa vox ad eum tertiò repetita ex ore Jesu Christi crucifixi: *Franciscee, vade, repara Ecclesiam meam?* Quid, inquam, significabat? Utique non ad reparandam materialem Ecclesiam ex lapidibus & calce emortua vocabatur, ut primum intellexit, ideoque Ecclesiam S. Damiani, Ecclesiamque S. Mariæ Angelorum, ac Sacellum S. Petri ut repararet, omnem movit lapidem: sed vocabatur cœlitus primariò ut Ecclesiam Dei ex vivis lapidibus restauraret, deficiente quâdam veritate veteris peccati veterisque hominis vitio. Hanc humeris ejus incumbentem viderat summus Pontifex Innocentius III. dum eum regulæ confirmationem petentem repulisset. O quam fortiter Dei Ecclesiam per se & suos sustentavit & fulcivit! O quot lapides tunsionibus, pressuris, expolitos, adduxit ad hoc ædificium, & suis deposuit accooptavit locis ut firmaret in æternum! Possemus quoque dicere, Eliæ instar electum esse, quandoquidem *surrexerit quasi ignis, & verbum ejus ut facula ardens fuerit*, dum zelo zelatus est pro Domino Deo exercituum, igneo eloquio conterens petras & corda lapidea. Sed de hac re specialiter agi altera lectio. Certè electus est, ut ignem mitteret in terram, ut tentationibus & incendio illato quæ

5. Instar Eliæ. Eccl. 48.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

incendio totum optabat conflagrare mundum. Ignis in ejus pectore conclusus debuit per quinque feneſtras toti orbi ſeſe conſpicuum reddere, & quaquaverſum flammas ſuas ſpargere. Voluit Deus ut orbis agnoſceret ipſum victum ignea charitate & amore, ſicque ſe etiam vinci permitteret. Unde illud:

Urit amor, me torquet amor, ſum factus amoris
Alter amor. Noſtri eſt victor amoris amor.

6. *Inſtar Jo. Bapt Joan. 1.* Dicamus poſtremò eum electum eſſe inſtar Joannis Præcurſoris Domini. Sicut enim Joannes de ſe pronunciat: *Ego vox clamantis in deſerto, parate viam Domini*: idipſum dicere poteſt Franciſcus. Etenim in ipſo omnia pœnitentiam inclamabant. Clamat in ipſo vox, clamant opera, clamat veſtis, clamat cor, clamant membra, clamant ſtigmata & *Matth. 3.* vulnera: *Facite fructus dignos pœnitentiæ. Securis ad radicem arboris poſita eſt.* Amabat Joannes deſerta loca, & in illis docebat vitam vitæ & pœnitentiæ. Amabat & illa Franciſcus, & gemitibus replebat ea, ibique ſua & hominum peccata, Chriſti verò tormenta & vulnera deflebat. Quodam die in ſylvis à latronibus deprehenſus, interrogatus eſt quis eſſet? Quid verò ipſe? *Sum*, inquit, *Præco ſummi Regis.* An non ergo alter ipſe Joannes, funiculis ſuis homines colligans Chriſto, diſruptis vinculis quibus ligati tenebantur à Diabolo? Quid Chriſtus niſi funiculus triplex contextus ex Divinitate, anima & carne? Ideo & ipſe per Prophetam dixit: *In* *Oſe. 11.* *funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Hos funiculos tradidit Franciſco ſuo Præconi, ut per illos attraherentur, quos Deus attrahere diſpoſuerat, ut non ultrà *traherent iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum.*

PARS II.

Quomodo ſe geſſerit Deus erga S. F.

1. Reg 18. Eccl. 33.

Dicitur de Davide & Jonatha: *Adhæſit anima Jonathæ animæ David, & dilexit eum quaſi animam ſuam.* Idem dici poteſt de Chriſto & Franciſco. Quia ſicut ipſe per os ſapientis dixerat: *Eſt tibi fidelis ſervus? Dilige eum quaſi animam tuam*; ſic & ſe geſſit erga fidelem ſuum ſervum Franciſcum. Ulterius de Jonatha refertur, quod inito ſpeciali fœdere cum Davide, expoliarit ſe tunica ſua, & dedit eam Davidi cum armis ſuis uſque ad gladium & arcum, & baltheum. Sic Chriſtus in ſignum amoris & ſpecialis fœderis, non veſtes exteriores, ſed ſacratiſſima illa vulnera dedit, quibus corpus ſuum fuerat inſignitum. Arma dedit, quibus trophæa retulerat ac victoriam contra communem humani generis hoſtem; ſignaque victricia ei communicavit, quibus peccatum & infernum debellarat. Sic eadem Stemmata & Inſignia valuit geſtare Franciſcus, quæ ipſe Rex Regum, & Triumphator inferorum. Adornavit illum Dominus eo ſymbolo, quo nihil pretioſius in mundo reperitur; vulneribus ſcil. illis quibus omne meritum, omnem gratiam, omnem cœli theſaurum, omnemque gloriam acquiſivit, quia totius redemptionis fuere pretium condignum. Hoc autem fecit inſignum pacti perpetui, quod in æternum non delebitur. Etenim in æternum in S. Franciſco manſura ſunt ſacra ſtigmata: quia poſt glorioſam corporum reſurrectionem, inter Sanctorum choros, iisdem characteribus iisdem inſignibus, quibus cœlorum Imperator decoratus effulgebit: nec hanc ſpecialis gloriæ prærogativam in terris inchoatam, in cœlis eſt ablaturus: *Sic honorabitur, quem Rex voluerit honorare.* *Eſth. 6.*

Inſignia Chriſti ſ. vul. S. Fr. data.

Neque verò tantùm exterius in Franciſci carne ſimilitudine ſuam expreſſit Chriſtus Dominus, ſed etiam interius ſpiritum Franciſci ſpiritui ſuo ſimilem effecit. Hinc ſequitur: *Poſuit ſuper eum ſpiritum meum.* Nempè participavit ſpiritum excellentiſſimæ charitatis, ardentiſſimique, cùm erga Deum, tum erga proximum amoris, ſpiritum quoque miræ puritatis, perfectiſſimæ paupertatis, obedientiæ perilluſtris. Omnia, inquam, iſta ei communicavit Chriſtus Dominus, omniaque dona & virtutes in gradu heroico, ut poſſet ex ſpeciali benevolentia & favore de Franciſco dicere quod amicus de amico ſingulari: *Alter ego.* Ut etiam poſſet S. Franciſcus viciſſim ei cum Paulo dicere: *Vivo ego,* *Gal. 2.* *jam non ego; vivit verò in me Chriſtus.*

Spiritus Dei poſ. ſuper tus ſuper S. Franc.

Quemadmodum olim Eliſæus, ut puero Sunamitidis emortuo ſpiritum vitæ redonaret, ille ſe commenſuravit, manus ſuper manus, os ſuper os, pedes ſuper pedes apponens: Non abſimiliter Chriſtus per Seraphim commenſuravit ſe huic puero ſuo electo, filio Sunamitidis, hoc eſt eccleſiæ prædilecto. Latus lateri, manibus manus, pedes pedibus admovit, os que ori, ut ſpiritum ei ſummæ perfectionis inhalaret & inſpiraret. Propterea dicit de illo: *Poſui ſuper illum ſpiritum meum.* *4. Reg. 4.*

Potuit ergo S. Franciſcus idem dicere quod Chriſtus: *Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus miſit me.* Non ſolùm ſpiritus Moyſis eum unxit & replevit, qui diviſus fuit in ſeptuaginta, ut cum eo ferre valerent onera populi, eumque in veritate dijudicare: ſed ſpiritus Domini, ſpiritus Chriſti unxit & replevit eum, idque maximè in Alverni monte. Hujus unctionis admirabilis, & plenitudinis ſpiritus, ipſe conſcius & præſcius jam antea fuerat. Nam poſt orationem & contemplationem in eodem monte quodam die peractam, petiit à ſido ſuo diſcipulo & ſodali F. Leone, primò aquam, ut lapidem in quo orarat, ablueret; deinde petiit vinum, quo illum eundem lapidem inſpergeret, ulteriùs petiit oleum, quo eum deliniret & ſacraret; denique petiit balſamum, quo eum pretioſiſſimè imbueret. Cùm autem allata aqua, vino, oleo, reſponderet F. Leo, haud poſſe repetiri balſamum, utpote rariſſimum quid & pretioſiſſimum, aperuit ei mentem ſuam Franciſcus, dixitque hæc omnia ſe expetiiſſe, quia nullo ſatis digno liquore poſſet locus ille ſacrari, in quo Deus adeò admirabilia operaturus eſſet, quæ toto terrarum orbe, imò in cœlum uſq; odorem ſuaviſſimum ſpar-

Luc. 4.

S. Franc. in monte Alverni à S. Spir. unctus.

spargerent. Adhuc hodie Assisii asservatur lapis iste, erectus in formam mensæ, & circa eam hæc leguntur incisa & exarata verba: *Mensa S. Francisci, super qua mirabiles habuit apparitiones, & eam sanctificando fuit oleum desuper, dicens: Hæc est ara Dei.* Si Jacob, ob visionem Scalæ in qua conspicatus est Angelos, erexit lapidem in titulum: Meritò certè potuit & Franciscus lapidem illum in memoriale perenne erigere, ubi tot revelationes speciales de suo ordine, & ejus profectu, & prærogativis, à Domino percepit, ubi & conscius est redditus mysterii in se futuris temporibus peragendi, & totis seculis celeberrimi.

Wading. in Chron.

Neque verò solùm pro se B. Francisco Christus spiritum infudit cum plenitudine, sed etiam pro omnibus filiis quos in Christo erat genituras; quia illam plenitudinem spiritus in illos erat refusurus. Quapropter ad illum dirigi potuit à Domino illud Isaiæ: *Spiritus meus qui est in te, & verba quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, nec de ore seminis tui, nec de ore seminis seminis tui, amodò & usque in sempiternum:* Nempe, sicut alter Elias, quibus reliquit pallium & vestem, reliquit & spiritum in hæreditatem. Nam regulam suam consignans posteris, simul spiritum quo illa adimpletur, testamento consignavit. Potuitque verè dicere: *Quicunque hanc regulam fuerint secuti, pax super illos, & misericordia, & super Israel Dei. Gratia Dei cum spiritu vestro fratres, Amen.* Quid enim ejus regula aliud est, quàm regula vitæ & perfectionis, fructus sapientiæ, medulla evangelii, spes salutis, via salvationis, scala cœli, clavis paradisi, pignus fœderis æterni, dictamen & ductamen Spiritus sancti? Hanc revelationem cœlesti accepit, & simul *accepit benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo*, ut sua spiritualis generatio fieret *generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob.*

Isa. 59.

Gal. 6.

Elogia regulæ sancti Franc.

Psal. 23.

Quocirca in monte Alverni, dum lapidem [illegible] & erexit in titulum, quatuor dicitur accepisse à Domino per cœlestem revelationem specialia privilegia. *Primò*: Quod ejus ordo in finem usque seculi perduraret. 2. Quod qui ordini huic devoti forent, fratribus amorem & opem impertientes, licet peccatores graves sint, sine pœnitentia vitam non sint finituri. 3. Quod Ordinis persecutores, nisi pœnitentiam agant, non diu sint vitam protelaturi. 4. Quod nemo sit diu perseveraturus in Ordine in peccato mortali. Hic nonnulla exempla possent recenseri eorum qui malâ morte functi sunt ob persecutionem Ordinis, aut ob apostasiam ab ordine: aut eorum qui piè defuncti sunt ob devotionem quam huic Ordini impendebant, gratiamque pœnitentiæ obtinuerunt: sed brevitati consulimus. Unicum hic exemplum rememoro Italiæ pernotum.

4. Privilegia à Deo S. Franc. data.

Exempl. In ea Italiæ parte Herturia dicitur, castrum quoddam est, cui nomen *Montanti*, sive *Montu acuto*, in eoque nobilis degit familia, hoc habens privilegii, quod quoties aliquis ex illa descendens prosapia mori debet, flamma apparet super castrum; idque fit ut ad mortem se præparent, eamque cum securitate obeant. Hoc verò sibi evenire asserunt per merita sancti Francisci, qui dum vixit, frequenter cum devotione ab eis est hospitio susceptus, domumque illam benedictione cumulavit. Fuit etiam diu apud eos vestis illa Francisci in qua stigmata impressa fuere. Hoc ex ore accepi Illustrissimi Petri Aloysii Caraffa Legati Apostolici, quid id certum explorarum, Italiæque notissimum asserebat.

PARS III.

Quomodo Deus in vita & morte S. Franc. susceperit.

DE hoc servo suo quem elegit Deus, in quo sibi complacuit, super quem spiritum suum posuit, dicit: *Suscipiam eum.* Quomodo susciperet? Utique ab utero & cunis, ad canos usque ad sepulchrum, ac totâ postmodum æternitate. Neque eum solum, sed & fœtum novum sibi ab eo oblatum suscipiet. Quapropter de illis verificari illud poterit: *Audite me domus Jacob, & residuum domus Israel, qui portamini à meo utero, qui gestamini à mea vulva: Usque ad senectam ego ipse, & usque ad canos ego portabo: ego feci, & ego feram; ego portabo, & salvabo.* Hoc ipsum est quod quodam die S. Francisco dixit Dominus, dum nimis anxiaretur animo ob defectum nonnullorum ab ordine & sancta professione, quem futuris temporibus prævidebat. *Quid turbaris, quid vexaris, cùm tuorum quispiam vel Ordinem deserit, vel scandalum concitat? An existimas te ita gregis tui rectorem, ut non me intelligas esse Superiorem? Quis plantavit nisi ego? Quis vocat, aut vocatis perseverandi vires subministrat. Ego eos perduxi, ego eos retinebo & servabo; ego illis cadentibus alios erigam, & semper hæc erit familia mea dilecta & electa. Ne ergo te ultra in posterum discruties.*

Isa. 46.

Bonavent. in vita.

Quod de ipsius Francisci persona plenius intelligere vis, quomodo à Domino dicatur spectalissime, *Suscipiam eum:* attende quod & baptismo per Angelum à Domino susceptus est hic puer; cujus rei memoria adhuc Assisii in sacello, parvulo Francisco dedicato, permanet. Attende etiam quomodo tota vita eum specialissimis gratiæ suæ auxiliis susceperit & amplexus eum fuerit; quomodo etiam ejus preces & vota pro se & aliis susceperit Dominus; quomodo rursus patre carnali eum deserente & repudiante susceptus fuerit à patre æterno in filium; quomodo denique in die exaltationis S. Crucis amorosè à Christo susceptus fuerit in monte Alverno, ita ut potuerit tunc specialiter Domino dicere: *Tu es gloria mea, tu es susceptor meus Domine, tu exaltans caput meum, & exaudisti me de monte sancto tuo.* Pondera, singula hic verba, & videbis quam aptè ei conveniant.

Per totam S. Franc. à Deo susceptus.

Psal. 3.

Quemadmodum autem in vita, sic & in morte deo dicit Dominus: *Ecce servus meus, suscipiam eum.* Respondetque ei Franciscus, gratias agens suo tam pio susceptori: *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram,*

Psal. 72.

æternum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Dignatus est ei Dominus susceptionem & electionem ipsius ad gloriam ei biennio ante mortem præsignificare & revelare. Ipse verò adeo exhilaratus est spiritu, ut toto octiduo ab hac revelatione non aliud mente & voce agitaret: *Laudetur Dominus, laudetur Dominus, laudetur Dominus, ipsi gloria in sæcula sæculorum.* Nempe attentis cordis auribus audiverat illud cœleste oraculum: *Deus omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. Ipsi gloria & imperium in sæcula sæculorum, Amen.* Sciens ergo illud modicum brevi finiendum, securitatemque accipiens gloriosæ suæ consummationis, non potuit aliud resonare quam Dei gloriam, nec horas quidem canonicas legere, nec cibum sumere, totus absorptus in Deum & Dei sui laudem.

1. Pet. 5.

Cum porrò appropinquaret dies, quo Deus cum æternitatis amplexu suscipere determinarat, jussit se ad Ecclesiam S. Mariæ Angelorum deferri, & super nudam humum collocari; ut ubi acceperat primitias spiritus & gratiæ, ibi redderet spiritum vitæ. In nuda ergo decumbens humo, accepit mutuò vestem à Fratribus, ut usque ad extremum spiritum altissimè paupertatis (tanquam Sponsæ ardenter & perseveranter adamatæ) daret non obscurum indicium. Ibi Fratres adhortatus ferventissimo spiritu ad regulæ observationem perfectam, ad fidei Catholicæ firmam obedientiam, ad paupertatis & obedientiæ religiosæ vigorem & rigorem, in extremo spiritu Psalmum: *Voce mea ad Dominum clamavi*, qua potuit cordis vocisque contentione pronunciavit, & in illius extremis verbis spiritum reddidit Creatori, dicens: *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo. Me exspectant justi, donec retribuas mihi.* O felix anima, quæ de corpore & sæculo erepta, velut avis de laqueo & custodia, directissimè liberis pennis volatum init ad Dei graciosissimum sinum, ubi æternum quiescere valeat. An quiescere dicam? Imò verò, ut possit perpetuò volare, pennisque perfectæ visionis & amoris sine intermissione in objectum beatificum tendere, & cum sanctis mysticisque animalibus *non habentibus requiem die ac nocte, Sanctus, Sanctus, Sanctus* decantare. Neque solum animam suscepit Deus, sed & corpus fulcieus illud, ita ut hactenus steterit erectum.

S. Franc. moriens.

Psal. 141.

Conclusio.

OServe Dei electe, in quo sibi complacuit Dominus; trahe nos post te, ut sequamur vestigia illa, quæ nobis prævio virtutis exemplo impressisti. Trahe nos, ut sequamur quoque sacratissima illa vestigia, quæ tibi filius Dei impressit omnibus exhibenda. Trahe nos, inquam, *in funiculis Adam, in vinculis charitatis*, disruptis funiculis vanitatis, ut perfectè Dei voluntatem adimplere possimus, ac per pœnitentiæ ac pietatis securam semitam ad montem Dei pertingere; ubi illum tecum jugiter conexemplari & collaudare valeamus.

IN FESTO S. DIONYSII.

9. Octob. Lect. 54. quadrip.

Mirabilis Deus in Sanctis suis, ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus. Psal. 67.

Exordium.

QUicquid Deus per Sanctos suos admiratione dignum erit, quicquid virtutis & gratiæ, quicquid sublimium donorum in eis recondit, quæ postmodum publicitus patere ac lucere facit, id primum quidem in gloriam suam, ac deinde ad fidelium confirmationem & institutionem ordinat. Quapropter meritò cum Propheta Regio psallimus: *Mirabilis Deus in Sanctis suis, ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus.* Certè quicquid gratiarum ac admirabilium operum in S. Dionysio effulsit, id primitus ad fidei propagationem in plebe adhuc infirma & rudi ordinatum est; atque in finem usque sæculi ad Ecclesiæ profectum & firmitatem profieret. Benedictus ergo Deus, qui per Sanctos suos, omni ævo mirabilia operans, virtutem sic dat & fortitudinem, ac benedictionem plebi suæ, eam exhortans & animans ad eorum sectandam virtutem, & venerandam dignè memoriam.

Cum autem in omnibus Sanctis suis, & servis electis, Deus se admirabilem reddat, specialiter S. Dionysium orbi reddidit admirandum quadruplici ratione.

Propositio.

Primò in conversione ad fidem à sapientia mundi,
Secundò in Sapientia divina ei infusa.
Tertiò in constantia martyrii.
Quartò in miraculo post martyrium.

PARS I. De mirabili conversione S. Dion. à sapientia mundi ad fidem.

UT igitur primò intelligamus, quare admirabilis meritò dicatur ejus conversio, rememorandum quod Apostolus dicit: *Videte fratres vocationem vestram, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt elegit Deus, ut confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.* Rursus illud attendendum ex eodem Apostolo: *Judæi signa petunt, Græci sapientiam quærunt. Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Hoc certè manifestum fuit, dum Paulus Athenas, est ingressus prædicans Christum; cum enim non agnoscerent sapientiam, quæ est desuper, descendens à Patre luminum, quam prædicabat Paulus, sed stultitiam eam reputarent, dicebant de eo: *Quid vult semini verbius hic dicere?* Vocant eum verborum seminatorem & spermologum, quasi nihil rei & veritatis sub cortice verborum, nihil medullæ sub palea sermonis habentem. Alii dicebant, *Novorum dæmoniorum annunciator est.* Alii denique aliter eum irridebant, dum resurrectionem mortuorum annunciasset. Sic sapientibus hujus mundi Christum crucifixum annuntiante ut Deum,

1. Cor. 1.

Ibid.

Jacob. 1.

Act. 17.

ut Deum, nonnisi stultitiam loqui videbatur, & mentis malè sanæ esse.

Tanto ergo admirabilior censeri debet conversio Dionysii ad unam prædicationem Pauli, quanto majora impedimenta ei aderant, à sæculi & carnis prudentia, à fastu & honore, à nobilitate præeminentia, nec non à conjugii voluptate. Dionysium nobili ortum sanguine, claraque propagine, passim eradunt vitæ ejus Scriptores, quam nonnulli deducunt à quodam Dionysio Magno, & nominatissimo, quia vitis apud Athenas primus fuit inventor. Ita tradit Hilduinus Abbas S. Dionysii, ex variis, cum Græcis, tum Latinis Auctoribus. Excelluisse autem Dionysium in sapientia sæcularis Philosophiæ omnigenæ notissimum est. Nam annos agens ætatis quinque supra viginti, cunctis pene artibus imbutus, una cum Apollophanio conlodali & conphilosopho in Ægyptum profectus est, ad ediscendam perfectè astrologicam disciplinam, quam Heliopoli edoctus fuit. Ibi enim tempore Passionis Domini illam eclipsim & defectum Solis advertit, quando lucis suæ radios in terræ noctis horrorem commutavit, atque orbis climata caligine obtexit. Agnovit autem defectum illum Solis non fieri secundum regulas astronomiæ, sed divinum quodpiam miraculum portendere. Unde exclamasse dicitur cum stupore: *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissolvetur.* Ejus quoque sublimis eminentia & auctoritas ex eo elucescit, quod inter Judices Areopagi primarios ageret, ab omnibus honoratus in illo Senatu Græciæ famosissimo, ad quem omnes arduæ causæ referebantur, tanquam in quo Principes & Præfecti ac Custodes Reipublicæ præsiderent. Erant ergo Areopagitæ honore sublimissimi, doctrina spectatissimi, usu perspicacissimi; habebanturque eorum sententiæ tanquam oracula. Itaque cum S. Dionysius unus fuerit ex Senatoribus illis, (imò Primatius inter cæteros, moderamina disponens in loco illo qui Areopagus dicitur) sive Matris vicus & Martia curia, quia & juxta eum locum Martis simulachrum colebatur) non pauca vincula eum tenere poterant, & à fide retardare.

De Areopago. v. Iatius Corn. in c. 17. Actor.

Verum cum Deus ex omni statu aliquos sibi delegerit, etiam *potentes non abjicit, cum sit ipse potens*, & similiter sapientes non despicit, cum sit ipse sapiens; sed sapientiam vanam, terrenam, carnalem, animalem, diabolicam, novit convertere in sapientiam veram, cœlestem, spiritualem, supernaturalem, divinam. Idque subitò potest efficere, nec eget longa temporis mora. Ubi enim Deus Magister est, quam citò discitur quod docetur, inquit S. Leo! *O qualis artifex est Spiritus Sanctus! Mox ut tetigerit, mentem docet, solumque tetigisse, docuisse est. Nam humanum animum subitò ut illustrat, immutat; abnegat hoc se ante quod erat; exhibet repente quod non erat*, inquit S. Gregor. hom. 20. in Evang. Unica ergo prædicatio Pauli virtute Spiritus S. Dionysium potuit convertere. Unica vox ejus qui *confringit cedros, & præparat cervos*, potuit eum à celsitudine elatæ sapientiæ humiliare ad capessendam fidei humilem veritatem, & præparare eum ad currendam viam mandatorum Dei.

Job 17.

Psal. 28.

Sed dignum est considerare occasionem & virtutem prædicationis Paulinæ, qua conversus fuit S. Dionysius, quæ in hodierna lectione ex Actis Apostolorum recitatur. Cum enim Paulus Athenis annunciaret nonnullis Christum, rapuerunt eum & duxerunt in Areopagum, ut ibi assertor novæ religionis judicaretur, & si reus foret, plecteretur. Ibi stans in medio Senatus, sic est exorsus: *Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video. Prætereins enim & videns simulachra vestra, inveni & aram, in qua scriptum erat: IGNOTO DEO. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis.* Quid porrò per hanc inscriptionem significare voluerint Athenienses, variè sentiunt interpretes. Inter hos cum Chrysostomo, Oecumenius sic loquitur: *Duas causas referunt hujus inscriptionis. Aliqui dicunt Athenienses misisse ad Lacedæmonios, de ferendo auxilio, cum Persa exercitum ducerent in Graciam. Quorum nuncius Pan obviam factus, accusabat Athenienses, quod se neglecto alios Deos colerent; & opem promisit. Illi victoria potiti, templum ei aramque erexerunt; & ne in posterum simile quid eis accideret, si quempiam ignotum sibi Deum prætermitterent. Aram illam inscripserunt, Ignoto Deo, dicentes: Si quis adhuc alius à nobis ignoretur, hac ara erecta esto, quo nobis propitietur. Alii dicunt pestem Athenis grassatam, ex cultu vero Deorum suorum nihil adjumenti sensisse. Intelligentes ergo quendam forte esse Deum, quem sine honore reliquissent, qui pestem immisisset, novam aram extruxerunt inscriptam, Ignoto Deo.* Hæc Oecumenius.

S. Dionys. ad unam S. Pauli prædicantis vocem conversus.

Act. 17.

Testis est Michael Syncellus & Suidas quos sequitur Lyra.

Recentiores interpretes censent ignotum Deum fuisse Christum, cui Athenis ara erecta sit. Cum enim eclipsim factam in morte Christi videret Dionysius, exclamavit: *Deus ignotus in carne patitur, ideo mundus hic tenebris obscuratur.* Deus ergo ignotus, erat Deus patiens, cui tanquam magno Deo, quia ei natura luctu & mutatione mirabili parentaret, aram erexerunt. Denique, alii censent Athenienses à Philosophis & Sibyllis intellexisse Deum verum esse invisibilem, absconditum, inaccessum, & incomprehensibilem; ideoque aram ei statuisse, *Ignoto Deo.* Quod enim Deus hic ignotus, fuerit verus, non falsus aliquis ex eis Gentium, indicat S. Paulus, dum dicit: *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis. Deus qui fecit mundum, &c.*

Hugo. Sanch. Hilduin.

Ita Corn. Baro Lorin. & alii.

Quicquid sit, Paulus oratione plena spiritu & gravibus sententiis, multos obstupefecit, ita ut dixerint, *Audiemus te de hoc iterum.* Sicque cum honore dimissus fuit, fideique testimonium quoddam initiale datum est; quia nullius falsi reus judicatus fuit Paulus perorans, nec ab ullo convinci potuit. Sed & nonnulli perfectè ei ex tunc adhæsere, & veritati annunciatæ crediderunt, inter quos specialiter nominatur Dionysius, dum dicitur: *Quidam*

verò viri adhærentes ei crediderunt, in quibus est Dionysius Areopagita. Græca habent articulos. Quasi diceretur: *Ille Dionysius, ille Areopagita*, famosus scilicet Areopagitarum Princeps. Miratur hanc obstupefactionem Athenienſium & conversionem Dionysii, ac aliorum Philosophorum Areopagi, antiquus Poëta scribens:

Arator in Cæm.

O Lupe Paula rapax, quid jam remanebit in orbe,
Quod non ore trahas, postquam solertia Graja
Cessit, & indoctas in dogmate vincis Athenas.

Magnum verò huic conversioni S. Dionysii jecerat antea fundamentum Dei specialis providentia, dum eclipsis illa miraculosa ab eo visa fuit Heliopoli, cujus rationem reddere non potuit; illam autem ei plenius explicavit S. Paulus, sicque *Ignotum Deum*, notum ei reddidit. Quapropter sic hac de re scribit ad Apollophanium: *Ut autem lux superna paternæ gloriæ splendorem in tua mentis tenebras radiare suo proposito destinavit, penetralibus cordis mei infudit, ut tibi memoriale piissimum recordarer, qualiter in Heliopoli pariter morabamur, cum feria quadam sexta, hora etiam fermè sexta, Luna se injiciente, Sol est horribiliter obscuratus; quæstusque sum apud te, quid hinc tibi videretur? Ex quo prudentia tua respondit, quod adeo tenaciter cordi mentis meæ inhæsit, ut nulla obliteratione abradi, nulla mortis imagine valeat aboleri: Respondisti, inquam, mihi omine divo, & non humani sensus sermone. Ista ô Dionysi, divinarum retributiones sunt rerum. Denique notatum feria, diem & annum annunciationi, quam Paulus aunibus nostris suspensis insonuit, signo acclamantibus concordare expertus, dedi veritati manus, & falsitatis sum nexibus absolutus.* Hæc S. Dionysius. Itaque elucescit, quomodo per Paulum agnoverit Deum illum antea sibi ignotum, & miraculum deficientis Solis in ejus morte: propterea ad illum toto corde est conversus.

S. Dionys. ap. ei.

Hilar. in vita Dion.

Simul cum ipso mulier nobilis & primaria, nomine Damaris, conversa est, quam nonnulli ejus fuisse uxorem dicunt, cum S. Chrysostomo lib. 4. de Sacerdotio, & Ambrosio ep. ad Eccles. Vercellen. Adjungunt & aliqui S. Hierotheum socium fuisse conversionis, quem mirificè laudat S. Dionysius; vocatur enim ab eo, *Inclytus Præceptor non solùm discens, sed & patiens divina, & consummatus.* Omnesque post Apostolos Doctores superasse asserit, cap. 3. de divinis nominibus: *Omnes Doctores superavit, Totus extra se positus, divino numine afflatus, divinus laudator ab omnibus judicatus: ideoque Hierotheus, id est, sacer quidam Deus, & Præceptor noster.* De quo sic habet Martyrol. Rom. *Athenis S. Hierothei, discipuli S. Pauli.* Et specialius Menologium Græcorum, die 4. Octob. *Natalis S. Patris nostri Hierothei, qui fuit unus è numero Areopagitarum, qui ab Apostolo est instructus, unà cum magno Dionysio, & cum religiosè vixisset, migravit ad Dominum.* Ergo nobilitata fuit prædicatio S. Pauli & conversio Dionysii, tali sociorate. De quain Actis dicitur: *Et alii cum eo hæserent conversi sunt; ipse tanquam Dux, & alii ejus exemplo.* Sic rursus hic repetimus. *Benedictus Deus, Mirabilis in sanctis suis*, mirabilis in conversione eorum.

c. 2. de divin. nom. Item c. 3.

Ex Mar. 4. Octob.

SEcundò, admirabilè orbi reddidit Deus S. Dionysium sapientiæ divinæ ubertate, post ejus conversionem. Quanto enim prius fuerat humana Philosophia eminens tanto, postmodum excelluit cæleſti & arcana scientia; quam maxima parte hausit, à divino suo Præceptore Paulo, haud dubium est, cum ei per triennium adhæserit, ab ejus ore pendens, & mysteria cœlestia fidei nostræ ediscens. Testantur hanc sapientiam libri ab eo editi de cœlesti hierarchia, sive de Angelorum principatu & ordinibus; ubi divino usus stylo, fulguranti sermone, se ejusdem panis quo vivunt. Angeli alimento repletum ostendens, de illis insigni eloquentia & profunda intelligentia disserit; sicut revera is qui in cœlo posuerat os suum, ubi corde & conversatione degebat. Testantur eandem libri de Ecclesiastica Hierarchia, & libri de divinis nominibus. In prioribus enim sublimiter explicat cuncta quæ fiunt in Ecclesiasticis & sacratissimis mysteriorum consecrationibus, Angelico ministerio, cum ministris altaris & Hierarcha, id est, Sacerdote cooperante, & Deum collaudante. Ibi ergo agit de baptismatis illuminatione, de sanctissimæ Eucharistiæ consecratione, de sancti chrismatis initiatione, de Sacerdotalibus perfectionibus, de perfectis ordinibus Monachorum sæculo renunciantium. In libro autem de divinis nominibus, nominum illorum quæ sacræ litteræ Deo attribuunt, rationes & causas sublimiter & præclarè aperit.

PARS II. *Deus fuit mirabilis in sapientia divina S. Dionysii. Libri à S. Dion. conscripti sapientiam ejus docti.*

Propter hanc sublimem sapientiam conjunctam cum eloquii majestate admiranda, superante & transcendente cæterorum Theologorum & Patrum scripta, vocat eum S. Chrysostomus, *Volucrem cœli* aliique vocant. *Disertum ac Divinilaquum*, cum S. Damasceno, alii *Magnum*, alii denique, *divinissimum Dionysium* eum nuncupant. Cognomineque Christiano *Dionysius Macarius* olim dictus est, hoc est, *Beatus*, quasi cum beatis ea quæ scribit, jam oculis suis spectaret in cœlis. Illud porrò plane admirabile est, ejus approbans cœlitus sapientiam, quod cum à Michaele Constantinopolitano Imp. ad Ludovicum Pium Francorum Regem & Imperatores fuissent dono missi libri de cœlesti hierarchia, de Græco in Latinum translati, nocte in Ecclesia S. Dionysii prope Lutetiam Parisiorum, ubi illi libri tum fuerant repositi, novendecim ægri fuerint divina virtute curati, ad approbationem utique librorum illorum. Testis est Abbas Hilduinus.

Tituli S. Dionysii.

Extat script. ad Ludov. Reg. ea de re.

Scripsit etiam S. Dionysius varias epistolas exemplis ac Scripturarum testimoniis (in modum ferti, de agro pleno S. Scripturæ cui benedixit Dominus, coilecti) redolentes. Inter illas notabilis est illa, quam scripsit ad Demophilum, per sapientiam sibi datam eum redarguens, quod pœnitentem

Surium 3. Octob. mihi p. 719.

quendam,

quendam, qui à fide defecerat, prohibuisset recipit, & ad Sacerdotis pedes prostratum abstraxisset, ac calce abjecisset, zelo, non secundum scientiam. Inter alia sic eum alloquitur: *Non habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, sed ipse innocens & misericors non erumpet, neque clamabit. Mitis enim est, & propitiatio pro peccatis nostris. Quapropter non recipiemus, ô Demophile, tuos zelantes impetus etiamsi decies millies resumas Phineem & Eliam cum audierimus illa, quæ placebant & displicebant benigno Jesu à discipulis ejus, qui fuerunt in carne commoratione participes mansueti & benigni ipsius spiritus. Docere enim, non cruciare oportet ignorantes; sicut & eos non cruciamus, sed manuducimus. Benignus namque errantem inquirit, & refugientem vocat, atque vix inventum in humeris tollit. Qui & refugientibus cupidè jungitur, & non dedignatur dedignari à se reficientibus, & sine causa provocantes se tolerat, & ipse excusat: immò promittit mederi eis, & appropinquantibus sibi præoccurrit & obviat, & totus totos exosculatur, & non accusat, aut improperat eis priora eorum, sed diligit præsentia, & diem festum agit, & convocat amicos, benignos scilicet Angelos, ut sit omnium delectantium habitatio.* Hæc ibi; ubi & postmodum enarrat visionem S. Carpi, à Christo reprehensi ob similem zelum nimium erga peccantem quempiam.

S. Dionys. habuit spiritum prophetiæ.

Neque solum plenus fuit Dionysius spiritu sapientiæ & intellectus, sed etiam spiritu prophetiæ. Quamobrem S. Joanni Apostolo prædixit celerem reditum ab exilio in Patmos, ut per Asiam verbum Dei rursus annunciaret; quod sanè occiso Domitiano impletum est, eodem anno quo id ad S. Joannem scripserat Dionysius. Hæc epistola decima inter ipsius Epistolas.

Propter hæc dona & talenta eminentissima, ab Apostolo fuerat ordinatus primus Athenienſium Episcopus; ac sub ipso floruisse Athenienſium Ecclesiam, testatur Origenes l. 3. contra Celsum: asseritq; illam protulisse viros doctrina & sanctitate illustres, sapientia & sanctimonia Dionysii irrigatam. Propterea etiam cum Romam adiviſſet, ubi S. Clemens clavum Ecclesiæ tenebat, divinitus Clementi inspiratum fuit, ut in Galliam eum mitteret propagandæ fidei gratia. Nempe Deus omnipotens, veri Solis, id est Jesu Christi, radio splendidissimo & orientali, id est, sanctissimo Dionysio, voluit occidentales tenebras illustrare; & murum validissimum infidelitatis, qui totius Galliæ & Germaniæ terminos occupaverat, providit tali ariete destruere, tantoque pertissimæ eloquentiæ spiculo gentilitatem perfodere atque omnem Galliam ipsius Apostolatu sublevare, quam Mercurio dæmoniaca servitute constabat miserabiliter ancillari. Hoc statuerat Deus firma æterni consilii sui dispositione, ideo cor B. Clementis & Dionysii validè tetigit, ut in hunc modum S. Clemens Dionysium alloqueretur: *Notum sit tibi, dilectissime frater, quanta sit messis Dominica passionis, quam pauci operarii, parcgin nomine Domini, & partes aggredere Occidentis, & omnem suscipiens Galliam, opus fac Evangelistæ: Sicut D. Jesus Petro tradidit, & ego sanctæ hæreditatis jure suscepi potestatem ligandi atque solvendi; sic pro Apostolatus tui sorte illam tibi Apostolica auctoritate committo. Sicut fuit Dominus cum Patribus nostris Petro & Paulo, ita tecum sit, quocunque te verteris. Nec vereare multitudinem & atrocitatem gentis barbaricæ: quo plus laboraveris, plus accipies mercedis; & absque dubio multitudinem innumeram ex semente Evangelii fructum gloriosum Domino, tibi in æternum gaudiosum, convertes.*

In Galliam divinitus destinatur.

Agnovit vocationem suam S. Dionysius, & nulli labori pepercit, ut illam adimpleret; veniensque in Galliam cum sociis suis Presbytero & Diacono, Rustico & Eleutherio, ubique annunciavit regnum Dei virtute multa, donec Lutetiam Parisiorum primariam Galliæ urbem, perveniret, ejusque incolas ad fidei veritatē traduceret. Quod quidem Sapientiæ auctoritate & miraculorum serie ita perfecit, ut mox in regia urbe, urbi Gallorum & Germanorum Nobilitas concurrebat, certatim se illi subderet, & Gallicanus cothurnus, & Germanica cervicositas, Christi jugum & baptismum cum contritione deposceens; frustra frendente Sacerdotum turbâ, qui idolorum cultum tutari etiam armis & seditionibus conabantur. Etenim frequenter in eum cum plebe armata impetum facere cum pararent; ita luce cœlesti in eo radiante perculsi sunt, ut vel se illi prosternerent compuncti vel pavore nimio solverentur, & aufugerent. Sic lugebat portio victa diaboli, dum victrix Ecclesiæ legio de eo triumphabat. Rursus ergo hic meritò repetimus: *Mirabilis Deus in Sanctis suis, ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus.*

PARS III.
De mirabili constantia S. Dionys. in martyr.

TErtiò admirabilem reddidit Deus S. Dionysium, per constantiam, quam in sua exhibuit passione. Mirum planè & rarum, tam provectæ ætatis virum, qui centum & decem annos attingeret (teste Baronio) tot tormenta potuisse pati infracto & invicto planè animo. Dicebat olim Sixtus Laurentio: *Nos quasi senes, levioris pugnæ cursum recipiemus, te autem, quasi juvenem, manet gloriosior de Tyranno triumphus.* At Deus, ut se in servis suis tanto admirabiliorem reddat, non semper eligit fibrenti ætate Laurentios, aut Vincentios, aut Sebastianos, ad sui nominis acerrimos in tormentis confessionem; sed infirmos quoque eligit, ut confundat eos, qui in fortitudine sua gloriantur. Ætas priscis Romanis ineptia judicabatur ad militiam infra annos septendecim, & supra annos quadraginta sex. At nova bella eligens Dominus infantes suæ adscribit militiæ, nec senes quantumlibet provectos præterit. Ab non gloriosum videret Eleazarum nonaginta annorum fortiter pro lege occumbentem, cum eam facilè posset effugere, simulando se comedisse carnes legevetitas? Sed audi eum! *Non ætati nostræ dignum est fingere, ut multi adolescentium arbitrantes etiam*

rarium nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, propter simulationem meam, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur. Quapropter fortiter vita excedendo dignus senectute apparebo; adolescentibus autem exemplum forsè relinquam, si prompto animo pro sanctissimis legibus honesta morte perfungar. O fortem & glorioſum virum emeritæ ſenectutis!

S Dion patiens martyrium fuit 110 annorum.

An non glorioſius videre Dionyſium, centum & decem annorum, pro lege Chriſti ad tormenta horrenda perductum, & audire eum intrepidè Tyranno pro ſua ſenectute à crimine vindicanda reſpondentem? *Tunc es ille nefandus ſenex, ait ei* Præfectus Feſcenninus Siſinnius, *qui dicebas Dionyſium, & agnominabas Macarium, quique Deorum cultum evacuas, & Imperatorum decreta contemnis?* Cui B. Dionyſius fortiter animo & voce: *Senex ſum corpore, ſed fervore devotionis & fidei, ſalutarique confeſſione Salvatoris Jeſu Chriſti maneo ſemper novus, & novos illi genitos per miniſterium prædicationis meæ infantes, quos illi fons ſacri baptiſmatis parturit, rationabili lacte paſcere ſine dolo non ceſſo. Sed & illius Imperatoris ſcita, qui vere invictiſſimus, mundo corde & opere conſervo.* O dignam cœlo, cedroque vocem!

Surius in vita eorū.

Hanc imitati ſunt nonnulli Martyres decrepitæ ætatis. Sic S. Aretha, beatum ſe dicebat, quod in profunda ſenectute annorum nonaginta quinque ſieret Martyr, & fide, & animo planè alacer. Sic S. Policarpus, octuaginta ſex annorum, coram Tyranno fortiter loquitur, fortius patitur in medio ignis ſe odoriferum offerens holocauſtum. Sic B.

Euſeb. l. 3.

Euſignius centeſimum etiam & decimum agens annum, exprobrat infaciem Juliano Apoſtatæ deſertam fidem, & ſecurus ſecuri caput ſubjicit. Sic

Brev. Ro.

S. Simeon, Epiſcopus Hieroſolymæ, centum & viginti annos agens cruci acerbitatem pertulit. Ergo ſenibus emeritis ſua Deus trophæa ſervat, & coronas.

Prov. 6.

Meritò igitur Sapiens pronunciavit: *Corona dignitatis, ſenectus quæ in viis juſtitiæ reperitur.* Quaſi dicat: Senectus ſeni eſt velut corona ſpecioſa & magnifica, ſi juſtitiæ ac virtutum floridis gemmis decoretur. Multiplex certè eſt ſenectutis corona. Nam tot anni, quibus vixit ſenex, maximè ſi inculpatè vixit, tot ſunt flores glorioſum diadema conficientes, quo ejus caput coronatur. Et hanc ſignificat corona canitiei albicans, quo ejus ornantur tempora, propter quam ei veneratio à junioribus impenditur. Sic movet quidam à Sapientibus antiquis: *Ve-*

Phocylides.

nerare canos redimita & coronata tempora habentes cedendo ſenibus in ſedendo, & in officiis omnibus. Ætas ipſa ſenem, quaſi defunctum laboribus & emeritum canis coronat, quaſi floridæ ſerto. Eſt quoque in ſenibus corona dignitatis, ipſa corona ſapientiæ, prudentiæ, experientiæ. In illis viget mens, ratio judicium, prudentia; quæ omnia eis dignitatem conciliant, velut corona magnifica. Quapropter de Eleazaro dicitur: *Cogitare cœpit ætatis & ſenectutis ſuæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem, atque à puero optimæ converſationis actus.* Hæc omnia in eo coronam dignitatis contexebant. Sic & in S. Dionyſio noſtro, eadem ſenectutis corona, non ſolum ex canitie & annis, ſed maximè ex meritis & virtutibus omnigenis conſtabat. Nec illa deerat, de qua ſapiens: *Corona ſenum filii filiorum, & gloria filiorum patres eorum.* *Prov. 17.*
Sive illa, de qua Apoſtolus: *Fratres mei chariſſimi & dilectiſſimi, gaudium meum, & corona mea, ſic ſtate in Domino.* *Philip. 4.*
Multos enim jam filios in Chriſto genuerat, quibus glorioſè cingebatur, & per quorum converſionem æternitatis coronam ſibi promeruerat.

Variatormenta quæ S. Dion. pertuli.

Hæc igitur omnia conſiderans, mirabili conſtantia ſe geſſit in variis, quibus affectus fuit, tormentis. Primò enim acerrimè flagellatus fuit, ſed inter crepitantia verbera lætus dicebat adſtantibus fidelibus: *Laudem Domini loquetur os meum, benedicat omnis caro nomen ejus ſanctum. Stigmata paſſionis Domini perferre dignus habitus ſum pro confeſſione nominis ejus; hæc eſt gloria veſtra, ô Chriſti fideles: & dilectiſſimi fratres. Videte, ne deficiatis in tribulationibus meis, ſed magis armentur corda veſtra, & ob amorem Jeſu offerte prompte corpora veſtra.* 1.

Secundò, ſuper lectum ferreum ſuppoſitis flammis extenſus eſt nudus. Attanquam hoſtia accepta Domino canebat: *Ignitum eloquium tuum vehementer, & ſervus tuus dilexit illud: propterea, Jeſu Chriſte, qui dixiſti: Cum tranſieris per ignem, flamma non nocebit tibi; fac ad gloriam nominis tui hunc ignem me ſuperare, quia periculoſiorem flammam in cupiditatibus dediſti vincere.* 2.

Hild. Ab. in vitas Dionyſii.

Tertiò, ambuſto corpore levatus, beſtiis ferocibus projectus fuit; at ipſe eadem potentia qua Daniel in lacu eas manſuefecit, ſolo ſe armans ſigno crucis. Quapropter rurſus in clibani incendia injectus eſt ſed cum fiducia dicebat: *Non deeris mihi, Jeſu Chriſte, ut illæſus etiam hinc egrediar, roreq; Sancti Spiritus hos rogos extinguas, qui romphæam ignitam in introitu Paradiſi cruorum tui latice extinxiſti, ut fidelibus ad vitam præberes tranſitum.* 3.

Quartò, fornacis ad ejus orationem extincto incendio, ſplendidior auro eductus, crucis patibulo confixus eſt; ubi JESUM cunctis ſpectantibus continuò velut ex optata cathedra prædicans, diu tortus fuit, nec inter motus. Ex illa ergo tandem depoſitus capite mulctatur, & gladio percutitur. 4.

Chryſoſt. epiſt. ad Cyriacum.

An non planè admirabilis his omnibus in tormentis ſenis conſtantia? Dicere poterat quod S. Chryſoſtomus: *Ego, cum è civitate fugarer, nihil horum curavi, ſed dicebam mecum: Si me vult imperatrix ſerra diſcindat. Iſaiam habeo exemplum. Si me in mare vult projicere, Jonæ reminiſcar. Si in caminum projicere, habeo tres illos pueros, qui id pertulerunt. Si me vult beſtiis objicere, Danielis meminero. Si lapidare, Stephanum habeo primum Martyrem. Si caput vult auferre, ſocium Joannem habeo Baptiſtam.*

Attende, quot Duces habet & ſocios in ſua admirabili

mirabili passioni S. Dionysius. Nam cum flagellatur, socios habet Apostolos, qui *digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*. Dum craticulæ superponitur, socium postea habet S. Laurentium. Dum feris objicitur, socium habet Danielem & Ignatium. Dum in fornacem injicitur, habet duces tres Babylonios juvenes, & multos alios Martyres habet socios. Dum cruci affigitur, Petrum & Andream inspicit. Dum capite truncatur, respicit Paulum & Baptistam. O beatam societatem! O mirabilem Deum in Sanctis suis!

Actor. 5.

PARS IV. *De miraculis post martyrium S. Dion.*

QUarto, admirabilem reddidit Deus S. Dionysium post passionem, dum mox corpus truncum se erexit, & caput in manus sumens, Angelico ductu gressum regente, & cœlesti luce circumfulgente, pendulis illud cœpit brachiis vectitare, donec illud deponeret in locum divina ordinatione dispositum. Audita autem tunc fuit comitans triumphantem de hostibus Martyrem multitudo cœlestis exercitus, Deum laudans & modulans: *Gloria tibi Domine*, adjuncto frequenter *Alleluja*. Quapropter multi crediderunt, & increduli nimio terrore perculsi hinc inde diffugerunt.

Amputato capite ambulat.

Job 13.

Poterat itaq; S. Dionysius tunc dicere, alio quamvis sensu, illud: *Animam meam in manibus meu porto*. Utique caput influit corpori sensum & motum, ideo præcipuè anima in capite est. Admirabile ergo & apertum fuit miraculum, quod vir sanctus animam, id est, caput, per quot anima debet corpus portare, in manibus mortuis deferret; quodque corpus, quod motum omnem accipit à capite, illo detruncato ambulare valeret, & recto incedere gressu. Id quidem grande miraculum est, Deotamen non est difficile, qui idipsum corpus de pulvere terræ compingens, ei spiritum dignatus est inspirare, & redactum in cinerem dignabitur reparare, & vividum perenniter reddere. Eadem igitur potentia, Angelicoque ministerio, potuit mortuum corpus illud regere, ut in modum viventis incederet ad locum usque divinitus destinatum, ad declaranda Martyris sui & primi Galliarum Sacerdotis merita gloriosa, ut tanto major gloriæ ejus elucesceret triumphus in loco, quem plurimis postea illustraturus erat miraculis.

Hoc quidem miraculo & triumpho primum decoravit Deus S. Dionysium, sed ei postmodum sequentibus sæculis socios adjunxit multos, ut esset Dux cohortis capite truncato triumphantis & ambulantis.

Diversi Martyres amputatis capitibus ambulant.

1. Inter hos celebris est apud Italos Severinus Boëtius, occisus à Theodorico Rege Ariano Anno 526. de quo Julius Martianus in ejus vita, & ex eo Baron. Ticini incolæ semper à majoribus traditum constanter asseverant, & Severinum cum regius speculator lethale vulnus intulisset, utraque manu divulsum caput sustinuisse: interrogatumque à quo se percussum existimaret, respondisse; Ab impiis. Atque ita cum in vicinum templum veniisset, & flexis genibus ante Altare S. Synaxim percepisset, paulo post expirasse. Adde & S. Proculum Bononiæ, de quo Surius 1. Junii, qui extra mœnia passus, intra mœnia caput tulit, ubi nunc Ecclesia ejus.

2. Celebres etiam sunt SS. Victor & Ursus cum sociis sexaginta quinque è legione Thebæa, qui cum in fluminis alveo capite cæsi essent, & in flumen præcipitati, mirabiliter sumptis in manus capitibus è flumine emergentes, processerunt ad locum quendam, in quo genuflectentes, quasi per horæ spacium precati sunt Deum, & post submittentes capita ad terram requieverunt. Quasi dicerent: *Hæc requies nostra in sæculum sæculi*. Unde & in eodem loco basilica in eorum est honorem ædificata. Surius 30. Sept.

3. Celebris est apud Belgas S. Piatus, Apostolus Tornacensium, qui verticem sui capitis ob fidem amputatum Tornaco Sechinium detulit, ubi nunc in honorem ejus Ecclesia Collegiata Canonicorum est. Indeque Sechinium dictum putant, quod S. Piatus illic se inclinasset. Simile referunt Chronica Belgicæ de S. Livino Gandavi Patrono, ab Escha in Houtem caput abscissum portasse ad sepulchrum Angelicis manibus præparatum. De S. Chrisolio Archiep. preciosam suam coronam cum cerebro amputatam recollegisse, & Cominium ad Ecclesiam pertulisse, ubi flexis genibus ante Altare animam exhalavit, tradit Molanus. Ejus corpus nunc asservatur Brugis in Ecclesia S. Donatiani. De S. Adalbaldo, Duacensi Duce, Parre S. Mauronti, ad sepulchrum suum caput detruncatum tulisse, testatur Chronicon Marchianense. Idem dicitur de S. Oelberto Martyre in Osterhout, ad Ecclesiam caput suum abscissum detulisse. Hæc in Belgio.

Bre. Tor.

Chronic. Christia-ni Masseri. Molanus in Febr.

4. Celebres sunt apud Hibernos quadraginta Monachi Cœnobii Magiensis, Ord. Cisterc. qui abscissis capitibus, eisque readsumptis vesperas B. Virg. Mariæ in choro cecinerunt. Item de S. Decumano Anglo Monacho, decollatum caput suum ad fontem usque portasse & lavisse, tradunt Trophæa Ecclesiæ Anglicanæ. Idem de S. Fingaro, tradit S. Ansel. in ejus & sociorum passione.

Chrysost. Henrici. l. 11. dist. 37. c. 11.

5. Celebres sunt apud Germanos S. Albanus & S. Eliphius. Hic posterior Coloniæ quievit in Abbatia S. Martini, ferturque per unum milliare, comitantibus Angelis, caput ad montem, in quo sepeliri elegerat, detulisse detruncatum. De quo Surius 16. Octobr. Sic & S. Albanus, Moguntiæ honoratus, caput à cervice revulsum, & linguam se adhuc Deo laudes mortantem ad locum tulit, in quo ibi sepultus est.

Serar. t. 2. 7. hist. Mogunt.

6. Celebres sunt apud Hispanos ob similem causam, S. Laurianus Episcopus Hispalensis, & S. Lambertus Martyr, de quibus Lucius Marinæus lib. 5. histor. Plerique alii enumerantur, quos brevitatis causa prætereo.

Horum omnium Ducem illustr. & gaudegit Deus

S. Dio-

S. Dionysium; hanc enim in cœlo ductabit cohortem speciali gloria adornatam, specialisque hujus gloriæ symbolo decoratam in choro Sanctorum. Quapropter de eis dicere possumus, quod in simili S. Basilius: *O sanctum chorum! ô sacrum ordinem! ô cuneam inexpugnabilem! ô communes humani generis custodes, precum ac votorum suffragatores, legati apud Deum potentissimi, astra mundi flores Ecclesiarum, vos cœlum excepit, aperteque sunt vobis Paradisi portæ, quia dignum exercitibus Angelorum, Patriarchis, Prophetis, & justis omnibus spectaculum exhibuistis, & admirabile pro pietate trophæum erexistis.*

Cōclusio. O Inclyte Martyr Christi Dionysi, qui specialiter à Deo vocatus, a Paulo instructus, à Clemente Pontifice missus, varias Europæ Provincias Christianis præceptis imbuisti, & Gallicanæ Ecclesiæ fundamina jecisti, eaque tuo sanguine fortiter & admirabiliter rigasti, ac pacem Christi undique nuntiasti: Respice Christi Ecclesiam, variis conspurcatam hæresibus, turbatam & turpatam Regum & Principum dissidiis, contritam bellis & armis, inspiraque Principibus sana consilia, sanctam concordiam, beatam unionem, ut populi in tua protectione confidentes, sentiant sibi tuâ intercessione pacem restitui, pietatem augeri, per quam ad æternitatis pacem valeat respirare, & decantare: *Mirabilis Deus in Sanctis suis, ipse dabit virtutem plebi suæ, benedictus Deus.*

PRO FESTO S. TERESÆ.

Lect. 55. ex tripart. *Cessaverunt fortes in Israel, donec surgeret mater in Israel. Nova bella elegit Dominus, & portas hostium ipse subvertit.* Jud. 5.

PARS I. *Deum eligere infirma ut confundat fortia exemplo S. Teresæ ostendit.*

INfirma mundi eligere solet Deus, ut confundat fortia: sicque suam manifestam facit & potentiam & sapientiam. Hoc frequentissime fecit jam ab initio sæculi. Per tubas destruit Jericho. Per lagunculas in fugam vertit exercitum Madianitarum. Per ranas subigit Ægyptum. Per mandibulam Sampsonis sternit Philisthæos.

Neque solum per firmiorem sexum acies suas instruxit: sed etiam mulieres belli sui Duces constituit, ut per infirma mundi confunderet fortia. Sic per Jahel mulierem, vincit Siseram exercitus copiosissimi & fortissimi Ducem. Sic per Judith confundit Holofernem in fortitudine exercitus sui gloriantem. Sic suscitat Deboram, ut sit Dux belli. *Cessaverunt fortes, donec surrexit mater in Israel. Nova bella elegit sibi Dominus, portas hostium subvertit.*

Non absimili modo, ut Dæmonem sibi juratum hostem sternat, non solum eligere voluit Angelicos spiritus, fortissimos & potentissimos bellatores vexillo suo præfecturos pro symbolo militari: QUIS UT DEUS? Neque solum elegit bellatores Viros sanctos, quis induere ex alto virtute: sed etiam infirmas mulieres voluit esse Duces in hoc prælio, ut confunderet per earum infirmitatem hostium suorum arrogantiam & præsumptionem. Voluit illud Job verificari: *Illudes ei quasi avi, & ligabis eum ancillis tuis.* Hoc de illo scribitur, cui *non est potestas similis super terram.* Rursus & illud verum esse ostenditur: *Sapientia misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem & mœnia civitatis.* Job. 40. Prov. 9.

An non hæc omnia manifesta sunt in S. Teresa? An non hæc suscitavit exercitum fortem instar Debboræ, contra inimicos Christi (reformans integrum Ordinem Virorum fortium) spiritu, fortitudine, sapientia plane admirabili? An non hos docuit per mandibulam Asinæ pugnare & vincere; hoc est, per simplicitatem & humilitatem religiosam, de qua & postea eis fluxit abundantia aquæ, quasi de mandibulæ Sampsonis molari dente? An non eos docuit instar militum Gedeonis confringere lagunculas, inflare tubas, ignem & flammam ostentare, sicque hostes fugare? Quid per Lagunculas confractas, nisi austera mortificatio; quid per Tubas, nisi sonora prædicatio; quid per Ignem & flammam, nisi zelus ardens designatur? His omnibus armati strenui sub Teresa Duce milites, Dæmones hostesque omnes spirituales vincere potuerunt, quasi inclamantes, DEO ET TERESÆ, sicut olim antiqui illi milites, DEO ET GEDEONI. Sic vere adimpletum est illud, & adimplebitur in finem usque sæculi: *Nova bella elegit sibi Dominus, subvertit portas hostium.* Rursus & illud: *De Cœlo dimicatum est. Stella manentes in ordine suo pugnaverunt.* Quod etenim Religiosi, tot Stellæ; qui ubi Ordinem suum conservant cum zelo, dimicant adversus spirituales hostes, & facile possunt victoriam reportare de Cœlo. S. Teresa instar Deboræ exercitum suum contra hostes Christi. Jud. 5.

Porro, sicut Abimelech olim non poterat hanc confusionem æquo animo ferre, quod à muliere victus diceretur, quæ ejus capiti è turris vertice illiserat fragmen molæ; ideoque dicebat armigero suo: *Evagina gladium, & percute me, ne forte dicatur, quod à muliere interfectus sim.* Sic non potest Dæmon hanc confusionem concoquere, quod novissimo hoc sæculo per mulierem vinci dicatur, per S. Teresam aciem adversus cum instruentem, & caput ei virtutis pede interrito conculcantem. Vere de ea dicimus: *Cessaverunt fortes, donec surrexit Mater in Israel, quia per eam nova bella instruxit Dominus, portasque hostium subvertit.* Certe pauci erant, qui fortiter pro Ecclesia dimicarent, dum surrexit Teresa tanquam Mater in Israel, Hæreses tunc plurimum invalescebant, Luthero tubam libertatis insonante, & omnes tam è Religione & Claustris, quam ex Ecclesiæ sacris adytis ad sua castra convocante, dulcedine libertatis & licentiæ lactandos. Hoc ipsa adverterens, omnem austeritatem suo jam auspicato Ordini indixit. Nec initio enim existimabat tanto pœnitentiæ rigore

agere:

Libera in M. Teref.

agere: at ubi vidit libertatem Lutheranam invaluisse contra Fidem, voluit ut non solum Fratres & milites sui verbo & doctrina contra eum præliarentur; sed etiam statuit ipsa, cum Sororem suarum cœtu, omnem vim fœmineo sexui possibilem exercere, lachrymis, precibus, pœnitentiis pugnando, & hostes debellando, atque ad iter veritatis reducendo. Hoc fusè describit Auctor vitæ ejus.

PARS II.

Quomodo S. Teresa certarit, & mater fuerit in Israel.

NEque vero sine magnis fuit persecutionibus & contractionibus infirma hæc mulier, cum quatuor sodalibus adeo austerum Ordinem initians & reformans. Sed ei non defuit virtus Altissimi confortans, obumbrans, protegens, ut sacrum hunc fœtum fœliciter conceptum forti animo pareret. Aderat antiquus Draco flumen persecutionum & contumeliarum vomens, per hominos hujus sæculi (immò & per viros ac mulieres religionis speciem præse ferentes) ut sacrum hunc fœtum devoraret & absorberet. Sed virtute & constantia admirabili, contrivit caput Draconis; *datæque ei sunt alæ,* quibus omnes supervolaret laqueos & retia sibi tensa, ac *in solitudinem evolaret*, solitudinis amans (in qua Deus loquitur ad cor) & ad eam omnes invitans. Sciebat scriptum esse, & jam adimpleri debere illud Isaiæ: *Lætabitur deserta & invia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. Germinans germinabit; gloria Libani data est ei, & decor Carmeli: ipsi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei nostri.* Adeo adimplebat & illud, quod mox ibi sequitur: *Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate.* Hos, qui dissolutius vel tepidius in Religione agebant, verbo confortabat & exemplo, ut zelum induerent & fortitudinem, & teporem omnem in obsequio Dei & Fidei excuterent. His ingenerare spiritum novum conabatur, tanquam *Mater in Israel*, ut contra vitia & errores pugnarent, *& hostium portas subverterent.* Quod in multis efficaciter fecit, ita ut adhuc modo spiritus ille permaneat in plerisque ejus sequacibus. Quapropter dicamus, quod quasi veterata mundi senecta urgente, fidei caligabat visus, morum mutabat gressus, marcescebat virilium operum fortitudo, imò fæces temporum fæce commutabantur enim vitiorum; cum amator hominum Deus, ex suæ pietatis arcano sacri Ordinis & hujus suscitans novitatem, providit per eos & fidei fulcimentum, & reformandis moribus disciplinam. *Consurrexitque quasi fulgor meridianus ad vesperum*, ut lumen viderent, qui in tenebris ambulant. Nec voluit Deus deesse infirmioris sexus auxilium, tum viris, tum fœminis, accendens *lucernam super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.*

Apoc. 12.

Isa 35.

S. Teresa verbo & exemplo Religiosos confortavit.

Job. 11.

Matt. 5.

S. Teresa ad illuminationem aliorū cœlitus illuminata.

Talis Lucerna, Duxque viæ, ac Magistra vitæ fuit S. Teresa, cœlitus illuminata, ut multos illuminaret; quamvis ejus lumen multi oculi ægri calumniarentur; vel invidia, vel cæcitate, vel alia imbuti passione; aut certe ignorantia & insipientia, ita ut adimpleretur illud Psalmi: *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis, turbati sunt omnes insipientes corde.* Non enim intelligentes hoc lumen, quod Deus, quibus vult, communicat, turbati sunt, & turbida passione impulsi contradixerunt, sicque lumini rebelles facti sunt. Quod certe erga Teresam factitatum esse à plerisque, vel æmulis, vel insipientibus & ignaris, ex Vitæ ejus satis constat Historia. Propterea, cum is, qui ei à confessionibus erat, nonnihil angeretur, quia multis à Deo revelationibus ipsa illustrabatur, & quia verendum videbatur, ne quandoque apud eam se transformaret Angelus Satanas in Angelum lucis adilludendum, dixit Teresæ Dominus: *Die Confessario tuo, ut instituat meditationem suam super illo Psalmi versiculo: Quam magnificata sunt opera tua Domine! Nimis profunda facta sunt cogitationes tuæ. Vir insipiens non cognoscit hæc.* Quam meditationem cum consummasset, sat intellexit eam erudiri & illustrari à Deo supra captum hominum hujus sæculi, quia *animalis homo non percipit quæ Dei sunt.*

Psal. 75.

Ribera in vit. Teref.

Non absimiliter, cum quidam Prior Ord. S. Dominici, Vir pius & eruditus non haberet fidem Revelationibus S. Brigittæ, quadam vice dormiens, vidit ignem è Cœlo in eam descendere. Stupefactus visione, putabat sibi illudi. Itaque rursus dormiens, vidit illum ignem ex ore Birgittæ prodeuntem, multos circumstantes inflammare, simulque audivit vocem: *Quis potest ignem hunc prohibere, ut non egrediatur: Ego Omnipotens mittam illum ad Orientem & Occidentem, ad Aquilonem & Austrum, incendet multos.* Hæc attentius considerans & ponderans Prior ille, haud ulterius incredulus, aut contrarius perstitit.

Surita in vita S. Birgitta.

Quandoquidem igitur S. Teresam, *Matrem in Israel*, viros strenuos excitantem & docentem Debboræ comparemus, hic meminisse juvabit illius quod dicit Origines de Debbora, Matre & Duce in Israel agens, in cap. 4. & 5. Judicum. Sic ibi loquitur: *Præstat non minimam consolationem mulierum sexui, ne pro infirmitate sexus, desperent etiam Prophetiæ gratia capaces se fieri posse: sed intelligant, quod mereatur hanc gratiam puritas mentis, non diversitas sexus, Debbora quippe, quæ Apes interpretatur in Prophetia forma versatur, Certum namque est, quod omnis Prophetia cœlestis doctrinæ favos suaves, & dulcia divini eloquii mella componit, ut dicit David: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua!* Ita Origines aptè ad nostrum propositum; quia Teresa fuit verè *Debbora*, verè *Mater in Israel*, verè Ductrix & Doctrix populi Dei, verè Apis argumentosa, quæ multos nobis suaves cœlestis doctrinæ favos proposuit, melque confecit, & lumine cæræ suæ illuminavit; ita ut manifestum fuerit, quàm iniquè multi lumini cœlesti in ea relucenti, & per eam Orbi se prodenti, rebelles fuerint.

Hoc porrò lumen promeretur, & mentis puritas, & cordis humilitas: hanc utramque dum in quibusdam mulieribus reperit Deus, eas mirabili

Mentis puritas, & cordis hu-

militas suæ lumen proderetur.

ter illustravit, & zelo salutis animarum efficaciter accendit. Sic de S. Catharina Senensi legimus, eam quondam audivisse à Domino: *O Filia dulcissima, decet te implere omnem justitiam, ut non solum tibi, sed etiam aliis fructuosa efficiaris.* His verbis admonebat eam zeli animarum erga omnes, paulatim trahens eam ad convictum & consuetudinem hominum. Cumque ipsa suam allegaret imbecillitatem, & conditionem sexus, dixit Dominus: *Adeo increvit superbia eorum qui se litteratos & sapientes putant, ut divina justitia id ulterius ferre nequeat eosque vult pudefacere per fœminas virtute & sapientiâ suâ instructas.* Profectò quia admirabilis in ea erat humilitas, admirabili etiam luce & ardore cœlestis zeli eam dominus illustrem reddidit. Nam & quandoque secreta peccata pandebat peccatoribus, ut ea confiterentur; & secum ducere solita erat aliquem qui à confessionibus posset esse his quos convertebat, & ad pœnitentiam adducebat. Quod quidem etiam S. Teresa illius imitatrix faciebat.

Varius in ejus vita.

In epist. Judæ.

1. Thess. 5.

Sunt interim, ut jam diximus, *quidam animales, spiritum non habentes, apud semetipsos prudentes*, qui nolunt recipere, nisi quod humana ratione possunt consequi; & quæ non intelligunt, contemnunt, contra Apostolum: *Spiritum nolite extinguere, Prophetias nolite spernere.* Spiritum extinguunt Prophetias spernunt, dum spirituales quasi idiotas vel insanos despiciunt, & revelationes Sanctorum quasi somnia & ludibria rejiciunt. Non est tamen abreviata manus Domini: nec ulla fuit ætas, in qua Spiritus sanctus non fecit res mirabiles in Sanctis suis, sive viris, sive mulieribus, sive clam, sive palam. *Unguentum quod à capite in barbam, & in oram vestimenti fluit, descendet etiam usque ad fimbriam*, hoc est, usque ad Sanctos extremæ ætatis; quantumlibet nonnulli non agnoscant, quin potius contradicant. Sed non mirum si Religionis hostes Sanctarum quarumdam pietatem soleant traducere maligne, quia non ferunt montes vitæ suæ adversos. Et sicut olim Judæi Christum Samaritanum, & Christianos Galilæos dicebant; sic & hi, parum pii, pios confictis nominibus impetunt. Abominantur scil. Ægyptii oves; & tenebriones agentes inter pocula & dapes, lucem rident & innocentiam. Audi quod refert Cardinalis Vitriaco in prologo vitæ S. Mariæ Ogniacæ, ubi de sanctis mulieribus & earum agit revelationibus. Quidam, inquit, Monachus Aluensis Ordinis Cisterciensis, præ simplicitate dubitare cœpit de quibusdam, tam mulieribus, quàm viris, qui sic à malevolis traducebantur, & inusitatis nominibus ridebantur. At in oratione à Spiritu S. audivit hoc responsum: *Et in fine invenientur stabiles, & in opere efficaces.* Ab eo tempore senex ille tantâ dilectione ipsis adhæsit, ut nihil mali de illis dici pateretur. Atque illi quidem cum patientia opprobria ferre debent, quia *non est servus major Domino. Si de mundo essent mundus quod suum est, diligeret* Sic multa dicteria sustinuit Teresa, ob suas revelationes & illuminationes cœlitus acceptas.

Mali quidam, Sanctorum revelationes rejiciunt.

Coloss. 1.

Joan. 15.

Neque tamen hic dicimus facilè esse credendum omni visioni, aut revelationi piarum quamlibet mulierum, cum spiritus esse probandos dicat Apostolus, *an ex Deo sint.* Ideo Ecclesia multis modis has revelationes examinat, antequam probet. De qua re sic loquitur Sanct. Chrysol. serm. 79. *Quod Apostoli Dominum resurrexisse, mulieribus nuntiantibus, aut non credidisse, aut deliramentum judicasse referuntur, nemo graviter arguat. Alèe dubitat, qui altiùs credit: decipi non potest, qui non est facilis auditui. Ignavus nimis est, qui posit exemplum invenitur incautus. Peritia est, non segnities, cùm sensim veteranus incedit. Sic Adam novus citò cecidit, dum citò credit: & dum facilè dat aures ad mulieris auditum, se, suosque posteros pessimo addixit inimico. At veteranus Petrus fœminam non facile audit, fœminis nuntiantibus tardè credis, & ut veteranus deliberat, ne ut puer incurrat.*

Non omni revelationi etiam S. mulierum, credendum.

NOn solum passa est Sancta Teresa contradictiones ab hominibus, contra quos fortiter se gessit, & perseveranter, ideoque illas evicit; sed etiam ab ipso Satana mirè fuit divexata, quem tamen virtute crucis, cui ex toto corde fidebat, semper superavit. Cùm sæpius raptus pateretur, extases, visiones, conabatur his sese immiscere Diabolus: ideoque timor nonnullus quandoque eam invadebat, ne fortè deceptio aliqua hic intercurreret. Sed ipsa à Deo illuminata, & à spiritu ejus confortata, sic seipsam alloquebatur: *Quid est hoc? quid times? Ego desidero servire Domino, & non aliud quàm nisi ipsum, & ejus objquium ac beneplacitum; nec in alio me quiescere posse intus mihi est testis secura conscientia. Igitur cùm ipse ejus sint mancipia, cur ergo ejus ancilla timorem concipiam? aut quid mihi mali inferre possunt? Quin potius resumo animum, contra infernum totum dimicando, & vires ejus ac portas subvertendo.* Hæc secum ipsa. Sicque prælibatur prælia Domini mulier hæc fortis, *Mater & Dux in Israel*, intrepida contra omnes hostes invisibiles, *contra spirituales nequitias, contra Principatus & Potestates, Rectores tenebrarum harum.* Atque ipsa fatetur de se: *Accipiebam crucem in manu, & tales animos mihi cœlitus addi persentiebam, ut armata hac cruce provocarem omnes tartareas legiones, audens hac pronuntiare invicto spiritu: Venite nunc omnes contra me; cum ancillam suam me Christus elegerit, videbo quid contra me valeatis.* Addit deinde ipsa: *Absque dubio magis eis eram terrori, quàm ipsi mihi. Atque ex eo tempore omnis à me abscessit timor; ita ut non magis quam muscas, formicas ac culiceseos vererer.* Et vere quando contemnuntur, vires non habent, nec ullis nocent, nisi qui se eorum tradunt potestati. Nam propriis armis nostris pugnant contra nos, armis scil. quæ eorum tradimus manibus per pravam voluntatem. Sic dixit S. Gregorius: *Dæmon, si non resistis, Leo est; si resistis, formica est.* Atque utinam dicebat S. Te-

PARS III. *Quomodo S. Teresa ab ipsa vitata fortiter fuerit.*

Vita ab ipsa ejus mancipia.

Ibid.

Dæmones contemnuntur, viri non habent, nisi eorum tradimus voluntatem.

resa, timeremus quod timendum est. Certe agnosceremus clarè, plus nobis mali accidere posse ex uno peccato veniali, quàm ex eo toto inferno. Sic loquebatur bellatrix hæc inclyta, Debbora nostra, *docens manus nostras ad prælium, & digitos nostros ad bellum*, simulque admonens in Cruce totam nostram fortitudinem & gloriam consistere, tamquam in armis & insigniis Imperatoris nostri; ideo & in his armis gloriabatur ipsa mirificè. *Psal.143.*

Admirabile est, & memoratu dignum, quod circa eam quâdam die gestum legimus. Habebat ipsa crucem in Rosario, quam frequentissimè oculis cordis & corporis inspectabat. Dominus ex ejus manibus hanc accepit; sed mox reddidit mirè immutatam. Videbatur enim confecta ex quatuor lapidibus pretiosissimis, & in uno illorum quinque ejus vulnera artificiosissimè incisa. Dixit verò ei Christus, quod exinde eam crucem sic semper cerneret. Ita factum est. Nam non amplius cernebat lignum ex quo crux confecta erat, sed solum lapides illos pretiosos & vulnera Salvatoris in uno incisa, quamvis alii crucem conspicerent ligneam, ut antea. Nec miteris eam ut ligneam aliorum obtuitibus objici, ut gemmeam vero ab ipsa conspici; nam sic dona sua abscondita quibusdam, *Deus absconditus, Deus Israel Salvator, revelat* quibusdam abscondit. Quod etiam alias contigisse ex Ecclesiasticis constat historiis. Sic S. Catharinæ Senensi à Christo datus est annulus cum gemma aurea, quem sola ipsa videbat, teste Raymundo ejus Confessario, licet ejus in digito permaneret. Sic S. Cæciliæ duas coronas ex liliis & rosis tulit Angelus, quas ipsa & Sponsus ejus Valerianus videre digni fuit. At postmodum Tiburtius frater earum odorem persensit, ut ad castitatis & martyrii gratiam pertingeret hâc fragrantiâ illectus. Sic quoque S. Clemens vidit agnum pede suo fontem ostendentem; cæteri tamen Christiani, hoc fonte gavisi, id non viderunt. Denique sacrificanti S. Martino apparuit globus in capite, nec eum vidit nisi Virgo una, unus Sacerdos, & tres Monachi. Ergo non mirum sit, quod servis & ancillis suis favores quosdam præbeat Deus, quibus soli fruantur? sicut de cruce ista S. Teresæ dicimus, quæ & postea miraculis claruit, ut testatur Franciscus Ribera vitæ ejus lib. 1. cap. 11. Quid verò hac crucis absconditâ mutatione istud significare voluit Dominus, nisi quod cruces, afflictiones, mortificationes, persecutiones, in quibus gloriabatur, gemmas ei parerent gloriosas? Si totus ejus amor & ardens desiderium erat in cruce, & in Jesu crucifixo spinisque coronato: tota gloria futura erat postmodum in fruitione, & corona plusquam gemma & rosea Jesu, in regio suo throno ad dextram Patris considentis, & æterna bona pro momento laborum tribuentis.

Favores quosdam speciales Deus sæpe suis ostendit.

Ribera l. 1. c. 11. vita.

Exemplificatur.

Afflictionum tolerantia gemmas parit gloriosas.

Neque à proposito nostro alienum est, quod Debbora, mater in Israel, sedere solebat sub palma, dum ad eam accederet populus Dei, quærens judicium. Palmaque illa, *Palma Debbora* vocabatur. Sic & Debbora nostra, nostra mater in Israël, solita est sub crucis palma sedere, exquirens à Domino scientiam salutis, quam posset in alios transfundere. Meritò te crux vocari potest, *Palma* TERESÆ, quandoquidem sub illa sedebat, tamquam sub arbore vitæ, & Arbore scientiæ veræ, ad discernendum bonum à malo, malum à bono. Hæc est Palma Carmeli, sub qua sedent, quiescunt, omnigenæque consolationis fructum carpunt, qui se Carmelitas dicunt, & filios matris hujus in Israël. Imò ad imitationem matris suæ crucem & Crucifixum super pectus nocte dieque gestant; ut meminerint se toto corde illum debere diligere & sequi, qui pro ipsis fixus fuit in cruce, quippe illam ascendit tamquam palmam suam, per quam de hostibus fortiter debebat triumphare. *Debbora sub palma sedet S. Teresa sub cruce Judic. 4.*

CONcludamus, & dicamus, quod mater hæc, Dux in Israël fortis fuerit non solum contra hostes sed etiam contra Deum. Quomodo contra Deum? Audi de Moyse, quam fortis contra Deum fuerit, dum ei vindices quodammodo manus ligat, ita ut cogatur dicere: *Dimitte me, ut irascatur furor meus.* Attende Jacob luctantem totâ nocte, & protestantem: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Confortatus est*, inquit Ozeas Propheta, *& invaluit ad Angelum & flevit.* Nempe fletu, oratione, pœnitentiâ luctantur Sancti cum Deo, ejusque misericordiæ vim quandam inferunt. His nocte dieque Teresa luctabatur cum eo, nec dimittat, nisi petitam ab ipso benedictionem extorsisset. Sciebat quod his vincitur & vincitur Deus, ac quodammodò vulneratur amore nostro. Triumphat de Deo amor Dei: triumphat de Deo amor noster. Hæc est *via victa ad violentiam, violenta ad victoriam.* O felicem victoriam amoris divini, in qua sic prævalet homo contra Deum, ut tamen sine vulnere non recedat! Sic prævaluit Teresa, nec tamen sine vulnere fuit. Notum est enim de jaculo divino & ignito cor ejus transfigente, ut Deus in corde ejus signa figeret perennatura felicis certaminis & victoriæ. Poterat ergo dicere cum Francisco Teresa: *Conclusio.* *Exod. 32.* *Gen. 32.* *Ozeæ. 11.* *Bernard. in Cant.*

Urit amor, me torquet amor, sum factus amoris
Alter amor; nostri est victor amoris amor.

Utique felix victoria & certamen, in quo uterque vincit, uterque vincitur; in quo nec victor recusat dici victus; victusque potest dicere se vicisse. Tale fuit prælium, talis victoria inter Deum & Teresam. Dicebat ille: *Vulnerasti cor meum soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum, in uno crine colli tui, in uno oculorum tuorum.* Dicebat ipsa: *Vulnerata charitate ego sum: Et cum Propheta dicere potuit. Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam, misit in me filias pharetræ suæ.* Ecce rursus illud quàm verum sit, manifestum & hic: *Nova bella elegit sibi Dominus.* *Cant. 4.* *Cant. 5.* *Thren. 3.*

Denique, & hoc dicendum est, non defuisse S. Teresæ certamina multa in finem usque vitæ, in

usque ad mortem.

quibus semper vicit. Nam & in extremo spiritu certavit, & vicit legiones tartareas, adjuta viribus Angelorum, & decem millibus martyrum, quibus erat devotissima. Hi enim fortes pro Christo bellatores ei adfuere in morte, prout spoponderant ipsi, dum quondam eorum festivitatem magnâ celebraret pietate. Nec abfuit in hoc ultimo prælio MARIÆ & JOSEPH auxilium, quibus ab ineunte ætate obsequium devotissimum obtulerat, in quibus & post Christum totam fiduciam collocarat, hunc in Advocatum & Patronum, illam in matrem sibi eligens. Undique ergo cœlesti munita præsidio, nihil potuit timere in extremo hoc certamine: licet tunc inferi omnes exerant vires, & totam Satan iram

Apoc. 12. suam effundat, & impetum, *sciens quia modicum tempus habet.* Sed potuit cum S. Martino dicere: *Quid hic adstas cruenta bestia? Nihil in me funeste reperies, tartareis te tenebris remerge cum confusione tua.* Sic nempe in portis mortis existens, portas hostis confregit, hoc est, vicit omnes ejus vires &

Psal. 26. machinas. Atque in ipsa verum est: *Non confundetur, cum loquetur inimicus suis in porta.* Illud quoque quod de muliere forti scriptum est, in ipsa locum

Prov. 31. habuit: *Fortitudo & decor indumentum ejus, & ridebit in die novissimo.*

Ad hanc igitur Ducem & mulierem fortem recurrant fideliter quicumque sub vexillo crucis certant contra vitia & peccata, contra tentationes Dæmonis insultus. Quia etenim in omni certamine victoriam retulit, hoc ipsum apud Deum promeruit, ut possit efficaciter *auxiliari his qui tentantur*, si ad ejus patrocinium accurrant. Ejus quoque opem implorent illi, quorum professio est Christo generare filios; hæc enim fœcunda mater in Israël est, mater generationis timentis Deum, omnibus præbens exemplum, quomodo concipere debeant & fovere Spiritum Dei, & zelum animarum.

EODEM FESTO.

LECT. 56. *tripartita.*

Pone me ut signaculum super cor tuum, &c. Cant. 8.

PARS I. *Quemodo Deus S. Teresam in pueritia vocaverit & ut signaculum cordis ejus fuerit.*

VAriis modis Deus solet homines ad se allicere, quosdam melle dulcedinis, quosdam felle amaritudinis: quosdam trahit funiculis amoris, quosdam funibus timoris quodammodo compellit: *A timore tuo, Domine, concepimus, & parturivimus spiritum salutis*, dicunt quidam apud Isaiam: *In charitate perpetuâ dilexi, ideo attraxite, miserans tui*, dicitur apud Oseam. Et rursus: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Ecce mel dulcedinis, ecce suavitas lucis & pacis, ecce via amoris. Sed audi alium modum, aliamque viam amaritudinis & fellis: *Sepiam viam tuam spinis, & sepiam maceriâ, & semitas suas non inveniet, & dicet. Vadam & revertar.* Hæ spinæ, sunt angores & remorsus conscientiæ, aliæque afflictiones, quæ ad Deum

Isa. 26. *Osee 11.* *Osee 2.*

cogunt reverti, & viam aliam inire. Felices interim, qui quâcumque viâ, quocumque modo, vel funiculis delicatulis, vel funibus præduris Deum trahentem sequantur.

Quomodo S. Teresam ad se Deus primò traxerit.

Utroque modo Deus ad se traxit S. Teresam, ut ipsa fatetur in descriptione vitæ suæ. Primò quidem scintillas divini amoris cordi ejus immittebat jam à pueritia, cum annum ageret octavum, vel nonum, & hæ quidem scintillæ subluescebant, & igniculum in ejus corde accendebant. Hinc mirè afficiebatur lectioni piæ, & maximè lectioni vitæ Sanctorum Martyrum. Hinc vacabat pro captu & ingenio cum quodam suo fratre, ætate vix eam superante; & admirabatur, intelligens quod illi pauca pro amore Dei passi, in divinæ mox gloriæ consortium transiissent; videbaturque ei quod exiguò sanè pretio cœlestis illius gloriæ fruitionem emerent. Quapropter & ipsa ingescebat, accendebaturque in ea desiderium pro Christo moriendi, ut his frueretur bonis, quæ legebat in cœlis reposita his qui pro amore Dei paterentur. An non tibi videtur in illa adhuc tenera ætate illud ex ore Domini cordis auribus percepisse, *Pone me ut signaculum super cor tuum, quia fortis ut mors dilectio?* Desiderium enim illud ignitum jam cordis ejus erat quoddam signaculum, quo obsignaretur Sponso æterno hæc renella Sponsa.

Teres. vitæ suæ cap. 1.

Cant. 8.

Initia pietatis & dilectionis S. Teresæ Jesum.

Immò quia desiderium illud non sine quadam efficacia erat, jam conferebat cum fratre de mediis quibus possent ad Martyrium pertingere, & amorem in corde latentem effectu demonstrare. Subibatque pueriles eorum animos haud puerile consilium, de eundo peregrè ad Mauros infideles, stipem petendo & eleëmosynam, ut ipsi intelligentes hos esse Christianorum filios, propter fidem capite mulctarent, aut sanguinem eorum funderent; & quidem videbatur eis esse ad id sufficiens animus, si modò impedimentum à parentibus non naseceretur. Ecce, non solum ponebat super cor suum signaculum sponsi, sive ipsum sponsum, sed etiam ponebat super brachium suum, quia fortis ut mors dilectio jam in ea inchoabatur. Sicut per cor desideria, ita per brachium effectus & opera designantur. Ipsa itaque non conceperat desiderium inane pro Christo patiendi, sed illud ad effectum deducere, quoad in se erat, penetrabat. Et quia impediebatur à parentibus carnis, ad patrem spirituum sese cum fratre convertebat, & ad JESUM Sponsum suum, mire exiliens in spiritu, dum audiret gloriam illam esse æternam, quam promisit diligentibus se, & patientibus pro dilectione sua. Quapropter æternitatis gloriæ hujus quodam gustu & promulside illecta, repetebat cum fratre, continue quasi in choro: *In æternum, in æternum, in æternum in æternum cum Christo gaudere, ô quàm desiderabile! O nullus labor, nullus dolor, nulla sanguinis profusio pro hac æternitate detrectanda! O felix tempus, quod in gaudii hujus æterni memoria & prægustu impendimus.*

&c.

Sic alliciebat eam dilectus, se imprimens cordi ejus, & brachio ejus, ut signaculum. Sic & ipsa alliciebat ad se dilectum sacris adspirationibus, ardentibusque desideriis & alloquiis, pro ipso pati optans, vel etiam cruorem fundere. Meritò, vel in hac tenella ætate, de ipsa dicere possumus, quod olim de Sponsa Sponsus: *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce?* Quare sicut vitta; Quia vitta alligare solet & attrahere, ac concludere, quod diffluere posset & dispergi sic labia divini amoris colligabant sibi Sponsi amorem, ne difflueret aut abiret. Quare sicut *vitta coccinea?* Quia cogitatio ejus omnis & desiderium rubeo passionis colore tingebatur, ac de hac re cum Sponso erat ejus alloquium. Verè ergo eloquium dulce, quod de amore tractat & passione; instar funiculi coccinei trahit ad se *Sponsi Sanguinum* dilectionem. De hac re Gillibertus Abbas serm. 24. in Cantic. sic effatur: *Non decent Sponsam nisi verba dulcia, verba amoris, verba qua delicati funiculi vice fungantur, verba qua Sponsum irretiant, & trahant vinculo charitatis. Felix anima qua novit hujusmodi dulcium verborum nectere retia, quibus* JESUM *illaqueet, alliget verbum Patris, animi affectibus vel affatibus Christum includat.* Ita ille.

Quomodo labia S. Teresa sint sicut vitta coccinea. Cant. 4.

S. Teresa excrescens ex convictu suorum tepida.

Hæc quidem fuere initia pietatis & dilectionis erga JESUM in Teresæ corde cœlitus sata. At postmodum increscente ætate, fervor cepit tepescere ex consuetudine mundana & vana domesticorum & consanguineorum, prout ipsa fatetur. Exemplo enim matris, & domesticorum, & aliorum sanguine sibi junctorum, curiosos & vanos libros legens, exteriorique studens ornatui, & consortia sectans mundana, non potuit non contrahere pulverem vanitatis, qui & ignem charitatis primævæ sopiebat, & pietatis veritatem obscurabat. Quod quidem ipsa deplorat monens parentes, ut prolibus advigilent teneris in annis & flexibili in ævo; quia conversatio vana plurimum illis aspergit fœcis & vanitatis mundi, & non parum affert nocumenti & periculi. Libri quoque quidam curiosi, licet non videantur tractare impura, sed solum quædam animum relaxantia & adiaphora: tamen plurimam secum trahunt vanitatem, stylo & narrationibus vanissimis mentem illectantes, & inaniter oblectantes; ita ut spiritui Veritatis obicem ponant, & cor claudant, sicque animum sæculo immergant, qui natus est cœlo. Tales sunt qui passim teruntur à puellis & adolescentibus, *Les Amadis, Les Astrees &c.* Certè in his latent scintillæ & atri pulveres, suâ fuligine animum obfuscantes, & fumum, si non impietatis, certè impuræ vanitatis involvunt. Ideoque vitandi sunt & dissuadendi, quia sicut fumus apes, ita fuliginosi illi libri gratiam fugant Spiritus S. Hocagnovit tandem S. Teresa, &c idcò monet tenellas Virgines seriò, ut ab his abstineant, ne pœnitentiam seriò.

Libri curiosi quantum obsint.

SEcundò itaque traxit Teresam Deus quasi quibusdam funibus, & è lacu vanitatis extraxit, ne infigeretur in limo profundi.

PARS III. Quomodo Deus S. Teresam insolito à vanitate retraxerit.

Missa fuit à Patre in quoddam Monasterium, ut ibi cum sodalibus coævis institueretur; in his quibus solet ætas adolescentularum erudiri. Illic rursus ei ad salutem lux nova affulsit, sæculi vanitatem demonstrans, laqueosque & pericula, quibus facilè potuerat involvi; conscientiæque quoque angoribus eam perterrens. A timore ergo Domini, cœpit novum concipere spiritum salutis, verita periculum damnationis. Hocipsa enarrat c. 3. vitæ suæ. Ibi rursus assuescere cœpit pietati, sed non sine conflictatione gravi. *Status religionis*, inquit ipsa, *mihi certior videbatur; sed cùm ad illum me dum inclinarer, cœpi vim aliquam mihi inferre, ut illuc voluntatem flecterem, tribusque mensibus in quodam conflictu fui contra meipsam. Hæque ratio finem dedit conflictui, quod pœnæ & afflictiones toleranda in religione, non possent esse graviores pœnis purgatorii aut inferni. Cùm ergo meruissem jam infernum, dicebam non debere mihi esse grave, si reliquum vitæ meæ transigerem velut in purgatorio, & sic postmodum regnum cœlum peterem.* Vario itaque timore eam ad se trahebat Deus, ut funiculis vanitatis, non tam dissolutis, quàm disruptis, sequeretur veritatem: quæ licet quandoque ab ea amata fuerat, non tamen videbatur amata. Multum verò adjuta fuit conversatio ne familiari cujusdam Religiosæ timoratæ quæ ei continuò loquebatur de Deo, ac rebus divinis, enarrabatque se ideo maximè Religionis statum adsumpsisse, quod ex Evangelio audivisset, & cordi illud firmiter appressisset: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Hoc igitur sancto reprobationis timore illa animum Teresæ concutiebat; ita ut paulatim in ea revivisceret scintillæ & desideria pia, igniculique primæ ætatis, jamque lectio priorum librorum rursus animo ejus suavitatem instillabat, & ad cœlestium amorem stimulabat. Sic variis modis suos vocat Deus, & ad se è periculis revocat. Sic variis viis novit lucem spargere, & æstum charitatis in multos dividere: *Dic Varicè ubi mihi qua via spargitur lux; aut dividitur æstus super mines ad terram?* Rursus ergo cum luce hanc vocem audiebat Teresa Sponsi sui ad cor loquentis: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis ut mors dilectio*; nimirum usque ad mortem & post mortem perdurare debet. Quasi eam verbis Apocalypsis moneret Sponsus: *Charitatem tuam primam reliquisti. Memor ergo esto unde excideris.*

Deus variè ad se trahit Teresam.

Nec surdis hoc auribus excepit; quæ triplici post S. Teresa modum sigillo votorum solemnium cor suum & religiosam brachium suum munivit: in memoriam & bonorem perennem Sponsi, illi sæcum dedicans in statu religionis. Hoc triplici funiculo, qui difficilè rumpitur, illi se colligavit, qui eam segregaverat ex utero matris suæ. Nec tamen id fuit sine luctu gravi, in qua reluctandum erat adversus carnem & sanguinem.

Tres. vitæ suæ c. 3.

S. Teresa rursus pristinati adjuta fit.

Teresæ vitæ suæ c. 4.

sanguinea. Cùm enim inquit ipsa, resolvissemus una cum fratre, ad religionis statum capessendum, è domo paterna eodem die discedere, memini me in hoc discessu tantum doloris persensisse & angoris, ut existimarim in veritate me in hora mortis ampliorem sentire non posse. Videbantur enim mihi omnia ossa mea ab invicem divelli; quia amor Dei necdum erat sufficiens ad oblivione sepeliendum amorem Patris, & parentelæ ac sanguine conjunctorum. Hinc tantam vim ea in re mihi inferebam, ut specialis Dei gratia mihi foret per necessaria, aut aliàs ulteriùs progredi, & propositum exequi haud valerem. Itaque prævaluit carni & *Psalm. 44.* sanguini in Teresa vox illa Sponsi: *Audi filia & vide, inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum Patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum.* Prævaluit & illa ejusdem vox, idemque significans: *Pone me ut signaculum super cor tuum, super brachium tuum, quia fortis ut mors dilectio.* Mors quædam civilis fuit, dicessio à paterna domo, quâ renunciabat omni affectui terreno, ut jungeretur cœlesti Sponso: sed instar mortis naturalis ei interiùs exteriùsque inflixit dolorem. Prævaluit tamen dilectio, quæ ut mors fortis est, imò morte fortior.

PARS III.

Quâ sublimi amore Deus cor S. Teresæ repleverit.

TErtiò, ad sublimiora adhuc eam vocavit & traxit Deus funiculis amoris perfecti: ita ut non contenta sese adstrinxisse votis castitatis obedientiæ, paupertatis, ulteriùs votum addiderit antea inauditum, & penè inimitabile, se in quacumque re facturam quicquid perfectissimum foret & optimum. Deoque honorificentissimum. An poterat ejus erga Deum amor ulterius progredi? An hoc se voto poterat constringere, nisi illuminatissimis prius oculis è cœlesti luce, & prævia speciali Dei directione? Verè Domine, de te scriptum est meritò: *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* *Psal. 75.* O quanto lumine sapientiæ & scientiæ salutis hanc sponsam tuam illuminare voluisti, ut & aliis lucem præberet, & quasi in candelabro lucens & ardens, splendorem & ardorem communicaret omnibus qui in domo sunt!

S. Teresa præter tria religionis vota quartum addit.

Itaque non sufficit ei obtulisse velut triplex holocaustum, per triplex Religionis votum, sed & quartum omnium perfectissimum holocaustum offerre voluit, per nobilissimum, votum, dum in qualibet respondet se facturam id quod erit perfectius. Imitata est Sponsum suum Christum quoad potuit: qui semper perfectissimè est operatus, & *Joan. 8.* de his quæ concernunt gloriam Patris, dicit: *Quæ placita sunt ei, facio semper*; quidque ei se suaque omnia in holocaustum undequaque perfectum obtulit. Magister ipse primus, primumque exemplar consummatæ virtutis. Ipsum ergo posuit Teresa, ut prototypum super cor suum, & super brachium suum voluntatem & omnia opera sua perfectissimè ei vovens; ita ut sicut Christo Sponso, ita & huic Sponsæ ardenter amanti illud specialiter conveniret: *Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi.* *Psal. 44.* Quod melius verbum posset cor eructare, quam sese voto & promisso ad perfectiora quæque in gratiam Regis æterni obstringere? Quid perfectius, quàm opera præstantissima ei jugiter velle dedicare & consecrare? Certè id nemo vovere valet, nisi is cui hoc Deus specialissimâ gratiâ posuerit in corde, cujusque brachium continuò in operatione sancta dignatur dirigere. Opus est hic: *Digito & Spiritu Dei*, opus est *Dextra Excelsi.*

De hac porro ope & directione cœlesti diffidere non potuit hæc sancta & sincera Dei dilectrix, quæ pro pignore & archa specialis dilectionis & directionis divinæ jaculum ignitæ cuspidis, ignitique amoris, exceperat pleno corde & pectore. Rem sic enarrat ipsa: *Placuit Deo hanc semel mihi visionem exhibere. Videbam Angelum sinistro meo lateri jaculo propinquum, miro decore fulgentem, in formæ corporali, vultuque flammeo. Videbatur que mihi ex illis spiritibus esse qui toti ignei sunt & accensi, forte de his qui Seraphini dicuntur. Gerebat autem manu jaculum aureum & latum cum cuspide ignita: Hoc jaculum aliquoties visus est figere cordi meo, & viscera omnia transvadere, ac extrahere. Tanto verò junctim amore & dolore me inflammatam relinquebat, ut in gemitus & lachrymas penitus solverer. Sed hujus dolori & amori admirabili consortio ita indicibilis suavitas jungabatur, ut non possem non amare hunc dolorem pœnamque meam, & talem transfixionem non desiderare: quæ affectum omnem à rebus omnibus creatis abstrahens, in Deum, & ejus amorem totum illum transferebat.* Hæc ipsa. S. Teresa ignita cuspide Angelum armatur.

Tali nempe visione, talique interius exteriusque confixione, repræsentabatur ei vis ignita charitatis, animum sacro vulnere transverberantis, efficaciaque sua mirè animum inflammantis; quia donum Seraphicum est. Hoc donum cœlitus accipiebat ab illo de quo scriptum est: *Ignis consumens Dominus Deus tuus.* *Deut. 4.* Ab illo de quo & Sponsa ait: *Lampades ejus, lampades ignis, atque flammarum.* *Cant. 8.* Sive ut alia lectio habet, *Ala ejus, ala ignis. Sagitta ejus, sagitta ignis flammæ Dei.*

Nempe, ignis ubique discurrit citissimè, & scintillas in altum emittit velocissimas. Sic zelus in Teresa à Deo accensus mox orbem pervasit, variis in locis monasteria ædificans, & omnes ad divinum amorem ignito eloquio suscitans. Itaque in illa adimplebatur illud quod S. Greg. hom. 34. in Evang. de quibusdam perfectis dicit: *Qui superna contemplationis facibus accensi in solo conditoris desiderio anhelant, nihil jam in hoc mundo cupiunt; solo æternitatis amore pascuntur, terrena quæque abjiciunt, cuncta temporalia mente transcendunt. Amant & ardent, loquendo & alios accendunt. Quid ergo istos nisi Seraphim dixerim, quorum cor in ignem conversum luces & urit, quia & mentes illuminant, & eos compungendo in fletibus, vitiorum rubiginem purgant?* Talis fuit inter viros Franciscus, Seraphicus Zelus S. Teresæ & aliorum.

Pater

Pater dictus. Talis Dominicus, cujus verbum ut facula ardebat. Talis S. Carolus, ignem Christi mittens in terram, quem vehementer optabat accendi. Talis Ignatius de Loyola, cui pro cœlesti augurio hoc anagramma inscriptum legimus, ob ardorem quo flagrabat, & omnes accendebat:

IGNATIUS DE LOJOLA,
O IGNIS ADEO ILLATUS!

Talem & inter mulieres rectè censebis S. Claram, cujus ortus luce & igne cœlesti designatus fuit, quia frigido & tenebroso suo sæculo lucem fundere debebat & ardorem. Talis Catharina de Senis, omnes cum ardore convocans ad regnum Dei, & ad perfectionis verticem. Talis & Brigitta, ex cujus ore visus est ignis, in quatuor orbis plagas se diffundens. Talis denique nostro sæculo fuit B. Teresa, igne divino sic succensa, ut dici merito possit: *Mulier Seraphica, Materque Seraphica*, cujus ardor adhuc hodie perdurat, & agnoscitur in ejus sequacibus.

S. Teresa desiderio Deum videndi flagrat.

Cæterum, hic amor augebatur in ipsa de die in diem, tamquam ignis qui semper ascendit & increscit, intolerabileque desiderium Deum videndi in ejus anima producebat, adimplebaturque in ipsa illud Canticorum, in Epithalamio amoris divini: *Nuntiate dilecto, quia amore langueo.* Illud quoque: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, quia vox tua dulcis, & facies tua decora.* Videbat mihi mori, inquit ipsa, desiderio Deum videndi; & nesciebam ubi deberem reperire hanc vitam, nisi per mortem; nihilque, nisi Deus ipse, poterat desiderio meo ardenti satisfacere. Quod mihi tantam languoris violentiam inferebat, ut anima mea à corpore divelli videretur, vitamque perlubens amisissem pro amore Dei. Sic vulnerata amabili plagâ in visceribus cordis, & quasi sagitta corde transfixa, ô quoties memineram illius: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus! Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei?* Hoc certè videbam impleri in me ad litteram. Ita ipsa de se: Sic rursus patescebat in ipsa quàm verum sit: *Fortis ut mors dilectio.*

Cant. 1. & 2.

Teresa c. 29. vitæ suæ.

Psal. 42.

Cant. 8.

Sed quid est quod subditur: *Dura sicut infernus æmulatio?* Nimirum ignis ille divinus, & jaculum, tantum zelum in ejus corde produxerant erga animas pereuntes, ut quidliber pro illis pati optaret, si vel unicam posset revocare. Ipsos inferni dolores in finem usque sæculi tolerare parata erat, si sic animas juvare posset. Dicebat cum Apostolo: *Continuus est dolor & tristitia magna cordi meo; veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium perhibente mihi conscientia mea in Spiritu sancto. Optabam enim ego anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Dicebat quoque cum Psalmista: *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Et hic zelus maximè sese exerebat erga hæreticos, ad quorum conversionem omnem suum

Rom. 9.

S. Teresa zelus conversionis animarum.

velli sui Ordinis rigorem, pœnitentias, austeritates, orationes, vigilias, & dura quælibet voluit ordinari; ut hâc ratione cooperatur his qui eis reducendis & convertendis verbo & opere incumbebant: Cùm enim tunc Lutheranismus Ecclesiam infecere cœpisset, videns errantes & prævaricantes, tabescebat, & zelo miro æstuabat: ut quaquâ posset operâ, eos ab inferis revocaret. Verum erga fuit in ipsa illud: *Dura sicut infernus æmulatio*; quando quidem parata fuerit? pati durissima quæque, ne infernus animas absorberet. O dilectionem fortem! ô æmulationem & zelum vehementem, qui & hoc unicum à Deo tandem perebat, AUT PATI, AUT MORI, ut in ejus vita fusiùs describitur.

V. Riberam in vita Teresæ.

TRansfige, dulcissime JESU, cum S. Teresa medullas & viscera animarum nostrarum, salubertimo amoris tui vulnere, sanctaque charitate, ut langueant animæ nostræ solo tui desiderio & amore. Procul Cupido profanus, qui alatus est, pharetratus, nudus, sed cæcus. Tu ô Deus & Cupido sacri amoris, alatus es alis ignis, in pharetra geris igneas sagittas, in Cruce, nudus es, & ibi arcum extendis; sed nequaquam cæcus es nec cæconos amore transfigis. Sed scis quos tangis, eosque illuminas & accendis, ut te quærant, inveniant, meditentur, & loquantur, & tandem luce æternâ perfruantur.

Conclusio.

EODEM FESTO. LECT. VII.

Misericordias Domini in æternum cantabo.
Psalm. 88.

SAnctis nonnulla adscribi solent specialia elogia seu familiaria, vel eorum aliquam specialem gratiam designantia.

De elogio S. Teresæ adscripto.

Sic S. Bernardo, inter brachia sua Passionis Christi instrumenta complectenti affectu tenerrimo, adscribitur hoc Elogium: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*, Nempe in his verbis, rememorando passiones varias Christi, deliciabatur.

Cap. 1.

Sic S. Francisco adscribitur, *Deus meus, & omnia.* Quia sæpè multas noctis horas hoc ruminando transigebat. Adjicitur illi & illud: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*; quia perfectè hoc in ipso adimpletum fuit.

Elogia diversorum Sanctorum.

Gal. 6.

Sic S. Bernardino illud assignatur; *Pater manifestavi nomen tuum hominibus, nunc ad te venio*: quia gloriam nominis JESU toto promoveat orbe; & dum id cantaretur in choro, expiravit, ad Deum vadens.

Joan. 17.

Sic S. Dominico adscribi potest illud: *Verbum ejus quasi facula ardebat*: quia mater eum concipiens, visa est sibi utero habere catulum, orefacem gestantem, & orbem incendentem.

Eccli. 48.

Sic S. Bononi attribuitur illud: *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine.* S. Ignatius Loyolæ illud

Psal. 54.

illud sibi vendicat: *Ad majorem Dei gloriam.* S. Xaverius illud: *Satis est, Domine, satis est.*

Sic S. Carolo Barromæo illud ascribi potest: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo Exercituum*; quia mira passus est ob zelum ardentem gloriæ Dei & Domus ejus. 3 Reg. 19.

Sic S. Philippo Nerio appropriant illud: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum:* quia ob fervorem divini amoris exsilientis, costa ei juxta cor dilatata dicitur. Psal. 117.

Denique, inter mulieres Magdalena pro suo Elogio illud circumfert: *Quia dilexit multum.* Samaritana illud: *Domine, da mihi aquam.* At S. Teresæ illud adscribitur: *Misericordias Domini in æternum cantabo.*

Nempe solita erat immorari in consideratione seria multiplicis misericordiæ Dei, cum erga salutem hominum generaliter, tum erga se speciatim; & in hac crebra meditatione *exardescebat ignis, & concalescebat cor ejus*, & sic cum Psalmista discebat illud sæpius corde & ore revolvere in spiritus fervore: *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Et illud: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Quæ postrema verba, *Quoniam in sæculum misericordia ejus*, quinquies repetit in Psalmo 117. non sine emphasi & energia. Nec hac repetitione contentus, in Psalmo 135. ad singulos versus illud ipsum repetit, & inculcat vigesies septies: *Quoniam in æternum misericordia ejus.* Ad singula scilicet beneficia illud resonat, & ruminandum docet, quandoquidem misericordia miseris suaviter sapere debeat, crebrò labiis cordis & oris revoluta. Equidem omnia divina attributa & perfectiones pia consideratione dignæ sunt, & non possunt non sapere bonæ menti, eamque afficere & reficere: At *Misericordia miseris suavius sapit, dulcius afficit*, inquit S. Bernardus. Et certe illa primatum quendam tenere censetur inter cætera Dei attributa. Sicut Principes in suis Stemmatibus solent collocare omnes titulos, omniaque Insignia Nobilitatis suæ: id tamen, a quo Familia majorem sortitur nobilitatem, vel primo loco, vel in medio constituitur, ut cætera circumstent: Sic dicere possumus, divina Insignia & Stemmata esse Dei Perfectiones varias, Potentiam, Sapientiam, Magnificentiam, Justitiam; sed primarium locum Misericordiæ attribuimus, quia etiam primum est objectum, quod lubentius, ob miserias nobis aguatas, quibus subvenit, intuemur. Hinc & Moyses, quando in foramine petræ transeuntis Dei gloriam inspiciebat, mox in Dei Misericordiam oculos & mentem figit, quasi elucentem inter omnia; ideoque exclamat: *Miserator Domine Deus, & misericors, & clemens, & multa miseratio-num millia his qui diligunt te.* Hunc subsecutus & imitatus Rex & Prophera, inclamat: *Et tu Domine Deus miserator, & misericors, & patiens, & multæ misericordiæ, & verax, respice in me.* Attende

Inter attributa Dei, Misericordia primatum tenet.

Exod. 34.

Psal. 85.

quot verbis idem significantibus uterque Dei Misericordiam invocat & exprimit, ut illam cordi nostro imprimat, & pariter invocare doceat. Cum enim dicitur, *Misericors, & miserator, ac multæ miserationis & misericordiæ*, non aliud significatur, quam summe misericors, omneque genus misericordiæ erga nos copiosissime & profusissime exercens.

Ab his ergo S. Teresa didicerat Misericordiæ Domini decantare, ruminare, propalare toti Orbi. Considerabat frequenter in spiritu divinæ Misericordiæ admirabiles dimensiones, longitudinem, latitudinem, sublimitatem, profunditatem: & rapiebatur in ferventem gratiarum actionem, & mellitam tantæ misericordiæ laudem.

1. Considerabat longitudinem, quæ in hoc consistit, quod *ab æterno usque in æternum* sese extendat divina Misericordia; ab æterno per prædestinationem, usque in æternum per glorificationem. Ex quo Deus est Deus, Misericordia ejus super nos est, & durabit quamdiu erit Deus, ita ut sine principio & fine. Ideoque hoc considerans mulier sancta & sapiens, merito dicebat: *Misericordias Domini in æternum cantabo*; meritoque causam repetebat: *Quoniam in æternum misericordia ejus.* Et hac ratione omnes ad eundem cantum eandemque gratiarum actionem incitabat. *Misericordia longitudine.* Psal. 102.

2. Considerabat latitudinem, quæ in hoc consistit, quod erga omnes homines cujuslibet status aut conditionis se extendat. Omnes enim complectitur & suscipit Dei misericordia. Omnium miseretur, sive nobiles sint, sive plebeii, sive divites, sive inopes, sive parvi, sive magni. Tum quia opus Dei sunt omnes, tum quia amat animas, & ex amore oritur compassio erga eorum miserias. Quam utramque rationem insinuat Sapiens dum dicit: *Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt Domine, qui amas animas.* Rursus latitudo Misericordiæ in hoc consistit, quod ad omnia sese extendat peccata, quamlibet enormia, & quolibet numero multiplicata: non enim parcit septies, aut septuagies septies, sed parcit sine limite. Immo & in hoc Misericordiæ latitudo cernitur, quod ad omnes sese porrigat creaturas, quia omnes alicui subjectæ sunt miseriæ, vel ob defectum naturalem, vel ob voluntatis perversitatem. Huic autem miseriæ solus potest subvenire, vel mederi. Tanta ergo est latitudo, ut dixerit Psaltes: *Misericordia Domini plena est terra.* Et Sapiens: *Diligis omnia quæ sunt.* Hanc igitur latitudinem divinæ misericordiæ S. Teresa considerans, dicere poterat: *Misericordias Domini in æternum cantabo.* *Latitudo.* Sap. 11. Psal. 32. Sap. 11.

3. Considerabat sublimitatem, quæ consistit in donis ac beneficiis sublimibus ab ipsa promanantibus. Illa enim satis testantur, quam sublimis sit hæc misericordia, dum elevat nos ad sublimem dignitatem Filiorum Dei, ad hæreditatem Patris, *Sublimitas.*

ad

Psal.102. ad æternæ consortium gloriæ, ubi *coronat nos in misericordia & miserationibus.* Hæc omnia ponderans in pondere Sanctuarii Teresa, rursus in hunc erumpere poterat sonum jubilationis. *Misericordias Domini in æternum cantabo.*

Profunditas. 4. Considerabat profunditatem, quæ in hoc consistit, quod Deus profundissime sese humiliarit, ut efficacissime misereretur nostri. Suscepit enim nostram naturam, & ita profunde sese abjecit, ut descendere profundius non valeret: ita vero nos elevavit, ut altius non posset. Elucet quoque hæc profunditas misericordiæ in multis profundissimis mysteriis nobis exhibitis, in mysterio Eucharistiæ, & aliis. Denique, & in hoc quod profundissimo misericordiæ & sapientiæ suæ consilio, omnia nobis in bonum vertat, afflictiones, miserias tentationes, imò & ipsa peccata. Hanc ergo sine mensura misericordiam metiri cordis & intellectus sui qualibet consideratione non valens Teresa, iterum in vocem exultationis & salutis erumpebat: *Misericordias Domini in æternum cantabo.*

Et hæc quidem considerabat generaliter, tanquam concernentia salutem omnium prædestinatorum, quia ergà illos Deus multiplici genere misericordiæ utitur ab æterno usque in æternum: pro qua re misericordias Domini decantabat. Sed & pro se particulariter, quæ omnigenæ misericordiæ effectus in se experta erat, & indies magis ac magis experiebatur.

Misericordias Dei S. Teresa sæpius experta. *Primo* quidem, in pueritia misericordiam Dei prævenientem & excitantem experta erat, dum in lectione sacrorum librorum miram persentiscebat suavitatem, maximè legendo vitas Martyrum, qui brevi laborum compendio vitam æternam consecuti fuerant. Quapropter jam incipiens misericordias Domini decantare, repetebat cum cordis & vocis suavitate: *In æternum, in æternum, in æternum cum Deo gaudere?* Hæ erant primitiæ spiritus, & pignus ac arrha quædam adipiscendæ æternæ hæreditatis, qua eam donabat præveniens Dei, gratia & misericordia: ob quod quidem donum poterat ex tunc dicere: *Misericordias Domini in æternum cantabo.* 1.

Secundo, experta est Dei misericordiam excitantem, dum circa ætatis annum duodecimum, mortua Matre, ei inspiravit Christus ad Matris suæ imaginem venire in spiritu pietatis, & coram illa imagine *Matrem misericordiæ* in suam Matrem eligere. Hoc, ut ipsa fatetur, cum lachrymis multis effecit, humillime rogans, ut sibi jam pupillæ Matris loco dignaretur esse, & in omnibus dirigere. Quod quidem magna peractum simplicitate, sibi plurimum tamen profuisse testatur: unde Matris hujus amorem exinde studuit conservare, & nihil ei commendavit, quin obtinuerit. Cumque in Religione præficeretur jam Priorissa Sororibus, ut ostenderet quanti faceret Matris misericordiæ dilectionem & directionem, in sede 2.

Vitis florigera.

sua in Choro Imaginem Virginis Deiparæ collocavit, & eodomus claves tradidit, dicens: *Tua est domus, tua Religio, O Virgo! Ego nihil sum, tuum est eam regere; Tu Priorissa.* Hoc vero ita Virgini gratum fuit, ut paulo post viderit ipsa B. Virginem in eam sedem descendentem cum Angelorum multitudine. Totoque *Salve Regina* ibi præsedit Virgo, ac post ei dixit: *Recte fecisti me hic collocando. Ego semper adero, ut hic Filio præsentem laudes, quas hic Religiosæ decantant, & domus curam sum habitura.* Ita Ribera l.3.vitæ Teresæ c.1.

Tertio, experta est Dei misericordiam, circa annum ætatis vigesimum evocata à sæculo (ubi ei grande periculum, quasi in Babylone) ut salutem suam operaretur secure in Religione. Fatetur ipsa, sibi postmodum Christum ostendisse pericula, locumque sibi præparatum in inferno, nisi specialis Dei misericordia eam eruisset ab itinere sæculi discriminoso ita ut potuerit dicere: *Misericordia Domini, quod non sumus consumpti.* Errursus: *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea.* Denique & illud ei convenit: *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum, quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Hæc eadem vox est cum illa: *Misericordias Domini in æternum cantabo.* 3. Thren 3. Psal 93. Psal.85.

Quarto, experta est Dei misericordiam in Religione, ubi Dominus ei dixit illud: *Sponsabo te mihi in sempiternum, sponsabo te mihi in justitia & judicio, in misericordia & miserationibus.* Quid est, *Sponsabo te in justitia & judicio*, nisi justificando te, & judicando interte & eum qui te raptivam tenere volebat? Quid est, *Sponsabo te in misericordia & miserationibus*, nisi maximas misericordias tecum faciendo liberabo te à periculis & miseriis in quibus eras, donisque meis te ornabo, sicut Sponsi arrhas solent dare, & gemmis Sponsam ornare? Verè exornavit eam Dominus sublimibus misericordiæ donis, ad verticem perducens perfectionis, lumine replens sapientiæ cœlestis, ardore accendens charitatis, miraque per eam operans cum stupore totius Orbis. Denique, & eam mox à morte *coronavit in misericordia & miserationibus* secundum animam, secundum corpus verò etiam eam exornavit, quandoquidem ex illo oleum fluit in symbolum misericordiæ & spiritualis unctionis. Itaque, & in vita, & in morte, & post mortem merito potest dicere: *Misericordias Domini in æternum cantabo.* 4. Osea 2.

IN FESTO S. LUCÆ.

18. Octob.

Designavit Dominus & alios septuaginta duos, quos misit ante faciem suam. Luc.10. Lect.3. tripartita.

QUandoquidem per Evangelium de tenebris ad lucem reductus est mundus, meritò Evangelistarum gloriam celebrat populus Chri- Pars I. *De dignitate Evangelistarum.*

rianus Evangelistarum quoque dignitas post dignitatem Apostolorum in Ecclesia primas habet; ideo sicut Apostoli duodecim, sic & Evangelistæ quatuor variis fuere olim adumbrati figuris mysticis. Harum aliquot proponere hic ad eorum spectat gloriam.

Quatuor Evangelistæ, quatuor mundi flumina. S. Hieron. prolong. in Matth.

Dicamus ergo *primò* cum S. Hieronymo, jam ab initio eos adumbratos fuisse in quatuor fluminibus exorientibus è fonte medio Paradisi sito, sive è loco voluptatis, quibus superficies terræ irrigua & fœcunda reddebatur. Christus tanquam fons, & Ecclesia tanquam locus voluptatis & Paradisus Dei, hęc quatuor flumina eructat, hoc est quatuor Evangelia, per os Matthæi, Marci, Joannis, Lucæ. Per illos funditur aqua sapientiæ, & aqua vitæ, ut plantæ Paradisi, animæ scil. piæ, irrigentur & vivificentur. Quapropter dicebat sanctus Chrysostomus Evangelicas scripturas esse instar fontium perennium, qui novis semper opibus scaturiant: *ex quibus antecessores nostri hauserunt, & nos haurimus, ac porro alii qui nos sequentur hausturi sint, nunquam tamen exhausturi. Hæc est enim spiritualium fontium natura, ut eo perfluant liberius, spiritualemque gratiam fundant largius, quo quis amplius ex illo hauserit, convenienter oraculo Christi; Si quis sitit, veniat ad me & bibat: Qui credit in me, flumina fluent de ventre ejus aqua vivæ.* Qui credit Evangelio, credit in Christum, ideo has aquas vitæ participat.

Chrysost. hom. 3. in Gen.

Ezech. 47. Mald. in illum locum. Psal. 71.

Hæ sunt aquæ quæ egrediebantur de Sanctuario, per quas ductus est Propheta Ezechiel: & *primo* quidem pertigit usque ad talos, *deinde* usque ad genua, *tertio*, usque ad femora & renes, *tandem* excedebant staturam hominis, ita ut natando forent transeundæ. Quo quidem significabatur Evangelicam doctrinam parvo sumpto initio, à Jerusalem totum per orbem propagandam: ita ut Christus dominaturus sit à flumine usque ad terminos orbis terrarum, omnesque gentes, ad quas illa doctrina pervenerit, à corruptione morum errorumque pravitate sint curandæ. Ideo & multa ligna, id est multæ arbores, ab his aquis dicuntur irrigari, crescere, fructificare. Nonnulli quoque sic explicant; quod aquæ è sanctuario, id est, è corde Christi exeunt; doctrina enim Evangelica ab eo originem ducit. Ac mox aqua illa genua superavit quia persuasit ut omnes genu sibi curvarent. Deinde pertigit ad renes, carnem ac concupiscentiam restringens, quæ in renibus sedem habet, multosque ad virginitatem & cœlibatum impellens. Deinde quod transvadari non potuit nisi natando, significat Christianos perfectos in Ecclesia & Dei gratia natare velut pisces.

Anton. Fernan. Vis. 20. sect. 2.

4. Insignia currus gloriæ sunt 4. Evangelistæ.

Dicamus *secundo*, designatos fuisse Evangelistas per quatuor stemmata & Insignia circa currum gloriæ Dei apud Ezechielem cap. 1. Per faciem enim & similitudinem hominis, designatur Matthæus qui ab humana Christi generatione suum exorsus est Evangelium, & humanitatis opera describit. Per faciem Leonis, designatur S. Marcus, quia incipit à rugitu Joannis quasi Leonis in eremo: *Vox clamantis in deserto*; Et specialiter resurrectionem Christi depinxit instar Leonis à somno evigilantis. Quare Venetia possidens corpus S. Marci, & magnifico templo eum colens, velut *Civitas S. Marci*, pro Insignibus habet Leonem cum hac inscriptione, *Pax tibi Marco, Evangelista meus*, quæ verba Christus dixit, apparens ei pergenti ad Martyrium. Per faciem Aquilæ, designatur S. Joannes, qui Divinitatem Christi in sublime volans, prædicat præ cæteris. Per faciem bovis, sive vituli, designatur S. Lucas, qui à Sacerdotio inchoarit; est autem vitulus, aut bos, animal sacerdotale, sive immolatitium. Ita passim ex S. Gregorii & Hieronymi sententia tenent Doctores, & ostendunt Pictores. Hi ergo Evangelistæ sunt Præcones triumphi Redemptoris, & excellentiæ illius qui habet facies quatuor; quia & Filius hominis est; & Rex, instar Leonis; & Aquila, quia Verbum Patris; & Vitulus, quia Sacrificium & Sacerdos. Vel simalis, Homo est in incarnatione, Leo in resurrectione, Aquila in Ascensione, Vitulus aut Bos in morte & immolatione. Nam & planta vituli divisa & fissa notat pedes Christi crucifixos. Clavis enim per eos in crucem adactis quasi divisæ sunt & fissæ plantæ Christi uti ungula vituli, quasi adacto clavo fissa & divisa videtur. Currus ergo gloriæ Dei trahitur per quatuor animalia mystica, hoc est, per quatuor Evangelistas, quæ & Cherubim dicuntur, hoc est, scientiæ multitudo. Hæc est ergo quadriga Domini, quâ per orbem fertur, de qua illud: *Quadriga tua salvatio.* Vel ut describitur in Apoc. Hæ sunt mystica animalia in circuitu Throni, quia Ecclesiam, quæ est thronus Dei, circumdant: suntque plena oculis ante & retro, & intus: quia oculorum instar ostendunt nobis præterita quæ retro sunt, futura quæ ante sunt occulta mysteria quæ intus sunt; habent etiam alas, quibus orbem pervolent, & in cœlum tendant. Audi de his sanctum Hieronymum: *Matthæus, Marcus, Lucas, & Joannes, quadriga Domini sunt, & Cherubim sunt, scientia scil. multitudo: per totum corpus oculati sunt, scintillæ micant, discurrunt fulgura, pedes habent rectos, & in sublime tendentes, targa pennata & ubique volitantia: tenent se mutuo, sibique perplexi sunt, & quasi rota in rota volvuntur, & pergunt quocunque eos flatus Spiritus sancti perduxerit.*

Insignia Venetiæ.

Abat. j.

Epist. ad Paulin.

Dicamus *tertio*, hos esse in exercitu Christi quatuor Vexilliferos, sub quibus militat Ecclesia, quæ dicitur, *ut castrorum acies ordinata.* Illa enim sub quatuor vexillis, id est, sub quatuor Evangeliorum fide & doctrina castra metatur. *Primum* vexillum imaginem habet hominis, *secundum* Leonis, *tertium* Aquilæ, *quartum* Bovis, quæ sunt Christi Ducis insignia, ut jam diximus. Hæc vexilla intuentur Christi milites, horum motus sequuntur, horum nutus observant, his proteguntur, sub illis hærent ita ut prius vitam, quàm vexillum, corde manuque dimittant: Hi vexilliferi designati sunt olim, cum ad terram promissam procederet populus Israel

Sunt 4. vexillifera exercitus Christi Cant. 6.

Num. 2.

per

per solicitudinem, sub vexillis quatuor. Nam Orientalem plagam tenebat Iudas, tribus regia, cum Issachar & Zabulon: Meridianam protegebat Ruben, cum Simeone & Gad: Occidentalem occupabat Ephraim, cum Manasse & Ephraim: Aquilonarem tuebatur Dan, cum Aser & Nephtalim. Erat autem castrorum figura quadrata, sub præcipuis vexillis quatuor. Atque his Hebræi dicunt inscriptas fuisse effigies quatuor animalium Leonis Hominis, Bovis, Aquilæ. Quapropter de hac re sic loquitur quidam de Interpretibus sacris: *Tradunt Hebræi primum vexillum tribus primipilaris Iudæ eum suis habuisse effigiem Leonis pro Insigni. Secundum vexillum Rubenitarum habuisse Hominis effigiem cum Mandragoris, quas ad matrem attulerat Ruben. Gen. 30. Tertium vexillum Ephraim habuisse imaginem Bovis. Quartum Danitarum habuisse Effigiē Aquilæ. Quæ sanè apte typo significabant Propitiatorium nostrum, Christum scilicet, Areamque ejus, id est, Ecclesiam, qua inter vexilla quatuor sita erat, quia per quatuor Evangelistarum signa, ad omnes mundi plagas erat diffundenda.* Hæc ille. Quidam ex Hebræis dicunt vexillum Iudæ fuisse viridis coloris, quia in viridi lapillo, smaragdo scil. Iudæ nomen fuerat exaratum in Rationali Pontificis. Secundum vexillum Ruben fuisse rubrum, quia nomen Ruben scriptum erat in Rationali in Lapide Sardio, qui rubeum præfert colorem. Tertium vexillum Ephraim erat aureum, quia æmulabatur fulgorem Chrysoliti, in quo inscriptum erat nomen Ephraim in Rationali. Quartum erat variegatum, quasi ex albo & rubro ad instar Iaspidis, in quo scriptum erat nomen Dan in Rationali. Hæc omnia vexillis Ecclesiæ aptari possunt quæ per quatuor Orbis plagas sese diffudit, ex quibus per Evangelium homines ad Deum evocat; & quosdam quidem habet Confessores sapientiâ & pietate admirabili virentes, quosdam Martyres purpureo colore fulgentes, quosdam eminentia auræ caritatis promicantes, quosdam virginitatis candido; martyriique rubeo colore decoratos.

Barrad. tom. 1. l. 2. c. 21.

Andreas Masius in c. 6. Iosue.

Ex Hebr. Hier. Prado in c. 1. Exech.

Dicamus *quartò*, Evangelistas, & eorum Evangelia, esse quatuor columnas, quibus fulcitur Ecclesia contra adversarias potestates, & contra vitesinferorum, ita ut per illas immobilis maneat & invicta. Est enim Ecclesia *Civitas in quadro posita*, & habet duodecim fundamenta, quibus inscripta sunt nomina duodecim Apostolorum Agni. Habet quoque quatuor prominentes columnas, quatuor Evangelia; in quibus velut in quadrato lapide sanctæ fidei structura consurgit. Addere possemus, quatuor Evangelistas esse velut quatuor ventos primarios qui quatuor orbis plagas perflant, ut homines vivificent. Sic enim de illis loquitur sanctus Irenæus lib. 3. c. 11. *Quoniam quatuor regiones mundi sunt, & quatuor principales spiritus & disseminata est Ecclesia super omnem terram, columna autem & firmamentum Ecclesiæ est Evangelium, & spiritus vita consequens est quatuor habere eam columnas undique flantes incorruptibilitatem, & vivificantes homines.* Denique dicere possumus, quatuor Evangelia designari per linteum illud quod visum est sancto Petro demitti è cœlo, rursusque in cœlum remitti: non enim sine mysterio quatuor initiis dicitur dimitti animalibus plenum, & rursus in cœlum recipi, idq; ter factum. Quapropter enim sunt Evangelia, per quæ ad sacrosanctæ Trinitatis fidem orbis incolæ, vario animalium genere adumbrati, adducendi erant. per quatuor mundi partes sparsi Audi sanctum Hieronymum. *Petrus in vase Evangeliorum quadrangulo, quod de cœlo descendit ad terram, docetur, & dicit omnes homines posse salvari: rursusque quod viderat, in specie candidissimi linteaminis in superna transfertur, & credentium turbam de terris ad cœlum rapit.* Non enim sine mysterio olim quatuor circuli aurei erant, per quos Arca Dei, Ecclesiam designans, portabatur. Audi rursus sanctum Hieronymum: *Ecclesia quatuor annulos habet, id est, Evangelia per quos quasi arca testamenti & custos legis Domini, vehitur.*

Act. 10.

Epist. ad Rustic.

Prolog. in Matth.

Attende igitur quanta fulgeat dignitate S. Lucas Evangelista ex omnibus his titulis. Est enim tanquam unus ex fluviis Paradisi, in aquas redundans perennes: tanquam animal mysticum, ducens currum gloriæ Dei, imò tanquam Cherubim; tanquam Vexillifer in acie IESU Christi: tanquam Ventus, primarius & salubris, perflans quatuor regiones Orbis: tanquam unus ex circulis & annulis aureis in Arca testamenti.

Sunt. 4. columna Ecclesiæ.

Apoc. 12.

Sunt. 4. ventiorbem perfluantes.

PARS III.

Fuerit ne S. Lucas discipulus Christi, an Pauli. Idem docet Orig. teste Eusebio in Lucam Mariana Barad.

MUlti ex antiquis Scriptoribus sacris asserunt S. Lucam unum fuisse ex illis septuaginta duobus discipulis, quos misit ante faciem suam. Ita tradit sanctus Epiphanius hæres. 51. S. Gregorius Præfat. in Job. S. Dorotheus in vita sancti Lucæ, Simeon Metaphrastes. Nec obstat, quod videatur insinuare Lucas initio sui Evangelii se non tam visa quàm audita referre; non enim omnia acta Christi vidit; sed aliqua vidisse potuit, aliqua audivisse tantum: immò nec colligi potest ex ejus verbis ipsum scribere audita, & non visa, ut patebit expendenti. De eo igitur sic scribit Metaphrastes Christus qui liberà peccato venerat, ut peccatores ad pœnitentiam vocaret, post luctam contra adversarium & trophæa de eo relata, post auditum supernè Patris testimonium, & Spiritus descensum, habebat de mundi salute disputationes & congressus. Percurrebat fama non solum Iudæam, sed etiam extra ejus terminos ferebatur. Tunc sanè multi ad veram doctrinam cordis aures obturabant, ac mentis oculos claudebant. Hi autem in quibus veritatis vestigium impressum erat, totis, quod ajunt, oculis intuebantur, & animæ arrectas aures habebant, & velocissimè ad veritatem transferebantur. *Horum unus erat hic præco veritatis; qui ad piam prædicationem mentu oculo illustratus, despexit cognationem, omnem abjecit possessiones, omnem substantiam indigentibus distribuens. Deiq; etiquæ*

cunctis inferioribus superna velociter amplectitur, & ad Iudeam accedit, & statim ad conspectum ac sermones IESU *efficitur splendidum receptaculum ad pretiosum gratiæ unguentum*, hæc ille. Addit hunc fuisse discipulum, qui post resurrectionem cum Cleopha à Christo in via Emaus illuminatus fuit & accensus, dum ipse eis aperiret scripturas, quibus in eorum corde fidem resurrectionis confirmaret; quem & postea plenè agnoverunt in fractione panis. Hoc etiam tradidit S. Gregorius præfat. in Job, cum aliis nonnullis Interpretibus, teste Theophilacto, qui idipsum non refellit.

Magna dignitas discipulatus Christi.

Neque exigua felicitas est Christi fuisse discipulum, ex ejusque ore didicisse divinæ sapientiæ mysteria, ab eo quoque immediatè fuisse missum ante faciem ejus, ad præparanda corda credentium, quæ visibili postea præsentiâ & invisibili Spiritus gratiâ confirmaret. Certè eadem missio quæ præcesserat pro Apostolis repetitur, & pro discipulis mittendis. Utrique enim mittuntur prædicare Regnum Dei, pacem nuntiare, dæmonia ejicere, infirmos curare: & si non recipiantur, jubeatur utrique pulverem pedum excutere in testimonium super illos. Utrique sine pera & pecunia, sine provisione mittuntur, ut fiduciam concipiant perfectam, & jactent omnem curam in Dominum mittuntur tanquam agni inter lupos, tanquam operarii messis, tanquam filii & legati pacis. Unde utrisque dicitur: *Qui vos audit, me audit; Qui vos spernit, me spernit; Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* Ergo dignitas magna, discipulatus Christi.

Luc. 9. & 10.

Luc. 10.

Septuaginta duo discipuli Christi in quib. præfigurati.

Quocirca septuaginta duo discipuli à Domino designati, fuere præsignificati per septuaginta palmas, quas filii Israel repererunt in solitudine, juxta duodecim fontes. Sic enim habet textus: *Venerunt autem in Elim, ubi erant duodecim fontes aquarum & 70. palmæ.* Quem locum interpretatus S. Hieronymus ait; *Non dubium quin de duodecim Apostolis sermo sit, de quorum fontibus derivata aqua totius mundi siccitatem rigant. Juxta has aquas 70. palmæ creverunt, quos & ipsos secundi Ordinis intelligimus præceptores.*

Exod. 15. Epist. ad Fabiolam

Num. 11.

Illorum quoque typum gesserunt 70. Seniores, à Moyse jussu Dei electi ad gubernandum populum. Quos nonnulli existimant fuisse 72. quamvis scriptura non exprimat nisi numerum majorem, relicto minori scilic. binario, qui sub intelligi quandoque solet. Sic & Græci Codices de Discipulis Christi agentes 70. tantum habent, & 72. interpretes brevitatis gratiâ solent dici 70. Similiter putant de illis senioribus, fuisse scil. sex ex unaquaque tribu electos, & sic septuaginta duos. Quicquid sit de numero, sive septuaginta tantum fuerint, ut exprimit scriptura, sive septuaginta duo, sicut Interpretes totidem electi fuere per Ptolomeum Regem Ægypti ad vertendum libros sacros in linguam græcam) dicimus Christum, dum designavit suos discipulos, respexisse ad illos seniores, tanquam ad typum. Quapropter sicut dicitur olim spiritum Mosis divisisse in illos septuaginta, ut idoneo possent eodem spiritu populum regere quo Moses: ita & Christus suos electos discipulos consortes fecit spiritus sui, quo dirigerentur in omnibus, aliosque ipsi dirigerent.

Num. 11.

Ianson. Baron. Maldon. S. Hieron.

Addunt nonnulli ideo Dominum septuaginta duos designasse discipulos, quod totidem linguæ fuerint post diluvium. Ita tradit auctor de mirabilibus scripturæ l. 1. cap. 9. & Beda Luc. 10. ubi ait: *Bene septuaginta duo mittuntur, quia totidem mundi gentibus Evangelium prædicandum erat.* Septuaginta autem duas linguas hominibus datas esse in linguarum confusione, multorum est sententia, quia totidem Patres congregatos fuisse in illius turris ædificatione dicunt. Hæc est opinio SS. Epiphanii, Augustini, Hieronymi, Prosperi. Idem docent Hebræi, teste Genebrardo in Chronographia. Fortè etiam non sine mystica numeri significatione est, *quod anima domus Jacob quæ ingressa sunt Ægyptum fuere septuaginta.* Ex Ægypto ergo tenebrosa infidelitatis & peccati vult educi Dominus domum Iacob in terram æternæ promissionis, per electionem septuaginta discipulorum.

Gen. 46.

Cur Iesus binos ante faciē suam discipulos miserit.

Quòd autem bini mittuntur discipuli ante faciem Christi IESU, olim hujus rei figuram præcessisse in Iosue Duce Israeliticæ plebis, qui & IESUS dictus est, docent sancti Patres. Inter quos S. Basilius Seleucus hac de re multa disertè eloquitur serm. de S. Anthymio, variam explicans consonantiam typi in Iosue, & exploratoribus ejus, cum veritate completa in Christo & Prædicatoribus ejus. Audi eum.

Iosue Christi figuram gessit.

Primo: Mittitur Iosue ad perdendas nationes, venit IESUS ad debellandas aëreas potestates. 1.

Secundo: Mittit ille Iericho duos exploratores, dirigit ipse sub eodem mystico numero suos prædicatores *binos ante faciem suam.* 2.

Tertio: Mittebantur illi ut locorum situs explorarent: Hi ut venienti IESU viam fidei in corde hominum præpararent. 3.

Quarto: Illi in Raab Meretricis hospitio recipiuntur: Isti apud Ecclesiam Gentium, antea cum idolis fornicariam quiescunt. 4.

Quinto: Raab coccineum funiculum sanguinei coloris in fenestra domus suæ appendit: Ecclesia in fenestra etiam sua ruborem sanguinis, ponit, dum passionem Christi publicè confiterur in voce, & signum crucis portat in fronte. Vnde sponsus ait sponsæ: *Vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* Coccus sanguinis & ignis speciem habet; & significat charitatem. Labia Ecclesiæ, Prædicatores sancti, coccineæ vittæ similes sunt, quia mortem Christi semper prædicant, & pro charitate hominum crucem subiisse affirmant. Vittæ capillos ligat in unum; sancti Prædicatores in unitate fidei fidelium colligunt multitudinem suæ prædicatione, & redigunt in unum sub mutuæ charitatis decore. 5. *Cant. 4.*

Prædicatores sancti Christi vittæ coccineæ similes.

Deni-

6. *Denique*, extra domum Raab repertus, gladium non vitavit; Sic ab Ecclesiæ limite aberrans, certum mortis periculum incurrit, hactenus S. Basilius Seleucus.

Fuit itaqua S. Lucas de illis exploratoribus sacris, fuit de JESU discipulis secundum multorum opinionem: Aut saltem, secundum certam scientiam, fuit ex discipulis Pauli, ejus comes in variis peregrinationibus per varias orbis partes, ejus consors in laboribus, vigiliis persecutionibus, prædicationibus. Ejus labia, velut Vittæ coccineæ, Christi Passionem & charitatem annuntiabant quia & in corpore suo mortificationem crucis jugiter portabat, ut canit Ecclesia. A. S. Paulo igitur non pauca didicit ex arcanis mysteriis, qui ea in cœlo didicerat, immediatè edoctus non ab Apostolis, non ab Angelis, sed ab ipso Christo; & quidem ab ipso non peregrinante adhuc in terris, sed ab ipso beatificante & illuminante Angelos in superis. Audi hac de re S. P. Damiani. *Qui Petrum & cæteros Apostolos adhuc passibilia & mortalis edocuit, ipse Paulum jam glorificatus, & super Angelos exaltatus instruxit Magister Apostolorum factus, cum hominum subjaceret injuriis, Paulum docet, cum virtutum cœlestium vallaretur obsequiis. Vide ergo B. Pauli quanta sit dignitas, quanta sit gloria. Sed cum B. Lucas ejus fuerit individuus comes, atque ab eo didicerit omne quod scripsit, ubi dignitatem Præceptoris exprimimus, alumni quoque præconium non tacemus; Doctoris laus redundat in discipulum, qui veritatis historiam quam ille divinitus didicit, ex ejus ore percipiens, fideliter apicibus exaravit.* Quantæ ergo sit excellentiæ B. Lucas ex eo liquet, quia cum Marcus à B. Petro edoctus, & Ioannes ac Matthæus Redemptoris gesta in terra cognoverint: Iste solus, ut ita loquar, hoc Evangelium scribere meruit, quod de cœlo descendit. De cœlo Christus in Paulum gestorum suorum sacramenta profudit, eademque per Paulum in Lucam, velut aurea fistula mediante, transfundit; ut huic beato viro non immeritò congruere videatur quod per Isaiam dicitur: *Primus ad Sion dicit ecce adsum, & Hierusalem dabo Evangelistam.* Hæc P. Damiani serm. de S. Luca:

Vide ad Gal. c. 1.

Gal. c. 1.

Ubi adverte, dum illud Isai allegat, ipsum legere: *Ecce adsum*, cùm in vera lectione sit, *Ecce adsunt*. Est autem sensus: Ecce adsunt Prophetarum successores Apostoli & Evangelistæ, qui ventura sub Christo, & per Christum, bona annuncient. Hi erunt Hierosolymæ & toti orbi præcones Evangelii, ut omnes in viam veritatis educant. Inter hos S. Lucas, qui nomine Dei inter primos annuntiavit & scripsit lætum Evangelii nuntium; & primus quia & solus, scripsit Acta Apostolorum, ab exordio eorum quæ gesta sunt in Jerusalem mox ab ascensu Domini: Prædicavit & ipse Evangelium suum per Græciam, & varias gentes; ita ut & illi illud conveniat: *Quam speciosi sunt super montes pedes Evangelizantis pacem, annunciantis bonum prædicantis salutem dicentis Sion, Regnavit Deus tuus.* Sensus est Satanæ Tyrannis disturbata est, & exciſa; Deus tuus regnat in terris, cujus regnum æternam salutem, & felicitatem incredibilem affert cum thesauris opulentissimis: expande ergo, O Sion, sinum tuum, arrige aurem, erige mentem, ut his bonis potiaris: en juxta te sunt ejus legati, felicitatis omnis nuncii & portitores. Hinc subdit Isaias: *Gaudete & laudate simul deserta Jerusalem, quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Jerusalem, paravit brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Hoc est, videbunt illum qui salutem toti attulit orbi, illum digito ostendent Evangelistæ & Apostoli. In hoc ergo triumphate, & ei aurem præbete, *recedite, recedite de medio Babylonis*, depeccato, de mundo, de confusione, de dæmonis servitute; omnem contaminationem abjicite, quæ confusionem coram Domino potest inducere, & ad confusionis æternæ ærumnas vos ducere.

Isai. 52.

SLucas dilectus & familiaris Deiparæ Virgini meritò asseritur, ita ut de mysteriis incarnati Verbi, specialiter ab ea fuerit instructus. Ipse enim specialiter eum suis circumstantiis describit mysteria infantiæ JESU, quæ ab Evangelistis aliis non sunt scripta; Nec ille videtur illa particulariter sciisse, nisi ex ore Virginis, quæ omnibus his interfuerat, de qua etiam dicit: MARIA *autem conservabat omnia verba hæc, conferens ea in corde suo.* Quare, & quomodo ea conservabat? Conservabat tamquam Archa sanctissima novi Testamenti mysteria hæc, quæ videbat & audiebat, & tanquam Archivum primarium, ut est postmodum revelaret sacræ historiæ Scriptoribus. His ergo verbis insinuare videtur S. Lucas, unde hæc deprompserit, quæ tradit, & litteris mandat non intermorituris. Quasi dicat: A Virgine hæc accepi, quæ conscribo. Illa enim omnia conservabat, conferens in corde suo. Cernè ipsa non solum Regina erat Apostolorum, sed Doctrix ac Illuminatrix Evangelistarum. Et ad hunc effectum post Christum in terris relicta erat ut Ecclesiam novellam doceret & illuminaret, tanquam Luna Sole subtracto: *Elevatus est Sol, & Luna stetit in ordine suo.* Neque solum rudes fideles docuit, sed & Ecclesiæ Pastores & Doctores; quia spiritu sapientiæ & intellectus omnes superabat, & omnibus pænè mysteriis præsens fuerat.

3. PARS. S. Lucas fuit Deiparæ familiaris, ac tandem martyr.

Luc. 2.

Vide Gloss.

Abac. 3.

Ab illa itaquè didicit S. Lucas colloquium illud secretissimum, quod ei cum Angelo paranympho fait, dum Filium Dei suis concepit visceribus. Sola ipsa, & Dei Legatus Gabriel, conscii erant tanti mysterii, & tam secreti alloquii. Ab ea didicit, quoque Nativitatis Christi Jesu particulares circumstantias, præsepe sacrum, fascias involventes, cœtum Angelorum, visitationem pastorum, quæ omnia accuratè descripsit.

Ab ea cognovit Circumcisionem pueri, Adorationem Magorum, purificationem & oblationem in templo; inventionem Iesu duodennis in templo docentis. Denique, ex ea percepit visitationem Elisabeth, exultationem Johannis, & quæ tunc peracta sunt mysteria. Ab ea dicit quoque tria illa Cantica, quæ in finem usque sæculi Verbi incarnati laudes prædicant, & quotidie in Ecclesia decantantur, *Benedictus*, *Magnificat*, *Nunc dimittis*. Nemo Evangelistarum præter eum horum meminit, quæ tanquam Secretarius & Notarius Virginis per illam didicit.

S. Lucas primus imaginem M. V. depinxit.

Ulterius quoque illud familiaritatem Deiparæ Virginis & S. Lucæ comprobat, quòd primus Virginis imaginem depinxerit. Atq; imago illa Virginis adhuc Romæ in templo S. Mariæ Majoris asservatur, estq; miraculis celebris à tot sæculis honorata. Dicitur & primus Christi Domini imaginem depinxisse S. Lucas qui & arte, Pictor & professione Medicus erat. Nam licet Pictor quidam alius Missus sit à Rege Edesse Abagaro ægrotante (qui summo videndi Christi tenebatur desiderio) ut accuratè ejus faciem per picturam efformaret, sicq; saltem imagine frueretur, qui præsentiâ frui non poterat: Tamen non potuit Pictor ille assequi quod optabat, quia divinus splendor in vultu coruscans impedimento erat, Salvator interim, ut pio Regis desiderio satisfaceret, in linteo faciem suam dignatus, est exprimere, & ad Regem transmittere, tanquam pietatis monumentum, & sanitatis sibi reddendæ argumentum. Vide Nicephorum l. 2. histor. c. 7. Evang. l. 2. c. 26.

S. Lucas arte pictor, professione medicus.

S. Lucas castitatem coluit.

Et eo etiam dilectus fuit Virgini Deiparæ S. Lucas, quòd castitatem coluerit toto suo ævo; ita ut de ipso referat S. Hieronimus, usque ad annum octuagesimum quartum virisse cœlibem. Ideo mysteria purissimæ carnis à Christo: susceptæ meritò ei incidavit Beatissima Virgo, quæ æternitati commendaret.

Martyr. vitam finiisse putatur.

Martyrio vitam finiisse sanctum Lucam, etsi non ita certum & exploratum sit, multi tamen Scriptores Ecclesiastici tradiderunt. Atq; inter antiquos ita insinuat S. Greg. Naz. Orat. in Iulianum, ubi sic loquitur: *Non victimas pro Christo casas es veritus. Non magnos pugiles extimuisti, Ioannem illum, Petrũ Paulum, Iacobum, Stephanum; Lucam, & qui post illos capitis sui periculo veritatem protexerunt: Qui cum igne, & ferro, & belluis, & tyranno, alacri animo, velut in alienis corporibus, imo velut corporum expertes dimicarunt.* Sic & S. Paulinus inter veteres nominat eum Martyrem his versibus.

Hic Pater Andreas, & magno nomine Lucas,
Martyr, & illustris sanguine Nazarius.

Ejusdem est sententiæ S. Gaudentius Episcopus Brixianus, florens tempore S. Amb. ita enim loquitur in serm. Dedicat. Eccles. *Horum quatuor habemus reliquias, qui regnum Dei & justitiam ejus prædicantes ab impiis reduliis occisi sunt: Ioannes in Sebaste Palestinæ, Thomas apud Indos, Andreas & Lucas apud Patras Achaiæ civitatem, consummati referuntur.*

Nicephorus autem l. 2. c. 43. specificat genus martyrii dum sic de sancto Luca disserit: *A Paulo Roma in Græciam reverso, plurimos ibi divinæ doctrinæ luce illustravit, & tandem à divini verbi contemptoribus ex fructifera olea arbore suspensus (quod aridi ligni ex quo crux fieret copia non esset) Deo spiritum commendavit.* Eadem habet Glycas lib. 3. Annal. additque liquorem medicum ex reliquiis scaturire, eoque indice illas esse repertas. Consentit & Cedrenus in Compend. histor. O felix igitur Olea, ex qua pendens talis divinus Pictor, imaginem in se depinxit Iesu Crucifixi! O felix Olea, in qua Medicus ille (cujus verba Evangelica animæ languentis sunt medicina) se suprema conformavit Medico, ejus unctionis particeps effectus, tam in vita, quàm in morte. Potuit enim cum Christo summo Medico dicere Lucas Medicus: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, evangelizare pauperibus misit me, ut mederer contritis corde.* Hoc dum viveret perfecit prædicatione verbi, & in finem sæculi perficiet scriptione Evangelii.

Quare S. Lucas designatur symbolo bovis.

Patet quoque ex dictis, quàm aptè S. Lucas designetur simbolo Bovis: tum quia sacræ linguæ vomere cordis nostri arua prosulcat, eaque evangelici seminis jactu, vitali fruge fœcundat: Tum quia evangelicam, atque apostolicam describens historiam, hostes Christi, atque adversarios veræ fidei, tanquam duobus cornibus ventilat, eosq; ne aream Chatolicæ Ecclesiæ depopulentur, expugnat: Tum denique, quia post laborem in agro & area Domini, tandem se victimam Deo immolavit, fumi illi libans sanguinem, qui priùs ejus amore mortificaverat carnem; quia crucis mortificationem jugiter in suo corpore portavit, tanquam jugum & aratrum, sed ibi suavè & jucundum.

Conc.

O S. Luca, Pictor divine, depinge in nobis sacrorum verborum tuorum penicillo, perfectã Divinitatis imaginem; eamq; vel operibus nostris cruentis deturpatam, reforma, & pristino splendori restitue! O Medice sacer, Evangelii tui medela effice, ut sanentur languores animarum nostrarum & in veram redeamus sanitatem, relictis morbidis reliquiis vitiorum. Denique, sic intercede pro nobis occæcatis, ut fiamus Theodidacti & Docibiles Dei, discipuli Christi, discipulique tui; unctionis illius participes, quæ de omnibus sufficienter docet, & tandem tua sectantes vestigia possimus dicere: *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei speravi in æternum, & in sæculum sæculi.*

Pro Festo S. Vrsulæ & Sociarum.

Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? Cant. 7. Lec. 59. tripartita.

ECclesiæ Dei pars duplex distingui potest. Pars una militans, altera triumphans dici solet. *Quo in Ecclesia.*

sint varia castra & varii chori. Ecclesia vocatur Sulamitis, id est Pacifica.

solet. Militans pugnando canit: Triumphans canendo pro militante pugnat. Itaque in Ecclesia, per Sulamitem designata, Chori sunt & castra: sive Chori castrorum, & Castri chorisantium. Laus divina, quæ in illa resonat & cantus est, & pugna, & triumphus. Idem est populus & ultra & citra mare: transit pars cum armis, & decertat: pars altera canit trophæa, quia transivit & transeuntes interim socios adjuvat & animat. Sic Ecclesia Militans & Triumphans non est duplex Ecclesia, nec duplex populus, quia idem est Rex utriusque, idem Caput, idem Dux utrobique, cui nomen est *Dominus Deus Exercituum*. Sed quoniam hoc nomine gloriari solent sacris in litteris quinam sint hi exercitus in fortitudine dimicantes, & in multitudine gloriantes, videndum est particularius.

1. Exercitus Dei Angelorum innumera legiones. Matt. 26. Dan. 7.

Dicamus ergo primo, hos Exercitus esse innumeras Legiones Angelorum, de quibus ipse Christus Dux dicebat: *Nunquid possum rogare Patrem, & ipse exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* An aliquem numerum eorum vis nosse? Audi Danielem: *Millia millium ministrabant ei, & decies centies centena millia assistebant ei.* Aperuit Dominus oculos famulo Elisæi, & nunquid vidit montem plenum equorum & curruum igneorum in circuitu Elisæi? Nunquid agnovit quam verum esse quod dixerat Elisæus: *Noli timere, quia plures nobiscum sunt, quam cum illis*; cum tamen robur exercitus Regis Syriæ civitatem circumdedisset. Vere ergo hic dicere possumus illud cum Jacob: *Castra Dei sunt hæc.* Et rursus illud: *Nunquid est numerus militum ejus?* Hi sunt milites, qui initio sæculi pugnaverunt contra Satanam & Dæmonem, & in fine decertabunt contra Antichristum, de quibus dicitur: *Factum est prælium in cœlo magnum, Michael & Angeli ejus prœliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli ejus: & non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo.* Patet igitur, quam fortes sint hi exercitus, quam fortes ibi Duces, qui & Ægyptiorum exercitum straverunt; & Regis Sennacherib una nocte copias interemerunt. Vere castra Dei sunt hæc, millibus millium constantia, & chori castrorum sunt, qui trophæa resonant in cœlesti Sulamite.

4. Reg. 6. Gen. 32. Job 25. Apoc. 12.

2. Exercitus Dei, multitudo stellarum. Job 25.

Dicamus secundo, alium rursus exercitum in cœlo constitui per multitudinem stellarum. Hæc more Scripturæ vocatur Militia cœli. Nam & de hac re loquitur Baldad. Suhites apud Job, dum dicit: *Nunquid est numerus militum ejus?* Præcedit namque: *Potestas & terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis.* Tunc subdit: *Nunquid est numerus militum ejus, & super quem non surget lumen illius?* Stellæ igitur constituunt aciem ordinatam, constituunt quoque simul chorum, & canunt Dei laudes. *Ubi eras cum me laudarent astra matutina?* Quid igitur rursus videbis in Sulamite cœlesti, si oculos in cœlum tollas, nisi choros castrorum? Astra considera: *Castra Dei sunt hæc.* Ipse numerat multitudinem Stellarum, *& omnibus eis nomina vocat*, tanquam suos recensens milites. Illis utitur contra hostes suos: *Stella manentes in ordine & cursu suo pugnaverunt contra Siseram.* *Job 38. Judic. 5.*

3. Exercitus Dei, varii Religiosorum ordines.

Dicamus tertio, in nostra Sulamite, sive in Ecclesia militante, varios etiam esse exercitus, propter quos dici potest: *Dominus Deus exercituum nomen ejus.* Varii Ordines Religiosorum vario habitu distinctorum, & tamen sub eodem Imperatore Christo, subque Labaro, & Vexillo Crucis militantium, nonne tibi videntur variæ turmæ exercitum conflantes numerosum & validum, ad dimicandum contra Satanam & infernum, contra vitia & errores, contra carnem & mundum? Certe etiam *Castra Dei sunt hæc.* Et quia & precibus & oratione, laudum divinarum & verbi Dei prædicatione pugnant, recte dixeris esse Choros castrorum, aut Castra chorisantium. Admirabilis porro est numerus hujus militiæ in utroque sexu.

4. Exercitus Dei maximus Martyrum numerus.

Dicamus quarto, proxime ad nostrum propositum, Exercitus Dei, sive in Ecclesia cœlesti, sive in Ecclesia præsenti, aptissime vocari maximum Martyrum numerum, qui suo hic sanguine pugnant, ut postmodum laureati triumphent. Hi certe tanquam præcipui milites Christi nihil reformidant periculi, nihil territamenta. Isti sunt, qui fundaverunt Ecclesiam sanguine suo; Calicem Domini biberunt, & amici Dei facti sunt. Isti sunt triumphatores, qui contemnentes jussa Principum, merentur præmia æterna, & accipiunt palmam, quia fortitudine inclyta effulgent. Hi quoque, quia laudant & pugnant, Chori sunt castrorum; in Sulamite conspicui. Atque de his etiam dicimus: *Nunquid est numerus militum ejus?* Nempe ex omni gente, ex omni ætate, ex omni statu, ex omni sexu milites sibi delegit *Dominus Deus Exercituum*, qui pugnarent fortiter, & per sanguinem sequerentur suum Ducem intrepidi.

Nota numerum Martyrum diversorum locorum & temporum.

Si calculum aliquem inire lubet, scimus quod vel in sola Urbe Romana trecenta millia & ultra computari possint Martyrum corpora sepulta. Nam & Gallisti Cœmeterium milita octuaginta continere refertur. Quod si vel in una urbe tot millia, quod per universum Orbem? Audi & de militibus ob Fidem interempris è multis pauca. In Persia sexdecim millia militum refertur per Saporem Regem interempta ob Fidei constantiam.

Item tempore Diocletiani viginti millia. In Ægypto quadraginta octo millia tempore Maximiani. Ideo S. Joannes prævidit *turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus tribubus & linguis.* Et hi omnes in symbolum martyrii & triumphi, stolis ornati, palmas in manibus gestabant, & *laverant stolas in sanguine Agni.* Hi de Ecclesia primitiva censentur. Quid de Ecclesia nova, quam Deus voluit nostris coloribus formare? Ar-

Apoc. 7.

cyrum

cyrum sanguine, vel per infideles, vel per hæreticos profuso? Certe non desunt quotidie exercitus & chori castrorum in nostra Sulamite.

India & Japonia testis nobis irrefragabilis esse potest de numeroso exercitu Martyrum qui ibi passi sunt, ut fundarent Ecclesiam in sanguine suo novam. Notum est tantum ibi fervorem inter novellos Christianos ignescere, ut stabiliant Sodalitia Martyrum specialia, quibus passim sese adscribunt. Pro Regula autem Sodalitii firmiter profitentur, quicunque adscribuntur, omnia non solum bona sua pro fidei manutentione se libere oppignorare, sed etiam vitam & sanguinem, quandocunque opus fuerit. Quod quidem non solum verbis, sed etiam effectu publice præstant. Etenim certa constat relatione, Anno 1613. in urbe Arima, dum cædi Christianorum tribunal erectum foret, & dies dicta, concurrisse illuc viginti Christianorum millia ultroneè cervicem pro fide Tyranno objectantia, si ita ei luberet. Procedebant autem ordine continuo sex & sex, vestibus candidis, cum Rosario una in manu, & ardente cereo in altera, inclamantes læta voce: *Martyrium, Martyrium, Paradisus, Paradisus Jesu.* Quo quidem concursu multi animati sunt, & ipse Tyrannus territus obstupuit. An non & hic vides in Sulamite nova Choros castrorum, aut Castra chorisantium? An non hic agnoscis turmas illius, cujus est nomen *Dominus Deus Exercituum?* Vere hæc est Sodalitas sancta, Martyrum Sodalitas.

PARS II. *Castra & chori Ecclesiæ applicantur multitudini Virginũ & Martyrum.*

SPecialiter vero dicamus, ex fœmineo sexu Deum exercitus integros, sibi comparare, ut adversarias prosternat potestates cum ignominia, adimpleatque illud: *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia,* &c. Quapropter & hic merito dicere possumus: *Quid videbis in Sulamita,* nisi castra & choros Virginum, sanguine etiam suo triumphantium contra hostes & seipsas in victimas sacrificales offerentium, ut possint quocunq; Agnum sequi triumphantem? An requirimus Virginum choros & cuneos, pro fide ad sanguinem usque decertantes? Ecce coram oculis nostris est exercitus undecim millium in terra nostra, in Colonia Agrippina, ad internecionem usque dimicans pro Christo, & Virginitatis ac fidei tutela. Harum memoria hodie in benedictione est toto in Belgio & inferioti Germania, quia earum ossa variis in locis pretiosæ asservata, odorem germinant suavitatis, quasi Rosæ & Lilia. Quapropter dicere possumus cum gaudio, in consideratione horum sacrorum pignorum, illud Canticorum: *Flores apparuerunt in terra nostra:* Flores utique purpurei, germinantes suavitatis odorem cœlo & solo, nobisque benedictionem. Flores transplantati ex Anglicano solo divina providentia in Germanicas oras, quas suo rigarent & sacrarent cruore, dum *Tempus putationis advenit.*

1. Cor. 1.

Cant. 2.

Harum porro nobilis Dux & Princeps fuit Ursula, eas secum ducens, animansque ad castitatem & fidem ad sanguinem usque tutandam, dum in eas Hunni, gens ferocissima, irruerent. Hæc est quasi Regina, in cujus honore sunt filiæ hæ Regiæ, Regi Regum ad serviendum oblatæ. Hac nobili cincta sequela, quasi Regina assistit à dextris Regii Throni circumdata varietate. Et de illa merito canere possumus illud Epithalamii: *Adducentur Regi Virgines post eam, proxima ejus afferentur tibi in lætitia & exultatione.* Rursusque de ipsa dicere pergimus: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, O filia Principis!* Certe filiam fuisse Principis, narrat ejus Historia. Sed in hoc non gloriatur, quod Principis terreni filia fuerit; at potius in hoc, quod filia Principis cœlestis, imò & Sponsa, electa fuerit, cui tot Pedissequas honoris offerre potuerit. Quid dico Pedissequas? filiæ sunt, ac flores, fructusque ejus, *Generatio sancta & casta cum claritate, cujus memoria immortalis erit apud Deum & homines.* Potest ergo & Ursula, fœcunda Mater, illud merito decinere: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honestatis, Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.* Resecti rami hujusce vitis liquorem pretiosum sanguinis sui in libamen Domino profuderunt; sicut & Apostolus suo approximans martyrio: *Ego enim jam delibor.*

Dux Virginalium. Ursula.

Cant. 7.

Sap. 7.

Fœlices dicimus illas Matres, quæ in conjugio multas proles genuerunt, quas potuerunt Deo offerre. Sic fœlix Mater Machabæorum de qua dicitur: *Supramodum autem Mater mirabilis, & bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub uno die tempore conspiciens, bono animo ferebat propter spem quam in Deum habebat, singulos eorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia, & fœminea cogitationi masculinum animum inserens.* Sic & felices dicimus S. Symphorosam, S. Felicitatem, & similes, quæ etiam proles suas per martyrium Deo consecrarunt, non aliud ab illis requirentes pro educationis & partus laboribus, quam *Pii sanguinis mercedem*, ut loquitur S. Ambrosius. Quidni ergo felicissimam pronunciemus S. Ursulam, quæ licet corporaliter hanc multitudinem Virginum non generarit, spiritualiter tamen eas genuit & ad Christum adduxit, ac ad martyrium animavit, earumque sanguinem castum Deo libavit, non minus conflans quam Mater Machabæorum in exhortando omnes, *masculinum animum*, sicut & illa, *fœmineæ inserens cogitationi.*

2. Mach. 7.

Sic non est Virginitas infœcunda, sed numerosam proferre potest sobolem, ita ut S. Cyprianus de Virginibus dixerit, esse *Florem Ecclesiastici germinis Gaudet*, inquit ipse, *in illis, atque per illas largiter floret Ecclesia Matrus gloriosa fœcunditas quoque plus gloriosa fœcunditas numero suo addit, tanto gau-*

S. Ursula Christo & Ecclesiæ fœcunda.

gaudium Matris augescit. Ursula itaque Christo, Ecclesiæque genuisse censetur undecim millia, tanquam Matris fœcundæ fœcunda etiam filia: sed & quotidie novas proles generare censetur, quia sub vexillum suum congregat innumeras Virgines quæ Religioni sese addicunt ab ejus nomine, URSULÆ dictæ. In sinu & protectione & directione ejus quiescunt, & varias Europæ Provincias suo zelo ac odore lætificant. An non & harum merito Mater dicitur, Princepsque ac Dux, S. Ursula: O verè Mater fœcunda! O beatum ejus semen, quod contrit caput serpentis! O pulchra & casta generatio cum claritate, *generatio filiarum quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob!* O fœlices Virgines, quæ adducuntur Regi post eam!

Psal. 23.

PARS III. *De honore undecim millib. Virgin. debito.*

MAgno sunt honore dignæ Virgines, quæ sub Ursula militantes, irruentibus in eos infidelibus, Fidei & Castitatis victimæ fuerunt. Ideo & ossa earum variis in locis pretiosè asservantur, tanquam monumenta virtutis, testimonia beatæ confessionis, pignora patrocinii, stimuli castitatis, organa Spiritus sancti, æternitatis semina, & variorum miraculorum instrumenta. Etenim multis ea miraculis ab initio glorificavit Deus, quorum adhuc modo remanet memoria.

Protectione speciali harum Virginum Colonia sancta ab Hunnis liberata fuit. Nam Hunnis civitatem obsidentibus, apparuere super muros millenæ Virgines, dimicantes contra feroces istos hostes, eosque in fugam cogentes. Quapropter moniti sunt cives cœlesti lumine, harum Virginum reliquias humi jacentes diligenter colligere, & cum pietate adservare, honorificeque collocare. Meritis harum undecim millium ac Thebæorum Martyrum adscribunt Colonienses, quod urbs eorum ab eo tempore quo fidem accepit, nunquam ab ea defecerit. Hinc illud de ipsa canitur.

Ex quo fidem recepisti,
Recidiva non fuisti,
Civitas pranobilis.

Voluit ergo Deus Templum speciale illis erigi, in quo sacra hæc pignora componerentur cum honore; illoque loco à Colonienſibus erectum est, ubi pars præcipua corporum jacuerat.

Audi & aliud. Cum incertum foret, quo in loco S. Ursulæ ossa sepulta forent, de qua tanquam cæterarum Duce præcipua cura erat; S. Cuniberto sacrificium offerenti & signum à Deo ad hoc postulanti, apparuit tertio Columba, volitans ab Altari ad Sepulchrum, à Sepulchro ad Altare; visaque tandem est etiam ab ipso populo, quasi indigitans & designans locum, in quo hæc Antesignana tumulata erat. Hæc Historia in dicto Templo parietibus depicta etiamnum cernitur, quam de propinquo conspicere mihi licuit, atque etiam oblationem Missæ facere in Sacello S. Ursulæ coram ejus venerando Capite.

Vitu sorigera.

Quid vero mirum, quod Columba Ursulæ sepulchrum viro sancto designat, cum & ipsa SS. Virginum aptissimum sit Symbolum, ob puritatem, simplicitatem, innocentiam, mansuetudinem? Hinc & illis Virginibus millenis, pro fide & pietate sine felle patientibus, recte pro Symbolo inscripseris: COLUMBÆ SIMPLICES. Atque olim notum est, Romæ in sepulchris Martyrum pro Symbolo Martyrii insculptam fuisse PALMAM, pro symbolo virginei triumphi in sepulchris Virginum adjunctam fuisse COLUMBÆ sculpturam quod & nunc visere licet. Dicamus ergo de his Virginibus. *Quæ sunt istæ, quæ ut Columbæ volant, aut quasi Columbæ lacte lotæ residentes juxta fluenta plenissima?* Lacte fidei lotæ sunt & candidæ, immò & in sanguine suo & Agni laverunt stolas suas, quasi in lacte candidissimo. Ecce ergo grex Columbarum simplicium, mortem contemnens, & per vulnera ac mortem volitans, ut in cœlum volando pertingat. O fœlix columbina sine felle simplicitas & puritas in tertis morti sese offerens ultroneè, ut acris sublimioris tandem puritate perfruatur in cœlis.

Columba SS. Virginum symbolum.

Cant. 5.

Hoc *Columbarum* nomine solitus fuit Virgines has insignire B. Hermannus, Ord. Præmonstratensis, qui & Joseph nominatus fuit ob puritatem, & Virgini specialiter desponsatus, vere ALTER JOSEPH. Habuit autem ipse multas revelationes de S. URSULA & Sodalibus ejus. Mira enim his Virginibus & Martyribus afficiebatur, miraque animi puritate his erat conjunctus & familiaris. Multa ab eis discebat secreta, & quædam ei suarevelarunt nomina & afflictum consolatæ sunt. Ut autem eis sanctum suum testaretur amorem, novi cantus historiam in earum honorem composuit. Cumque admovisset manum ad scribendum, una ex illis ei apparuit, & quid scribendum foret, edocuit. Quin & Columbam pulcherrimam suo humero insidentem vidit, suis auribus perpetim rostrum inserentem; quam non dubita vit unam esse ex illarum numero. Quapropter has Virgines solitus est vocare COLUMBELLAS. Cum verò melodiam historiæ dare decerneret, quoties ad id animum applicuit, vidit chorum Virginum in aëre, & audivit cantum depromentem, qui verbis ab eo scriptis congrueret. Hoc ipse testatus est illi, qui ejus vitam descripsit, quam legere licet apud Surium. Sæpe enim ei dicebat: SACRÆ COLUMBELLÆ mihi auctores fuerunt hujus melodiæ, quam edidi.

Adjiciamus & hoc pro honore Sanctarum harum Virginum & Martyrum, quod in tantum earum sepulchra & templum Deus voluerit honorare, ut nullum aliud corpus cum eis voluerit sepulchri participationem habere in illo loco cœlitus eis designato; quantumvis viri Principes id quandoque postularint & alii pietate illustres. Semper enim terra illa virgineis hisce choris destinata, dicitur rejecisse aliorum quorumcunque corpora, quæ ibi

tumulabantur. Adeo ut ne quidem infantium post Baptismum in innocentia decedentium corpora voluerit condere; sed si ibi sepeliebantur, subsequenti die ea in lucem è tumulo rejecta cernebantur, & alibi sepelienda deportabantur. Hoc in tabulis publicis in eo Templo Coloniæ suspensis legi. Quinimo & hoc pro miraculo ibidem refertur & legitur, terram inde sumptam, & ad loca ubi animalia venenata inficiunt, deportatam, venenum fugare, animaliaque virus fundentia. Quod quidem & Melitenses de sua terra prædicant, & *Gratiam S. Pauli* vocant; quia cum ibi à Vipera correptus foret, nihil illa ei nocuit, sed Militensis Insula gratiam exinde accepit, ut à venenatis animalibus foret libera, atque ut ipsa terra etiam alio asportata virus fugaret, ut graves tradunt Historici.

Concludamus igitur & dicamus, Sanctas has Virgines & Martyres à Deo non solum in cœlis, sed etiam in terris fuisse variis decoratas privilegiis. In vita eas defendit speciali protectione, ne violarentur abimpuris & salacibus militibus in eas irruentibus. In morte eis fortitudinem contulit & constantiam, ut zelo Castitatis & veræ Fidei mortem lubenter & fortiter obirent. Post mortem eas honoravit specialis sepulchri honore, ac variis miraculis. Denique adhuc modo eis dat specialem potestatem protegendi Civitates & Oppida, in quibus earum aliqua residentpignora, aut in quibus particulariculturcoluntur & invocantur. Imò in morte suis cultoribus protectionem impendunt & auxilium particulare; quod quidem ordinavit Deus in earum gloriam specialem.

Audi hac de re exemplum & testimonium ex Thoma Cantiprato, Suffraganeo Cameracensi, libr. 2. Apum. cap. 53. Bruxella Urbs est magna & nobilis Brabantiæ. In hac Hospitale est pauperum præcipuæ charitatis, & religione præclarum. In isto Soror quædam fuit multo labore satagens; quæ gravi infirmitate, detenta humanis rebus exempta est. Cum vero ab hora diei tertia usque post Vesperas mortua jacuisset, revixit subito, & erexit se. Convocatisque Sororibus & omnibus qui præsentes erant, dixit: *Virginalem illum exercitum Coloniensem vivens quotidie veneratasum, & earum precibus nunc ab expiatorio pœnis liberatasum, & ad hoc ad vitam redire compulsa, ut omnibus earum memoriam digne habentibus affutura in morte suffragia nunciarem, dummodo in vita tales exeant, quibus oratio possit suffragari. In hoc testimonio reddo spiritum iterato.* Atque ita denuo defuncta quievit. Hæc ibi Cantipratanus, testis plane fide dignus, & hoc ipsum testimonium piorum experientia roboratum reperitur.

Respiciamus igitur ad hos Virgineos Choros, Agnum in Cœlis sequentes, ejusque laudes jugiter decantantes, de quo canimus:

Qui pascis inter lilia, sepultos choreis Virginum:
Sponsus decorus gloria, Sponsisque reddens præmia,

Discamus vero ab aliis Christo servire in spiritu & veritate, in castitate corporis & puritate mentis; ut tandem valeamus in harum Virginum societate exultare. Respiciamus quoque ad hæc virginea castra, dum pugnandum est contra Satanam, Mundum, Carnem, & variis tentationibus obsistendum. Poterunt enim hæc Virginum & Martyrum inviolatæ acies nobis esse auxilio & præsidio, ut constanter obluctemur adversus omnes hostes, tandemque cum ipsis potiamur palma & corona. Quod nobis concedat earum intercessione & ope Dux ipsarum Christus JESUS, qui est benedictus in sæcula.

PROFESTO SS. SIMONIS & JUDÆ.

Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! Rom. 10. Lect. 60. tripartita.

THeologi duplex agnoscunt Christi corpus, secundum morem loquendi S. Scripturæ & SS. Patrum: scilicet corpus Christi verum, & corpus Christi mysticum. De utroque autem rectè intelligitur, quod Isaias dicit: *Quam pulchri super montes pedes annuncianti & prædicantis pacem annuncianti bonum, prædicanti salutem, dicenti Sion: Regnabit Deus tuus.* Hoc enim primum verificatur de ipsismet Christi sacratissimis pedibus, sive de ejus adventu exspectatissimo; quia ipse tanquam Princeps & Præco primus divinæ pacis cœlitus mittebatur, *pacificaturus per sanguinem suum, sive qua in cœlis, sive qua in terris.* Propterea in ejus Nativitate pax nunciatur: in ejus oblatione in templo dimittitur S. Simeon in pace: in ejus prædicatione pax resonat, quia venit ad dirigendos pedes nostros in viam pacis; in conversatione pacem nunciat omni domui: in sermone postremo totus est in commendanda pace. Denique, hanc testamento relinquit, hanc mox à resurrectione nunciat, hanc ubicunque promulgat, ut propterea merito ei hic Titulus specialiter conveniat, *DEVS PACIS*, quo Titulo frequenter eum insignivit Apostolus:

Pars I. Thoma convenire Christo. Isa. 52.

Colos. 3. Luc. 2. Luc. 1.

DEVS PACIS sit cum omnibus vobis. Amen. Rom. 15.
DEVS PACIS conteret velociter Satanam sub pedibus vestris. Rom. 16.
DEVS PACIS & dilectionis erit vobiscum. 2. Cor. 13.
DEVS PACIS sanctificet vos per omnia. 1. Thess. 5.
DEVS PACIS det vobis pacem sempiternam in omni loco. 2. Thess. 3.

Specialis ad Christum.

1. Quam pulchri ergo sunt pedes Domini, dum in montes frequenter conscendit, ut oret ut inde doceat Apostolos suos & turbam subsequentem, ut ibi prædicet pacem & viam pacis, ut ibi annunciet salutem & bona æternitatis! An non in monte sedens ad pacem invitat, dum pronunciat: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur?* An non illuc pedes conscenderat, ut ex altiori loco regnum cœlorum humilibus spiritu annunciaret? *Beati pauperes spiritu* Matth. 5.

spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Quam speciosi pedes, quam gratus adventus, annunciantis regnum cœlorum jam appropinquare. Immò & asserentis: *Regnum Dei intra vos est.* An hoc aliud est, quam dicere Sioni, Ecclesiæ suæ novæ: *Regnabit Deus tuus?* Quasi diceret: Non ultra Belial & Satan dominabitur tui, non peccatum, mors, aut infernus. non Duces aut Reges tui antiqui, Moyses, Josue, David; sed ipsemet Deus tuus regnabit in medio tui. Immo si oculos vis aperire, jam de facto regnat: *Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel*; ipse te suis visitat pedibus, suo docet ore; ipse tibi sapientia est & justitia, sanctificatio & redemptio, salus & glorificatio. Hæc omnia comprehenduntur nomine Pacis, quam tibi annunciare venit Deus tuus, Deus Pacis.

Luc. 17.

Isai. 12.

2. 2. Quam speciosi, quamque amabiles sunt pedes Domini, perambulantis Judæam, per oppida, civitates castella, vicos properantis, ut non solum pacem nunciet oretenus, sed etiam omnis generis sanitatem conferat, ægris cæcis, claudis, mutis, & à dæmonio exacerbatis! Certè beatis ejus pedibus hoc inscriptum videtur: *Pertransit benefaciendo omnibus.*

Act. 10.

3. 3. Quam speciosi pedes, à Magdalena loti lachrymis per unctio doriferis unguentis, tersi capillis, apud quos meruit audire: *Remittuntur tibi peccata tua. Vade in pace!* An non hi sunt pedes expectatissimi, annunciantis pacem illam quam nullus alius dare poterat, quæ animam a peccatis liberat? An non hi pedes prædicantis & dantis salutem?

Luc. 7.

4. 4. Quam speciosi pedes, purpureo cruore aspersi, pedes euntis ad crucem, ut *pacificet per sanguinem suum, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris*, & suam Crucem erigat tanquam altare, cui inscriptum sit, *PAX DOMINI*, sicut & altare à se erectum vocavit olim Gedeon! Toties adoramus in loco ubi steterunt pedes ejus, in quo fœdus vitæ & pactum pacis paciscebatur inter cœlum & terram (quando tanquam è cathedra omnibus pacem & salutem annunciabat) quoties adoramus lignum crucis, in quo stetit, in quo figi voluit, in quo *operatus est salutem in medio terræ.* Non recedamus ab illis gratiosis pedibus, si pacem volumus obtinere & salutem.

Iud. 6.

Psalm. 73.

5. 5. Quam speciosi pedes evangelizantis pacem post resurrectionem, quos tenuêre mulieres, primæ post ipsum, & post Angelos, effectæ Nunciæ hujus pacis; quos etiam postmodum tetigit & tenuit Thomas & alii Apostoli, postquam eis dixit: *Pax vobis ego sum.* Nisi hos vidissent aut tenuissent pedes, non ita firmi effecti fuissent Præcones tam beatæ sibi & omnibus populis nunciatæ Pacis.

6. 6. Quam speciosi pedes, qui ambularunt solidè super fluctus maris, dum in hac vita mortali agerent; ut fluctus pacem turbantes se compescere posse ostenderent! Quam denique speciosi pedes hi, qui calcatis fluctibus hujus vitæ, vestigia sua figunt in Oliveti monte, pacis benedictione Apostolis & aliis discipulis valedicendo impertita in Ascensione. Felix potest dicere cum Job: *Vestigia ejus secutus est pes meus, viam ejus custodivi, nec declinavi ex ea.*

Iob. 2.

Ex his ergo patet rectè de Christo, & ejus divinis pedibus pro salute nostra de sudandibus, intelligi posse illud thema supra dictum: quia & Isaias in singulari dicit, Speciosos esse pedes ambulantis & prædicantis pacem ac salutem, quod Christo etiam in persona propria competit.

PARS II. *Thema convenire Apostolis.*

SEd quoniam Apostolus in plurali exprimit: *Quàm speciosi sunt pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona*: ideo non solum de pedibus Christi veris, sed & maximè de pedibus ejus mysticis id intelligendum venit. Qui sunt autem illi Pedes mystici, nisi Apostoli? Hi Pedes Christi dicuntur, quia Christum & ejus fidem, doctrinam, gratiam, amorem, gloriam & nomen per universum tulerunt Orbem, perambulantes de provincia in provinciã, de regno in regnum: *Memores erunt nominis tui Domine, in generationem & generationem. Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in sæculum sæculi.* Hoc est: Nihil aliud respirabunt, quam glorioſum nomen tuum; toto Orbe ferre illud optabunt ut aguoscatur ab omnibus populis & linguis, à Regibus & Principibus, ab omnibus futuris generationibus. Corpus ergo Christi mysticum habet sua membra, sicut Apostolus declarat: *Sicut caput unum est, & membra habet multa, unum tamen corpus sunt ita & Christus. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro*, hoc est, invicem membra variis dotibus adornata, quia variis functionibus destinata. Ibidem fusè declarat Apostolus varia dona in Ecclesia esse, quia varia sunt membra, Hujus corporis mystici vis membra intelligere?

Psal. 44.

1. Cor. 1.

1. Cor. 1.

Caput est Christus, influens vitam in cætera membra.

Corporis mystici membra.

Collum est Maria, per quam hic influxus vitæ recipitur.

Oculi sunt Episcopi & Pastores, toti corpori prospicientes.

Lingua sunt Doctores, Ecclesiam instruentes.

Dentes sunt Catechistæ, panem parvulis masticantes.

Labia sunt Prædicatores, qui distillant myrrham pœnitentiæ.

Aures sunt Confessarii, peccata excipientes.

Manus, qui in operibus bonis sunt desudantes.

Crura sunt Martyres, fortitudine sua corpus sustentantes.

Pedes sunt Apostolici Viri, fidem quocumque portantes.

Cordu instar habet se Spiritus Sanctus, omnia vivificans.

Propterea dicimus in Symbolo Constantinopolitano: *Credo in Spiritum sanctum vivificantem.*

Habet enim se vel instar cordis, vel instar animæ, in corpore mystico Ecclesiæ. Quid agit anima in corpore? inquit S. Augustinus ser. 186. *Omnia membra vegetat: per Oculos videt, per Aures audit, per Linguam loquitur, per Manus operatur, per Pedes ambulat: omnibus simul adest membris, ut vivant, vitam das omnibus officium singulis.* An non hoc ipsum fuit Spiritus sanctus in Ecclesia? An non sine ipso omnia membra consentur mortua? Ecclesia habet membra ante Spiritus sancti adventum, sed sine operatione perfecta, Apostoli nec-dum reddebant lumen, licet forent Oculi: nec prædicabant, licet essent Linguæ; nec miracula faciebant, licet forent Manus: nec circuibant Orbem, licet forent Pedes. At verò ubi Spiritus sanctus advenit, vitalis eorum operatio palam apparuit: *ubi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur*, ut Christo & corpori ejus mystico perfectè servirent. Zach. 12.

Apostoli pedes speciosi.

Hi ergo fuere speciosi & amabiles illi pedes, omni laude digni, quibus Christus Orbem peragravit. A variis autem possunt commendari.

1. *Primò*, a fortitudine & velocitate. Nunquam enim lassi, nullis fracti adversis, Nullis retardati impedimentis, brevi tempore totum Orbem percurrerunt. Hanc velocitatem indefessumque laborem in S. Paulo notans S. Chrysost. in c. 4. 2. ad Timoth. sic loquitur: *Quasi volucrie, imò volucri pernicius cucurrit, quasi igneas alas haberet, quibus mundum, mortes, insidias, ærumnas, delicias, illecebras, & omnia Evangeli impedimenta pervolaret.*

2. *Secundo*, à munditia & speciositate, quia in lutosa vita hujus mundi (hoc est in contagiosa conversatione sæculi) nunquam peccati mortalis immunditiem contraxerunt, per plenitudinem Spiritus S. in gratia confirmati: quinimmò sua speciositate & splendore hærentes alios in vitiorum fœditate ad pulchritudinem virtutis attraxerunt. Christus hos pedes laverat, ut impleretur ex tunc vaticinium istud: *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem?* Si quid pulveris, si quid peccati venialis eorum adhæsit pedibus, hoc est affectibus, mox deterserunt remediis à Christo institutis.

3. *Tertiò*, commendari possunt à perfectione, nam laude digni sunt, quia super montes ambulant, dicente Isaia: *Quam pulchri sunt super montes pedes evangelizantium!* Quod quidem intelligi, non solum quia loca montana indefessi peragrarunt, ut montium incolis fidem nunciarent; sed etiam quia ipsi super montes perfectionis ambularunt, sublimem viam sectati, sublimem sanctimoniam adepti: ita ut eminentes sint super omnes Sanctos veteris & novi Testamenti, super patriarchas & Prophetas, super Martyres & Confessores. Ad horum imitationem quibusdam dicit propheta: *Ascende super montem tu qui evangelizas Sion*, ut scilicet vitæ eminentia doctrinam confirmes quam evangelizas. De his etiam rectè illud intelligi potest: *Suscipiant montes pacem populo, & colles justitiam.* Ipse enim ab eo qui Isai. 40. Psal. 71.

constituetus est Filius Regis æterni, susceperunt tanquam montes & colles cœlestes pacem, justitiam & salutem populo nunciandam.

4. *Quarò*, ergo & præcipuè commendantur ab hac evangelizatione pacis, ab hac annunciatione æternæ salutis: Ipse nimirum Filius Regis æterni, qui per Angelos primum annunciari voluit pacem in ortu suo hominibus bonæ voluntatis, postmodum illam per Apostolos suos toto Orbe mittit vocatq; *Angelos Pacis*, sive pacis legatos. An non his dicitur: *Ite Angeli veloces ad gentem convulsam & dilaceratam, ad gentem exspectantem & conculcatam?* Isai. 18. Hic nempe est populus, qui sub potestate dæmonis captivus, oppressus, conculcatus, per hos veloces Angelos & Nuncios pacis tandem liberandus erat. An non iterum de his verum est illud: *Angeli pacis amarè flebant.* Isa. 33. Quare flebant? præ compassione cæcitatis multorum, qui hanc pacem rejiciebant; reprobationem utique & obstinationem eorum deplorabant, non sine amaritudine lachrymarum: *Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua.* An flebant propter laborem, itinerumque æruminam? Absit. Cur ergo flebant? Quia mittentes semen suum, semen illud preciosum verbi, semen pacis & justitiæ, semen salutis & gratiæ, parum quandoque proficiebant, terram duram & aridam reperientes. Sed ut eam seminatam quaqua ratione redderent, lachrymis suis illam rigabant. Sic Apostolus Paulus dicebat: *Non cessavi per triennium die ac nocte cum lachrymis monens unumquemque vestrum.* Et rursus alibi: *Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est, quorum gloria in confusione ipsorum.* Ecce eundo ibat Apostolus Paulus & flebat, mittens semina sua. Similiter S. Jacobus Major, cum in Hispaniis divini verbi semine jacto pauces convertisset, tristis & flens ambulabat juxta littus fluminis Cæsaraugustani, & Domino legationis suæ negocium commendabat; tuncque apparuit ei Deipara Virgo, Consolatrix afflictorum, jussitque sibi erigi Oratorium ibidem, spondens illam Hispaniæ partem postmodum fœcundè ad Christum convertendam, sibique fore devotam. Sic ergo eundo ibat Apostolus Jacobus, & flebat mittens semina sua. Sic & alii Apostoli: nec in terram inanes fluebant lacrymæ, quia *Venientes venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Lætabuntur sicut *qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando dividunt spolia.* Act. 20. Philip. 3. Isai. 9.

O igitur amabiles & beati pedes evangelizantium pacem, annuntiantium bona! Quænam sunt illa bona, quæ subsequebantur pacem, quam evangelizabant, nisi gratia, justitia, gaudium in Spiritu sancto, fruitio & amor Dei, cum cæteris bonis æternis? Hæc sola nunciare poterant Apostoli, qui omnia repudiarant terrena bona, & reputarant ut stercora: qui egeni & despecti circuibant, docentes contemnere sæcularia, amare cœlestia. Prædicabant Christum pauperem & egenum, de paupere

matre

fratre in stabulo natum, in cruce denudatum, in sepulchro alieno conditum : eum tamen attulisse opes cœlestes & æternas adipiscendas per terrenarum contemptum. Ad has ergo opes & æterna bona omnes vocabant, omnibus illa annunciabant, viamque & modum quo illis possent frui demonstrabant.

Propterea in memoriam eorum decernuntur ab Ecclesia festivitates, in quibus beneficia per eorum prædicationem accepta recoluntur. Ad quas videtur respicere Propheta dicens : *Ecce super montes pedes evangelizantis & annunciantis pacem : celebra Juda festivitates tuas, & redde vota tua, quia non adjiciet ultra ut pertranseat in te Belial : universus interiit.* Nah. 1. Hæc ad novum testamentum pertinent, inquit S. Augustinus 18. de civit. c. 31. *cujus dies festi spiritualiter ita innovantur, ut in vetustatem transire non possint. Perrò per Evangelium exterminata sunt idola, & oblivioni tanquam sepultura tradita jam videmus. Et hanc etiam hac in re prophetiam completam esse cognoscimus.* Respicit ergò Propheta ad Apostolos evangelizantes pacem & gratiam, sicut & Isaias. Et quia per eos diabolus victus est, & relegatus in desertum, idolaque destructa sunt, in quibus colebatur Beel, Baal, Baalim, Beelphegor, Beelzebub, & sub nominibus illis varii Dijgentium, vel potius varia dæmonia adorabantur : hinc dicit, *universus Belial interiit*, hoc est, universa impietas & idololatria apud te cessavit, ô populo Dei ! Dæmonis vires contritæ sunt & non veniat amplius Belial excæcaturus fideles, ut jugum Domini excutiant à se, & ad idololatriam revertantur. *Celebra* ergò *festivitates tuas, ô Juda !* O populo confessionis & divinæ laudis, decerne nunc Deo tuo, decerne & ejus Apostolis dies festivos, in memoriam tot beneficiorum perceptorum, quandoquidem per eos à dæmonis captivitate liberatus es, & erutus de tenebris & umbra mortis, assertusque in libertatem filiorum Dei, ut pace gaudeas, nunc internâ, postmodum æternâ.

Equidem Ecclesia propter hæc Apostolorum festa constituit, præcipiens ea sanctificari : sed quàm tepidè id fit à nonnullis Christianis, & quam imperfectè ! Vix videmur reminisci hos esse qui nos genuerunt ut parentes, qui nos doctrinæ lacte aluerunt, qui sanguine suo corroborarunt in Fide : Hos inquam esse, per quos pacem & gratiam, salutem & æterna dona agnovimus ; quæ quidem per eorum merita & intercessionem assequi possumus : Hos denique adhuc Pastores esse Ecclesiæ & gregis Dominici, quem continuâ protectione custodiat contra Belial, contra incursus malignorum spirituum. Si hæc animo memori recoleremus, majori zelo, majoriqne pietate eorum festivitates celebraremus, quæ olim Ecclesia tanta cum devotione celebrabat, ut totam noctem festivitati præviam in precationibus pervigilem cum luminaribus sacris redderet.

QUod de Apostolis generaliter verum est : *Quàm speciosi pedes evangelizantium pacem*, Rom. 10. PARS III. *Thema annunciatum bona* : Id nunc specialiter declaremus verum esse de duobus Apostolis quorum hodie memoria in benedictione est, de Simone scilicet & Juda. Hi duo fratres sunt perfectâ ex omni parte fraternitate. *specialiter hù Apostolis convenire.*

1. *Fratres nativitate & sanguine:* — *Simon & Judas fratres ex utroque modis.*
2. *Vocatione & dilectione.*
3. *Evangelii pacis prædicatione.*
4. *Martyrio & morte:*
5. *Beatitudine & glorificatione.*

Primò quidem nativitate & sanguine, quia filii erant Mariæ Cleophæ, sive alphæi, ex qua etiam natus erat Jacobus Minor. Quare Judas in epistola sua sic incipit : *Judas servus Jesu Christi, frater autem Jacobi.* Iacobus celebris erat sanctitate, ideo doctrinæ quam tradebat Iacobi nomen præfert Iudas, ut tantò majorem auctoritatem habeat, & tantò facilius influat in animos legentium. Dicuntur autem hi *Fratres Christi*, non quòd fuerunt filii Matth. 13. Ioseph ex alia uxore, ut aliqui ex antiquis dixerunt, fuit enim Ioseph virgo ; sed more scripturæ vocantur fratres, hoc est, consanguinei. Sic & Maria Cleophæ, sive alphæi eorum mater, vocatur *Soror Virginis*, Marci 15. non quod fuerit filia S. Annæ & Ioachimi, ut ex veteribus etiam nonnulli tradiderunt ; sed soror idem est quòd cognata, vel consobrina, seu affinis phrasi hebræa. Unicam enim filiam S. Annæ MARIAM Deiparam probabilior opinio agnoscit. 1. *Sanguinis.*

Secundò, fratres sunt Simon & Iudas speciali vocatione & dilectione. Christus enim eos ad Apostolatum vocans, effecit fratres spiritu & mente, qui erant fratres carne & ventre. Sicut olim ex Ægyptiaca servitute Deus educens populum suum, constituit duos fratres Moysen & Aaron ejus in Duces : Sic populum novum volens educere è peccati captivitate multa paria fratrum elegit, Duces eos populi inaugurans. Fratres erant Petrus & Andreas, Fratres quoque Jacobus Major & Iohannes, fratres denique Simon & Iudas cum Iacobo Minore. Voluit per id edocere, Doctores populi Christiani fratres esse debere, dilectione & pace, concordia gratiæ & doctrinæ : immò & Christianismum fundari in vera fraternitate, sicut & Apostolatum. De hac recte disserit Beda : *Cùm Christus carnis fratres elegit, ostendit quod qui discipuli tui ejus volumus adhærere, fratres esse debemus ; non carnes, sed spiritus ; non genealogiæ, sed charitate ; quia unum Patrem habemus in Deum & Matrem nostra Ecclesia est.* 2. *Vocationis.*

Tertiò, fratres fuere evangelii pacis prædicatione. Cùm enim Christus eos repleviset eodem spiritu, eodemque zelo divinæ gloriæ, Duces eos emisit ad bellandum junctim bella Domini contra Satanam & infernum, contra idola & peccatum. Undè quidde Iuda Machabæo & de fratre ejus Simone dicitur, ida prætiam his duobus Ducibus convenit : *Iudas & Simon frater ejus præliabantur præ-* 1. Macc. 3. 3. *Practicæ.*

Item: Israël cum lætitia. Quoniam autem hoc prælium ad pacem & quietem populi electi ordinabatur, ideo dicamus potius eos fuisse duos Legatos emisses ad evangelizandum pacem, ad annuntiandum bona, ad inclamandum populo fideli: *Regnabit Deus tuus.* Quam pulchri super montes, quàm amabiles & speciosi pedes horum Apostolorum per orbem discurrentium, ut evangelizent pacem beatitatis, bona æternitatis? Quam pulchri pedes Simonis, evangelicâ prædicatione peragrantis Ægyptum, & montes ac deserta ejus percurrentis, ut gloriam Dei promoveret, & idolorum delubra ibi everteret! Quam speciosi pedes Judæ Thadæi, in Mesopotamiam pergentis ad eundem scopum & effectum, & efferatas gentes visitantis ad lucem eis proferendam! O quanto zelo prædicarunt! ô quot millia converterunt eloquio pulchritudinis, spiritu charitatis & fervoris! Merito Simon dictus est Chananæus & Zelotes; tum ut distingueretur à Simone Petro; tum quia mirum in modum zelo zelatus est pro gloria Dei, pro Domino Deo exercituũ. Meritò & frater ejus dictus est Iudas Thadæus & Lebbæus; tum ut distingueretur à Iuda Iscariote; tum quia Thadæus & Lebbæus idem est quod Leoninus, cordatus, & animosus, seu imperterritus & corde infractus. De hoc Iuda loquens Divus Paschasius lib. 12 in Matth. *Non vacat mysterio*, inquit, *duos fuisse Apostolos hoc nomine vocatos, ut unus dicatur Iudas Iacobi, alter Iscariotes, quia Iudas Confessio interpretatur. Ideo duos istos inter discipulos voluit Deus, ut unus teneret formam verè confitentium, fideliter permanentium cum Domino: alter verò eorum partem exprimit qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant.*

Hic Thadæus à multis traditur missus post Christi ascensionem ad Abagarum Regem Edesse, ut ei Christus vivens promiserat; ipsumque cum populo Edesseno fide Christi imbuisse & baptizasse: Quàm pulchri pedes regno huic evangelizantis fidem, quàm speciosæ manus impositæ verrici Regis, & subditorum ejus per baptizationem! Rem sic enarrant. Abagarus Rex infirmitate longâ correptus litteras dederat ad Salvatorem, hunc ferè in modum: *Audivi de te, & sanitatibus, quas confers sine medicamentis aut herbis: sed solo verbo cæcis visum, claudis gressum, leprosis sanitatem, mortuis vitam reddis. Quibus auditis, cogitavi in animo meo unum esse è duobus, aut quod tu sis Deus, descendensque de cœlo ut hæc facis. Propterea scribens rogavite, ut digneris huc venire, & ab agritudine diuturna me curare.* Christus autem Dominus in hunc modum respondisse fertur: *Beatus es qui credidisti in me, cùm ipse non videris me. Scriptum est enim, quia hi qui me non vident credent, & qui me vident non credent. Quod autem scribis ut veniam ad te, oportet me opus consummare ad quod missus sum, & postea redire ad eum qui me misit. Cùm autem assumptus fuero, aliquem de discipulis mittam ad te; ut curet & vivificet te.* Hanc epistolam apocryphum vocat Gelasius Papa dist. 15. c. *Sancta Romana.* Non quòd velit esse falsam, sed quia non est certæ auctoritatis, aut canonica, quamvis possit esse vera. Eusebius dicit se ex Archivis Urbis Edessenæ eã extraxisse; illius etiam mentionem facit S. Ephrem Diaconus Edessenus in suo Testamento Theodorus Studia epist. ad Paschalem Papam, Nicephorus, Evagrius, & alii Historici antiqui. Addunt Christum, imaginem suam miraculosè linteo impressam ad Abagarum misisse; quæ postmodum multis effulsit miraculis, de qua & S. Damasc. 4. lib. de fide orthodoxa, c. 17. Ulteriùs dicunt antiqui Historici, Thadæum missum post Domini ascensionem ad Regis regni ejus instructionem & illuminationem, tanquam Apostolũ & discipulum à Domino ei promissum: cumque radiaret in ejus facie quippiam divinum, mox Regem agnovisse promissi antea sibi facti ad impletionem. An non meritò dixerimus hic: O quàm speciosi pedes, quam speciosa facies Thadæi Evangelizantis pacem annunciantis bona æternæ lucis, & perennantis splendoris! S. Hieron. in Matth. 10. Beda Act. 1. Fulgent. serm. 9. non agnoscunt nisi unum Thadæum Apostolum; aliqui alii dicunt unum fuisse ex 72. discipulis.

Quartò, fratres sunt Simon & Judas martyrio & morte, ac per hoc gloriâ & beatitudine. Hæc est vera fraternitas quæ nunquam violari potuit certamine, quia effuso sanguine secuti sunt Dominum. Propter testamentum Domini perstiterant in amore fraternitatis: quia unus semper fuit spiritus in eis & una fides. Ideo sicut socii & fratres fuerunt consimili passione, ita & fratres ac socii sunt in consolatione cohæreditate gloriæ, canuntque modò cum jubilatione: *Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum. Quia illic mandavit Dominus vitam & benedictionem usque in sæculum.* Ut autem intelligamus specialiter quomodo fratres ac socii fuêre in martyrio & morte, rememorandum est Ecclesiastica Historia, quod postquam Judas Mesopotamiam, Simon autem Ægyptum peragrasset convenerunt simul in Persidem: ubi innumerabiles ad Christum converterunt, in vastissimis illis regionibus & efferatis gentibus annunciando Evangelium pacis & salutis, illudque miraculis plurimis confirmando. ibi pugnarunt contra Magos, Regem ac Principes ejus dementate suis præstigiis & aside avertere molientes. Certarunt contra Idolorum Sacerdotes, & contra Dæmones in Idolis oracula dantes, silentium eis imponendo, & è delubris ejiciendo in virtute Christi. Quod tandem nos ferentes Magi, ac Sacerdotes impii irruerunt in eos & enecarunt crudelissimè. In illa autem hora, cum foret magna cœli serenitas, tanta subito fulgura & tonitrua apparuisse dicitur ut templum idolorum trifariam, discinderetur cum ingentis populi oppressione; duoque Magi Apostolis adversarii ictu fulminis in carbones redacti fuerunt. Cùm autem Rex Persarum (qui fidem susceperat, & cum eo sexaginta millia hominum) hoc inaudisset, in Ba-

4. *Martyrio & morte.*

Psal. 132.

in Babylonem Apostolorum corpora reduci imperavit, ubi sua erant Regia; atque ibi Ecclesiam eorum sacris pignoribus condecorandam exædificavit. Hæc passim in eorum referuntur Legenda. Quicquid sit, certum hoc est, sacra eorum corpora postmodum translata fuisse Romam, & in Basilica S. Petri reposita esse, ut juxta eum mortui conderentur, quem in vita dilexerunt, quemque Caput omnium Apostolorum à Christo constitutum agnoverant. Hoc etiam congruebat, ut non separetur Simon à Simone Simon zelotes à Simone Petro: ut sicut nomine & fide non fuerant separati, ita non separarentur cultu & ejusdem loci religione. Illud quoque novimus, Judam Apostolum S. Bernardo Abbati fuisse maxima veneratione ac deliciis. Auctor enim vitæ S. Bernardi c. 5. narrat, ipsum reliquias S. Judæ Hierosolymis ad se missas mirâ devotione excepisse, adeoque moriturum jussisse eas secum sepeliri, & pectori suo superponi: *Usique devotionis & fidei intuitu, ut eidem Apostolo in die communis resurrectionis adhæret*, inquit, idem. Poterat ergò dicere S. Bernardus ex affectu erga hunc Apostolum & sacri ejus corporis pignus: Quàm beati pedes, quam beata membra, evangelizantis pacem, annunciantis bona, & nunc fruentis pace illâ quam evangelizabat, & bonis æternis, quæ annunciabat!

Concludamus igitur nos, & repetamus de his duobus fratribus: *Quàm speciosi pedes evangelizantium*, quàm speciosi & amabiles pedes ambulantium in hac via lutosa sine sorde, sine crimine ambulantium super mare & fluctibus hujus sæculi sine discrimine! Quàm validi, quamque potentes pedes conculcantium & conterentium caput serpentis & super aspidem & basiliscum ambulantium, ut ultra calcaneo nostro non prævaleat! Quam speciosi & amabiles pedes vinculis & compedibus pro Christi amore & fide constricti, dicente Cypriano universim de Martyribus: *Imposuerunt compedes pellibus vestris, & membra felicia ac Dei templa infamibus vinculis colligarunt, quasi cum corpore ligetur & spiritus, aut aurum vestrum ferri contagione violetur. Ornamenta sunt ista, non vincula: nec Christianorum pedes ad infamiam copulant, sed clarificant ad coronam. O pedes felicter vincti, qui itinere salutari ad Paradisum dirigantur! O pedes in sæculo ad tempus ligati, ut sint semper ad Dominum liberi!* Hæc Cyprianus epist. 25. ad Martyres.

An verò pulchri solùm pedes Martyrum, vel Apostolorum, ambulantes quoquò versum ad aliorum conversionem, aut vincti ad propriam salutem? Immò quam speciosæ & amabiles manus eorum, præclara opera & miracula ac portenta in conspectu cœli & terræ operantium! Quam speciosa lingua & labia laudantium & benedicentium Dominum perenni laude & benedictione! Quam speciosi oculi cœlum continuò intuentium & lachrymis trigantium divini verbi semen, ut fructum afferret in patientia! Quam speciosi & pretiosa corde asperantium amorem sæculi, amoremque omnem terrenum, & nonnisi amorem Dei cœli respirantium. Quàm pretiosa membra, quàm speciosæ animæ sese perfectè immolantium in Dei honorem, & offerentium in consummatum & perenne holocaustum!

Conclusio.

DA nobis, Domine Jesu, amplecti toto cordis affectu pacem quam hi Apostoli tui evangelizarunt, amplecti salutem & gratiam quam annunciarunt, & sequi vestigia eorum, per quę super montes evangelicæ perfectionis nobis præiverunt. Da nobis eorum venerari & imitari fidem & zelum, patientiam & charitatem, fortitudinem & perseverantiam, ut qui per eos ad agnitionem nominis tui venire nos fecisti, etiam concedas eorum gloriam sempiternam & proficiendo celebrare, & celebrando proficere, donec tandem ipsorum beato consortio digneris æternùm associare.

IN FESTO OMNIUM SANCT.

LECT 6. In 6. Stationes divisa.

O Israel, quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis ejus! Baruch. 3.

Omnes Sancti & Sancta Dei, intercedite pro nobis.

REgina Saba in Jerusalem progressa ut videret Regem Salomonem, cum considerasset attenta mente sapientiam ejus domum quam ædificaverat, cibos mensæ, habitacula servorum, ordines ministrantium, stupebat supra modum, & quasi extra se rediens exclamat: *Major est sapientia & opera tua quàm rumor, quem audivi, media pars mihi nuntiata non fuit.* Deinde addit: *Beati viri tui, & beati servituti, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.* 3. Reg. 10.

Jubens & ego hodierna festivitate Christianum quemlibet invitavero, ut congrediamur unâ in Jerusalem, & plateas ejus auro fulgidas circumeuntes, contemplemur ordines famulantium Regi æterno, & habitacula eorum, jubilumque mentis *in voce exultationis & confessionis* sub vexillis triumphalibus. Cum autem nos miseri simus & inopes ipsi autem divites & misericordes, mendicabimus ab eis quæ necessaria nobis sunt, nec repulsam patiemur. Sex vero stationes ibidem faciemus, ut attentè singula contemplemur. Psal. 41.

Prima erit apud mansionem Patriarcharum & Prophetarum.
Secunda apud mansionem Apostolorum.
Tertia apud mansionem Martyrum.
Quarta apud mansionem Confessorum.
Quinta apud mansionem Virginum.
Sexta apud mansionem puerorum innocentium.

Hic poterimus agnoscere, quàm verè pictum: *O Israel, quàm magna est domus Dei!* Hic etiam intelligere poterimus cur Dominus dixerit: *In domo patris mei mansiones multæ sunt.*

Primò

I. Statio. *De mansione Patriarcharum & Prophetarum.*

PRimò inter famulantes Deo ab Ecclesia invocantur Patriarchæ & Prophetæ. Sistamus hic paululum, & consideremus in hac mansione prima quinam habitent. Si introspiciamus, agnoscemus ibi Abel, primum illum electum propter cordis innocentiam, Adamum quoque patrem ejus electum propter pœnitentiam, Noë propter justitiam, Abraham propter obedientiam, Isaac propter fidem & sinceritatem, Jacob propter devotionem, Joseph propter castitatē, Moysen propter mansuetudinem, Phinees propter zelum, Job & Tobiam propter patientiam, Davidem & Ezechiam propter humilitatem & pietatem. Ibi inveniemus Isaiam, Hieremiam, Joannem Baptistam, & alios Propheras, cum Machabæis pueris, qui enecati fuēre propter veritatis manutentionem, & electi ob insignem constantiam. Sed & ibidem cernere est centum quadraginta quatuor millia signatos ex omni tribu Israël. Ergo hic meritò repetimus: *O Israel, quam magna est domus Dei!* Hi omnes velut exercitum constituunt, ex illis conflatum qui militarunt sub protectione Dei Jacob, atque in triumphali suo labaro pro elogio inscriptum habent; *Hæc est generatio quærentium Dominum quærentium faciem Dei Jacob.*

Virtutes illorum.

Psal. 117.

Ibi *vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum.* Ibi Moyses non in foramine petræ, sed in faciei divinæ perenni contemplatione inclamat, & æternùm inclamabit: *Dominator, Domine Deus, misericors & clemens patiens & multæ miserationis, & verax qui custodis misericordiam in millia.* Jam non ei necesse est suppliciter dicere Domino: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciamte.* Nec necesse est ei rursus ut olim repetere instantissimè: *Ostende mihi gloriam tuam.* Jam nimirum perfectè completum est quod Dominus ei tunc promisit; *Ego ostendam tibi omne bonum.* Jam non amplius ei dici potest: *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo & vivet.* Jam sublatum est velum omne quod faciem tegebat, & solum humeros ostendebat.

Voces exultantium Pat. & Proph.

Exod. 34.

Exod 33.

Similiter David in voce exultationis & sono epulantis ibi nunc inclamat: *Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Et rursùs eodem perenni jubilo insonat: *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Non ei necesse est ultrà ingemiscere: *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei? Fuerunt mihi lachryma mea panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus?*

Psal. 71.

Psal. 83.

Psal. 41.

Sic & Elias à vita Dei, quæ est vita per essentiam & fons vitæ, vitam hauriens perpetuam, meritò nunc repetit perenniter illud sibi dum inter mortales ageret familiare: *Vidit Dominus Deus Israel in cujus conspectu sto.* Stat utique in conspectu Dei, in conspectu illius de quo dicitur: *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* Non ei necesse est ultrà timere Dominum transeuntem, cum spiritu grandi & forti subvertente montes, & conterente petras, nec vehementem commotionem terræ, neciguem crepitantem transeunte Domino. Non ei etiam necesse est in sibilo auræ tenuis (in quo alloquitur eum Dominus) operire vultum suum pallio, quia jam datur facie ad faciem, ore ad os loqui, sine intermedio, sine operimento, & gloriari in divini vultus splendore rutilo.

3 *Reg.* 17.

Joan. 1.

Denique, jam ibi Isaias Propheta, ex omnium sensu & consensu, insonat perpetim: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod præparasti Deus diligentibus te.* Jam apertiùs videt Dominum sedentem super solium excelsum, & cum Seraphicis spiritibus concinit: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum*, nec ab hac laude cessabit in perpetuum.

1. *Cor.* 2. *Isa* 64. *Isa.* 6.

Inclamemus in hac statione apud hanc mansionem: *Omnes SS. Patriarchæ & Prophetæ orate pro nobis.* Mendicemus hic opportunè, importunè, fidei & spei firmitatem quâ emicuerunt, & pro salute animæ inter negotia sæculi imploremus benedictionem, ut eorum vestigia sectari valeamus. Ipsi enim licet fragiles & lutea vasa portantes, inter proles & famulos; inter domestica negocia, inter opes & sæculi tricas ad portum pertigerunt salutis, licet tantam gratiam, tantaque media tunc temporis non daret Deus, quam hoc tempore consummatæ redemptionis. Nemo ergo se excuset in quolibet statu, ne quidem in conjugio, super difficultate assequendæ salutis, ob proles, ob familiarem, ob negotia. Hi enim satis ostendunt, quomodo & inter hæc justitia erga proximum, fidelitas erga Deum, temperantia erga seipsum, cordis denique innocentia servari possit, sicque gressus figi inter temporalia, ut non amittantur æterna.

Emendanda ab hu fida & spei firmitas.

II. Statio. *In mansione Apostolorum, &c.*

SEcundo, invocatur ab Ecclesia Apostoli, & Evangelistæ, ac Discipuli Domini. Hæc est secunda mansio, ad quam etiam juvabit aliquantulum sistere gradum, & considerare quinam sint illi qui ibi habitent. Sed hoc nos statim edocemur, attentiùs contemplantes vexillum coloris ignei sub quo triumphant, cui in superiore parte inscriptum legimus: *Nos ipsi primitias spiritus habentes legatione fungimur pro Christo.* In inferiori autem parte hoc habet Elogium illud idem vexillum. *Isti sunt qui plantaverunt Ecclesiam sanguine suo.* Excelluerunt nimirum Apostoli gratiæ donis & abundantiam spiritus super Patriarchas & Prophetas, cæterosque veteris Testamenti Sanctos; ideo etiam eos excellunt in gloria. Rapuerunt gloriam & coronam, non otio aut deliciis, sed laboribus indicibilibus, persecutionibusque & sanguine. Pertingerunt ad regnum & triumphum, quidam eorum per crucem, ut Petrus, Andreas, Philippus, alii per gladium, ut Jacobus & Paulus, alii aliis tormentis; omnesq; in sacrificium & victimam Regi Christo se voverunt, ut regni redderentur consortes, & adipiscerentur primatum & principatum inter fratres. Ubi ergo sunt triumphatores, & amici Dei, qui contemnentes jussa Principū meruerunt præmia æterna, modo coronantur & accipiunt palmam,

Rom. 8.

Apostoli Patriarchas & Prophetas in gloria excellunt.

Quibus vitis ad hanc mansionem venerint.

palmam. Ipsi totum mundum devictum in triumphum duxerunt, & Christo Regi suo devoverunt, spolia ampla & trophæa in cœlum invehentes, tot scilicet animas ad fidem & salutem traductas. Unde non soli agunt in mansionibus suis, sed populis illis gloriosè sunt cincti, quos Christo acquisierunt, quia verum est illud S. Gregorii hom. 17. in Evang. *Ibi apparebit Petrus trahens post se tot ex eam conversam. Ibi Paulus conversum, ut ita dixerim, ducens secum mundum. Ibi Andreas Achaiam, Ioannes Asiam, Thomas ducet Indiam. Ibi omnes Dominici gregis arietes cum animarum lucris.* Hoc ipsum est quod dicebat Apostolus : *Quæ est spes nostra & corona gloria ? Nonne vos ante Dominum Iesum Christum in adventu ejus ?* Cùm igitur Apostolos triumphantes cum populis innumeris à se conversis in regno cœlesti conspicimus, rursum dicere licet. *O Israel, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis ejus !*

Triumphus Apostolorum.

1. Thess. 2.

Voces exultantium Apost.

Neque verò deest in his eorum tabernaculis vox exultationis, & vox laudis jugiter resonantis

Ibi Petrus Apostolorum coriphæus clamat, & æternum inclamabit : *Bonum est nos hic esse.* Nec de eo poterat dici sicut olim in monte Thabor ; *Nesciebat quid diceret* ; quia verè nunc non stillam percipit dulcedinis & bonitatis, sed perfectissimè possidet summum bonum omne, bonum, à quo nunquam divelletur. Jam plenius agnoscit illud à se olim pronunciatum : *Domine verba vitæ æternæ habes, ad quem ibimus ?*

Matth. 17.

Ioh. 6.

Ibi Joannes dilectus Domini in sinu ejus securiùs quieuit & de pectore tanquam fonte vitæ hausit cum gaudio copiosissimè, & inclamat cum jubilatione in medio Angelorum & seniorum, inter millia millium : *Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor & virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum, amen.* Ibi non ultrà necesse est ei flere, quia videt librum illum mysticum, scriptum intus & foris, per Agnum apertum, & in eo legit apertissimè & gaudiosissimè quæ scripta sunt, & gratias agens adorat viventem in sæcula sæculorum.

Apoc. 7.

Apoc. 5.

Ira Jacobus perfectiùs quàm olim resonat, & perenniter resonabit illud : *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est descendens à patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* Ipse nimirum possider optimum & perfectissimum omnium donorum à Patre luminum in loco voluptatis, in lumine videns lumen in Patre Filium : nec hæc lux eiunquam immutabitur, aut obumbrabitur succedentibus tenebris O datum optimum ! O lumen & veritas ! O indeficiens & immutabilis æternitas !

Iacob. 1.

Ibi Thomas perenni jubilo decantabit illud : *Dominus meus & Deus meus.* Et id quidem feliciùs quam olim, & contractu beatiore, depulsâ omni obscuritate & caligine Nec ei ultra exprobrabitur : *Quia vidisti me, credidisti.*

Ioan. 20.

Vitia exorigera.

Ibi denique Paulus æternum gratias agit Deo & Patri, *qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii dilectionis suæ.*

Coloss. 1.

Sed quoniam ab hac Apostolorum gloriosa & opulenta mansione non decet nos recedere vacuos, pulsemus & clamemus instar mendicorum, ut spiritum Dei verum ab iis participemus, ut fervorem zelumque gloriæ Dei obtineamus, quo possimus in omnibus sedulò & sincerè gloriam divinam animarumque salutem quærere, vestigia Apostolorum sectantes vel à longè. Dicamus ergo sorti & ex intimo cordis prodeunte voce : *Omnes sancti Apostoli & Discipuli Domini, orate pro nobis.* Nec vereamur importuni esse, divites enim sunt & misericordes. Imò importuni simus, sicut cæcus evangelicus & Chananæa, ut dicant Domino : *Dimitte eos, quia clamant post nos.*

Ab his postulandus zelus gloria Dei.

Matth. 15

TErtiò invocantur ab Ecclesia, omnes sancti Martyres. Habent & hi specialem suam mansionem apud quam etiam nobis statio perutilis erit, considerando quinam degant in hac tertia mansione. Hoc verò nos edocere poterit Labarum & vexillum purpureum sub quo triumphant. Portæ huius mansionis ad pensum in signum victoriæ. Si igitur quæras qui sint isti Triumphatores, qui Principes palatium istud inhabitantes, respondebit tibi Angelus idem, quod S. Joanni idipsum inquirenti : *Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lavaverunt stolas suas in sanguine Agni.* Hoc ipsum est quod instar lemmatis in superiori parte. Vexilli eorum scriptum legere potest. In inferiori autem parte hæc est epigraphe : *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.*

III. Statio. *In mansione Martyrum.*

Apoc. 7.

Psal. 65.

Illic igitur cernere est inter primarios Stephanum gloriantem in suis saxis ; quorum turbine fuit obrutus Laurentium cum craticula, Sebastianum cum sagittis, Adrianum cum incude. Quintinum cum hastili quo fuit transfixus, Victorem cum Molendino in quo fuit ventilatus & attritus. Agapitum prunis ardendibus coronatum, cæterosque cum instrumentis sui supplicii, quasi cum trophæis & saciis symbolis victoriæ. Saltem eorum unusquisque circumfert notam aliquam martyrii quod subiit, & hoc ad accidentalem eorum spectat gloriam. Quia verò innumeri sunt Martyres ab initio novæ Ecclesiæ tot persecutionibus exagitatæ, ita ut Romæ extent plusquam trecenta Martyrum millia : ideo & hic exclamare licet, eorum numerum per universum orbem ab initio in finem usque sæculi contemplando : *O Israel, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis ejus !* Certe nonnulli existimant quolibet die anni facile posse coli & numerari triginta millia Martyrum : cùm autem quotidiè crescat numerus in variis partibus orbis, & in fine sæculi per Antichristum & ejus fautores mire sit augendus, quam magna est domus Dei, quæ hos omnes milites complectitur

Trophæa Martyrũ.

plectitur triumphantes, & per choros varios jubilantes!

Voces exultantium martyrũ. Psal. 20.

Auditur utique in his tabernaculis electorum militum vox exultationis, & vox laudis perennantis.

Ibi S. Stephanus æternâ laude resonat: *Domine prævenisti me in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite meo coronam de lapide pretioso.* O felicia saxa, quæ in rutilantes gemmas sunt conversa, ut æternitatis coronam gloriosam conficiant!

Eccl. 51.

Ibi S. Laurentius cum gratiarum actione numquam interrumpenda exclamat: *Confitebor tibi Domine Rex, & collaudabo te Deum Salvatorem meum,*

Psal. 16.

quia in medio ignis factus es mihi adjutor. Probasti cor meum & visitasti nocte, igne me examinasti & non est inventa in me iniquitas. O felix ignis cor probans, & tamquam aurum examinans, divinique amoris ignem inflammans, dum ad illum perducit

Cant. 8.

de quo dicitur: *Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum.*

Ibi S. Vincentius cum Lausentio consonans jugiter canit: *Adhæsit anima mea post te, Deus meus,*

Ps. 62.

quia caro mea cremata est pro te. Me suscepit dextera tua.

Ibi S. Sebastianus repetit cum perenni exultatione illud: *Tetendit arcum suum, & posuit me quasi*

Thren. 3.

signum ad sagittam, misit in renibus meis filius pharetræ suæ. Nunc quidem amoris divini sagittis confixus jubilat, quia hæ verè sunt filiæ pharetræ Domini, & jacula amabilia in sempiternum.

Ibi S. Clemens in mare projectus cum anchora propter fidem & amorem Domini, in sæcula sæculorum resonabit:

Cant. 8.

Aqua multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Sic & alii Martyres de tormentis suis mirâ lætitiâ & jubilo afficientur, & illud Apostoli inclamare poterunt cum securitate:

Rom. 8.

Quis nos separabit à charitate Dei quæ est in Christo JESU? *An persecutio? An gladius? An Augustia? An periculum? in his omnibus superavimus propter eum qui dilexit nos.*

Ab his patendus constantiæ spiritus.

Ab hac mansione non redeamus vacui, sed quoniam ideo sanguinem fuderunt, & mortem Martyres objerunt, ne Deum offenderent negando vel dissimulando fidem, emendicemus ab eis spiritum constantiæ, & propositum firmum potiùs mortem subeundi per quælibet tormenta, quàm gratiam Dei amittendi. Hoc propositum firmabitur in nobis, si eorum exempla ante oculos cordis nostri proposuerimus. Sic S. Chrysost. nihil magis horrens quam peccatum, è civitate sua fugatus, eò quod nolle consentire Imperatrici Eudoxiæ, exempla Martyrum sibi proponit, nihil timens aut curans, & ita loquitur secum:

Chrysost. epist. ad Cyriacum.

Si Imperatrix me proscribere volet, proscribat: Domini est terra & plenitudo ejus. Si serrâ discindere discindat; Isaiam habeo exemplum. Si me in mare vult projicere, Jonæ recordabor. Si in caminum projicere, habeo tres illos juvenes qui illud pertulerunt. Si me bestiis vult objicere, Danielis memini me in lacum conjecti. Si lapidare me vult, Stephanum habeo Protomartyrem. Si caput auferre habeo Joannem Baptistam. Si substantiam adimere, admonet sanè. Nudus egressus de ventre matris, nudus revertar. Exheretatur me Apostolus: Si adhuc hominibus placerem Christi servus non essem. Armat me & David: Loquebar in conspectu Regum, & non confundebar. Clamemus igitur ad hanc portam: *Omnes SS. Martyres, orate pro nobis.*

Gal. 1. Psal. 118.

QUARTÒ, invocantur ab Ecclesiâ Pontifices beati, seu episcopi, omnesque Sancti cujuslibet Ordinis & status, qui vocantur Confessores, quia in confessione nominis Domini & professione vitæ sanctæ hanc vitam peregerunt. Sistamus & hic, & hæc sit nobis quarta mansio variis distincta habitaculis. Hic agunt non solùm Ecclesiæ Doctores, Episcopi, Pastores, cum gregibus & populis, quos secum in gloriam perduxerunt; sed etiam Religiosi omnes cujuslibet ordinis, qui sæculum calcantes professi sunt cœlo se vivere, & confessi sunt *se non aliud scire nisi* JESUM, *& hunc crucifixum*, cui totam vitam suam devoverunt. Ibi ergo agnosci potest S. Antonius cum innumeris Anachoretis & Eremitis, qui mundo relicto desertum petierunt. Ibi Basilius, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Benedictus, Bernardus, Dominicus, Franciscus, Bruno, & alii ordinum Institutores cum innumeris turmis Religiosorum. Hi autem in vexillo suo triumphali cærulei & hyacinthini coloris inscriptum illud pro lemmate habent: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Agnoscentur hi sicut milites diversæ cohortis per sagum & vestes diversi coloris, & per insignia Ducum suorum. Cum autem adeo magnus sit eorum numerus, rursus hic exclamare libet: *O Israel, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis ejus!*

Ky. Statio. In mansione Confessorum.

1. Cor. 2.

Lemmata Confessorum Religiosorum. Matth. 19.

Confessorum ex conjugio tripudium.

Hi autem qui ex conjugio, per viam patientiæ, pœnitentiæ, humilitatis inter sæculi fluctus ad portum & regnum pertigerunt, viceruntque in mundo mundum, in carne carnem, in occasionibus & illecebris peccati peccatum & infernum, in Labaro suo triumphali inscriptum gestant illud. *Confitebimur ei in æternum, quia nobiscum fecit misericordiam suam.* Erit autem in ipsis diversitas meritorum, & consequenter diversitas gloriæ correspondentis meritis. Et sicut in terris diversitas est admirabilis in facie exteriori hominum: sic erit & in cœlis diversitas faciei interioris animarum. *Stella à Stella differt in claritate*, sic erit & in glorificatione. Propterea etiam Deus diversas vias, diversaque media instituit, quibus omnes possent ad gloriam pertingere. Quidam per viam paupertatis & humilitatis: *Beati pauperes & humiles spiritu.* Quidam per viam liberalitatis & misericordiæ erga egenos: *Beati misericordes.* Quidam per viam charitatis, mititatis, pacis: *Beati mites. Beati pacifici.* Quidam per viam pœnitentiæ, afflictionis, persecutionis: *Beati qui lugent, Beati qui persecutionem pa-*

Tob. 12.

Diversa via ducentes ad gloriam Confessorum.

patiuntur. Omnes denique pertingunt quibus habent

mundi tiem

munditiem cordis, quia hi Deum videbunt. Sic nemo se excuset, quia regnum istud variis modis acquiritur. Alii illud rapiunt apertè, alii furantur occultè, alii emunt sollicitè, aliis datur quodammodo gratis pro calice aquæ frigidæ: *Illi enim qui dederit potum aquæ frigidæ, dabit Dominus fontem vitæ*, inquit S. Chrysologus, agens hac de re. Denique, quod à quibusdam sanguine emitur, aliis petentibus datur: *Petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* *Joan. 16.*

Multiplex Confessorũ jubilus.

Ibi porrò multiplex inter Confessores Domini jubilus triumphalis. Ibi S. Augustinus meritò æterna jubilatione poterit repetere illud à se in Confessionibus tanto affectu pronunciatum: *In pace, in idipsum dormiam, & requiescam. O in pace! ô in idipsum! ô qui dixit: Dormiam & requiescam!* Et rursus alibi: *O ire! ô amare! ô sibi perire! ô ad Deum pervenire!* Non ultra necesse habet clamare nocte & die: *Noverim te, noverim me.* *Aug. ser. de verbis Apost. 17.*

Ibi S. Bernardus inclamat mellifluo amore æternaque fruitione: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia. Inveni quem diligit anima mea, tenui nec dimittam eum.* Jam non ei amplius dilectus instar fasciculæ myrrhæ inter ubera; quia omnis amaritudo recessit, nihil nisi suavitas & dulcedo successit: plenissimus est amor, nullus ei mistus amaror. *Cant. 1. Cant. 3.*

Ibi S. Franciscus repetit jugiter cum jubilo: *Deus meus & omnia, Deus meus & omnia. O portio mea in terra viventium!* Et rursus: *Ecce ergo, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in portentum.* *Esa. 8.*

Ibi S. Dominicus resonat perenni gratiarum actione illud: *O Domine, quia ego servus tuus, ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ* MARIÆ! *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis perennantis.* *Psal. 115.*

Ibi S. Edmundus ultimam quam pronunciavit moriendo vocem, meritò potest tota mentis exultatione repetere: *Amodò hauriemus aquas de fontibus Salvatoris*, sugit enim ad satietatem de fonte salutis, de fonte vitæ. *Isa. 12.*

Ibi S. Ludovicus eandem quam exspirans jugiter vocem insonat: *in conspectu Angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.* *Psal. 137.*

Ab his donis virtutum quærenda.

Non recedamus etiam ab hac mansione, nisi aliquid participaverimus de eorum abundantia & plenitudine: Et quoniam omnigenæ virtutis exempla nobis exhibuerunt in terris, impetremus ab eis donum veræ humilitatis & mansuetudinis, veræ patientiæ & sobrietatis, ut tandem ad eorum pertingere valeamus consortium per eadem exempla & vestigia. Inclamemus ergo hic ex sincero corde: *Omnes sancti Confessores, orate pro nobis.*

5. Statio. In mansione Virginum.

QUintò invocat Ecclesia sanctas Virgines, quarum aliquæ sexum viceruut & sæculum cum illecebris suis, per castimoniam & puritatem carnis & mentis: aliæ etiam virgineum pudicitiæ florem sanguine suo propter fidem & amorem JESU Christi purpurarunt: Ad has igitur inclamat: *Omnes sanctæ virgines, orate pro nobis.*

Sistamus & hic, contemplantes chorum hunc virgineum, in lucidis suis tabernaculis & mansionibus triumphantem. Ibi agnoscemus S. Agnetem, Agno suo cum puritate adblandientem, à quo & nomen accepit. Ibi contemplari poterimus S. Catharinam cum rotâ suâ jam inimicos rotantem, victoriamque de eis æternam reportantem. Ibi cernemus S. Barbaram cum palma & gladio, symbolis martyrii sui perspicuis. Ibi S. Dorotheam intueri licebit in horto & paradiso Sponsi flores & fructus odoratissimos colligentem, quorum odor perdurabit sempiternum. Ibi Agatha cum laminis & forficibus, quibus ejus corpus adustum mamillæque excruciatæ fuerunt. Ibi Ursula cum sodalibus suis undecim millibus in victimam putam Deo immolatis. Ibi denique cæteræ Virgines castitatis & martyrii gloria conspicuæ, & quidem unaquæque cum nota speciali victoriæ per martyrium acquisitæ. Tantus porrò earum est numerus, ut exercitum nobis innumerabilem confient, ita ut dum earum contemplamur amplissimam mansionem, ex admiratione inclamare liceat: *O Israel, quam magna est Domus Dei, & ingens locus possessionis ejus!* O Domine Deus exercituum, quam potens es, & quam sanctus, quia ex fœmineo sexu adeo fragili exercitum etiam tibi colligis, de carne & Satana per sanctimoniam castitatis triumphantem. *Insignia Virginum.* *Baruch. 3.*

Triumphant autem hæ Virgines sub Vexillo rubei & albicantis simul coloris, cui in superiori parte inscriptum est illud Sponsæ: *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Eodem igitur colore gloriantur cum Sponso & Duce suo. In inferiori autem parte scriptum leges illud: *Virgines sunt & sequuntur Agnum quocunque ierit.* Secutæ sunt agnum in hoc sæculo per viam humilitatis, puritatis, innocentiæ, mansuetudinis, patientiæ, & crucis: nunc sequuntur & eum in gloria quocunque, per specialem lauream & aureolam, ei adhærentes singulari familiaritate, & *Agnus deducit eas ad vitæ fontes aquarum.* *Cant. 5.* *Apoc. 14.* *Vita Virginum ad sequentes.* *Apoc. 7.*

Quapropter cum jubilo triumphali decantant canticum novum in sequela Agni, novo & speciali fruentes gaudio inter electos. Sequuntur Agnum *per gaudia, qualia nec in ipso regno Dei cæteris non virginibus erunt sed à cæterorum omnium gaudiorum sorte distincta*, inquit S. Augustinus *Gaudium virginum Christi, de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum. Nam sunt aliis alia, sed nullus talia.* Sic & S. Gregorius in Pastor. 3. p. ad monit. 29. de hoc cantico Virginum ait: *singulariter canticum Agno cantare est cum eo in perpetuum præ cunctis fidelibus etiam de incorruptione carnis gaudere. Quod tamen electi cæteri canticum audire possunt, licet dicere nequeant; Quia per charitatem quidem in illorum celsitudine læti sunt, quamvis ad eorum præmia non assurgant.* *Aug. l. de Virg. c. 27.*

Quam jucundum verò ibi audire virgines decantantes, *Canticum.*

SS. Virginum Agnũ sequentiũ.

tantes, & de incorruptionis munere tanto gaudio exultantes!

Quam suave audire S. Cæciliam, musicæ virginalis Choragam, cantantibus organis tota animi jubilatione decantantem: *Cor meum Domine & corpus mansit immaculatum, & ideo non confundar in æternum.* Non jam cilicio vestitur, ut olim in custodiam castitatis: sed byssо splendenti & candido vestita adhærebat Sponso in testimonium virginei amoris.

Quam dulcisonum canticum Agnetis in sequela Agni nive candidioris, illud repetentis perenni jubilo, quod olim dixit parentibus ad tumulum suum pernoctantibus: *Congaudete mecum, & congratulamini mihi: Ecce quod concupivi, jam video; quod speravi, jam teneo, ipsi sum junctа in cœlis, quem tota devotione dilexi in terris.*

Brev. Rom.

Quam jucundum audire B. Agatham dulcisonam laudem & gratiarum actionem jugiter renovantem, quam Sponsus ejus cordi & ori, dum exspiraret, inspirarat: *Gratias tibi ago Domine, qui me custodisti ab infantia mea, qui abstulisti à me amorem seculi qui me carnificum tormentis superiorem perstitisti; & ad immarcessibilem coronam perduxisti.*

Quam suave audire B. Dorotheam inter flores & fructus in paradiso Sponsi sui æterni amoris voce resonantem: *Ecce tu pulcher es Dilecti mi, & decorus. Lectulus noster floridus: Læva ejus sub capite meo, & dextra illius amplexabitur me, fulcite me floribus, stipate me malis.*

Cant. 1. & 2.

Quam amœnum & lætum audire S. Catharinam exultantem, & cum gratiarum actione dicentem: *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar. Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.*

Psal. 118. Psal. 44.

Denique, quam gaudiosum audire ibi S. Anatoliam & Victoriam, sorores Virgines & Martyres, vocem illam perpetua jubilatione repetentes, quæ cœlitus olim ad ipsas delapsa erat: *O Virginitas, quæ non in operibus tenebrarum, sed semper in lumine versaris! O Virginitas, tu es purpura regalis, quam qui induit, sedet aliis eminentius! O Virginitas, tu es gemma pretiosa & thesaurus Regis, felix qui te custodivit.*

Edo in martyrol. 23. Decēb.

Hoc nimirum est canticum novum, canticum jucundum, canticum supereminens, quod Virgines in sua decantant mansione, in Agni societate. Stemus ad portam mansionis earum, vel à longè sequamur sequentes Agnum, & ploremus, ut implorotemus auxilium ad conservandam castitatem, unicuique secundum statum suum necessariam. Auxilio nobis cœlesti opus est, & quidem continuo, quia teste S. Augustino: *Inter prælia Christianorum sola dura sunt prælia castitatis, ubi frequens est pugna, & rara victoria.* Inclamemus igitur corde & voce: *Omnes sanctæ Virgines, orate pro nobis.*

Est hic implorandum auxilium ad conservandam castitatem.

6. Statio. *In mansione Innocentium.*

SExta mansio à nobis consideranda est, Infantium scilicet cum baptismo decedentium, qui mox à morte securi sunt de salute & gloria. Salvantur enim hi meritis Christi ipsis in baptismo applicatis; nam ibi innocentiæ vestem candidam receperunt, velut sanguine Agni immaculati dealbatam. De his rectè illud Isaiæ dixeris: *Gratis venundati estis, & sine argento redimemini.* Utique sine propria offensa, sine proprio demerito, sine propria voluntate contraxerant à parente Adamo originis peccatum, & traditi erant ab illo potestati dæmonis, quasi gratis. Conveniebat ergo & eos gratis liberari; hoc est, sine propria dispositione, sine proprio merito, per Christi gratiam & meritum eis in baptismo applicatum. O fœlices vos parvuli innocentes, qui securi ad gloriam pertigistis adeo facili medio & remedio! O felices vos, qui non fuistis involuti in hoc mari undoso sæculi tot periculis, in quibus innumeræ pereunt animæ, nec tot laqueis, quibus multi inextricabiliter manent obligati! O quam feliciter navigastis, qui vix mare vidistis, & ad portum appulistis, mox à luce hujus vitæ adhuc in crepusculo suo existente, ad vitæ æternæ indeficientem lucem translati estis. Nos autem inter tot fluctus, inter tot occasiones & scopulos, inter tot suggestiones & tentationes variis agitamur ventis: & suspirare cogimur anxii sub undis, quia sumus sine securitate salvationis. Et hoc quidem verum est etiam de quamlibet piis & sanctis in hac vita adhuc agentibus, quod feliciores sint illis infantes mortui; si spectemus securitatem. Propterea cum dixisse Dominus de S. Joanne Baptista: *Inter natos mulierum non surrexit major,* subjecit: *Qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo* Joannes Patriarchas & Prophetas superabat splendore gratiæ & cumulo meritorum, At infantes majores illo, si comparentur cum ipso adhuc in hac vita agente, eo quod hominis tanta sit infirmitas, ut quælibet sanctitas, cum sit mutationi obnoxia, minor sit quam illa gratia in infantibus, quæ jam est securitate donata. In hunc sensum S. Hieronymus id explicare videtur, dum dicit: *Omnis qui est cum Deo, major est illo qui adhuc est in prælio. Aliud est enim coronam victoria possidere, aliud in acie pugnare.* Hieron in Matth. c. 11.

Matth. 11.

Habent portò hi pro jubilo suo triumphali vocem illam exultationis, quam olim pueri Hebræorum solenniter insonabant: *Benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis.* Habent & eam *Matt. 21. Jubilus in-*dem cum Angelis vocem laudis, *Sanctus, Sanctus nocti-um. Sanctus Dominus Deus exercituum.* Unde & in vexillo eorum triumphali inscriptum leges illud. *Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem.* Et sanè merito sanctum proclamant Deum exercituum, à quo sanctitatem gratis participarunt, sub quo & exercitum quendam constituunt, translati ad supplendum locum Angelorum, qui ceciderunt. Magnus certè numerus est ipsorum, quia per experientiam cernimus magnam partem puerorum ante-

Isa. 52.

Isa. 6. Psal. 8.

quam

quam ad ætatem adultam pertigerint, ex hac vita excedere; & velut flores & fructus immaturos & præcoces adhuc in ortu suo ex hac sæculi arbore excidere.

Vos igitur Parentes considerate, quos proles præmisistis in cœlum, licet præmatura morte (ut vobis videbatur) extinctos. Illos in auxilium vocate, non despicient vocem Matrum, quæ tot labores & gemitus, imò tot cruciatus pro ipsis pertulerunt, sive mox ab utero, sive in ipso utero & partu. Illis ergo vos illud dicite: *Omnes sancti innocentes, orate pro nobis.* Et illud in Litaniis agonizantium apud nos in Parochiali Leodiensi scriptum: *Omnes sancti Infantes, orate pro nobis.*

Sed ad eorum mansionem pulsemus & nos, ut interveniant pro nobis ad gratiam obtinendam pro conservandâ gratiâ baptismali, & candida veste, nobis tunc tradita in symbolum puritatis acceptæ. Felix qui eam conservare potuerit, nam si eam vestem cruentaverimus peccatis & operibus malis, verendum ne flammis tradatur vindicibus, dicente Isaia: *Vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis.* Quod si eam in pulvere & luto hujus sæculi quandoque conspurcaverimus, adhuc tamen per baptismum pœnitentiæ possumus eluere, ut immaculatam tandem perferamus ante tribunal Domini nostri JESU Christi, & hoc ipsum nobis possunt impetrare. Inclamemus igitur confidente voce: *Omnes sancti Innocentes, orate pro nobis.*

Isa. 9.

Conclusio.

COncludamus, & sparsa hic vota intelligentes, junctim omnia in cœlum dirigamus, & dicamus: *Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercedite pro nobis.* O sancti Patriarchæ & Prophetæ, impetrare nobis fidem firmam & spem vivam, quibus velut duobus animæ pedibus ambulare valeamus per hujus vitæ fluctus cum securitate. O Apostoli & Discipuli Domini, impetrate nobis veram sapientiam, ardentemque zelum & charitatem, per quam Domini jugiter quæramus gloriam & animarum salutem. O beati Martyres, impetrate nobis firmam constantiam, & stabile propositum, quo ita in Domino confirmemur, ut nunquam peccati mortalis reatum incurramus, nunquam ab ejus gratia excidamus. O sancti Confessores Domini, orate pro nobis, & impetrate veram humilitatem & mansuetudinem, veram patientiam & temperantiam, veramque pœnitentiam, ut his insistentes vestigiis vestris, ad Civitatem cœlestem, & consortium vestrum tandem perringamus. O beatæ Virgines, intercedite pro nobis, ut in puritate cordis, & castitate corporis, possimus Domino perfectè servire, & quia purus spiritus est, auxilium nobis impetrare, ut possimus eum adorare in spiritu & veritate. O sancti Innocentes, & beati Infantes, intercedite pro nobis, ut vestem innocentiæ, quam maculavimus pulvere sæculi & operibus mortuis, eluere valeamus, & illam tandem immaculatam reddere JESU Christo, vobiscumque & cum omnibus Sanctis illum Sanctum & omnis sanctitatis Auctorem in sæcula sæculorum collaudare.

DE EODEM FESTO. LECT. 62.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum. Matth. 5.

HOmines hujus sæculi quandam beatitudinem constituunt in rebus hujus sæculi, opibus honoribus, voluptate, prosperitate. Hoc & cernimus experientia & agnovit jam olim Prophetа: *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt.* Quænam illa? Quorum filii sicut novellæ plantationes, filiæ circumornatæ, promptuaria plena, oves fœtosæ, boves crassæ: quibus nulla adversitas, nulla ruina, nullus timor, sed securitas & copia omnis in domo & civitate. Interim ut tollat de felicitate & beatitudine erroneam illam opinionem è cordibus Filiorum Dei, dicit hanc esse beatitudinem *Filiorum alienorum; quorum os locutus est vanitatem*, quia & vanitati cor adhæsit. Nempe *hæc est felicitas, quæ ad sinistram pertinet*, ut interpretatur S. Augustinus, hoc est, *temporalis, mortalis, corporalis*; quam etiam possidere possunt qui alieni sunt à Deo, alieni à regno, alieni à veritate, alieni à veris bonis & vera felicitate. Addit igitur, ut veram vitæ etiam hujus felicitatem & beatitudinem ostendat: *Beatus populus cujus Dominus Deus ejus*, sive in egestate sit aut copia, sive agant in honore aut ignominia, sive in adversitate sit aut prosperitate, sive in sanitate aut ægritudine. Hoc enim pro felicitate & beatitudine computat, quod sciat se ad Dominum spectare, Dominumque sui sollicitudinem gerere; tandemque speret eum perfectè possidere, & in illo tamquam summo suo bono quiescere: reliqua tamquam alatere respicit vel despicit.

De 4. prioribus beatitudinibus.

Psal. 143.

Augustinus illum Psal.

Propterea etiam idem Rex & Propheta alibi inclamat: *Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Quasi dicat: Verè vos filios hominum esse ostenditis & terrigenas, corde semper ad terram & terrena depresso; si enim filios Dei vos agnosceretis, & filios regni, illuc oculos & cor erigeretis, despectisque terrenis & vanis, ad cœlestia & vera bona attenderetis. Certè dum caduca hæc bona adamatis & quæritis, mendacium quæritis, sunt enim illa mendacio plena & inania: mentitur vobis voluptas carnalis; non est voluptas, angor est & dolor, si bene inspicitis: *Habet hoc voluptas omnis, stimulis agit fruentes, apumque par volantium, ubi grata mella fudit, fugit, & nimis tenaci ferit, ilia corda morsu.* Boet. l. 3. de consol. metro 7.

Psal. 4.

Mentitur vobis copiarum & opes; non est vera copia, nec veræ sunt opes, quæ nec animam satiant, nec stabiles sunt. Mentitur vobis honor: si bene attenditis, non honor est, sed onus, & quando quis vertitur in ludibrium, privans vos vero honore.

Errant mihi dita beatitudinem in terris ponentes.

& gloria. Denique, mentitur vobis mundus, & vos fallit, sua dum illectamenta proponit, & vos inescat pascitque vanitate. Mentitur vobis & vita, dum longam se fore promittit, quæ momento ut tela à texente succiditur, & spes omnes vestras abrumpit. Nolite ergo his cor apponere, nolite felicitatem in istis constituere, nolite dicere: *Beatus populus, cui hæc sunt*, sed beatum dicite populum, *cujus Dominus Deus ejus*.

Cæterum, sicut Propheta hanc de mentita felicitate opinionem è filiorum Dei mente conatus eradere, ut doceat eos veram viam veræ felicitatis & beatitudinis; sic multo magis Christus Dominus, qui missus erat à Patre tamquam Doctor justitiæ, ut notas nobis faceret vias vitæ. Propterea igitur hodierno Evangelio describitur sedens in monte, tamquam in cathedra sublimi, ex qua sublimia perfectionis documenta proponat ad beatitudinem nos ducentia. Jam adimpletur illud Isaiæ:

Isa. 30. *Non faciet ultra avolare Doctorem tuum, sed erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum, & audies vocem post tergum monentis te: Hæc est via, ambulate in ea.* Hoc Ecclesiæ novæ promissum est oraculo prophetico, & illius veritatem experta est, postquam is *qui adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Jacob puero suo & Israel dilecto suo, in terris visus est, & cum hominibus conversatus.* Propterea repetimus meritò illud: *Beati sumus Israel,* Baruch. 3. *quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis!* Nemo Baruch. 4. enim adeo apertè docuit, ac Doctor noster cœlitus missus, & inter nos conversatus, viam Deo placendi, & beatitudinis semitam, nemo adeo disertè de regno cœlorum locutus est, quod antea ignotum erat. Quapropter *aperiens os suum*, qui antea aperiebat ora Prophetarum, *aperiens os suum*, tamquam in quo latebat thesaurus sapientiæ suis dividendus, *aperiens os suum*, tamquam fontem aquæ vivæ, in octo fluvios dispertiendum ad irrigandam totam Ecclesiam velut Paradisum, sic pronunciavit:

I. Beatitudo. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum.*

QUis credidisset in paupertate beatitudinem aliquam sitam esse, cum nihil magis fugiant, horreantque homines? Ad eam enim fugiendam vel fugandam, & peragratur orbis, & sulcantur maria, & perfoditur terra, & vexantur animalia, & fatigantur elementa. Quocirca S. Ambrosius de Elia c. 19. illud Isaiæ cap. 23. *Erubesce Sidon, ait mare*, sic interpretatur: *Fatigati elementi hæc vox est, Erubesce Sidon: hoc est, meos fluctus negociator arguu, cum sis ipse inquietior, erubesce velut pudore, quoniam periculo non moveru. Verecundiores venti sunt, quam vestra cupiditates; illi habent otia sua, numquid vestra querendi studia feriantur? & cum otiosa tempestas est, nusquam otiosa sunt vestra navigia.* Interim cœlestis Doctor noster à paupertate beatitudinis veræ doctrinam censet auspicandam, eamque sua æstimatione facit nobis preciosam, quandoquidem per illam tamquam gemmam & precium emitur regnum, omne superans precium terrenum. *Voluntate laudabili pauperes, beati sunt ob 5. caus. sui.*

Equidem beati pauperes sua si bona norint, opes si suas agnoscant.

1. Quia similes sunt Christo, qui pauper non habuit ubi caput reclinaret; & cum in cœlis non inveniretur paupertas, venit enim adamans sibi desponsaturus in terris. 1.

2. Quia carent multis peccandi occasionibus, quibus scatent divites, superbiæ, gulæ, otii, luxuriæ. Quid divitiis abundant, abundare solent & vitiis? multosque salvasset egestas, quos divitiæ perdiderunt. 2.

3. Quia minorem reddent rationem in die judicii, (nam pauciora eis concredita sunt) dum divites dispensatores strictiùs exigentur. Liberius quoque & fidentius spiritualia à Domino bona poscere videntur, ut sint divites in fide, quibus opes negantur externæ. 3.

4. Quia magna eis suggeritur seges virtutum humilitatis, patientiæ, resignationis, & aliarum cum paupertate agnationem quandam habentium. 4.

5. Quia in mortis agone securiores abscedent, cogitantes se cum epulone non accepisse bona, sed cum Lazaro mala; ideoque tunc in compensam æterna bona exspectabunt magna cum fiducia. Nec violenter avellentur ex hac vita, sicut solet divitibus contingere, qui nimio amore ei adhærent. 5. Luc. 16.

Hæc autem intelligenda sunt de his qui pauperes sunt, *non necessitate miserabili, sed voluntate laudabili*, ut loquitur S. Bernardus serm. 1. de omnibus Sanctis, qui in paupertate sua non solum patientes agunt, sed etiam de illa Domino gratias agunt, ac in timore Dei vivunt, nec mandata Dei violant, furtis, mendaciis, fraude, impudicitia, sicut solent multi pauperes. Hos nimirum vocat Dominus pauperes spiritu, hos dicit beatos horum asseri, esse regnum cœlorum. Horum etiam numero adscribe eos, qui inter opes agunt, nec eis cor, apponunt non inflantur, non in luxus materiem vertunt, sed in ipso sæculo sæculum calcant, & sæcularia bona contemnunt, apteque illa dispensare norunt; Hi enim verè pauperes sunt spiritu dum radicem omnium malorum concupiscentiam in se suffocant, vel evellunt. *Qui sint pauperes spiritu.* Bern. 1.

Advertè porrò; quod Dominus dicit in præsenti: *Ipsorum est regnum cœlorum.* Quod interpretans Guerricus Abbas, sic subjungit: *Non dicit ipsorum erit, sed est; non solum propter jus firmissimum, sed etiam propter usum felicissimum. Non solum paratum est eis regnum ab origine mundi; sed etiam quia jam in possessionem quandam ipsius cœperunt introduci, jam habentes thesaurum in vasis fictilibus, jam portantes Deum in cordibus suis & cordibus.* Hoc etiam advertit S. Bernardus, dum ser. 4. de Adventu Domini, sic hac de re eloquitur: *Magna quædam penna est paupertatis qua tam citò volatur in cœlorum*

tum regnum. Nam in aliis virtutibus quæ sequuntur, promissio futuro tempore indicatur, paupertati non tam promittitur, quam datur. Unde & in præsenti tempore enunciatum est: quoniam ipsorum est regnum cœlorum cum in aliis dicatur: Consolabuntur, Hæreditabunt, & similia. Ita & S. Bern.

Ps. 2. Adverte ulterius, pleroſque ex SS. Patribus Auguſt. Hilar. Hieron. Chryſoſt. per pauperes ſpiritu intelligere humiles & timentes Deum, ſcilic. non habentes inflantem ſpiritum, ſed humiliatum & contritum. Et hi certè meritò beati dicuntur, & ipſorum aſſeritur eſſe regnum cœlorum. Si enim ſuperbiens Angelus dejectus eſt, quia præſumpſit & altitudinē concupivit: Beatus eſt qui in humilitate ſeſe Deo ſubjicit, & ad illum ſpectat regnū cœlorum, è quo ſuperbiam Deus exterminavit. *Excelsa eſt patria, ſed humilis via.* Beati ergo humiles & pauperes corde, terrena deſpicientes ad cœleſtia deſiderium erigentes, ubi eorum & patria eſt, & theſaurus, & patrimonium, humilitati & paupertati promiſſum.

Exempl. Si exempla cupis attende in veteri Teſtamento Iob ſpiritu pauperem & humilem, attende Eliam, attende & Lazarum, in novo Teſtamento intuere inter mille S. Alexium, intuere & Franciſcum.

Iob. 1. 1. O quam beatus Job, qui in paupertate ſua humiliter gratias agit, & dicit: *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſit nomen Domini benedictum!* An poſſet pauperius, an poſſet humiliùs ſedere, quam in ſterquilinio caput conſperſus cinere?

2. O quam beatus Elias, ſpiritu pauper, ſed poteſtatem habens ſuper cœlum! De illo ſic Chryſoſt. lib. de conſubſtantialitate Filii: *Orem mirabilem! Nec veſtem, nec panem habet, & cœlum clauſit, quia nihil hic poſſedit, poteſtatem habuit, ut innumeri è cœlo theſauri ad ejus vocem laberentur. O ſanctum os cui fontes imbrium inerant! O vocem bonis omnibus ſcaturientem!* 3. Reg. 17. *Vivit Dominus ſi erit his annis ros, aut pluvia, niſi juxta oris mei verba,* ait ipſe.

3. O quam beatus Lazarus! Inſpice illum in paupertate divitem, in humilitate magnum, in vulneribus ſanum; ſine veſte, ſed non ſine fide, ſine domo, ſed non ſine Domino; ſine cibo, ſed non ſine Chriſto, expoſitum canibus, ſed ſocium Angelorum; de micis è menſa divitis cadentibus haud participem, ſed cœleſtis panis conſortem. Luc. 16.

4. O quam beatus fuit Alexius! Romanorum licet nobiliſſimus, deſerit domum paternam, & hæreditatem opulentiſſimam, ut in humilitate & paupertate peregrinus per ſeptem decim annos ſequatur nudus Chriſtum pauperem & nudum. Ac tandem ad domum paternam reverſus, ut pauper hoſpitio excipitur, per totidem annos delitescens in ruguriolo ſub gradibus paternæ ædis. Verè ex humili & angusto illo loco jam perambulabat augusta & ſublimia regni cœlorum habitacula, & illa poſſidebat.

5. O quam beatus Franciſcus, qui plus humilitatem & paupertatem adamavit, quam ullus umquam divitum ſuas adamarit divitias! Unde & in fine vitæ deferri voluit in Eccleſiam S. Mariæ Angelorum, & in nuda humo deponi, mutuariq; ſibi petiit tegumentum & veſtem detritam, in qua poſſet mori & ſepeliri. O pauperem ſpiritu! Verè ipſius jam erat regnum cœlorum. Sed & porta cœli illos omnes excipit, qui divitiis extenuati voluntaria paupertate ſunt afflicti, filo gracili ſimiles, qui etiam per foramen myſticæ acus facile tranſeant ſpirituales effecti. Tales expeditos ac tenues quærit Dominus, & beatos dicit.

Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. 2. Beatit.

SIcut beatitudinis quædam radix eſt contemptus mundi & rerum mundanarum cum humilitate conjunctus, quem inſinuati per paupertatem ſpiritus diximus: ita proximè illi conſœderatur mititas & manſuetudo. Ideo ſecundum beatitudinis gradum Dominus in ea ponit, dum dicit: *Beati mites.* Hi ſunt mites, qui dominantur paſſionibus animi, maximè iræ & perturbationibus ex ea oriundis, qui cedunt improbitatibus & vincunt in bono malum. *Sunt quidam mites*, inquit S. Bernardus ſer. 3. de Adventu, *ſed quamdiu nihil eis dicitur vel agitur niſi pro eorum arbitrio. Patebit quam longè ſint à vera manſuetudine, ſi levis oriatur occaſio. Hac manſuetudo quomodo hæreditabit, quæ ante hæreditatem deficit?* Quis vere manſuetus. Verè ergo manſuetus, aliorum iniquitates in ſuiipſius ſionem redundantes tollerat & prunas ardentes charitatis congerit ſuper capita eorum, quibus ſuccendantur in cordibus, & ſibi temperent à malis. Verè manſuetus, non eſt turbulentus, nec litigioſus, aut contentioſus, nec iracundus, neminem lædit, lædentem non repercutit: eſtq; velut columba ſine felle, aut apis ſine aculeo, quia nec illum gerit aut in cauda, aut in ore, aurim corde, quin potius mellis ſemper præfert ſuavitatem, ut exaſperantem mollitat, & in ſpiritus ſuavitate ad cor reducat.

Ulterius, manſuetudo tollendo cordis duritiem & aſperitatem, reddit illud aptum divinæ inſpirationi & impreſſioni, doctrinæq; ſanctæ. Propheta dixit Pſaltes; *Diriget manſuetos in judicio, & docebit mites vias ſuas.* Tales enim nihil rebellionis aut aſperitatis in corde alunt, quo Domino Deo reſiſtant inſpiranti, docenti, ducenti & dirigenti. Imò ductiles ſunt inſtar luti mollis in manu figuli, vas in honorem efficiendi à ſupremo figulo. Verum ergo eſt illud de manſuetis: *Erunt Theodidacti*, ſive *Docibiles Dei.* Sic & de Moyſe ſcriptum eſt *In lenitate ſanctum fecit eum Dominus.* De qua etiam dixit Apoſtolus: *Servum Dei oportet manſuetum eſſe ad omnes, docilem, patientem.*

Effectus manſuetudinis. Ioan. 6. Eccli. 45. 2. Tim. 2.

Meritò ergo hic pronunciat Dominus: *Beati mites*, hoc eſt, benigni & non rebelles, neminem lædentes, ſine felle & veneno exiſtentes, patientes, docibiles, Deo aut ejus inſpirationibus non obſiſtentes, ductiles in viam veritatis & pietatis. *Qui mitis & humilis corde, quomodo damnabitur? A ſitu ut invenietur ſuperſaluti, qui imitator eſt Salvatoris,* inquit

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

inquit S. Bernardus serm. 49. in Cant in fine. An non igitur talis est beatus, jam in spe, postmodum in re; jam affectu, postmodum effectu; jam inchoativè, post consummatè?

Exempla mansuetorum.

1. O quam beatus David, Vir secundùm cor Dei. Virâ mansuetudine ita collaudatus, ut posteri sic Deum orare doceantur: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* Tantæ fuit mansuetudinis, ut nec persecutori suo Sauli malum pro malo reddiderit, cùm eum in sua haberet potestate, sicq; inimico posset carere. Deflexit ergo potius ad lenitatem & mansuetudinem, & humilitate conatur placare, quem poterat occidere. Regem eum nominat, & se Canem, cum in Deo potentior illo tunc foret. Notum est enim, quomodo Saul intravit speluncam in qua erat David, & quomodo ei præsciderit David pallii partem in abscondito, denique quomodo eum tunc humiliter & mansuetè allocutus fuerit & placarit, educens lachrymas ab oculis ejus. Davidis enim vocem audiens Saul, ait:

David.
Psal. 131.
1. Reg. 24. *Numquid vox tua fili mi David? Et levavit vocem, & flevit.* Hoc admiratur Chrysostomus, & de hac re sic disserit: *Non jam sustinuit David hanc vocem audire sine lachrymis, sed ploravit amarius. Quid David beatius, qui brevi temporis momento sic hostem è furore ad sobrietatem convertit, & animum nactus sanguinu ac cædu sitientem repentè ad lamenta compulit? Non perinde mirer Moysen, quod è saxo prærupto fontes elicuit aquarum, ut admiror Davidem, quod ex oculis lapideis fontes eduxerit lachrymarum. Ille vicit naturam, hic vicit animi decretum; ille virgâ percussit lapidem, hic sermone pepulit cor, ut purum mansuetumque redderet.* Ira Chrysostomus.

Moyses.
Num. 12.
Exod. 23.

2. O quam beatus Moyses, de quo divina Scriptura testatur: *Erat Moyses Vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra.* Omnes injurias sibi à populo illatas obliviscebatur, orabatque enixè pro ingratis ludæis adeo sibi rebellibus Charitas in sancto ejus pectore ex persecutione ignescebat magis, sicut se acuit & intendit calor, cùm à frigore cingitur. Murmurantibus & sibi obtrectantibus Mariâ sorore, & Aarone fratre, propter uxorem ejus Æthyopissam, non respondit; ideoque ejus causam suscepit in se Dominus, & Mariam perfudit lepra. Sed & pro illa oravit Dominum, & sanitatem ei impetravit. O virum mitissimum! O Virum beatum! Hinc Origines dixit: *Est quadam familia mitium, cui præest Moyses; quædam patientium, cui præest Iob; quædam continentium, cui præest Daniel; & unusquisque in morte congregabitur ad familiam suam, mitis cum mitibus, virgo cum virginibus, iracundus cum iracundis, luxuriosus cum luxuriosis.* Nam dicitur: *Unusquisque rediet ad familiam pristinam, quia jubilæus est.* Quod si mansuetudinis exempla recentiora cupis, unus pro mille tibi sit S. Carolus Borromæus.

Orig. in l. Num.
Levit. 25.

Carolus.

O quam beatus hac beatitudine S. Carolus, cui cùm ob reformationem tot contradictiones & conspirationes Satan objecerit, per magnates, per Ecclesiasticos, per Religiosos, nunquam tamen iram prorumpere visus est, aut animi alterationem pati, aut turbida commotione conqueri: sed, cum mansuetudine & tranquillitate omnia ad optatum finem perduxit. Delatis ad eum literis, quibus certior fiebat ab Episcopo de Savona, conspirationis in se factæ & auctorum illius, ne quidem literas reserare voluit, sed in ignem eas coram Latore mittens, ei dixit: *Gratias ago Episcopo vestro, nolo autem videre auctorem tam improbæ factionis, quia jam missa sacrificium, oblaturus nullum aditum volo malevolentiæ aut tentationi.* Idem fecit, cum domesticus quidam scriptum publicum ei deferret injuriis & calumniis personam ejus lacessentibus refertum, quod repererat affixum, igni enim tradidit, ne tranquillitatem præpediret. Denique quid beatius ejus mansuetudine, cum sclopeto petitus fuit olim? Præcepit enim suis, ne se moverent, sed nec auctorem requirerent, se ei parcere potestatis: rogavit quoque Urbis Gubernatorem, ne in reum hunc inquireret. Sic verbo & exemplo inculcabat illud Sapientis: *Fili in mansuetudine perfice operatua, & super gloriam hominum diligeris.*

Eccli.

Sed quid est, quod mites dicantur hic beati, quia possessuri terram? Utique quia possessuri terram, de qua Propheta: *Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.* Et rursus: *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Significatur enim, interprete S. Augustino, nomine terræ, *stabilitas & soliditas hereditatis æternæ, ubi anima per bonum affectum tanquam in loco suo quiescit, sicut corpus in terra, & inde cibo suo alitur sicut corpus è terra; ipsa est requies & vita Sanctorum.* Beati ergo mites, quia possidebunt terram illam repromissionis, semini Abrahæ promissam in sæculo futuro. Terram inquam, non morientium & viatorum, qualis est hæc, in qua agunt filii Adæ exules & gementes: nec mortuorum, qualis illa de qua Iob: *Terra tenebrosa operta caligine mortis, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitans:* sed Terram viventium, ubi nihil nisi vita, nullus timor mortis, nulla ægritudo, nulla calamitas: Terram viventium, ubi videntur bona Domini. Denique, hoc sensu terram promitti in possessionem, nonnulli ex SS. Patribus autumant, quod hi qui mites sunt, corpus illud quod fuit terrenum, possessuri sint tandem fulgidum & incorruptum, in beatitudine, quæ illis erit non solum animæ, sed & corporis. Sic enim de hac re loquitur S. Leo: *Terra promissa mitibus caro Sanctorum est, qui felici resurrectionem mutabitur, & immortalitatis gloria vestietur.*

Quam terram possessuri mites.
Psal. 140.
Psal. 26.
Aug. ser. 1. in monte.
Iob 10.
S. Leo ser de eom. 38.

3. Beat:

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

NOn omnes lachrymæ felices dici possunt aut beatæ, cum non omnes ex felici aut beata causa profluant, aut in Deum referantur. *Multi enim*, teste S. Augustino, in Psalm. 36. *sicut fletu*

Non omnes lugentes beati.

Babylo-

Babylonico, quia & gaudent gaudio Babylonis. Quia gaudent lucris, & flent damnis: Utrumque de Babylonia est. Flere debes, sed recordando Sion. Propterea igitur dicunt filii Dei & filii Sion: *Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus, dum recordaremur tui Sion.* Flent nonnulli sicut Michas, Ejulabat ipse, dicens: *Deos meos tulistis, & dicitis, quid tibi est?* Sic aufert Deus à quibusdam bona temporalia, voluptates, proles, & flent amarè, quia his nimio affectu inhærebant, & propter illa Deum offendebant; erant ergo eis tanquam idola. (& Dii alieni) à Dei veri obsequio ipsos retardantia. Non hæ lachrymæ felices, sed reprobæ censendæ sunt, quasi immolatæ idolis. Sic & mulieres in templo inventæ sunt lugentes Adonidem, Veneris Amasium. Quibus illi repræsentantur, qui lugent, eo quod voluptates præter eas ultra non inveniant, mulieres scilicet & viri libidinosi. Quid lugent ipsi nisi Adonidem & hortos ejus, amœnitatem prætereuntem? Nam *Adonidis horti* proverbio significant res ad modicum florentes & oblectantes, sed mox evanescentes. Quapropter S. Hieronymus illum Ezechielis locum explanans, ait: *Nos quoque eos, qui ad sæculi bona vel mala contristantur, vel exultant, Mulieres appellemus, molli & effœminato animo; dicamusque eos plangere Adonidem, sive Thammuz, ea videlicet, quæ in rebus mundi putantur esse pulcherrima.* Duo nobis solent excutere lachrymas, fumus & cæpæ, adumbrantque hæc duo lachrymas illas, quas profani Deo ingratas profundere solent. Nam qui ob amissum honorem mundanum, vel non ob adeptam dignitatem sæculi plorant, hos censetur fumus ad fletum impellere. Quidenim aliud est ambitiosus honos, quam fumus turbidus, oculis noxius? Illi autem qui flent ob absentiam voluptatum, vel cathenam præteritarum? ab his cæparum succus fœtidus lachrymas extorquere censetur. Nec sunt absimiles illis, qui dicebant: *Veniunt nobis in mentem cucumeres, porri, cepæ, & allia Ægypti.* Propter hæc & similia homines hujus sæculi flent, sed infeliciter, nec consolationem reperiunt, quia hic est fletus Babylonis, sive confusionis. Et hi lachrymis abuuntur, quia teste S. Chrysostomo, nonnisi ad hoc datæ sunt homini, ut illis peccata eluantur, & damna spiritualia defleantur. Nam per lachrymas non recuperatur damnum temporale quod incurrimus, puta nec vota parentis aut prolis, nec dispendium honoris, nec jactura pecuniæ; lachrymis tamen vitam gratiæ recuperamus, damna reparamus animæ, peccatum eluimus, & dona cœlestia adipiscimur.

Quamobrem Filii Dei, consolationem à Deo hic promissum expectantes, lachrymas dant non ob dicta, sed triplici alia de causa.

Prima est, ob peccata propria, quia norunt hanc lachrymis efficaciam inesse, ut ea obliterare possint, si ex vera profluant compunctione: imò sciunt his animam candidam effici, & pœnas in altero sæculo debitis extingui. *Secunda* est, ob peccata aliena, quæ per compassionem in se transferunt. Dolent enim perire animas sanguine Christi redemptas, sicque super miseria & cæcitate mundi clausis oculis ad ignem & perniciem æternam currentis lugent, suisque apud Deum lachrymis instant pro eorum conversione, quam & quandoque impetrant. *Tertia* est, ob elongationem suam à Domino: in valle enim lachrymarum & in exilii loco degentes, non in terram volunt inaniter suas profluere lachrymas, sed in cœlum ascendere: ad locum enim illum pacis & securitatis, omnia eorum vota & suspiria diriguntur. *Vide de his fusius dicta Dom. 3. post Pasch.*

Beati igitur qui has ob causas lugent, *quoniam ipsi consolabuntur.* Beatæ lachrymæ, quæ peccati fiunt diluvium, & acceptabile coram Deo sacrificium. Beatæ lachrymæ, quæ ex zelo honoris Dei & charitatis proximi promanant, fiuntque mundi quoddam piamentum. Beatæ lachrymæ, quæ procedunt ob recordationem Sion, & velut in gemmas conversæ, cœlestem coronam conficiunt, tandem imponendam capiti gementium. Felix anima, quæ flens malorum suorum reminiscitur, considerans ubi fuit. Aut quæ lugens recordatur judiciorum Dei, considerans ubi erit. Aut quæ plangit mala vitæ præsentis, considerans ubi sit. Aut quæ lamentans contemplatur bona superna patriæ, considerans ubi non sit. Hæ sunt lachrymæ pretiosæ, quæ absterget benignissima manus Redemptoris.

1. O quàm beatus hac beatitudine Rex & Propheta qui triplici jam dicta de causa fatetur se crebrò lachrymis immaduisse. Ob peccata propria dicit: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis stratum meum rigabo.* Vel, ut alia lectio habet: *Natare faciam in lachrymis lectum & cubile meum.* Et rursus alibi: *Deus vitam meam annunciavit tibi, posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.* Ergo post luctum consolationem à Domino accepit hic promissam. Ob peccata quoque aliena dicit Domino: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam,* inimici scilicet sui, quos vidi prævaricantes & tabescebam, nec siccis oculis intueri poteram. Denique, ob cœlestem patriam sæpè flevit. Quid enim sibi vult aliud quando pronunciat. *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei fuerunt mihi lachrymæ panes die ac nocte.* Sic Ezechias Rex hâc beatitudine donatus plorat in lectulo suo, & convertit faciem lachrymis immadentem ad parietem. At statim consolationem accepit post lamentabile suum canticum. Quare ad eum missus est Isaias à Domino: *Vade, dic Ezechiæ: Vidi lachrymas tuas, & audivi orationem tuam.* Hæc ex veteri testamento exempla sunt; in novo autem innumera supperunt. Audi pauca.

2. O quàm beatus hâc beatitudine S. Augustinus, qui de sua agens conversione, ait: *Ubi à fundo arcano alta consideratio contraxit & congessit totam mi-*

Judic. 18. — Ezech. 8. — Num. 11. — Pii de causis lugent. — Exempla piè lugentium. — Psal. 6. — Psal. 55. — Psal. 118. — Psal. 41. — Isa. 38.

lib. 8. confess. c. 12. *miseriam meam in conspectum cordis mei, obortæ est procella ingens, ferens ingentem imbrem lachrymarum. Et secedens, ne mihi esset onerosa præsentia stravisse sub quadam fici arbore, & proruperunt flumina oculorum meorum acceptabile Sacrificium tuum, Domine.* Sed qui propter peccata sua priùs fleverat, quod est irriguum animæ inferius, postmodum propter amorem cœlestis patriæ suaviter flebat, quod est irriguum animæ superius. Hoc enim duplex donum, quasi duplicem beatitudinem, postulabat à Domino enixè in Meditat. c. 36. sic eum alloquens: *Da mihi Domine irriguum superius, & irriguum inferius. Hanc gratiam præstà propter te, & propter nomen tuum, ut quoties de te cogito, de te loquor, de te scribo, de te lego, quoties tibi assisto, laudes preces, sacrificium offero, toties obortis lachrymis in conspectu tuo copiosè & dulciter fleam; ita ut efficiantur mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Rogote, bone* JESU *per omnes miserationes tuas quibus nobis perditis mirabiliter subvenire dignatus es, da mihi gratiam lachrymarum quam multum desiderat anima mea. Quia sine dono non possum habere eam; sed per Spiritum S. tuum, qui dura corda mollit, & ad fletum compungit.* Quam felix anima, quæ instar horti amœni fontem habet & rorem quo irrigetur! Aquis lachrymarum irrigatæ plantæ horti hujus (humilitas scilicet & patientia, charitas, & virtutes reliquæ) non solum foventur ut virescant, sed etiam incrementum accipiunt, ut fructificent copiosè.

3. O quàm beatus quoque hâc beatitudine Franciscus, qui licet mirabilem cordis puritatem esset adeptus, non cessabat lachrymis oculos rigare eum periculo cæcitatis. Cùm ex continuo fletu infirmitatem oculorum gravissimam incurrisset, suadenti medico ut à lachrymis abstineret, si periculum cæcitatis evadere veller, respondit: *Ob amorem luminis cum museu communis non est repellenda visitatio æterna lucis vel modicum; quia non spiritus propter carnem, sed caro propter spiritum beneficium lucis accepit.* Malebat corporale lumen amittere, quàm lachrymas, quibus oculus mundatur interior, ut Deum videat, repressa devotione spiritus impedire: & quia quotidiè aliquas contrahimus sordes, ideo diebat eos, qui perfectioni vitæ intendunt, quotidianis debere se lachrymarum emundare fluentis. Sic & ei suppar S. Dominicus, qui se totum saluti proximi & lucrandis animabus impendebat, peccata hominum & afflictorum miserias contemplans, æstuabat animo intrinsecus, & flens largissimè, latentem affectum commiserationis per lachrymas prodebat foris. Hanc enim excellentissimam charitatis gratiam specialiter à Deo habebat flendi pro peccatoribus, & condolendi omnibus afflictis.

S. Bonav. c. 5. vita.

Surius in vitas 4.

4. O quàm beatus etiam hâc beatitudine Arsenius, Heraclitus Christianus! Hic causam interrogatus lachrymarum, respondit: *Quando memini Esau fuisse reprobum è ventre matris, & Judam è societate Christi periisse: Salvatorem quoque dicere artam ad cœlum viam: & me ignorare quid continget animæ meæ, non possum à lachrymis temperare. Non possum non ad locum securitatis gemendo & flendo suspirare.*

5. O quàm beata hâc quoque beatitudine S. Lutgardis, quæ à Deo electa fuit, ut assumeret lamentum pro peccatoribus. Unde quatuordecim annis jejunio & fletu ita se pro illis afflixit, ut facie quotidiè rigatâ velut fontem lachrymarum deduceret. Apparuit verò ei Christus quinquennio ante mortem, gratulans quòd miserorum causam tam diu fideliter gessisset; & illâ manu quam pro peccatoribus in cruce extenderat lachrymas à facie ejus tersit, dicens: *Volo te ab hu lamentis jam absolvi, nec deinceps luctu confici; sed placido cordis fervore in oratione persistere.* Hoc ergo apprimè conveniebat ei: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*

Surius 16. Junii.

6. O quàm beata mater S. Augustini S. Monica quæ post diuturnum pro filio fletum, eò quòd hæresi implicatus esset Manichæi, tandem consolationem accepit, dum ei dictum est: *Non potest perire tantarum filius lachrymarum.* Quod postmodum effectu adimpletum vidit maximo cordis gaudio.

Aug. in l. Confes.

Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam quoniam ipsi saturabuntur.

HÆc est quarta beatitudo, quàm ut explicemus, omissis variis interpretationibus dicimus hic illos vocari beatos, qui vehemens desiderium habent gratiæ divinæ, quæ hominem justificat, sive qui summoperè optant servire Deo in justitia & sanctitate secundùm status sui vocationem. Nomine justitiæ gratia Dei justificans & virtus omnis ad justitiam perducens sæpè significatur sacris in litteris. Hinc infra dicitur. *Beati, qui propter justitiam persecutionem patiuntur*; ubi etiam *Justitia* summitur pro omni virtute. Vult autem Dominus, ut gratiam suam, virtutes, & dona expetamus non leviter, sed cum ardore & magna cupiditate: sicut qui esurit & sitit, vehementer potum appetit & cibum, & illum omni quærit conatu. Imò sicut aurum & pecuniam esuriunt & sitiunt avari, & ad opes congerendas omnem laborem, omneque studium suum conferunt: sic & Christiani negotiatores divinam gratiam appetere debent & quærere, ut in virtute possint & perfectione status sui proficere. O felix sitis! O felix fames! Ex illo desiderio, quando hominem Christianum reddit famelicum & sitibundum, omnis profectus dependet. Nec possunt fraudari suo desiderio, sed tandem illud completur, & à Deo obtinent quod sic appetunt qui tamquam cervi desiderant ad fontem aquarum. Illud desiderium ardens perfectionis, jam est initium perfectionis, dicente Sapiente: *Initium illius verissima est disciplinæ concupiscentia.* Verum enim cordialeque desiderium, iter est quo pervenia-

4. Beatitudo.

Qui inscialiter esuriunt & sitiunt justitiam.

Sap. 6.

venitur ad veram sapientiam & perfectionem, hoc est, ad notitiam & amorem Dei, in quo consistit tota nostra perfectio. Qui desiderio vivaci accensus est in corde, non eget stimulo excitante; secum ipse gerit stimulum illum continuò excitantem ad assecutionem veræ sapientiæ & justitiæ, salutisque æternæ. Quicumque ergo habet desiderium istud vehemens, proficit: qui illo caret, deficit. Quicumque etiam desiderio carentem monet, non proficit, sed ferè in vanum laborat. Ille spinas putat, omniaque difficillima sibi arbitratur; cum è contrario is qui ardenti fertur desiderio & affectu, rosas inveniat, & suavi faciliaque omnia. Quam felix igitur, qui hoc desiderium fovet! Immò qui desiderii hujus desiderium habet, beatitudinis quandam participationem inchoat, si possit dicere cum Psalmista: *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore.* *Psal.118.*

Qui plenè. Illi autem plenè hanc beatitudinem consequi censentur, qui cùm justi sint, semper sitiunt majorem justitiam; hoc est, numquam satis esse sibi autumant, sed semper ad majorem tendunt perfectionem, attendentes illud, *Qui justus est, justificetur adhuc: Qui sanctus est, sanctificetur adhuc.* In hunc enim sensum interpretatur S. Hieronymus, hanc Domini sententiam: *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam*, ut de illis intelligatur justis qui cum Apostolo dicunt: *Fratres, ego non arbitror me comprehendisse, sed quæ retro sunt obliviscens, ad priora me extendens, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis.* Isti similes sunt famelicis & sitibundis negotiatoribus, qui non attendunt ad id quod acquisierunt, sed ad novum semper adspirant lucrum opes majores sitiunt & esuriunt vehementer. Sicut ergo hi opes corporales, ita isti opes appetunt spirituales: & quidem de die in diem majores, donec ad beatitudinem consummatam attingant, hoc est ad statum omni bonorum aggregatione perfectum. *Apoc.22.* *Philip.3.*

Qui plenissimè. Denique, illi plenissimè beatitudinis hujus sunt consortes, qui non solùm suam, sed etiam aliorum gratiam & perfectionem, vitam & salutem sitiunt, & esuriunt. Quapropter hac de re sic loquitur B. Petrus Damiani: *Esurit & sitit justitiam, qui vitia destruit, construit virtutes, sobrius sibi, justus proximo, pius Deo, cujus animam urit zelus domus Dei.*

Eccl.24. Cæterùm, cum Sapientia de se dicat: *Qui edunt me adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient*: cur hic dicitur, *qui esuriunt & sitiunt justitiam, saturabuntur?* Nempe, quia hoc proprium est bonorum spiritualium, satiare, & simul famem stimque inducere. Producunt enim in anima suavitatem cum satisfactione, & nihilominus novum semper accendunt desiderium, quod quidem desiderium non inquietat animam sed reficit & oblectat. Plena autem satietas alteri vitæ servatur: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Nec tamen ibi etiam cum satietate deest novus semper appetitus, novumque desiderium videndi Deum, & illo fruendi: quasi enim prima esset hora quâ Dei visionem gustarent Beati, novum semper illius saporem experiuntur. Propterea de illis dicitur: *Cantabant canticum novum*, quia scilicet lætitiæ lætitia succedit, quasi semper nova, novum manna, novus illius gustus, novus sapor, qui animum innovat & rapit in admirationem novam, ita ut possint dicere jugiter cum Israelitis, *Manhu? O bone Deus! O quid est hoc? quid est hoc?* *Psal.16.* *Apoc.14.*

Sic elucescit quàm verum sit illud S. Gregorii hom.36. in Evang. *Hoc distare inter delicias corporis & cordis solet, quod corporales deliciæ cum non habentur, grave in se desiderium accendunt, cùm verò habite eduntur, comedentem protinus in fastidium satietatem vertunt. At è contra spirituales deliciæ, cùm non habentur, in fastidio sunt; cum verò habentur, in desiderio: tantoque à comedente amplius esuriuntur, quantò & ab esuriente amplius comeduntur.* Qui ergo esuriunt & sitiunt justitiam, satiabuntur, quia eorum desiderio satisfiet: nam *sitienti dabo de fonte vitæ*, ait Dominus; & nihilominus, adepta justitia semper majore ferentur desiderio augendæ justitiæ & gratiæ, donec illa consummetur in æternitate. Quia, teste S. Bernardo. ep.253. *Justus numquam dicit, satis est, semper esurit sitique justitiam, ita ut si semper viveret, semper quantum in se est justior esse contenderet. Sempiterna itaque justi esuries sempiternam meretur refectionem.* Ita S. Bernardus. *Apoc.22.*

Concludamus igitur, rursumque repetamus: *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam.* Beati qui magnopere desiderant esse justi coram Deo, & proficere in statu sui perfectione. Hi sitiunt gratiam, quia sciunt illam esse aquam vitæ, fontem salientem in vitam æternam. Hi norunt quid & quale sit illud donum Dei, quid amor Dei, quid donum gratiæ sanctificantis, quanti æstimandum sit, quid Spiritus sancti charismata, quid sapientiæ cœlesti inhærere tamquam fonti. Abhorrent verò aquas putidas mundi, aquas turbidas Ægypti, cisternas dissipatas, aquas amaras Mara, quia sciunt *quàm malum & amarum sit reliquisse Dominum Deum suum, & non esse timorem ejus apud se*, attende id ex nonnullis exemplis. *Jerem.2.*

Exempla Justitiam sitientium. 1. O quàm beata fuit Samaritana, postquam intellexit quid esset donum Dei, postquam intellexit illud Domini: *O mulier, si scires, donum Dei, & quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere: tu forsitan petiisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam.* O quàm felix & beata, dum dixit. *Domine da mihi hanc aquam.* Intellexit enim postmodum quid esset illa aqua, & quam malum & amarum ei fuisset incubare lacunis fœdæ voluptatis, relicto Deo suo, fonte aquæ vivæ. Quapropter relicta aqua purei, relictaque hydria sua, sitiens esuriensque justitiam, currit, & nunciat omnibus se invenisse Fontem justitiæ Fontemque salutis, & ad illum quoscumque sibi obvios invitat non invitos. *Joan.4.*

2. O quàm beata fuit hâc beatitudine Theresa, huic Samaritanæ & puteo ejus maximè devotæ! Jam ab adolescentia, sitiebat justitiam & gratiam ex puteo isto scaturientem, ardenti prorsus desiderio. Sic enim fatetur cap. 30. vitæ suæ. *O quàm sæpe mihi in memoriam venit aqua illa viva, de qua Dominus Samaritanæ! Magna utique devotione ad illud Evangelium feror: & verè jam ab adolescentia affectu quodam ad illud ferebar, licet necdum plenè scirem donum Dei, nec plenam illius boni notitiam adepta forem, prout modo dedit mihi Dominus. Attamen sæpe rogabam Dominum, ut mihi daret de hac aqua, semperque mecum circumferebam imaginem Samaritanæ cum inscriptione verborum quæ ad fontem protulit: Domine da mihi hanc aquam.* Quod si jam à tenera ætate sitiebat justitiam & gratiam pro se, in ætate perfecta summopere illam sitiebat pro omnibus animabus. *Cum inaudissem*, inquit ipsa, *Ecclesiæ illatas à Lutheranis in Gallia damna, & maledictam illam hæresim incrementum sumere, gravi transfixa dolore plorabam, supplicans Domino, ut tanto malo ferret remedium, lubensque exposuissem mille vitas (sic mihi quidem videbatur) ut uni animæ è tanto munere succurrerem. Attendens interim me mulierem, & quidem miserandam, quæ in hac re obsequium nullum Domino præstare posset: resolvi austeritatem omnem possibilem sectari cum sororibus, & occupari ex toto orationi pro his qui se impendunt in defensionem Ecclesiæ sive Doctores sint, sive Prædicatores, ut sic Domino pro viribus auxiliarer in hoc negotio, quia rursus per fidei proditores crucifigitur, nec habet locum ubi cum quiete reclinet caput suum pretiosum.* Sic ergo allocutus sum consodales meas. *O in Christo Sorores dilectissimæ, adjuvate me, ut pro hac re Dominum deprecer! In hunc enim finem hic associavit nos Dominus, hæc est vocatio vestra, hoc negotium cui tota debetis incumbere. Hæc sunt desideria quibus impleri vos opto: huc tendant lachrymæ vestræ, preces, & gemitus.* Ita loquebatur S. Theresa sitiens conversionem animarum, sitiens & esuriens justitiam pro omnibus hominibus, pascens se interim amaro potu lachrymarum, ut aquâ vivâ eos Dominus pascere dignaretur.

Theresa cap. 30. vitæ suæ.

Ribera in vitæ ejus l. 2. c. 2.

3. O quàm beatus quoque hâc beatitudine inter antiquos Propheta Daniel, qui ideo dictus est *Vir desideriorum*, quia miro modo desiderabat, esuriebat, sitiebat justitiam. Ideo quoque missus est ad eum Angelus, qui dixit exauditas esse orationes ejus, fusas pro conversione populi sui, & eductione è captivitate ad serviendum Domino in justitia & sanctificatione.

Dan. 9.

An non & David videtur tibi sitisse justitiam, dum dicit: *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna Bethleem!* Certè non materialem aquam videtur postulasse, qui allatam mox profudit, & Domino libavit; sed aquam vivam desiderasse censetur, & quidem ardentissimo desiderio, de fonte illo qui oriri debebat in Bethleem, hoc est de Christo, fonte gratiæ & salutis, ut alibi explicuimus.

2. Reg. 23.

DE EODEM FESTO. LECT. 63.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

HÆc est quinta Beatitudo, promptitudo scilicet quædam animi quâ homo movetur ad eam patiendum miseriæ proximi sui, ex charitatis affectu ei impendens omne quod potest auxilium & consilium. De hac dixit Sapiens: *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur.* Utique benedicetur ab hominibus, benedicetur & à Deo, & gratiam pro gratia, misericordiam pro misericordia consequetur, Non enim patitur Dominus ullatenus miseris impensam misericordiam in oblivionem ire, aut irremuneratam permanere. Propterea etiam monebat filium suum Tobias: *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet ut nec à te avertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum etiam exiguum libenter impertiri stude.* Quasi dicat: Imitare nubes, quæ ubi plenæ sunt, in terram imbrem abundantem refundunt, ut eam irrigent & fructiferam reddant. Sic tu plenus esto misericordiâ, si te Deus replevit abundantiâ: profunde copiosum imbrem in sterilem humum, in necessitates inopum, ut etiam abundaurem misericordiam refundat tibi Dominus.

1. Beatitudo.

Prov. 11.

Tob. 4.

Multiplicem autem benedictionem consequuntur misericordes, tum in hac vita, tum in morte, tum post mortem.

Multiplicem consequuntur misericordes misericordiam.

Primo. In hac vita benedictionem & misericordiam consequuntur, quâ à peccatis liberantur. Respiciens enim Deus eorum misericordiam erga inopes, eos attrahit ad suam misericordiam, inspirans gratiam ad pœnitendum de peccatis præteritis, & ad præcavendum à futuris. Quapropter occinere possunt cum fiducia illud Psalmistæ: *Misericordia ejus prævenit me.* Et rursus illud: *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Opera enim misericordiæ dispositio sunt ad justificationem in peccatore, & præmunitio contra peccatum in pœnitente.

1. In hac vita.

Psal. 58.

Psal. 22.

Quinimmò opera misericordiæ & eleemosynæ à parentibus exercita non solùm illis prosunt, sed etiam tori familiæ, tam pro benedictione temporali, quàm pro spirituali. Quapropter S. Cyprianus illis qui se excusant ab eleemosyna, quia multæ eis proles sunt domi educandæ, respondet, eò plures eleemosynas ab ipsis erogandas. Rationem addit, quia cum sæpius peccent proles, oportet eorum peccata redimere, vel ab eis illa avertere misericordiis pauperum. Oportet eo fine erogare, ut Deus eos sanctificet, dirigat in viam rectam, statum congruum inspiret. An non propterea Job quotidiè offerebat, & eleemosynas largiter profundebat? *Si vido Job comedi*, inquit ipse, *excellam solus. Si de velleribus meis.*

Cypr. ser. de eleem.

Vide Job c. 29. & 31.

meis pauper non erit calefactus, non habeat Deus partem mecum. An non & Monica S. Augustini mater ad altare offerebat sua, & inopum necessitatibus sublevandis vacabat, ut filio suo Deus misereretur: An non & tandem operibus pietatis & misericordiæ pro illo misericordiam est consecuta? An non etiam asserit Propheta rependi benedictionem filiis pro parentum misericordia, dum dicit: *Totâ die miseretur & commodat, semen illius in benedictione erit?* Beati ergo misericordes, quia pro se & pro suis misericordiam consequentur, pro se & suis benedictionem hujus vitæ, tam temporalem, quam spiritualem nanciscentur.

Psal 36.

2. *In morte.*

Secundò, in morte benedictionem & misericordiam misericordes consequentur, quia eos à mala morte eripiet Dominus. Propterea monebat filium Tobias: *Præmium bonum tibi thesaurizas in die necessitatis, quoniam eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Ideo etiam dicit S. Hieronymus epist. ad Nepotianum, numquam se vidisse aut audivisse malâ morte defunctos, qui se totos pauperibus sublevandis impenderunt. Idem Asserit Augustinus, sive quisquis auctor est sermonum ad Fratres de Eremo serm. 55. Huc etiam spectat illud Psalmistæ: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem; in die mala liberabit eum Dominus.* Quis est qui intelligit super egenum & pauperem? Iste est, secundum Interpretem Chaldæum, qui cogitat de rebus pauperis, ut ejus misereatur. Istum ergo in die mala liberabit Dominus. Quænam dies mala, nisi mortis dies, dies languoris & angoris? Felix quem tunc liberabit Dominus, & contra angustias confortabit, conservabit, vivificabit. Tu Deus instar Matris officiosæ tunc versas & molliter componis stratum eorum qui misericordes fuêre erga inopes, tu vicissim tunc illis opem fers & solaris, ut allevies dolorem & procures consolationem. Hoc promittis & spondes eis per Prophetam psallentem: *Dominus opem ferat illi super lectum doloris, universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.*

Tob. 4.

Psal. 40.

3. *Post mortem in judicio.*

Tertiò, à morte benedictionem consequentur in judicio divino, tum particulari, tum universali: *Fiducia magna erit coram summo Deo, eleemosyna omnibus facientibus eam*, inquit Tobias. Quapropter S. Chrysostomus hom. 33. ad pop. sic de ea loquitur: *Hæc Christi adstat tribunali, non solum patrocinans, sed etiam persuadens ipsi Judici, ut reo patrocinium præstet, & pro eo sententiam ferat.* Item hom. 32. ad Hebræos rursus hac de re sic disserit: *Huic cum multa fiducia porta cœli aperiuntur. Sicut Reginâ intrante, nullus janitorum, nullus custodum audet dicere, quæ es tu? vel unde? sed eam omnes suscipiunt: Sic etiam misericordia. Verè enim Regina est homines faciens similes Deo.* In universali judicio notum est quomodo Dominus redditurus sit mercedem misericordiæ pauperibus impensæ: *Esurivi*, inquit, *& dedistis mihi manducare, &c. Quodiuni exeminimus fratribus meis feciftis, mihi feciftis.* His verbis attende quomodo animantur divites, animantur & pauperes. Divites quidem monentur rememorare se dispensatores esse, seque pauperibus quod donant, Christo tribuere, quia ejus fratres ejus membra sunt. Felix qui Christum pascit, fovet, vestit in his membris. Pauperes autem admonentur felicitatis suæ, qui fratres à Christo vocantur, dum alii repelluntur à portis gloriæ, & dicitur eis: *Nescio vos.* Quocirca B. Ephrem de spirituali agone in hanc rem sic disserit: *Quis porrò dignus, quis ita felix in illa hora, quando cuncti exhorrescunt & contremiscunt Angeli & homines, ut tunc mereatur nominari Frater Christi? Quam multis tibi thesauris istud erit potius? Quam multis opibus & coronis vox ista excelsior & præstantior?*

Matth. 25.

Itaque beati pauperes, si in humilitate, patientia, mansuetudine, pietate, serviant Domino, & agnoscant se ejus esse membra infima, ab eo tamen honoranda, cùm capiti suo fuerint in his omnibus conformia. Quia dignatus est Dominus eligere paupertatem, ut eam proponeret ad imitationem: dignatus est spinis coronari, ut ostenderet sub spinato capite non decere membra esse delicata & mollia. Beati quoque divites, si membris istis infimis dignentur esse fautores, si & in illis agnoscant illum qui ideo fecit pauperem, ut de paupere probet divitem, probet, inquam, fidelem dispensatorem. Beati qui esurientem in paupere pascunt Dominum in tempore, ut ab eo pascantur in æternitate. Beati qui illi sitienti dant calicem aquæ frigidæ, ut ab eo accipiant fontem aquæ vivæ. Beati qui inopem vestiunt, quia Agni immaculati glorioso vellere vestientur. Beati qui à vinculis captivum redimunt, quia & ipsos à peccatorum vinculis absolutos dignabitur Dominus in libertatem Filiorum Dei asserere. Beati qui ægrum visitatione suâ consolantur, quia & vicissim *visitabit eos Deus in salutari suo.* Beati qui peregrinum suscipiunt hospitio, quia propterea *suscipientur in æterna tabernacula.* Beati qui mortuum sepeliunt ex pietate, quia vitam recipient pro pietate istius mercede. Hæc sunt multiplicia opera misericordiæ, pro quibus omnibus generaliter dicitur hic: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

Exemplis Misericordiam in pauperes. S. Joannes Eleemosynarius.

Innumera suppetunt exempla eorum qui ob misericordiam in pauperes admirabilem à Deo gratiam & benedictionem sunt adepti, & supervacaneum foret eorum catalogum texere. Paucos interim compendiosè insinuo.

1. O quàm beatus hac beatitudine S. Joannes, dictus Eleemosynarius, ab eleemosynis in pauperes profusissimis, penè supra fidem humanam! O quam beatum ejus testamentum, ubi sic scribit: *Joannes humilis servus servorum Dei, propter Pontificatus autem dignitatem gratia Christi liber. Ago tibi gratias Deus meus, quod me dignum coegisteris qui tua tibi offerrem, quod nec cogitare unquam ausus*

aliud mihi reliquum sit nisi tertia pars nummi, quam ipsam jubeo quoque dari pauperibus fratribus meis in Christo. Quando Dei permissu fui creatus Alexandriæ Episcopus, inveni in Episcopatu meo octo millia librarum auri; ex oblatione autem collegi denis millibus plures pecunias. Quas cum scirem esse Christi; Christo dare volui, cui & nunc trado animam. Hoc testamento facto, deposuit spiritum in manus Dei viventis. O virum misericordem, ideoque copiosissimam in cœlis misericordiam assecutum!

S. Mart. 2. O quàm beatus S. Martinus, qui in Christo misericorditer vestivit Christum dimidiatâ veste, prout ipsemet Christus ei apparens testatus est! O quam beatus S. Osvaldus Rex, cujus dextra non fuit post mortem corrupta, quia in pauperes misericorditer semper fuerat porrecta! O quàm beatus S. Gregorius, qui etiam in specie pauperis Angelorum Dominum pascere meruit!

S. Osvaldus Rex Anglia. *S. Gregor.*

S. Carolus Borromæus. 3. O quàm beatus hâc beatitudine inter recentiores S. Carolus Borromæus, qui postquam suppellectilem totam, ipsum quoque lectum, in ægros alendos tempore pestis contulerat, numquam postmodum in lecto recubuit, sed super nudis asseribus! O virum ævi nostri summè misericordem, cujus eleemosynas enarrabit omnis Ecclesia Sactorum usque in sæculi finem!

Videri etiam potest admirabile exemplum de puella Alexandrina ob misericordiam in quemdam desperatum exercitam admirabili misericordia à Deo ad baptismum vocata, & à peccatis erepta. Historiam retuli in Candelabro mystico, tract. 2. lect. 6. circa fin.

6. Beatitudo.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

ECce verbum breve, sed salubre. Res pretiosa est cordis munditia, cujus possessores beati dicuntur, cui visio Dei & æternæ vitæ possessio promittitur. Redeundum ergo unicuique ad cor suum, & diligenter inspiciendum, an hanc cordis munditiem certò possit in se reperire. Si non esset pretiosa & multum desiderabilis, non tantopere illam exoptaret Prophera, qui orans dicebat: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis.* Et rursus: *Fiat cor meum immaculatum, ut non confundar.* Hanc munditiem exoptatam assecutus est, alioqui non diceret Dominus de ipso: *Inveni David virum secundum cor meum.* Dicebat Sapiens: *Qui diligit cordis munditiem, propter gratiam labiorum habebit amicum Regem.* Prophera David fuit adornatus gratiâ labiorum, quæ elucet in orationibus continuò ad Deum profusis; simulque dilexit cordis munditiem, pro illa frequenter orans: ideo cœlestem Regem amicum habebat, ejusque amorem ita sibi conciliabat, utin amoris & benevolentiæ securum testimonium hoc eum titulo insigniat. VIR SECUNDUM COR MEUM. Hunc quoque titulum participant quicumque cordis munditiem diligunt, & orationis frequentiam, cordis puritatem per labiorum gratiam coram Domino effundentes. Propterea igitur hic dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Psal. 50. *Psal. 118.* *Act. 13.* *Prov. 22.*

Qui sint mundi corde.

Sed quæritur, quid sit esse mundum corde? Dicamus *primo*, mundicordes rectè intelligi eos qui non solùm corpore, sed etiam corde ac cogitatione casti sunt, quique castimoniam sic diligunt, ut omni studio propudient quicquid ei maculam aspergere valet. Concupiscentia suscitat omnes impuras cogitationes, sicut ignis fumum: At hi qui mundi eorde sunt, ne fuliginem inde contrahant, mox initium fumi illius, hoc est primos concupiscentiæ motus, extinguere & superare conantur. Hanc cordis munditiem vocat Apostolus sanctimoniam: *Pacem sequimini, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Cùm enim castitas sit corporis & mentis sanctitas, ab Apostolo hic sanctimoniæ designatur nomine, interprete S. Chrysostomo, Hieronymo, Augustino. Et cùm caste viventes templum sint Spiritus sancti, ut dixit S. Lucia, non mirum si Deus in ipsis habitans sui visionem eis indulgeat. Neque tamen per castitatem hic solùm intelligenda est virginitas, quia & in conjugatis castitas reperitur, si fides mutua & Sacramenti leges illibatè serventur.

Pr. I. *Qui corpore & corde casti.* *Hebr. 12.*

In vitis Patrum legitur, S. Macarius audisse cœlestem vocem: *Necdum duarum conjugatarum in urbe vicina habitantium perfectionem attigisti.* Ille divino spiritu ductus pergit, & domum ingreditur duarum sororum duobus fratribus matrimonio copulatarum; à quibus importunâ prece extorquet, ut edicant vitæ suæ seriem. Quæ tandem fassæ sunt se undecim annis in eadem domo cohabitasse summâ pace & concordiâ inter se & viros suos, seque sæpius enixè postulasse, ut vitam cœlibem agere vellent: quod cum impetrare non valerent, cordis puritatem se Deo obtulisse, & jugiter advigilasse ne verbo aut opere Deum offenderent. Hoc audiens Vir sanctus, exclamavit: *In quocumque statu cordis puritas Deo placet, ita ut puritas conjugatorum, puritatem Virginum & Monachorum quandoque excellat.*

Exempl. castitatis conjugalis. *Vitæ Patrum.*

Secundo, dicamus per mundicordes intelligi illos, qui nullâ mortiferi peccati labe cor habent inquinatum in hoc studiosè incumbentes, ut intenam munditiam alant, omne vitium, omneque desiderium perversum animam inficere potens exhorrentes. Hos mundo corde dixit Dominus, quia cor fons est peccatorum omnium: *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemia, quæ coinquinant hominem.* Prava nempe voluntas, pravusque affectus per cor significatus, illa omnia inquinamenta progignit; unde beatus est qui potest dicere: *Mundum est cor meum, purus sum à peccato.* Qui cor habet purum, Fontem censetur posse videre à quo

Pr. II. *Qui à peccato mortali secundo.* *Matt. 15.* *Prov. 20.*

à quo omnis puritas in omne opus fluit. Hinc & illud Basilii: *Primum beatissimum est, quod in corde nostro purum, quia radix est omnium corporis actionum, cordis consilium.* Interiora igitur tua penetra, & conscientiam scrutare, quisquis es beatitudinis appetens, & visionis divinæ cupidus; sciasque non sufficere quòd manus habeas innoxias à pravo opere, nisi & à pravis cogitationibus munderis in mente. Propterea etiam Psaltes cecinit: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus?* Respondet: *Innocens manibus, & mundo corde.* Quisquis externam tantum virtutis speciem præ se fert, & cordis munditiæ non studet, beatitudinis exsors est. Huic quoque illud convenit in Pharisæos prolatum. *Væ vobis, quia mundatis quod deforis est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapina & immunditia.* Munda prius cæce Pharisæe, *quod intus est, ut fiat id quod deforis est, mundum.* Sion non vis cæcos intercenseri, O Christiane, munda cor tuum; sic interiorem partem mundabis, inde & externa opera tua munda erunt & placita Deo.

Psal. 23.

Matt. 23.

Tertiò, dicamus illos esse perfectè mundicordes, qui etiam à pulvere venialium sese exterge-re solliciti sunt, & immaculatos ab hoc sæculo custodire, ut possint dicere Deo in sinceritate & candore: *Deus cor meum.* Hanc munditiem cordis sic exprimit & commendat Seraphicus Franciscus in opusc. decem perfectionum: *Perfectio perfecti Christiani est, quod cor suum ab omni mundana & humana creatura eradicet, nec quærat aut inveniat fundamentum aut radicem nisi in illo qui facit sibi cor; sed consuescat cor projicere in ipsum Deum, & de facibus terrenis frequenter elevare: ita ut sive pœna convoluerit revertatur ad Christum cogitandum, afficiendo se ad cordis Creatorem & intentus sit in omni loco & tempore altissimo benefactori.* Hæc ille. Nempè fugit mundum, qui vult esse mundus; & eum qui est corde mundus, jam non delectat mundus. Fugit creaturas, qui vult possidere Creatorem; omnis creatura ei vilescit, & tunc Creator in corde dulcescit.

Tit. III. *Quia à venialibus etiam se custodiunt.*

Tales ergo mundicordes absque dubio videbunt Deum, tum in hac vita, tum in altera. In hac quidem vita per contemplationem amorosam, in altera per visionem & fruitionem consummatam; in hac vita per speculum, in altera vita facie ad faciem. Quomodo per speculum? Audi mellifluum Bernardum Principale speculum ad videndum Deum est animus rationalis inveniens seipsum. Si enim *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*, ubi expressius quàm in ejus imagine cognitionis ejus impressa vestigia reperiuntur? Tergat ergo speculum, mundet spiritum suum, quisquis sitit videre Deum suum. Hoc speculum verus pœnitens non cessat quotidiè inspicere, tergere, tenere, custodire. Inspicere, si quid reperiat Deo displicens. Tergere, non solùm peccata actionum, sed & cogitationum. Tenere, ne deorsum corruens terræ per amorem inhæreat, & ne inanium cogitationum pulvere sordescat. Custodire, *ut ille cujus tabernaculum est cum hominibus, & delicia cum filiis hominum, qui ad ostium stat & pulsat*, quacumque horâ intrare voluerit, habitaculum mundum inveniat. Deus enim munditiæ amator cor pollutum habitare non potest. Hæc S. Bernardus tract. de interiori domo cap. 13. Ac deinde sequenti capitulo idem prosequitur, & ostendit quomodo talis mundo corde Deum videat per internam illuminationem, sic subjungens: *Extersa igitur speculo, & diu diligenter inspecto, incipit ei quædam divini luminis claritas interlucere, & insolitæ visionis radius oculis cordis apparere. Ex hujus luminis visione animus inflammatus incipit munda cordis acie superna & interna conspicere, Deum diligere, Deo inhærere: cuncta quæ adsunt, tanquam non sint, considerat, cunctis affectionibus renunciat; totus soli incumbit amori, sciens solum illum esse beatum, qui Deum amat.* Hæc scribit S. Bernardus, vix utique mundi cordis, qui noverat per experientiam, quam beatisunt mundo corde, & quomodo hic Deum puro cordis oculo contemplentur. Sicut enim oculum corporis, ut Solè inspiciat delectabiliter, necesse est esse purum à pulvere & noxio humore: sic & oculum cordis, ut divinum Solem contempletur, immunem necesse est esse à sæculi pulvere & vitioso mundi humore.

Tract. de interioris domo c. 13.

Audiamus, post S. Bernardum, virum alterum recti & mundi cordis eadem de re differentem, Thomam scilicet à Kempis lib. 2. de imit. c. 4. ubi sic habet: *Duabus alis homo sublevatur à terrenis, simplicitate scil. & puritate. Simplicitas debet esse in intentione, puritas in affectione. Simplicitas intendit Deum, puritas apprehendit & gustat. Si est gaudium in mundo, hoc utique possidet puri cordis homo.*

Quam felices ergo sunt, qui mundo sunt corde, quandoquidem eos Dominus dignetur tali in hac vita remuneratione, sui scilicet & in hoc sæculo & in altero visione! Audi horum exempla.

Rom. 1.

1. O quam mundi cordis, quamque beata fuit hac beatitudine S. Gertrudis, quæ de se sic scribit: *Cum cantaretur Responsorium*: Vidi Dominum facie ad faciem, *inæstimabili coruscatione illustrata est anima mea. Apparuit tamquam faciei meæ facies quædam, non formata; sed formans, non perstringens oculos corporis, sed faciem latificans cordis, grata amoris munere, non colore. Ex hac mellifluæ visione, cum solares occultui, Domine Deus, oculis meis directè oppositi viderentur, qualiter tu suavis dulcedo mea tunc affecteris non solum animam meam verum etiam cor meum cum omnibus viribus, tibi soli notum est; Da proinde, ut, quod vixero, persolvam tibi famulatum devotum.* Hæc ipsa. Exemplum Mundicordium.

2. O quam beata hac beatitudine fuit S. Cæcilia, quæ cantantibus organis nihil aliud in corde suo decantabat Domino: *Fiat cor & corpus meum immaculatum, ut non confundar!* Ideo videre meruit Angelum coronam sibi afferentem, quam & obtu-

dit Valeriano Sponso, ad munditiem cordis & castitatem corporis eum invitans, ut & ipse hac beatitudine decoraretur.

3. O quam beata hac beatitudine S. Catharina Senensis, cui cum Dominus cor proprium abstulisset, & suum illi in commutationem donasset, tantum ardorem, tantamque cordis puritatem & renovationem persensit, ut ad innocentiam & ætatem quatuor aut quinque annorum se rediisse putaret. *Historiam hanc retuli in Horto Past. tract. 3. lect. 25. in fine. Videre potes etiam exemplum ex Thaulero, Arnobii relatum Horti Pastor. tom. 2. tract. 3. lect. 5. in fine.*

7. Beatit. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.*

HÆc est septima beatitudo, frequenter à Domino commendata, quia semper solitus fuit pacem commendare. Quam pacem explicans & consimiliter commendans S. Augustinus sermone 57. de verbis Domini, sic ait: *Pax est serenitas mentis tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum consortium charitatis. Hæc est quæ simultates tollit, comprimit iras, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, cunctis est placida. Non quærit alienum, nihil deputat suum, docet amari quæ odisse non novit, nescit extolli, nescit inflari. Hanc ergo qui accepit, teneat; qui perdidit, repetat; qui amisit, exquirat: quoniam qui in ea non fuerit inventus, abdicatur à Patre, exhæredatur à Filio, à Spiritu Sancto alienus efficitur.*

Qui dicantur pacifici 1. Pacato corde.

Quæritur verò, quinam hic dicantur *Pacifici? Respondeo primo*, illos rectè dici pacificos, qui in semetipsis pacato sunt corde, & tranquilla mente, quia affectus inordinatos animum perturbantes student subjugare & rationi subjicere. Sic interpretatur S. Augustinus cap. 1. de Serm. Dom. ubi ita habet: *Pacifici in semetipsis sunt, qui omnes animi motus componentes & rationi subjicientes, carnalesque concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei. In quo ita sunt ordinata omnia, ut id quod in homine præcipuum est & excellens, imperet, hoc est mens & ratio, & ipsa subjiciatur potiori, quod est ipsa veritas unigenitus Dei Filius.* Hæc est pax quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis, hoc est illis quibus bene vult Deus, sive quos elegit & diligit. Hi enim *Luc. 2.* sunt *homines bonæ voluntatis*, qui & alibi dicuntur *Coloss. 1.* *Filii dilectionis*. Impii & reprobi è contra pacem hanc internam non habent, sed tumultum & rebellionem patiuntur continuam, ob desideriorum inordinatorum turbam, quam non norunt comprimere, sed permittunt ipsam mentem & rationem opprimere & calcare. Hoc considerari facilè potest in avaro, in luxurioso, in ambitioso, in iracundo, & passionatis aliis hominibus, in quibus nulla est tranquillitas, ut propterea dicatur de *Isa 57.* illis: *Impii, quasi mare fervens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus ejus in conculcationem & lutum.* Quasi dicat: Sicut fluctus continuos dat mare frequens; aut sicut Euripus septies per diem fluens & refluens, ita cor impii. Et sicut fluctus maris propellunt ad littora cœnum & lutum, spumas, cadavera, & alia putida ejectamenta, quæ sunt conculcatione digna: Talia etiam producit cor impii, sive cogitationes ejus consideres, sive verba passione plena, sive cupiditates opere completas. Ideo subdit: *Non est pax impiis, dicit Dominus*, quia pacem animi, & gaudium nullum habent. At de piis loquens Apostolus, dicit è contra: *Pax Dei exultet* *Coloss. 3.* *in cordibus vestris.* Quid est, *Exultet?* Alteram lectio id explicat, dicens: *Pax Dei palmam ferat in cordibus vestris.* Si pugnent cogitationes, ira, concupiscentia, ambitio, aut alia quælibet passio cor adsultet. Pax Dei palmam ferat, passionem illam reprimens & superans: sicque instar triumphatoris exultet, & totum cor possideat, relegatis omnibus adversantibus sibi cogitationibus tumultum excitare conantibus.

Hæc igitur pax hominis in seipso, pax cordis *Pax cordis.* est, à qua homo meritò *Pacificus* dicitur, & consequenter beatus: quia hæc pax cordis simul involvit pacem cum Deo, pacemque cum proximo. Pacem quidem cum Deo, quia cum Deus maximè adamet pacem, & se Deum pacis nominari velit, hi ideo internam sunt pacem, ut ei placeant, nec ullam in re eum offendant, aut ab eo discordent. Pacem quoque cum proximo, quia qui corde est pacato, pacem cum omnibus servare studet, nec facilè offendit, aut offenditur. Immò & cum illis qui oderunt pacem, est pacificus, carbonesque congerit super caput eorum, & in funiculis Adam, in vinculis charitatis eos trahit, beneficiis devinciens, ut pax maneat intemerata. Hæc est ergo vita perfecti consummatique Sapientis; sicut S. Jacobus asserit, sapientia quæ de cœlo est, pacifica est: *Quæ Jac. 3.* *desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens*, inquit ipse.

Respondeo secundo, hic maximè dici pacificos, se- *2. Pacifici* cundum mentem Salvatoris, qui non solum in se pacati sunt, & cum aliis pacem servare studeut, sed *qui discordantes* etiam qui discordantes alios ad pacem reducere *concordare* conniuntur. Quapropter attende, quam apte septi- *tuntur.* mo loco inter beatos connumerat Dominus pacificos, sive pacificantes & pacis conciliatores: conformiter scilicet dicto Sapientis, qui è contra post- quam enumerasset *sex quæ odit Dominus.* (inter quæ *Prov. 6.* primum est *Sublimitas oculorum*, cui opponitur hic paupertas, simul *humilitas spiritus* primo loco) dicit septimum quod detestatur anima ejus, esse, *seminare inter fratres discordias.* Huic ergo quam bene opponitur septima beatitudo hæc: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur?*

Quod si beati dicuntur, qui homines dissidentes inter se reconciliare student; quanto magis qui *Multo magis* à Deo discordes per peccatum homines, ad pacem *qui ejus* cum illo revocant? Verè & hi *Pacifici* meritò dicun- *amatores ad* tur, & *Legati pacis*; quales sunt non solum Apostoli, sed & cum in zelo imitatores, animarum conver- *Deum re-* *vocant.*

sioni,

sioni, sive verbo, sive consilio, sive aliquo modo incumbentes pro modulo suo. De his igitur & hic loqitur Christus, qui oculos elevabat in discipulos, dum pronunciavit: *Beati pacifici.* Cumque pax cum Deo sit sola vera pax, ad quam prædicandam destinabantur Apostoli, de ea potissimum Christum hic loqui censent ex SS. Patribus nonnulli. Quapropter de huiusmodi pacificis dictum Domini intellexisse videtur S. Basilius q. 215. ubi cum proposuisset hanc quæstionem: *Quis est pacificus ille, qui à Domino beatus prædicatur?* Respondet. *Qui Domino cooperatur, sicut dixit Apostolus: Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo reconciliamini Deo.* Et rursus: *Iustificati ex fide pacem habeamus ad Deum. Nam pax quæ aliter se habet, negata est à Domino, ubi ait: Pacem meam do vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Ita S. Basilius. Itaque pacifici sunt illi, de quorum beatitudine Isaias vaticinium protulit: *Quam pulchri sunt super montes pedes meos annunciantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus?*

De his maximè Christus loquitur.

2. Cor. 5.

Rom. 5.

Ioan. 14.

Isai. 52.

Sed cur specialiter pacifici vocandi sunt filii Dei Duplex huius nobilissimi nominis ratio afferri potest. Prima est, quia Deum imitantur, qui *Pacis Deus est, non dissensionis.* Filii ergo Dei nominantur speciali imitatione; sicut filii Abrahæ, qui eius fidem & virtutes specialiter sunt imitati: *Si filii estis Abrahæ, facite opera Abrahæ.* Sic & ob peccatum quo diabolum imitabantur Iudæi ibidem eis dicit: *Vos ex Patre diabolo estis.*

Pacifici filii Dei dicuntur. 1. quia Deum imitantur Ioan. 8.

Exemplum

Admirabile est in hac re, quod à S. Wolstano Episcopo Vigorniensi, gestumest. Cum multa de pace pro concione dixisset, multi inter se, dissidentes ad conciliationem sunt adducti. Vnus tamē nullis Sanctimonitis exuere voluit odii pertinaciā, & induere pacem. Hunc tandem sic allocutus est: *Dominus dixit in Evangelio: Beati pacifici quoniam filii Dei vocabuntur. Si hi sunt beati, & filii Dei; igitur discordes infelices sunt, & filii diaboli. Itaque eite cōmendo, cuius filius es, & trado Satanæ ad interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini iuxta præceptum Apostoli.* Vix sermonem finierat, cum miser mancipium Satanæ factus cæpit dentibus stridere, spumare, crinem rotare, & in terram elisus volutari cum furore. Exoratus est tandem Wolstanus lachrymis astantium, ut misereretur, ideoque jussit dæmonem discedere. Sed reductus ad mentem homo, adhuc pertinax perstitit. Iterum iussus vexari, iterumque sanari, pacem negavit; donec tertio labefactatus concussione dæmonis totis membris, & velut animam agens pacem petiit & iniit, incolumitatique est restitutus.

Secunda ratio, cur pacifici dicantur Filii Dei est quia imitantur Christum Dei Filium naturalem, qui maximè Pacificus fuit, cujus & officiū fuit pacem conciliare inter homines & Deum, imò inter homines & Angelos. Nam, *in ipso complacuit omnē plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum. Pacificās per sanguinem crucis eius, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* O Dei bonitatem, nos ad reconciliationem & pacē vocantis Filium Pacificatorem mittentis, qui per sanguinē & crucem pacē faceret; Hanc admiratur S. Chrysostomus, dictum Apostoli locum explanans: *Magnum est reconciliari; at quod per Christum fiat, majus est: atque hoc quoque ipso maius est illud, quod per sanguinem ejus factum est, & non simpliciter per sanguinem, sed quod amplius est per crucem. Itaque hic sunt quinque præcipua & admiranda Deo nos reconcilia vit: reconciliavit Christus per se ipsum: per mortem: per crucem.* Hæc ille. Magnus ergo Pacificator Christus, & quia eum imitantur filii adoptivi, pacem internam, pacem externam, pacem æternam in se & aliis adamantes, ideo beati dicuntur, & speciali titulo, *Filii Dei.*

2. quia Dei Filii imitantur.

Coloss. 1.

Sed concludamus, & aliquos pacificos in medium producamus.

Exemplum pacificorum.

1. O quam hac beatitudine beatus propheta, de se ipso testatus: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus;* Attende, quam pacificè loquitur cum hoste Saule necem sibi moliente, quem interficere in spelunca potuerat. *Inclinans se pronus in terram adoravit, dixitque ad Saul: Quare audis verba hominum loquentium: David quærit malum adversum te? Pater mi, vide & cognosce oram clamydis tuæ in manu mea, quoniam præscinderem fimbriam tuam, nolui extendere manum meam in te. Quem prosequeris, Rex Israel? Canem mortuum, pulicem unum.* Sic ad pacem blandissimis & humilimis verbis adducere conatur vir summè pacificus hostem suum. Et quidem agnovit ad tempus Saul culpam, quia levavit vocem suam, & flevit, dixitque: *Iustior es quam ego. Tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala.* Sed pacis oblivisebatur, quia mox malignus auctor dissensionis eum invadebat, & innocuum invadere suggerebat.

Psal. 119.

1. Reg. 24.

2. O quam beata Abigail! Cum occurrisset Davidi in Nabal juste inflammato, & suavi oratione eum pacificasset, dicit ei David: *Benedictus Deus Israel, qui misit te hodiè in occursum meum & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodiè, ne irem ad sanguinem, & ulciscerer me manu mea.* An non hac beatitudine & benedictione eam benedictam pronunciat David? Imo & suis verbis significat, eum qui pacificus est, sive pacis mediator, à Deo mitti, benedictumque esse ejus eloquium, & ipsum quoque esse benedictum. Sic & benedicta mulier Thecuitis, pacificans eundem Davidem, ut revocet Absalonem.

1. Reg. 25.

3. O quam beatus *Frater pacificus*, S. Francisci socius, quid ideo *pacificus* ab eo est nominatus, quia pacificis omnino moribus erat, amatorque & conciliator pacis, ubicunque poterat! Verè *lingua ejus eucharis* multos reconciliavit.

4. O quam beatus ejus imitator Fr. Felix de Cantalicia Ord. Capucinorum, qui benedicto eloquio sub multos ad pacem reduxit, & pacem Christi!

Cum quondam die incidisset in duos exertis jam gladiis ad duellum paratos, cœpit inclamare fortivoce & zelo: *Heu fratres mei sistite paululum; obsecro vos per salutem vestram, unicum mihi verbum ante conflictum donate, dicat unusquisque, Deo gratias, Deo gratias.* Visit & compulit eos dicere, *Deo gratias.* Et illico his verbis prolatis, mansuefactos animos ad concordiã reduxit, proposita eis peccati gravitate, & charitatis Christianæ obligatione. O virum pacificum! ô virum beatum! ô merito inter filios Dei connumeratum! Vide etiam apud Surium de S. Norberto, quomodo fuerit *Angelus pacis*, ubique eam nuncians, ubique discordes sedans, Vitæ c. 13, 14, 15.

5. O quam beata hac beatitudine S. Monica, Augustini Mater, de qua sic ipse scribit lib. Confess. c. 9. *Inter discordes, ubi poterat, tam se præbebat pacificam, ut cum ab utraque parte multa de invicem audiret amarissima, qualia solet eructare turgens atque indigesta discordia, quando præsenti amicæ de absente inimica per acida colloquia cruditas exhalatur ardiorum; nihil tamen alteri de altera proderet, nisi quod ad eas reconliandas valeret.* Vtinam eam imitarentur pleræque mulieres, sed potius odia seminant, vel accendunt: hæc est innata penè eis imprudentia, vel malignitas. Neque solùm ex ea parte beata fuit S. Monica, sed etiam, & maximè ex eo quod conjuncta viro infideli & austero adeo pacem coluit, pacificisque moribus ita eius animum barbarum devicit, ut etiam tandem ad fidem & pacem Christi feliciter traduxerit. O mulierem fortem & sapientem!

3. Beatit

Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum Cœlorum.

Electi Dei ad patiendum pro Deo destinantur.

POtissima pars perfectionis Christianæ in laudabili passione & tolerantia propter Deum consistit. Quapropter qui à Deo eliguntur, potius eliguntur & destinantur ad multa pro eo patienda, quam agenda; & in hoc vertex perfectionis est, pati & animam ponere pro justitia & causa Dei. An non ideo dicebat Dominus Ananiæ de Paulo: *Ego ostendam illi, quanta oporteat pro nomine meo pati?* Eandem ob causam ipse postmodum confirmans animas discipulorum, cum lapidatus fuisset pro Christi fide à Iudæis, & instar mortui derelictis, dicebat illis: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Hæc nimirum est porta, per quam Christus ingredi voluit, per quam & suos omnes in regnum perducit. Quam eandem vocem repetiit Vrbanus Pontifex, Cæciliæ instructor, cum eum jam carceri mancipatum visitarint Presbyteri Christiani. Illis enim flentibus & dicentibus: *Ora pro nobis sanctissime Pater, quia tempus persecutionis imminet.* Respondit: *Nolite ex hoc fieri, sed magis gaudete: Per multas enim tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Paulò post in tribunal productus, glorioso propter justitiam & fidem passus est, persecutione beatus, effectus, sanguine viam sibi sternens in regnum cœlorum. Ita habent eius Acta anno Christi 233.

Actor. 9.

Actor. 14.

Conformiter loquitur S. Petrus, & monet Christianam vocationem esse pati pro Domino & veritate, nec novum quid eis cõtingere, si immineat eis persecutio, cum illa & probationem, purgationem, beatitudinem ipsorum ordinetur: *Nolite peregrinari in fervore qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat,* inquit ipse. Quasi dicat: Fervor, sive ardor persecutionis, qui vos & vestram tentat & explorat constantiam, non videatur vobis res nova & peregrina; pios enim tentari, & tribulari, ac persecutionem pati, jam ab initio sæculi voluit Deus. Sic enim impius Cain pium Abelem persecutus est; & filios Dei persecuti sunt filii hominum. Sic & Abrahamum persecuti sunt Chananæi, Isaacum Ismaël, Loth Sodomitæ, Iosephum fratres, Iacobum Laban, Moysen Pharao, Hebræos Ægyptii, Davidem Saul, Isaiam Manasses, Ieremiam & alios Propetas Iudæi. Hi enim *lapidati & secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis.* Addit postmodum S. Petrus, glorioſum esse pati pro Christo, quia hoc est ei conformari & communicare, ipsiusq; spiritum participare, denique & ad consortium gloriæ eius certam sibi viam sternere. Audi ipsamet S. Petri verba plena efficaciæ, plena spiritus & gratiæ: *Communicantes Christi passionibus, gaudete, ut & in revelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi beati eritis; quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est eius spiritus, super vos requiescit. Nemo vestrum patiatur ut homicida aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Christianus, non erubescat: glorificet autem Deo in isto nomine.* An poterat Petrus Apostolorum Coriphæus clarius explicare hanc à Domino hic pronunciatam sententiam: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum?* An non & verbis suis illud ipsum complectitur, quod mox Dominus subiunxit: *Beati estis cum vos oderint, & maledixerint vobis homines mentientes propter me, Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis?*

1. Pet. 4.

Hebr. 11.

1. Petri 4.

Matth. 5.

Sic Evangelicæ doctrinæ conformis est doctrina Apostolica, sive Pauli, sive Petri, quasi voce Christi bene sonanti succinens, & suavissimam harmoniam efficiens in auribus veri Christiani. Sed ut in ore trium testium, & Præconum, ac Cantorum, stet omne verbum, Petro & Paulo jungamus & Iacobum, sic pronunciantem, sicque concinentem: *Omne gaudium existimate, fratres cum in tentationes varias incideritis: scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet, ut sitis perfecti & integri in nullo deficientes.*

Iacob. 1.

Tenta-

Tentationes varias vocat S. Iacobus omne genus afflictionis & Tribulationis, hominis animum & virtutum tentans & explorans. In his dicit plenum perfectumque gaudium Christiani debere consistere, si animum fide & lucis divinæ radio illustratum velis adhibere, quia maxima pariunt homini bona.

Tribulatio multa bona parit.

1. Avellunt hominem ab hoc sæculo, & eius illecebris.

2. Signum sunt filiationis & prædestinationis divinæ.

3. Peccati occasiones succidunt, & in satisfactionem ordinantur præteritorum.

4. Patientiæ humilitatis, omnigenæque virtutis materiam suggerunt.

5. Denique Christo hominem conformant, tandemq; coronant penitus expurgatum. Quod ignis auro, lima ferro scalprum lapidi, runcina ligno, lixivium panno, flagellum grano, ventilabrum tritico, sal carni, fornax pani, malleus contignationi, hoc tribulatio homini iusto: *Tunsionibus, pressuris, expoliti lapides suis coaptantur locis per manus artificis disponuntur permansuri sacris ædificiis.* Propterea igitur S. Iacobus gaudium è tribulatione vult Christianos elicere: quæ est doctrina cœlestis & arcana, quam ipse à Christo didicit, Christus autem è sinu Patris illam attulit, & exemplo ac verbo docuit. Vade quantumlibet mundus hoc ignorare velit non potest verum non esse: *Beati qui persecutionem patiuntur.*

Neque verò hoc solum concernit Martyres, qui persecutionem pro fide passi sunt, & pro Christo sanguinem funderunt: sed concernit Christianos, omnino omnes cuiuscunque sint status & ordinis. In quocumque enim statu *non deest tribulatio persecutionis, si non desit observantia pietatis.* Apostolo pronunciante: *Omnes qui piè volunt in Christo vivere, persecutionem patientur.* Persecutores autem non solum sunt homines, sed & dæmones, sed & propriæ passiones. Audi pauca de his tribus persecutoribus.

S. Leo.

2. Tim. 3.

Persecutores triplices.

1. Persequuti sunt tyranni Martyres, persequuntur hæretici Fideles, persequitur impii pios Christianos, corde, verbo, vita. Sic homines insurgunt in homines jam ab initio sæculi, improbi in probos. Quæ persecutio initiata fuit per Cain contra Abel insurgentem, ita ut universim de justis in persona Abelis repræsentatis dixerit S. Gregorius: *Abel fieri non valet, quem Cain malitia non exercet.* Hæc etiam persecutio adumbrata fuit in collisione Esau & Iacob, jam ex utero. Collidebantur duo parvuli in utero Rebeccæ: sic & in utero Ecclesiæ duo populi colliduntur, superbi contra humiles, adulteri contra castos, impii contra pios, prout fusè interpretatur S. Augustinus, serm. 78. de temp. Et licet adversus probos quandoque insurgere verbo vel facto cessent impii, attamen eorum vita impia semper eos cruciare & persequi censetur. Propterea S. Augustinus ep. 145. dixit: *Quid sic persequitur vitam bonorum, magis quam vitam iniquorum? Non cum cogit imitari quod displicet, sed cum cogit dolore quod videt. Quoniam coram pro vivens impiè etsi non obligat, consentientem, cruciat sentientem.* Sic piorum cordibus à malis hominum moribus nunquam parcitur usq; ad sæculi finem. Interim augentur merita piorum, sivedum corporaliter vexantur ab improbis, sive dum in corde torquentur; quia & de Iacob ac Esau dictum est: *Maior serviet minori.* Mali enim serviūt bonis, non obsequendo, sed persequendo & cruciando; sic enim lauream eis fabricant cuiusdam martyrii. Certè de Loth dicit S. Petrus: *Aspectu & auditu justus erat, habitans apud eos qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant.* Intus scilicet persecutionem patiebatur & discruciabatur, obscœna audiens vel videns inter Sodomitas: Dicere poterat idem, quod S. Polycarpus de hæreticis: *Deus bone, in quæ me tempora reservasti, ut hæc audiam!* Hoc & justi dicunt, in medio nationis pravæ coacti degere: interim non desinit crescere eorum justitia & beatitudo, sicut lilium inter spinas, ideoque de ipsis dicitur. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.*

2. Petr. 2.

Euseb. in Chron.

2. Persequitur continuò Satan justos, ideo & Satan dicitur, id est adversarius. A mille sexcentis annis odium contra hominem concepit, quod semper parturit, & ubi potest, parit, siciens eius perniciem. Hinc eius variæ persecutiones & tentationes, quasi fluctus fluctibus succedentes, ut eum absorbeant. Ab ipso impetuntur non solum viri & mulieres in sæculo, sed etiam virgines in claustro, Ecclesiæ ministri in templo. Religiosi in choro, Anachoretæ in deserto. Sacerdotes in sacrificio, *Mille nomina habet, mille nocendi artes hic persecutor*, inquit S. Hieronymus. Interim justus ob justitiam ab eo persecutionem patiens (ut eam deserere tandem cogatur, & mittere se deorsum) resistit viriliter, luctatur fortiter, & attendit monitum illud Sapientis: *Si spiritus potestatem habentis ascendat super te, ne dimittas locum tuum.* Molesta quidem est lucta ista, sed fructuosa; quia si habet pœnam, habebit & coronam; & quod resistentem fatigat, vincentem coronat. Propterea & de hac persecutione verum est: *Beati qui persecutionem patiūtur propter iustitiam.*

2. Satan iustos.

Eccli. 10.

3. Persequuntur nos propriæ passiones vitiosæ, & conantur à justitia dejicere, ut dominentur in nobis: easque contra nos commovet & inflammat *is cuius habitus prunas ardere facit.* De his sic loquitur S. Hieronymus: *Inde persequitur me luxuria inde avaritia conatur irrumpere, inde venter vult mihi Deum esse pro Christo, compellit libido aut habitantem in me Spiritum Sanctum fugem, & templum eius violem.* Certè & hæc gravis est persecutio Sanctis, quam suscitat concupiscentia intus rebellis, cum qua jugis est pugna. Hanc adumbrabat ludus Ismael cum Isaac, quem ludum. S. Paulus ad Gal. 4. vocat persecutionem: *Persequebatur is qui secundum carnem natus fuerat, eum qui secundum spiritum.* Quem ludum & persecutionem sic explicat

3. Propriæ passiones.

Iob. 40.

Hier. ep. 1.

Figura.

Homo hominem, variis modis persequitur. Gen. 25.

Origenes homil. in Genes. *Si caro, cuius personam gerit, Ismael spiritus blandiatur, & illecebrosis deceptionibus cum eo agat, voluptate illiciat & molliat; huiusmodi ludus Saræ displicet, & persecutio est. Tu ergo non illam solam persecutionem putes, quando furore gentilium ad immolandum idolis cogeris: sed si fortè caro libidinis alludat illecebra, si Saræ, hoc est virtutis es filius, velut persecutionem maximam fuge. Sic si iniustitia blandiatur, ut non rectum iudicium feras, sub specie ludi blandam persecutionem pateris.* Sic & in aliis vitiis, inquit Origenes. Beati & qui hanc persecutionem patiuntur, sed evincunt; adhærentes firmiter iustitiæ, & gratiæ divinæ; non obstante quacumque, vitiosarum passionem infestatione.

Non est necesse hic exempla subjicere, cum & Apostoli, & innumeri Martyres, Confessores, Virgines, aliique electi Dei non aliud clament (seorum vitam, labores, tribulationes interiores & exteriores inspicias) quam nulli contingere beatitudinem, nisi patiendo tribulationem & persecutionem: calcandoque per patientiam, adversa sæculi, securam esse viam regni.

LECT. 64. DE EODEM FESTO.

Documenta aliquot ex præcedenti doctrina.

2. Documentum, de octonario numero

PRimum documentum est, numerum hunc octonarium beatitudinem mysticum esse: unde & eius mysterium variè explicant SS. Patres, ut videre est apud Augustinum & Ambrosium. Paucis mysteria hic contenta edisseramus.

1. Esse gradus in templum. Ezech. 40.

Dicamus *primò*, has octo beatitudines rectè designari per octo illo gradus, quibus apud Ezechielem describitur esse ascensus in spirituale & mysticum templum, quod ibi mensuratur. Figura autem erat templi æterni, in quo laudabitur Deus, videtur & amabitur in sæcula sæculorum. Per hos ergo gratus ministratur nobis introitus in illud templū; per humilitatem scilicet, & mansuetudinem; per pœnitentiæ luctum, & esuriem sitimque gratiæ divinæ, per misericordiam & cordis munditiem; per pacem & patientiam. Et hi quidem gradus singuli conscendendi sunt cum gaudio, nullus prætermittendus. Vnde B. Petrus Damiani hac de re agens, sic monet: *Cantica canticum graduum, & gradatim ascende, nec properos alium aliquem prætermittas.* Has beatitudines vocat ipse canticum gravum novi Testamenti, in veteri non auditum, cum lætitia decantandum à filiis Sion.

3. Esse scalam Iacob.

Dicamus *secundò*, has octo beatitudines constituere scalam Iacob, cuius summitati innixus est Dominus, ascendentes angelico adiuvans ministerio, tandemque complectens, & in cœlum introducens. Huius scalæ duo fulcra sunt, Fides & Spes, quia reliquæ virtutes hic commendatæ illis innituntur, tanquam gradus scalæ suis fulcris. E contra, vitia his beatitudinibus opposita & contraria, constituunt scalam Esau, qua, pertrahente dæmonum impio ministerio, homines descendunt in infernum cum maledictione, ut statim dicemus.

3. Esse viam in terram promissionis.

Dicamus *tertiò*, has esse vias quas aperuit nobis Dominus, ut in terram promissionis pertingamus, & in medio mari huius sæculi per siccum ambulemus, tanquam veri Israelitæ; dum Ægyptii fluctibus involvuntur, & pereunt. An non audis in cantico Moysis decantari: *Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. Filii autem Israel ambulaverunt per siccum in medio eius?* O felices Filii Dei, qui medio maris huius undosi per vias quas aperuit Christus, ambulant! Fluctibus divitiarum obruuntur sæculi huius amatores: O infelices! Per siccum ambulant pauperes spiritu, sæculi contemptores: O beati! Flectibus iracundiæ absorbentur impatientes; O infelices! Per siccum ambulant mites: O beati! Fluctibus inanis lætitiæ & turpis voluptatis emerguntur libidinosi: O infelices! Per siccum ambulabant lugentes, & mundi corde: O beati! Sic de cæteris.

4. Esse octo chordas cytharæ Christi.

Dicamus *quartò*, has octo beatitudines esse octo chordas oris Christi, tanquam suavissimæ citharæ, & maximè sonoræ, à qua dependet tota musica cœli, & sapientia Dei. Audi Rupertum explicantem cap. 5. Matth. *Cecinit canticum beatitudinis cytharæ gloriosa cythara sonora & dulcis, cui tota erat & est insita musica Patris, universa sapientia Dei. Octo chordis antiquitus cytharæ fiebant, & quæ per primam, eadem vox resonabat per octavam. Quia septem tantum sunt differimina vocum; & octava vox eadem quæ prima est; quod Magistri non est incognitum. Sic in ista beatitudinum cantilena, quæ prima, eadem octava sententia est; Quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Hæc ille. Felix qui cum Christo potest hoc canticum canere, voce, corde, opere, & per vocem octavam ad cœlestis harmoniæ perennem suavitatem pervenire. Felix, qui ad resurrectionis octavam in æternitate potest pertingere post circumcisionem cordis in tempore.

2. Docum. in quo Christiana beatitudo consistat.

Secundum documentum est, æternam quidem mundi beatitudinem in rebus quibusdam externis collocari, in opibus, honore, prosperitate, voluptate: at Christianam beatitudinem internam esse, & consistere in humilitate & sæculi contemptu, in mansuetudine, in cordis munditia & misericordia, in luctu & persecutionum tolerantia. Quapropter S. Augustinus de hoc Domini sermone agens c. 9. dicit: *Animad vertat quisquis delicias huius sæculi & facultates rerum temporalium quærit, in nomine Christiano intrinsecus est beatitudinem nostram, sicut de anima Ecclesiastica ore prophetico dicitur: Omnis gloria filiæ Regis ab intus. Nam extrinsecus maledicta, persecutiones que permittuntur, de quibus tamen magna merces est in cælis.*

De hac re sic quondam allocutus est Dominus S. Teresam: *Existimasne, ô filia, meritum consistere in fruendo? Imò potius consistit in patiendo. Non est auditam*

unum nisi semel; quod S. Paulus gaudio cœlesti fruitus sit; sed multiplices eius passiones frequenter audisti. Tu quoque vides totam vitam meam tolerantia & passione acerba plenam; nec nisi semel sit mentio de gaudio meo, in monte Thabor. Dum Matrem meam intueris brachiis me complectentem, non existimes exinde ei semper gaudium abfuisse sine dolore; nam eo tempore quo eam allocutus est Simeon de gladio animam eius pervasuro, lucem percepit à Patre meo, qua semper insuebatur ea quæ passurus erat. Viri quoque sancti in deserto, spiritu Dei ducti, magnis pœnitentiis affligebant; multaq; prælia contra Satanam & concupiscentiam non sine amaritudine patiebantur, sæpe diu dilata consolatione. Crede, ô filia, hunc plus à Patre amari, cui graviores imponit labores, & amorem tribuit correspondentem. Et quomodo hunc amorem magis erga te possum ostendere, quã volendo pro te, quod volui pro me? Intuere hæc vulnera & dolores, ad eorum acerbitatem tui nunquam pertingens cruciatus. Sic docta Teresa cœlitus, dicebat crebrò sibi haud opus esse ulterius vivere, nisi ad patiendum pro Deo. Vnde & illud sæpe repetebat, sæpeque à Domino petebat, *AVT MORI, AVT PATI.* Orabat, ut Deus nullum ei indulgeret diem à dolore vacuum. Quadam sancta invidia & æmulatione ferebatur, erga Sanctos qui ampliores pro Domino cruciatus & labores perpessi fuerant. Docebat quoque continuò filias suas nullum aliud iter ad beatitudinem reperiri, nisi quod Sponsus earum Iesus Crucifixus prius iniverat, per cruces & passiones; imò in tolerantia earum veram beatitudinem consistere.

Ribera in vita Teresæ.

Tertium documentum est, has beatitudines esse Insignia filiorum Dei, quibus distinguuntur à filiis sæculi, esseque symbola quibus discernuntur electi à reprobis. Quisquis ergo vult scire an de numero electorum censendus sit; diligenter attendat, an cordis humilitatem & paupertatem sive contemptum rerum terrenarum in se reperiat. Sicut enim superbia Vexillum est, sub quo militant filii diaboli 3. sic & humilitas & paupertas spiritus primum Labarum est, sub quo militant filii Dei. Attendat quoque, an humilitati adiuncta sit mansuetudo, cordisque compunctio. Attendat etiam, an verum salutis desiderium simulque esuries & sitis justitiæ animum exstimulent suum; sciatque verissimum esse illud Bernardi: *Nullum præsentiæ Dei testimonium verius, quam desiderium gratiæ amplioris.* Vlterius attendat, an purgatum cor & mundum habeat, ut adspirare possit ad visionem filiis Dei promissam; nihil enim coinquinatum intrare potest regnum Cœlorum; illuc quisquis pretendit, necesse est, ut sit *innocens manibus, & mundo corde.* Denique consideret, an misericordia & pax sibi obvenient in interiori suo tabernaculo; maximè autem, an in patientia possideat animam suam, illaque palmam ferat in tribulationibus. Nam quondam S. Gertrudi Dominus dixit: *Tribulatio est quidam annulus pretiosus, quo mihi animas despondeo.* Illa autem li-

3. Has beatitudines esse symbola filiorum Dei.

tientiam coniunctam habet, quasi per gemmam preciosam & lucidissimam adornatur. Hanc gemmam qui intus in anima sua repererit, non dubitet se electorum numero accensendum.

Huc referri potest, quod electi à SS. Patribus vocantur *Filii Columbæ.* Cur Filii Columbæ, nisi quia Filii sunt Ecclesiæ, quam Christus Columbam suã immaculatam & perfectam nuncupat? Propter has autem beatitudines Columba est, & quidem perfecta, ac immaculata. Est enim Ecclesia velut Columba humilis & candida; mitis & munda; sititque aquas puras. Gestat in ore olivæ ramum (ut columba Noë) symbolum pacis & misericordiæ. Luctum quoque habet & gemitum pro cantu. Denique, persecutionem patitur ab accipitre, & à possessore columbarii, nec novit ulcisci, aut irasci, sed tolerare. Hæc omnia signa sunt animæ electæ, & beatitudinem donis adornatæ. O quam felices, qui propter hæc vocari possunt *Filii Columbæ!*

Electi cur Filii columbæ.

Quartum documentum est, nonnisi maledictionem & infelicitatem, væ, & æternum væ his contingere, qui vitam ducunt illis beatitudinibus planè adversam. Explicemus hoc in particulari per singulas beatitudines discurrendo breviter.

4. Octo maledictiones impiorum.

1. Si beati sunt pauperes spiritu, hoc est terrena contemnentes, animoque humiles, ipsorumque similes, asseritur esse regnum cœlorum: Væ, & iterum væ, his inflatis spiritu superbiæ, qui cum militent sub vexillo & Rege reprobo, nonnisi ipsius regnum in inferis constitutum consequi possunt. Vel etiam divitibus, qui ita terræ affixum cor habent, ut cœli obliviscantur: quia in servitute Mammonæ libertatem animæ, nec in hoc sæculo, nec in futuro consequentur.

1. Superba contemnentes, & divitum huius sæculi.

2. Si beati sunt mites, hoc est, benigni; quia nec rebelles sunt Deo, nec hominibus, imò verò proprium judicium voluntatem, amorem abnegantes, divinæ inspirationi & superiorum monitioni ita se conformare student, quasi lutum forent in manu figuli ad omnem formam pietatis suscipiendam. Si, inquam, hi beati sunt, quasi columbæ sine felle & veneno: Væ, & iterum væ, his qui cervicosi sunt, Deo & hominibus rebelles, in propria opinione obstinati proprii judicii & voluntatis sectatores, denique erga proximum vindicativi, felque & venenum jugiter foventes.

2. Obstrictorum.

3. Si beati sunt qui lugent, tum peccata sua ex spiritu pœnitentiæ, tum peccata aliorum ex zelo & charitate, denique & miserias incursantes in hac lachrymarum valle: Væ illis qui non attendunt ad ista, *respicientes in vanitates & insanias falsas*, consolationem non nisi terrenam quærentes, *gaudentes ad sonitum organi & cytharæ, ducentes in bonis dies suos.* Hi enim nihil minus cogitantes, *in puncto ad infernæ descendunt.* O punctum, infelix punctum! in æternum animam illam pungit, quæ brevis temporis compunctionem non agnovit.

3. Terrenæ quærentium.

4. Si beati sunt qui esuriunt & sitiunt justitiam, sive qui magno desiderio feruntur acquirendæ sanc-

4. In peccatis suis.

vel augendæ diuinæ gratiæ; quia norunt quantum & quale sit illud Dei donum: Væ illis qui nullo salutis suæ desiderio feruntur, ideoque in suis peccatis quasi in fæcibus infixi hærent. Nihili pendunt peccatum mortale, nesciunt donum Dei gratiam Spiritus S. non experiuntur rerum cœlestium saporem; sicque nullam illarum, vel sitim vel esurièm patiuntur, O infelices, & in hoc sæculo, & in futuro!

5. Immisericordium. 5. Si beati misericordes, ex affectu charitatis compatientes indigis, onera calamtiosorum portantes, opera, opibus, consilio auxiliantes quibus possunt: Væ illis qui nullam gerunt afflictorum curam, quasi eos res non tangeret, quasi egeni membra non forent Christi: immò afflictis dant afflictionẽ, vel verbis acerbioribus, vel etiam oppressione & conculcatione, lachrymas eis excutientes. An putas his misericordiam à Domino consequi posse, qui planè fuerunt immisericòrdes? Audi S. Gregor. Nyss. in hom. de his beatitudinibus, de divite erga Lazarum immisericorde differentem: *dives deliciis affluens mendici ad vestibulum afflicti miseretus non est. Ideò misericordiam sibi præscidit, misericordia implorata non exauditus. Non quod una gutta de Paradisi fonte dempta damnosa esset; sed quia misericordiæ stilla commiseri cum inhumanitate non potest.*

6. Immunderum. 6. Si beati sunt mundi corde, quia his tanquam interius aptè dispositis promittitur visio Dei: quid restat immundis corde nisi visio diaboli? Nempè illum visuri sunt, & in fine vitę ad terrorem, & post hanc vitam ad perennem punitionem. Neque existimes hanc exiguam esse pœnam, diaboli intueri deformitatem, quam sibi per peccatum induxit: sicut nec exigua censenda est consolatio, quę ex intuitu pulchritudinis Angelorum & animarum sanctarum exoritur. Audi quid Dominus hac de re dixerit S. Brigittæ l. 2. revelat. cap. 2. *Dum visiones tibi ostenduntur, si videres pulchritudinem sanctarũ animarum, vel Angelorũ sicuti est, cor tuum præ gaudio rumperetur. Si item videres dæmonem sicuti est, non posses vivã tam horribilem sustinere visionẽ. Cernis autem spiritualia quasi corporalia, & animæ, atq; Angeli apparent tibi in similitudine hominum, quia spiritus tuus adhuc carne impedit, aliter illa capere non posset.* Rursus hac de re dicebat quondam Dominus S. Catharinæ Senensi: *Bene meministi, quòd cum aliquando tibi in extasi diabolum in propria figura in momento & ictu oculi demonstrassem, tu sensibus corporis restituta, potius eligebas per vitã ignitã usq; ad diem judicii nudis pedibus incedere, quam rursus illum intueri. Et tamen adhuc ignoras quã sit reipsa horribilis, quem si raptim vidisti. Tanta autẽ est pulchritudo etiam infimi civis regni cœlestis, ut totius mundi sensibilis pulchritudo in unũ collecta illi comparari nullatenus possit; claritas eius longissimè excedit meridianã solis claritatem.* Ita refert Blosius in monil. 1. c. 14. O igitur felices mundi corde, qui non solum Deum videbunt, sed & Angelorum & Beatorum omnium pulchritudinem! O infelices, qui immundo sunt corde, qui Dei æternum privabuntur visione, & diaboli torquebuntur intuitu & societate!

7. Si beati pacifici, illi scil. qui intus in anima pacem fovent cum Deo, & audiunt illum loquentem sibi in corde: Ego sum vita, lux, pax, salus, gaudiũ, & omne bonum tuum: *Loquitur enim Dominus pacem super plebem suam, & super sanctos suos, & in eos qui convertuntur ad cor.* Si & illi beati, qui pacẽ exterius servant cum proximo, & alios quoquo modo ad pacem reducere conantur, ideoque filii Dei vocare merentur: Væ illis qui turbidam semper alunt animam, tumultuantis conscientiæ plenam; ita ut nec secum, nec cum Deo pacifici inveniantur. Væ & illis qui cum proximis dissidentes, jugiter alunt radicem amaritudinis sursum germinantem, & odia, detractiones, maledicta aliosque infelices fructus proferẽtem. Si enim pacifici vocantur *Filii Dei*; hi profecto nonnisi *Filii diaboli* vocari possunt: quia auctor ipse est omnis dissensionis jam à sæculi exordio: *Ille homicida est ab initio; & in veritate non stetit;* sed pacem turbavit in cœlo, in Paradiso, in mundo. *7. Discordium.* *Psal. 84.* *Ioan. 8.*

8. Si beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quia ipsorum est regnum cœlorum; ergò væ illis, & æternum væ, qui persecutionem aliis injustè infligunt: quia à Deo, & à creaturis omnibus maledictionem tandem persentiscent, *dum accipiet armaturã zelus illius, & armabit creaturã ad ultionem inimicorum,* ut loquitur Sapiens. *Induet enim pro thorace justitiã, & accipiet pro galea judicium certum, sumet scutum inexpugnabile æquitatem; acuet autem duram iram in lanceam, & pugnabit cũ illo orbis terrarum contra insensatos.* Hoc quidem maximè fiet in extremo die illo decretorio Judicis æterni, in quo Dei justitia dominans, & innocuos vindicans, ab omnibus cernetur velut in curru triumphali: sed quandoque id etiam manifestat Deus in hoc sæculo pios à persecutione liberans, impios plectens, ipsis creaturis adversus eos justam vindictam exercentibus. Sic flamma ignis justum exercet judicium, dum absolvit justos pueros persecutionem iniustam patientes, persecutores autem impios incendit & damnat. Hac de re sic loquitur S. Hilarius: *quanta iustis corporibus reverentia debeatur, arbiter ignis agnoscit, & ingesta sibi pabula circumfusus allambit; nihilque sibi licere miratur in corpora castis jejuniis & timore Dei consecrata, & pretiosum depositum non violat, sed vindicat.* Simile fuit judicium in Leonibus erga Danielem, quem non attigerunt propter justitiam, sed eius persecutores mox cum furore devorarunt. De qua re S. Nilus in Ascetico sic differit: *Danielem cum perdidissent homines, servaverunt leones. Quem ex invidia iniustè damnaverant, Leones custodierunt, & justitiam à qua recesserunt homines, declararunt, rectum ipsi de iniuste damnato judicium ferentes. Hominis virtus apud homines occasio fuit contentionis, apud feras* *8. Persecutionis.* *Dan. 3.* *Hilar. Arelat. ser. 2. de nupt.*

feras honoris & venerationis. O infelices; quos & ipse condemnant feræ & creaturæ, dum alios persequuntur innocuos. O infelix Absalon, persequens Davidem! In quo illud verum sit, manifestè cernitur: *Convertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.* In vertice enim, ubi paternum gestare contendebat diadema, punitur, dum à coma arboris suspensus tenetur, creatura insensibili justè vindictam exercente in injustum persecutorem. O infelices senes, inveterati dierum malorum, Susannam persequentes propter justitiam & castitatem! Quia & ipsi tandem accusante arbore, in crimine deprehenduntur, & plectuntur.

Psal. 7.

Conclusio. COncludamus tandem hunc de beatitudinibus tractatum, & quandoquidem hæ solæ viæ sunt, quibus ad regna cœlorum pertingitur ab electis, convertamus vota in cœlum ad eum qui has docuit vias; & dicamus: Tu, Domine Iesu Christe, qui Doctor es justitiæ, & dator gratiæ, auxiliare nobis in hac sæculi via confragosa, & hanc donа gratiam, ut quam verbo & exemplo docuisti, imitari valeamus paupertatem, & terrenarum rerum contemptum, humilitatem & mansuetudinem, ut de terra morientium pertingamus ad terram viventium, ad regnum cœlorum. Infunde quoque verum luctum, & compunctionem pro peccatis nostris & alienis: Infunde desiderium ardens gratiæ tuæ & amoris, sitim esurismque æternæ salutis, ut tandem consolationem & futuræ vitæ satietatem accipiamus. Da quoque cordis sectari munditiem, & erga proximos misericordiam, ut te videamus, & coram te misericordiam consequamur misericordibus promissam. Denique, da pacem interiorem & exteriorem, qua tibi placeamus etiam in mediis persecutionibus, tandemque in patientia perseverantes mercedem adipiscamur, tribulatis & in finem usque certantibus apud te repositam.

IN DIE ANIMARUM.

Lect. 6. 7. tripart. *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, &c.* 2. Machab. 12.

Pars I. *Cur pro defunctis orare sanctum.* Deut. 7. REmemoranda est historia ex 2. Machabæorum 12. quomodo Dux fortissimus Iudas Machabæus nonnullos ex suis bello perdiderit, vindicante Deo eorum peccatum, quia ex templis idolorum donaria clam sustulerant, quod disertè vetitum erat, jubente Deo ut capta idola & omnis idolatrica suppellex comburantur, neq; in ullos domesticos usus convertantur. At illi sub suis tunicis hæc clanculum absconderant: quod deprehensum fuit, dum sepulturæ mandarētur. Interim post orationem qua rogabant, Iudæi commilitones Deum, ut oblivioni traderetur hoc eorum peccatū, hoc est ut perfectè eis deleretur, misit Iudas Dux eorum ex collatitia pecunia Ierosolymam duodecim millia drachmas (quæ drachmæ, si Hebreæ fuerint, duo millium scutorum aureorum possunt efficere, ajunt quidam) offerrentur pro peccato eorum sacrificia, sicq; plenè expiarentur. Superponebat istud eorum peccatum (saltem in plerisque) veniale fuisse, fortè ratione exiguæ quantitatis: aut si mortale erat, eos ante mortis articulum pœnituisse: Quia piè credendum erat, eos qui ceciderant in bello pro religione suscepto non fuisse impœnitentes in fine vitæ. Vnde & dicitur *quod hi cum pietate dormitionem acceperant*; quapropter credebantur juvandi precibus & sacrificiis vivorum.

Ex hac historia, & particulari facto, deducitur hæc conclusio generalis: *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis & exorare, ut à peccatis solvantur.* Quæ conclusio mirè torquet hæreticos, quia clarissimum continet exemplum, & Scripturæ testimonium evidens, pro suffragiis defunctorum. Hæc pronunciata à Spiritu sancto sententia paulò latius à nobis est explicanda, & rationes afferendæ, cur sancta hæc sit cogitatio, curque salubris tam defunctis, quam vivis orantibus.

Dicamus ergò *primò*, sanctam esse hanc cogitationem, quia divinæ legi conformis est, quæ misericordiam commendat & præcipit erga indigos. Qui autem magis indigent quam defuncti, qui in pœnis purgatoriis detinentur, ubi & gravissimè afflictātur? Equidem eis afflictio est, in primis ob pœnam damni, ex parte visionis divinæ, qua pronunciatur, ad quam sciunt jus sibi competere: ejus certè dilatio gravis omninò eis est, & amara. Deinde ex parte pœnæ sensus gravissimus eis cruciatus est: quia pœna ignis, qua ibi torquentur, gravior est omni pœna huius mundi. Eadem nempe est cum pœna qua reprobi torquentur in inferno; solumque differentia est, quòd hæc sit æterna ista autem tandem finem habeat. An non igitur repræhensione digni sunt qui laurè epulantur, & bibunt vinum in phialis, interim nihil compatiuntur super afflictis in carcere illo diristimo? An non è contra benedictione digni sunt, qui gratiam mortuis non denegant, sed per orationes ac sacrificia, aliaque pietatis opera eos convivii cœlestis participes faciunt?

1. Sanctum quia legi Dei conforme.

De sacrificio Agni dum mentio fit, sic dicitur: *Sin minor sit numerus, ut sufficere possit ad vescendū Agnum, assumet vicinum suum qui junctus est domui suæ.* Hoc de Agno legali. Idem dicimus de Agno mystico Eucharistico, quem sacrificamus & sumimus. Equidem plusquam sufficiens est, nec à nobis consumi potest: assumendi ergò sunt vicini, partem illis distribuamus. Qui sunt hi vicini? Certè animæ in purgatorio vicinitatem quandam nobiscum habent, quę degunt non quidem super terram, sed in ipsa terra, in loco tamen viventibus vicinio-ri. Quapropter cum habeant nobiscum charitatis unionem, jure eas assumimus, ut de nostro Agno & sacrificio participent: Quod si vel saltem mica in nobis est charitatis, de micis cadentibus è mensa nostra

Exod. 10.

nostra spirituali partem eis demus. Unum *de profundis*; unum *Requiescat in pace*, una *Precatiuncula* pro defunctis, nunquid quidam micæ censentur mensæ spiritualis; Ergo vel ob tantillum non tradamus eas oblivioni, ne divinæ legi & charitati adversemur.

2. *Quia legi naturæ conforme.*

Dicamus *secundò*, sanctam esse hanc cogitationem, quia legi naturæ est conformis, quæ inculcat: *Quicquid vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Quid existens in ardoribus illis cruciantibus, non optaret liberari, & quidem cuantocyus? Ergo te & tua impende in subsidium eorum qui cruciantur ditissimè, sicut ibi fieri velles. Id verò citius faciendum, quia illi nulla ratione se juvare possunt, sicut hi qui adhuc in vita agunt. Ipsi enim sunt *in statu satis patiendi, non satisfaciendi*; nec nisi aliorum auxilio possunt adjuvari.

Exemplum

Hæc est ratio quam vir quidam prudens & sanctus nomine Benedictus, Ord. S. Dominici, allegabat B. Bertrando ejusdem Ordinis viro illustri, primò Provinciæ Provinciali. Solebat ipse quotidie pro suis & viventium peccatis celebrare, rarò pro defunctis. Interrogavit eum F. Benedictus, cur ita frequenter sacrificaret pro peccatis viventium, & non potius frequenter pro mortis? Respondit *Quia defuncti de sua salute certi sunt, non autem fluctuamus in periculis.* Cui F. Benedictus: *Si sunt duo mendici, alter membris sanus, alter illis carens, utri potissimum opitularem?* Respondet: *Illi qui minus se juvare potest.* Tunc Benedictus: *Hi sunt defuncti, quibus nec os ad confitendum, nec manus ad operandum, sed nostram opem postulant. Vivi autem peccatores os & manus habent, quibus sibi possunt consulere.* Cùm verò à sua sententia non deduceretur Bertrandus, sequenti nocte apparuit ei terribilis defunctus, & fasce lignorum mirè eum compressit, decies que & amplius ipsum excitans illa nocte, perterruit. Itaque in aurora Benedictum ad se vocans, enarrat totius noctis historiam: ac deinde religiosè & lachrymabundè sæpius ad aram accessit pro defunctis sacrificaturus. Ita habet vita S. Dominici l. 3. c. 8. & Chron. Prædicatorum. juvandæ ergo sunt animæ illæ, quæ *ligatis pedibus & manibus* non possunt se iuvare; sicut optaremus juvari, si in eadem necessitate degeremus: hoc nos admonet lex naturæ inscripta in cordibus nostris.

3. *Sanctum quia sic Ecclesia semper docuit*

Dicamus *tertiò*, sanctam esse hanc cogitationem, quia Ecclesia (quæ sancta est, & nonnisi sancta docet) sic semper nos docuit, & admonuit. Quapropter ex Apostolorum instituto sancivit, ne unquam Missæ sacrificium offeratur, nisi cum memoria specialis defunctorum, *ut locum refrigerii lucis & pacis inveniant.* Nunquam decantat Horas canonicas, nisi & participes illos faciat, per hunc versum omnes terminans: *Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.* Propterea etiam universale hoc festum, sive solemnem Commemorationem defunctorum, quotannis instituit, (exemplo S. Odilonis primum inducta) ut convivium specialissimum, & auxilium efficacissimum exhiberet. Denique, singulis mensibus ordinat officium recitari defunctorum die prima non impeditis immò & singulis hebdomadis diem primum à Dominica eorum auxilio destinavit.

Non absimilis est Ecclesia, Mater nostra, & Mater pie defunctorum, Respha uxori Saulis, quæ cum septem filii Saul acti fuissent in crucem à Gabaonitis, *tollens ita cilicium substravit sibi supra petram ab initio messis, donec stillaret aqua supra eos.* Hoc est, substravit sibi saccum, manens per omnes dies, oransque Deum, ut sic placaretur, quia fames in Israel erat ob peccatum Saulis. Manet ergo donec pluvia veniret, cuius inopia fames acciderat & pluvia ista ostendebat Deum jam esse placatum. Hic quidem est sensus literalis; sed in sensu accommodato ad nostrum propositum dicamus: Quid est, *Donec stillaret aqua super eos?* Cur tam diu mulier hæc defunctis adstitit donec perfunderentur aquâ. Certè hic innui potest officium quòd defunctis Ecclesia bona mater præstat, non cessans pro eis orationem fundere, donec cœlesti rore perfusi refrigerium inveniant, donec stilla cœlestis misericordiæ defluat. Hoc præstat in sacro & cilicio per preces & sacrificia, & alia pœnalia opera. Ne stillam quidem participant aut guttam qui in inferno degunt. Licet tota illam deposcant æternitate cum Epulone; at in Purgatorio existentibus stillam & rivulos possumus impetrare de Fontibus Salvatoris, de misericordiæ divinæ stillicidiis.

2. Reg. 21.

Audi quod refert Lucas Episc. Thudensis in historia miraculorum S. Isidori c. 31. Anima cuiusdam Sacerdotis apud Cœnobium S. Isidori Legionensis cuidam Novitio Canonico Regulari apparens dicebat: *Dominicis diebus propter gloriam Dominicæ resurrectionis, & præcipuis solennitatibus, & quoties pro nobis immolatur Deo hostia salutaris, multi nostrum nulla pœnâ afficimur, & ad loca ubi corpora nostra jacent, venire permittimur, quæ si incenso vel aquâ benedictâ inveninus adspersa, tanto perfundimur refrigerio, ut nobis quasi Paradisi quædam requies videatur.* Ita loco cit.

Exemplum

Itaque, si in antiqua lege sancta fuit cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis, hoc est à peccatorum residuis pœnis exolverentur, quantò magis in nova? Si nunc temporis sancta fuit cogitatio offerre pro illis sacrificium, quantò magis nunc? Si sanguis hircorum & vitulorum eis prodesse potuit ad expiationem, *quantò magis sanguis Christi, qui semetipsum obtulit per Spiritum sanctum?* Hic est sanguis aspersionis & propitiationis, nonsolum irrigans hunc mundum, sed etiam purgatorium. Christus Dominus in finem usque sæculi instar Aaronis stat inter mortuos & viventes, seipsum immolans pro utrisque. Ecclesia ergo meritò meminit in suis sacrificiis membrorum sibi adhuc per fidei & charitatis vinculum coniunctorum, licet in altero degant sæculo: & quia adhuc egent lytro & pretio, illud pro illis offert. Et id quidem fecit à mille & sexcentis

Heb. 9.

Num. 18.

annis

annis, & in finem usque sæculi faciet, quantum libet hæresis ogganniat. Nam semper erunt ibi egeni aliqui; nec ille locus purgatorius evacuatus unquam fuit, nisi semel, aut iterum in Christi scili. & Virginis Matris ascensione, tamquam in die coronationis Regis & Reginæ, in quo carceres solent aperiri; & rei in libertatem mitti. Interim aliàs frequenter multa millia animarum in libertatem asseruntur per sacrificia, & per specialem matris MARIÆ intercessionem. Propterea S. Brigitta audivit illam sibi quondam sic loquentem: *Ego sum Mater Dei, & Mater omnium qui sunt in purgatorio, quia omnes pœnæ quæ debentur pro eorum purgandis peccatis, per preces meas, qualibet horâ alioquo modo mitigantur.* Ita ipsa lib. 4. revelat cap. 138.

Maximo autem liberantur numero in hoc die festivo eorum, quia tunc preces & sacrificia certatim Ecclesiæ conferunt, & offerunt ad eorum impetrandam libertatem. Ideo & Malachias Hyberniæ Episcopus cuius admirabilem vitam scribit S. Bernardus, interrogatus ubi & quando cuperet mori, his respondit verbis: *Si hinc migro, nusquam lubentius quam unde unà cum Apostolo nostro resurgere possim.* Cùm ipse foret Hyberniæ Episcopus, per suum Apostolum intelligebat Hyberniæ Apostolum patricium, apud quem commori optabat, ut consurgeret cum eo in resurrectionem vitæ. Addebat verò: *Si peregrinari oportet, & in peregrinatione mori me permittit Deus, elegi Claram vallem.* Requisitus autem de tempore respondit: *Opto emori in die solemni defunctorum.* Rationem illius dedit, cum iam infirmus foret, his verbis: *Non parum mihi ipsi repositum est in illa die quâ mortuis tanta à vivis beneficia impenduntur.* Votum itaque ejus impletum fuit.

Audi quod hac de re in Chronicis FF. Prædicatorum legimus. Quidam illius Ordinis, cum die Animarum concionaturus, pridiè studio sese addixisset, & ruminaret motiva efficacia quibus corda plebis commoveret, apparuit, ei quidam Frater defunctus, missum se asserens in animabus purgatorii, obsecrantibus quatenus efficaciter commendaret preces & suffragia ad liberationem earum tendentia: Deum enim eo die decrevisse magnâ uti misericordiâ, si eorum intercederent suffragia. Ac in speciali rem aperiens, dicebat: *Hodie quindecim millia è pœnis eripientur.* Quam apparitionem & admonitionem cùm retulisset Concionator, multorum animos validissimè ad pietatem & compassionem commovit. Similiter cùm F. Ioannes de Alverna, Vir sanctus, Ord. Minorum, in die Commemorationis animarum magnâ charitate & compassione sacrificium offerret, vidit innumeras animas, ceu multitudinem scintillarum deignita fornace prodeuntium, in Cœlos evolare. Testis est S. Antonius 3. p. t. 24. c. 28. ex Chronicis Min. *Exemplum*

Secundò, salubris est hæc oratio, nonsolùm defunctis, sed etiam nobis ipsis. Prodest enim nobis ad augmentum gratiæ & charitatis. Prodest illis ut satisfactoria, nobis etiam ut meritoria est. Atque ulteriùs in hoc nobis proficua est, quia sic cordi nostro infigitur pressius memoria mortis, si cordatè oremus & rememoremus quæ geruntur coram oculis nostris. Monemur enim compunctionis ad pœnitentiam, & preparationis ad mortem, ut æternitati nostræ prouideamus, & in illa loca tenebris horrida, cruciatu atrocia, non eamus. Hoc officium defunctorum nos crebrò admonet, sive in lectionibo, sive in Responsoriis. Quid enim aliud indicat illud: *Parce mihi Domine, nihil enim sunt dies mei: Peccavi. Quid faciam tibi, o custos hominum? Quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimet ipsi gravis? Ecce nunc in pulvere dormiam, & si manè me quæseris, non subsistam.* Quid rursus aliud monet illud: *Dimitte me, ut plangam dolorem meum antequam vadam & non revertar, ad terram tenebrosam, &c.* Iterum in Responso 10: *Heu mihi, Domine quia peccavi nimis in vita mea. Quid faciam miser; quò fugiam nisi ad te Deus meus?* Similia multa toto decantantur officii decursu, nonsolum in persona defunctorum, sed etiam ex parte nostra ut commoveamur, & commoneamur. Sic etiam docemus repræsentare oculis mentis nostræ defunctos, cum gemitu nobis pœnas atroces quas patiuntur exponentes, ut muneri nostro satisfaciamus, tam erga ipsos, *quos manus Domini tetigit*, quàm erga nos; ut dum nobis minatur, eam emendatione vitæ divertamus. O si Dominus mitteret vel unam animam illis flammis cinctam, ut facto ipso, & non solùm verbis, exponeret nobis cruciatum Purgatorii, quanta cum efficacia illud efficeret? quamque seriò de nobis cogitaremus? Equidem Epuloni petenti ut mitteretur Lazarus ad domum Patris sui, & ad Fratres suos pro eorum conversione

2.

Pars. I. *Orate pro mortuis aut salubris.*

1.

Ex dictis patet, quàm sancta sit, maximè in deffisto, *cogitatio pro defunctis exorare*, vide nunc quàm etiam sit salubris. Primò quidem salubris ipsis animabus, quæ & jure quodam nostra exposcunt suffragia. O si eorum gemitus, qui ad nos diriguntur, corde perciperemus! Longè majori charitate & fervore eis subsidium impertiremus. Sed multis contingit quod olim populo Israelitico, qui dum idolo Moloch immola ent pueros suos, non audiebant eorum teneras voces, vel atroces ululatus, ob tympana circumstrepentia; ideo enim tunc tympana pulsabantur, ut ad commiserationem matres vel parentes non commoverentur Sic & mundus circumstrepens suo tumultu, & aures mundanorum sua implens voce & sonitu, impedit ut audiantur, aut considerentur, gemitus animarum in pœnis agentium, licet propinqui sint & affines qui iure suo auxilium deposcant. Quod si toto anni decursu surdi nonnulli, saltem in hoc die, adeo animabus salubri, aures aperiant & cor ad eis compatiendum & subveniendum, in quo Deus decrevit multis millibus facere misericordiam, si viventium pia interveniant vota.

Iob 7.

Iob 10.

versione, respondet Abraham: *Habent Moysen & Prophetas, audiant illos.* Nonne tamen replicat: *Non Pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent?* Nempe pro excæcatis videri poterat efficacior doctrina à defuncto tradita, quam librorum sacrorum lectio. Sed cùm Deus ad miracula non teneatur, & fides non satis instruat, repræsentat nobis Ecclesia in officio voces ipsorum defunctorum, ut efficaciter cor nostrum penetrent, & maximè in die isto ipsorum. Additque vocibus cæremonias exteriores, pulsum lugubrem campanarum, cenotaphia in medio templorum erecta, sive repræsentationes mortuorum, vestes pullas & funebres; aliaque multa mortis & pœnitentiæ nos commonentia, ne veniamus in locum tormentorum.

Luc. 16.

3. *Salubre est cogitatio pro defunctis exorare, quia animæ precibus nostris Liberatæ erunt gratæ.*

Tertiò, *Salubris est cogitatio pro defunctis exorare*, quia animæ illæ cùm sint prædestinatæ, & in statu gratiæ confirmatæ, certò liberabuntur; si autem nostro liberentur subsidio, non erunt ingratæ, sed adepta beatitudine reddent gratiam pro gratia, memores nostri apud Deum, quinimò Deum in earum gratiam nobis ex eo tempore, quo pro ipsis oramus, benefacere, exploratum est. Propterea etiam Ethnici dixêre, non solùm vivis, sed & mortuis beneficia impendi oportere. Et notabile est quod hanc rem Simonides inter antiquos enarrat de seipso. *Iter faciens inveni cadaver objectum feris; misertus, curavi inhumari. Post aliquod tempus cùm decrevissem proficisci per mare, apparuit mihi nocte præcedente defunctus ille & dixit: Noli ascendere navem illam, quia mox submergetur. Insinuavi id sociis sed ludibrio habuerunt. Vix autem portu egressi erant, & ecce ten pestate exortâ perierunt.* Si Ethnico viro id beneficii præstitum fuit, ob humanitatem cadaveri impensam; an irremuneratum erit quod à Christiano animabus piè defunctis subsidium impensum fuerit? Absit. Quinimò benedictus erit à Domino, *qui gratiam quam præbuerat vivis, servavit & mortuis.*

Ruth. 2.

Quartò, *Salubris est cogitatio pro defunctis exorare*, quia qui frequenter & ferventer orant pro defunctis, hanc consequuntur remunerationem ubi discesserint, ut & ipsi viventium pietate fruantur. Si enim ad locum expiatorium contingat eos venire, multos habebunt orantes pro se, qui à Deo suscitabuntur, & exaudientur. E contra qui segnes hac in re fuerint, etiam raros invenient pro se peccatores, vel torpidos; ita in compensam negligentiæ Deo justè decernente, ut eâdem mensura eis remetiatur, quâ alios mensi fuerunt.

4. *Salubre est pro mortuis.*

Quapropter pia est opinio Cardinalis Cajetani, asserentis Missas quæ generaliter pro defunctis offeruntur, illis maximè prodisse, qui in carne mortali degentes sollicitudinem adjuvandis defunctis impenderunt. In Chronicis S. Francisci lib. 9. c. 22. refertur, Religiosum quemdam post mortem cuidam è suis sodalibus apparuisse, & significasse se graves in Purgatorio pati cruciatus, eò quod dum viveret, in recitandis précibus pro defunctis negligens foret, ideoque nihil sibi profuisse Missas pro se oblatas, sed Deum in pœnam negligentiæ aliis fructum applicuisse.

PARS III.

POstremò dicamus, *Sanctam & salubrem esse cogitationem pro defunctis exorare*, quia sic semper Sancti fecere, idque saluberrimè & efficacissimè. Declaremus id nonnullis exemplis. *Sanctum simul & salubre orare pro defunctis.*

S. Augustinus in libro confessionum refert, matrem suam S. Monicam, morti jam approximantem, hoc unicè experiisse, ut ipse cum suis ad altare meminisset defunctæ matris. Sciebat nimirum, quam sancta & salubris sit cogitatio pro defunctis exorare, quamque efficax id sit ad peccata solvendum, sive pœnas peccatis debitas, & ad removendum omnem obicem remorantem animas ab ingressu gloriæ, cui suspirabat medullitus. *Exempl. Aug. l. 9. confess.*

S. Bernardus in vita S. Malachiæ Episc. Hiberniæ testatur ipsius precibus animam sororis è locis Purgatoriis liberatam, & aggregatam candidatorum cœtui, qui eam expectabat. De hac re sic loquitur Bernardus: *Nonne tibi videtur Malachia oratio vicem quodammodo effractoris exhibuisse cœlestibus portis, quando peccatrix mulier fraternis obtinuit armis, quod suis meritis negabatur? Hoc planè Sacramentum in terra relictum usque ad consummationem sæculi, potens est peccata consumere, debellare ob vias potestates, inferre cœlis revertentes de terra.* Vide Bernardum latiùs c. 6. vitæ Malachiæ.

S. Thomas Aquinas agebat Parisiis, & orationi incumbebat. Apparuit autem ei soror, seque in locis Purgatoriis cruciari dixit, orans ut sacrificia & preces pro ipsa Domino offerret. Curavit vir sanctus ejus petitioni satisfieri, tum per se, tum per FF. preces Interjecto temporis aliquando spatio, Romæ se rursus visendam obtulit, indicans se à pœnis liberam agere in beata vita. Interroganti autem S. Thomæ de duobus fratribus, respondit, Landulphum teneri adhuc in Purgatoriis locis. Arnoldum vero habitare in cœlis. Sed & hoc adjecit: *Tu quoque frater, brevi nobis jungeris; sed major te expectat gloria, ob suscepios pro Ecclesia labores.* Surius 7. Martii.

Verùm non solùm pro agnatis & affinibus nobis est orandum, sed universim pro omnibus, Gratissimumque Deo est, & Sanctis, si magna compassione ducamur, orando pro illis pro quibus specialis oratio non offertur ab iis qui tenerentur & negligunt. Cùm Sancti in cœlo avidè expectent suas restautari ruinas, compleriq; numerum electorum, gratissimum illis est, si ad id cooperemur, juvando defunctos, quos expectant tanquam concives suos. Si hoc beatis gratum est, tam hominibus, quàm Angelis, etiam Deo non potest non esse acceptissimum qui & specialiter quandoque excitat nonnullos ad id peragendum omni conamine & fervore. Audi de sanctis Belgii fœminis historias hac de re admirabiles. *Orandum pro omnibus defunctis.*

S. Lydui-

S. Lyduina cogitabat frequenter (inquit scriptor vitæ ejus) *quam sanctum & salubre sit orare pro mortuis, qui sunt in regione expiationis, non ad perditionem, sed ad purgationem non ad destructionem, sed ad castigationem.* Itaque arreptis armis spiritualibus eis suppetias ferre connitebatur, Sæpe in spiritu rapta vidit illarum pœnas, & commiseratione ducta continuos lachrymarum dabat imbres opeabatq; in se transferri illarum pœnas, dicens Domino magno animarum zelo: *O si possem, Deus meus carnem & sanguinem meum dare* pro animabus *illis quas tu castigas!* Orabat pro his suspirabat, vigilabat, sacrificia offerri curabat, se totam in holocaustum offerebat. Nocturno quodam tempore in spiritu rapta ad locum pœnarum, videbat summâ compassione torqueri animas globosque igneos in sublime efferri. Rogavit autem Angelus quandam demonstrans ei animam, num eam juvare vellet? Respondit, se per quam velle. Cui Angelus: Oportet igitur te per medias transire flammas. At illa Lubens, inquit, faciam. Cùm ergo pertransisset, vidit animam è pœnis eripi & exultantem in cœlos proficisci. Vide apud Sur. 24. April. part. 2. c. 2. vitæ ejus.

B. Maria Ogniacensis similiter in lampade cordis sui ignem charitatis oleo misericordiæ jugiter fovebat, ne fortè cum fatuis virginibus absque oleo deprehensa, à nuptiis æternæ jucunditatis excluderetur. Pia autem ancilla Christi pietatis visceribus tota affluebat erga eos qui in Purgatorio torquebantur: nec contenta suis precibus, etiam aliorum preces & sacrificia pro eis efflagitabat Propter ejus ergo charitatem multas animas Deus è pœnis eripuit. Testis est Iacobus de Vitriaco in vita ejus.

Lutgardis eodem vixit tempore, eademque flagrabat charitate. Cui propterea apparuit Innocentius III. Pontifex Summus, ut ejus suffragia exposceret, ac sic à pœnis liber exiret. Quod factum est. Deo Virginis preces exaudiente, ad quam specialiter summum Ecclesiæ Rectorem destinarat, ob zelum quo ardebat erga animas Purgatorii Testis est Thomas à Cantiprato, Cameraci Suffraganeus, Scriptor vitæ ejus.

Surius in vita Lutgardis.

At inter omnes excelluit S. Christina, *Mirabilis* nominata, quæ è vivis sublata, cùm deducta fuisset ab Angelis ad Purgatorii locum, ibique vidisset horribilia tormenta quibus animæ cruciabantur, hanc optionem accepit à Deo: *Optionem tibi facio*, inquit Dominus, *vel nunc in æternum apud me permanere in gloria vel redire ad terras, ibiq; harum animarum pœnas luere, & eas liberare; atque efficere tua pœnitentia exemplo, ut homines à suis facinoribus respiscant, & ad me convertantur. Ac sic peractis omnibus, ad me reverti poteris multis aucta meritorum cumulis.* Illa verò illicò respondit, se ad corpus velle reverti illius rei causa; ac reversa, admirabiles pro animabus illis subiit pœnitentias. Vidisses illam nunc in ardentes fornaces sese projicere, nunc in cacabos bullienti aqua plenos, nunc sub aquis gelu constrictis multos dies hærere, nunc in alis rotisque molendinorum volutari, nunc in patibulis inter latrones per aliquot dies dependere, & multa alia admirabilia pœnitentiæ opera explere. In his autem omnibus tantos persentiebat dolores, ut instar parturientis quandoque altissimè ejularet: sed tamen illæsa semper, ad novos dolores integra, ex igne & incendiis emergebat. Vide vitam ejus apud Surium 23. Iunii cap. 3. & seqq. quam laudat Iacobus de vitriaco Cardinalis. O certe charitatem planè admirabilem, optare à Dei visione separari, quantum illi placuerit, & cruciatus indicibiles interim perpeti pro salute animarum purgandarum! An non igitur & hæc poterat dicere simili charitate, qua Apostolus Paulus: *Optabam anathema esse à Christo pro fratribus meis?* Propter Christum à Christo ad tempus divelli non tenuebat, sive ejus visione privari, ut multos Christo lucrifaceret. O admirabilis Christina, & nunquam satis laudata Christiana!

Rom. 9.

Conclusio.

INspira nobis, Domine frequenter hanc sanctam & salubrem cogitationem, ut cum fervore & zelo exemplis Sanctarum tuarum invitati, pro defunctis oremus, qui seipsos juvare non possunt. Fac ut adimpleamus perfecta charitate monitum piæ Matris nostræ Ecclesiæ, continuò nos admonentis, ut misereamur fratrum nostrorum, qui ex eodem sanctæ genetricis utero prodierunt, offerendo preces & subsidium opportunum piorum operum pro eorum liberatione & plena expiatione. Hæc est voluntas tua, ô IESU Salvator & pie Domine, quia & horum, intervenientibus suffragiis nostris, cupis misereri; cum & ipsi fratres tui sint, & membra tua, fidei, spei, charitatis vinculo tibi nobisq; conjuncta. Offerimus ergo pro illis tuum sanguinem, melius loquentem quam sanguis Abel contra fratrem. Iste clamabat in cœlum pro vindicta: ille clamat in cœlum pro misericordia. Iste respersus impiavit innocuam antea humum: ille est sanguis aspersionis, qui expiat terram & purgatorium. Iste cessit effundenti in augmentum & pondus damnationis: ille cedit nobis in lytrum & precium redemptionis. Tu illum semel obtulisti in ara crucis pro omnibus in pretium & redemptionem: sed rursus quotidie vis à nobis offerri, tam pro vivis quam defunctis, in precii hujus à te acquisiti applicationem, ut per illum nos absolvamur à delictis, illi exsolvantur à pœnis. Respice ergo fratres nostros, tuosque jam impotentes solutioni, nec despice eos, nostrasque pro eis preces: sed cruore, quem fudisti pro eis, persolve integrum debitum, ut liberi è retro carcere, Te cum Beatis valeant æternùm collaudare, & pro nobis miseris exorare, ut tandem exipsis & nobis fiat unum ovile, unum regnum, una Ecclesia triumphans, cui præsit unus Pastor unus Rex, unus Salvator & Mortis Triumphator in sæcula sæculorum.

Exemplum. B. Maria Ogniacensis in cella sua multas vidit manus, quasi sibi supplicantium. Admirãs autem & ignorans quid hoc sibi vellet, nonnihil timore correpta, fugit ad Ecclesiam. Altero die iterum in cellula sua easdem vidit mânus, & iterum expavescens, rursus ad Ecclesiam volebat fugere, sed manibus illis illam retinere volentibus, retardabatur. At nihilominus ad Ecclesiam tanquam tabernaculum confugiens ut Dominum consuleret, rogavit, ut se quid manus illæ vellent, certiorem redderet. Respondit Dominus, defunctorum animas in purgatorio orationum ejus suffragia expetere quibus quasi unguento pretioso dolores illorum lenirentur. Nam præcontemplationis divinæ dulcedine solitas pro illis preces nonnunquam intermittebat, interdum nec os aperire, nec de ulla re quam de Deo poterat cogitare. Ita Cardinal. Vitriaco in vita ejus cap. 9.

IN FESTO S. HVBERTI.

LECT 66. tripartita

Amavit eum Dominus, & ornavit eum, Stolam gloriæ induit eum.

PARS I. *Quod Deus ex amore S. Hub. vocaverit.*

DEus ab æterno amorem suum gratuitum super electos expandit, sine ullis eorum meritis ex purissima bonitate sua, quæ cum sit sui diffusiva, sese vult his quos elegit specialiter communicare: *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxe te miserans tui*, inquit ipse. Quid est, *in charitate perpetua dilexi te?* Idem est ac si dicat: Ab eo tempore quo ergo Deus sum, & quo me ipsum dilexi, ego quoque te diligere volui: non quod hoc ipsum aliqua ratione ex parte tua promeritus fueris, sed quia ego bonitate meâ tui misertus sum. Quia ergo ab æterno Deus ego sum, ideo & ab æterno dilectio mea fuit erga te: & in tempore illam ostendi, attrahens te ad me, & è miseria erigens per misericordiam meam & bonitatem. Hoc ipsum S. Paulus indicat, cum refert illud Malachiæ 1 à Domino dictum, *Iacob dilexi*; Hic fuit figura electorum. Sed quando dilexit Dominus Iacob? *Cum nec dum nati essent, nec quic quam boni aut mali fecissent*, inquit Apostolus, ut ostenderet quam gratuita sit electio & dilectio. Propterea etiam Moysi Dominus dixit, teste eodem Apostolo: *Miserebor cujus misereor, & misericordiam præstabo cujus misereborquasi* dicat: Miserebor cujuscunque voluero misereri, eligendo ad salutem ex solo beneplacito voluntaris & dilectionis meæ. Quam mirabilis est extensionis & longitudinis hæc misericordia & dilectio? Protenditur enim ab æterno usque in æternum, dicente Prophera; *Ab æterno usque in æternum misericordia eius*; ideo asserit Dominus, in charitate perpetua se suos diligere. Quia autem ex hac dilectione æterna proveniunt homini in tempore omnia dona & charismata, omnisque favor cœlestis, omnis gratiæ præparatio, vocatio, justificatio glorificatio ideo addit: *Attraxi te miserans tui*. Quomodo attrahit, nisi inspirando & vocãdo, illuminando intellectũ fulgore lucis interioris, illiciendoque voluntatem funiculis charitatis & amoris? O quam varios modos, quàm variasque vias nobis absconditas habet Deus, quibus hominem ad se trahit; *Dic mihi qua via spargitur lux aut dividitur æstus super terram?* Lux scilicet gratiæ cœlestis, & æstus divini amoris, ita à Deo spargitur, ita in suos dividitur, ut homines nesciêres qua id via factum fuerit, in admirationem meritò rapiantur.

Iob 38. *Variè Deus hominem vocat.*

Attende id in electo Dei servo Huberto, de quo eanimus hodierna die: *Amavit eum Dominus*. Quomodo amavit? Amavit ab æterno, amavit in tempore. Amavit ab æterno, prædestinans, & eligens; *dignumque faciens sortis Sanctorum in lumine*. Amavit in tempore vocans & attrahens, atque ex filio tenebrarum filium lucis efficiens per fidem & gratiam. Amavit eum mira dilectione, quam declarat amabilis & admirabilis vocatio.

S. Hubert. amandi. *Coloss. 1.*

Quosdam vocat Deus ad fidem & gratiam per speciale ministerium Angelorum: Sic Cornelio Centurioni in Actis Apostolorum apparet Angelus, & mittit eum ad Petrum: ostenditque Dominus Angelico ministerio linteum quoddam Petro quatuor initiis è cælo dimissum, in quo continebantur serpentes, & reptilia, & omnis generis animalia immunda. Significabatur autem intra unũ fidei linteum, quatuor initiis Evangeliorum alligatum, etiam gentes contineri, ideoque ab eo non esse repudiandum Cornelium Gentilem, sed relicto veneno infidelitatis in Ecclesiæ corpus trajiciendum. Ideo dicitur ei, *Occide & manduca*. Occisio erat mors spiritualis, quâ mori debebat peccato, ut viveret gratiæ & fidei Christi.

S. Cornel. Gentium Angelum. Actor. 10

Similiter per Angelum videtur vocatus Augustinus: qui ubi disceptans cum cogitationibus suis sub arborem se se projecisset, vocem cœlestem audivit: *Tolle, Tolle, Tolle lege*. Quâquidẽ voce monebatur aperire librum Epistolas sancti Pauli continentem, ubi perfectè illuminatus est, dum incidit in illud: *non in cubilibus & impudicitiis, sed induimini Dominum* IESVM *Christum*. Vox autem illa: *Tolle, lege*, nonne Angelico ministerio efformata fuit.

Et S. Augustin. *Rom. 13.*

Sic & Angelus cooperatus est specialiter eõversioni Eunuchi Candacis Reginæ Æthiopum dum misit Philippum qui instrueret eum & baptizaret in via, cujus De subita conversione sic loquitur S. Chrysol. serm 16. *Eunuchus etiam generatur in via ut quem castraverat humana temeritas ad hominis servitutem, & intra Regis aulam invita Castitas collocarat, voluntaria castitas & votiva ad cœlestis aulæ gloriam, ad cœlestis Regis promoveret & transferret obsequium Beatus iste, cui datum est ut palatij insulas non amitteret, sed mutaret.*

Et Eunuchum Cand. Reginæ.

Quod si hos Christus censetur specialiter diligere, quos per suos Angelos ad fidem & gratiam adducit: quantò magis eos quos per se ipsũ dignatur

tur vocare post suam in cœlos ascensionem? An non sic vocavit Paulum, circumdans eum lumine, terrens voce percellens cæcitate, & ad Ananiam eum destinans? O efficax Christi vocatio quæ confestim excutiens spiritum minarum, facit de Saulo crudeli Paulum fidelem, de Lupo agnum, de persecutore Apostolum! Quis id adeo subitò efficere poterat, nisi vox Christi, *vox Domini in virtute confringentis cedros?* *Psal. 28.*

Vocatio S. Huber.

Non absimiliter S. Hubertus à Christo Domino ad fidem vocatus est. Hic enim Bertrandi Ducis Aquitaniæ filius, cum Ebroini Franciæ Vice-Regis tyrannidem fugiens, in Austrasiam ad Pipinum adhuc *Paganus* se transtulisset, mirabili benignitate & providentia profunda caligine à IESU Christo ad fidei lumen evocatus est. Cum namque in Tongrensi Parochia venaretur die Veneris sancto, in quo recolitur Passio Domini, apparuit ei ingens cervus Crucifixi effigiem inter cornua gestans. Ibique eum timore correptum Crucifixus allocutus est, & jussit adire S. Lambertum Antistitem, à quo viam salutis percepturus foret. Paruit ipse, & a B. Lamberto benignè susceptus, catechesi est imbutus, & fonte baptismatis est lustratus. Totus verò cœlestis vitæ desiderio incensus, in solitudinē se se recepit, ut asperos pœnitentiæ labores sustinens, soli jā Crucifixo viveret carnem & ipse suam crucifigens. Quapropter lorica ferrea ad carnem religata continuo corpus domabat. Ita habet vita ejus apud Surium 3 Novembr.

Ita habet ejus vita apud Sur. quidam putant antea eum baptizatum & fidelem.

An non igitur satis probat hæc specialis Huberti vocatio, quod de ipso canimus, *Amavit eum Dominus?* Certè non potuit non procedere ex singulari amore & dilectione talis electio. Nec incredibilis ulli videri debet: legimus enim plane similem vocationem de S. Eustachio præfecto militum sub Trajano, qui tunc placidus vocabatur. Cum enim cervum ingētem insectaretur, calcaribus equo additis in præruptum montem pervenit. Et ecce illi super caput cervi in supercilio montis, dum ipse animo & oculis prædæ inhiat, Crucifixus apparet, & ex illo vox, *Placide, Placide, cur me persequeris?* Attonitus ille hac nova forma & voce, ex equo dilabitur. Vbi verò se collegit, inclamat: *Quis es Domine?* Cui Dominus: *Ego sum Christus Iesus, qui causa salutis humanæ in carnem veni & mortem in crucis ligno protuli, ut ad æternam felicitatem te transferrem.* His ipse mutatus, domum repetens cuncta enarrat uxori, quæ simili visione in nocte monita fuerat; mutuoque consilio ad Christianum Sacerdotem pergunt, à quo instructi baptizantur in Christo.

Vocatio S. Eustachii & S. Huberi similes.

Surius in vita ejus

O felices venatores! Dum feras venantur ipsimet præda fiunt supremi venatoris Christi, qui mox efficit ut omnem deponant feritatem, & puram sectentur veritatem. Immò ipsi ob conversionem morum fiunt Domino per divinam gratiam & sapientiam delectosum epulum, quo lubenter vescatur. Olim dicebat Iacob filio suo Esau: *Sume pharetram & arcum, egredere foras: cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti, & benedicat tibi anima mea.* Audivit hoc Rebecca pia erga Iacob mater, & ubi ei benedictionem Patris conciliet, ait: *Affer mihi duos hœdos optimos, ut faciam ex eis escas Patri tuo, quibus libenter vescitur.* Interpretemur id sensu mystico, & dicamus per hœdos, peccatores designari, Qui dum convertuntur, sic eos novit sapientia & gratia condire, ut suave & delicioſum ferculum sint in mensa Patris æterni, quasi cervi venatu apprehensi, & condimento cœlico apparati. Talis cervus S. Hubertus fuit, in cujus conversione epulatur Christus cum Angelis; quja dicit: *Meus cibus est ut faciam voluntatem eius, qui misit me.* Et rursus alibi: *Gaudium est Angelis super peccatore pœnitentiam agente.*

Genes. 27

Ioan. 4. Luc. 15.

Amavit itaque Dominus Hubertum, ei apparēs in vertice cervi, & vocem illam emittens, de qua psaltes: *Vox Domini præparantis cervos.* Ad currendam scil. viam salutis, voce sua expeditos facit (instar cervorum in sublimem collium verticē festinantium) hos, quos sibi servos elegit: sicut & alibi iterum dicit Rex & Propheta: *Præparavit pedes meos tanquam cervorum, super excelsa statuens me.* Hoc ipsum poterat dicere S. Hubertus, non solum vocatus à Christo Domino ad fidem, sed etiam toto zelo & fervore currens ad perfectionem, quasi ad sibi designatum montis supercilium. Propterea enim mox a vocatione in solitudinem se recepit, ubi per ardua curreret pœnitentiæ juga, & ostenderet se in sequela IESU Christi crucifixi infatigabilem. Hoc autem haud potuisset facere, nisi eius gratia præventus & amore, ideo merito de ipso pronunciamus: *Amavit eum Dominus.*

Cur in vertice cervi Christus apparuerit Psal. 28. Psal. 17.

QVia vero amavit, ideo *& ornavit eum* Ornavit equidem omnibus cœlestibus donis & gratiis, sibi velut cœlum & tabernaculum fulgidissimum in ejus anima constituens. *Spiritus Domini ornavit cælos*, inquit S. Iob. Quod interpretās S. Gregorius, addit: *Ornamenta cælorum virtutes sunt prædicantium. Quæ ornamenta Paulus enumerat, dicens: Alii datur per spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu: alii gratia sanitatum in uno spiritu, alii operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum.* Hæc ornamenta spiritus non defuerunt viro sancto, quæ postmodum toti orbi & Ecclesiæ fuerunt conspicua.

PARS II. *De ornatu Pontificali S. Hub.*

Iob. 26

Hom. 30 in Evang.

Ornavit quoque eum Dominus tamquam præclarum militem suum & Ducem panoplia Christiana, qua sub vexillo crucis fortiter dimicaret, Ornavit eum lorica justitiæ, baltheo castitatis, galea spei, scuto fidei, gladio spiritus, calceis & ocreis Evangelicæ veritatis, calcaribus sancti timoris. O vere ornatum Ducem & accinctum ad prælium dumpræsia Domini in militia Christiana, contra

Supremus venator, Christus.

Satanam & Peccatum, contra Carnem & Mundum contra Mortem & Infernum! Deseruit Insignia Nobilitatis sæculi ut dignus fieret exornari ornamentis & Insignibus Filiorum & Militum Dei.

Tandem ornari eum voluit Dominus decore Sacerdotali & Pontificali. Hoc est præcipuum Ecclesiæ Sponsæ Christi ornamentum, propter quod ei dicitur apud Prophetam; *Unxi te oleo, vestivi te discoloribus, & calceavi te ianthino, & cinxi te bysso, & induti te subtilibus, & ornavi te ornamento, & decora facta es nimis, & profecisti in regnum.* Propter regale sacerdotium, quo Ecclesia est adornata, hæc de ea veritatem habent: nam & in symbolum regiæ suæ dignitatis Pontifices variis ornamentis decorantur, purpura & hyacintho induuntur, infulasque & mitras gerunt in capite, tanquam Insignia & Diademata cœlitus eis collatæ potestatis. Ad hanc igitur sublimem dignitatem Purpuratorum evehi voluit Dominus Hubertum, qui purpuram sæculi propter ipsum aspernatus fuerat. Noluit latere sub modo solitudinis hanc lucem, quam in eo accenderat, sed voluit ut ascenderet super candelabrum, & illam quaquaversum spargeret, sicque luceret omnibus qui in domo sunt. Sed attende, quam admirabili id gestum fuerit providentia.

Ezech. 16.

S. Hub. peregrinatur.

Inspiravit ei Dominus animum peregrinandi, & visendi limina BB. Apostolorum Petri & Pauli, pignoraque sacra ibidem venerandi. Nam & tunc omnino celebris & frequens erat peregrinatio ad S. Petrum & Paulum Gaudebant sanctitate & eruditione viri clarissimi calcere Romam, Martyrum precioso sanguine purpuratam. Inivit igitur & ipse hanc peregrinationem animo pientissimo, non vanitatis aut curiositatis impulsu. Eadem verò nocte Romam appulit, qua S. Lambertus martyrio fuit affectus. Atque illa ipsa nocte Angelus in somnis apparens Sergio supremo Pontifici, mortem indicavit S. Lamberti, deferens ad Pontificis manus ejus Pedum Pastorale, quo inauguraretur Hubertus peregrinus ad sepulchrum Apostolorum orans. Pontificalia quoque ornamenta subitò à loco martyrii Angelico ministerio sunt delata, ut his indueretur consecrandus. At Hubertus, cui humilitas corde tenus radicata erat, adhuc hujus vocationis divinæ nescius, quoad in se erat, renitebatur, prætendens inidoneitatem & insufficientiam ad tantum munus: *Justus in principio accusator est sui.* Cum verò Pontifex & sacer Conventus, qui ad eum inaugurandum ad venerat, pensili animo fluctuaret, tum ob Huberti renisum, tum quia Pontificalibus ornamentis cœlitus delatis deerat Stola, quam Satan abdiderat, persentiscens hanc sibi consecrationem noxiam fore: Ecce Stola serica alba auro intertexta, transmittitur perenne munus futurum, sed jam serviens Huberto in augurando. Transmittitur, inquam, à B. Virgine per Angelum, qui fulgore suo ac voce omnem dissipavit caliginem, omnem eliminavit anxietatem,

Pontificalia ornamenta per Angelum delata S. Hub.

Prov. 18.

Satan. Stolam abdit.

Stola à V. M. per

Sic enim allocutus est ibi præsentes: *Quorsum, Angelum ô Præsules, suspensi hæretis, animis in diversa raptis? Tu quoque Huberte quid cunctaris? Deus qui Gedeonem hostium congressum veritum per Angelum suum roboravit, qui discipulorum corda & ora afflamine Spiritus Sancti edocuit, qui balbutienti Propheta Aaronem Oratorem constituit, ille adstit tibi, ille dabit os & sapientiam ad regendam plebem tibi commissam. Et, ut verbis fidem habeas, en Deipara Mater Maria tibi hanc Stolam, Angelicis manibus contextam, in singularem mittis prærogativam, qua consecreris, & qua consequaris scientiam necessariam & perfectam. Datque tibi Deus hoc sacro munere virtutem imperiosam super dæmoniacos, energumenos, phreneticos, & super omnem inimici potestatem. Hac Stola, quasi Virga Aaron, instrumentum erit virtutum & operationum, quas Deus orationibus tuis in salutem populi operabitur, & durabit in memoriam tui in remedium hu, qui patrocinium tuum implorabunt.* Ita Scriptores vitæ ejus.

S. Hub. mittitur

His Angeli verbis & promissis instructus Hubertus, victas dedit manus & consensit consecrationi, qui ideo antea renitebatur, quia necdum sciebat, hanc esse Dei vocationem. E contra sciebat, de multis purpuram & dignitates ambientibus verum esse: *Ipsi currebant, & non mittebam eos. ipsi regnaverunt, & non ex me.* Certè antiqui Sancti non ambiebant Sacerdotia, ambiebant potius martyria. Ornatus ille Pontificius non omnibus convenit, quibusdam oneri potius est quam ornamento, & ruinæ tandem servit ac tormento. Hoc extimescebat Hubertus, antequam voce cœlesti instrueretur. Interim *sic honorabitur, quem Rex voluerit honorari*; sic ornabitur, quem Rex cœli voluerit ornari. Domini enim est *assumptio nostra & sancti Israel Regis nostri* qui potest suscitare de pulvere egenum, in solio collocare, eumque exaltare. Quare. S. Huberto antea infideli, antea venatori & peccatori, postmodum Baptismo lustrato & purgato, tandemque ad Pontificiam dignitatem gloriosè evecto, illud Ecclesiastici optimè convenit: *Deus purgavit peccata ipsius, & exaltavit in æternũ cornu ejus, & dedit illi testamentum regni, & sedem gloriæ in Israel.* Vtiqui Deus ejus peccata expurgavit per Baptismum, & cornu ejus exaltavit. In Scripturis sacris cornu symbolum est roboris, regni, ac gloriæ; ideoq; exaltasse cornu Huberti nõ aliud est, quam illi robur contulisse ad grandia & excelsa Sed si specialiter eum ut robustum & inclytum. Venatorem à Domino conversum consideremus, sic exaltavit eum Dominus, ac cornu ejus, quo solent uti Venatores, quia effecit, ut Venatores eum Patronum sibi adsciscerent & venerarentur: immò effecit, ut quicumque ad corporis ejus sacras exuvias in Ardenna quiescentes peregrinantur, gauderent aurea vel argentea imagine cornu ejus venatorem repræsentante. Hinc & in honorem Sancti Venatoris passim galeris vel vestibus has imagines suspensas referunt, qui illuc peregrinationes insti-

Ecclus. 47.

Cornu symbolum roboris.

instituunt, vel qui S. Huberto se devotos profiteri volunt. Exaltavit igitur, & hac ratione cornu ejus cujus memoriale gestiunt populi circumferre. At magis exaltavit cornu ejus, dum *sedens gloriæ in Israel dedit illi*, primum Episcopum Leodiensem, Principemque Reipublicæ amplissimæ & Christianissimæ eum constituens, quæ ab ejus tempore in Sigillo publico hunc honoris titulum inscul-
Titulus Leodienſis. ptum gestavit: LEGIA SANCTA ECCLESIÆ ROMANÆ FILIA. Quem titulum ita hactenus tutata est, ut nullis hæresum turbinibus à fide defecerit. Neque solum fidei constantiam à S. Huberto hausit, sed etiam ab eo jura, plebiscita, leges que politicas, pondera mensuras ac alia optimum Reipublicæ Regimen concernentia accepisse, traditio est constantissima. Dedit ergo ei Dominus *sedem gloriæ in Israel*, hoc est, potestatem utriusque regiminis in hoc populo electo, quæ etiamnum in successoribus perseverat.

PARS III.
De S. Hub. Stola gloriæ veſtito.

SIc ornavit Dominus S. Hubertum, sic exaltavit: hoc autem maximè attendendum. quod *Stolam gloriæ induit eum.* Dicamus ergo primò verum id esse ob cœlitus delapsam Stolam illam, de qua obiter diximus, & nunc plenius tractandum nobis restat. Certè multis titulis Stola illa vocari potest *Stola gloriæ*, sive gloriosa

S. Huber. Stola, cur Stola gloriæ.
1. *Quia ſymbolum fuit Pontificalis dignitatis.*
2. *Quia è loco gloriæ deſcendit.*
3. *Quia ab Angelis gloriæ ſis contexta*
4. *Quia à Rege & Regina gloriæ ſpecialiter miſſa.*
5. *Quia gloriam Dei iugiter eſt propagatura.*

A Regina gloriæ MARIA S. Huberto demissu diximus, in pignus specialis amoris, Hæc enim singulari prosequitur amore castos & puros, verosq; & Parthenios Sacerdotes. Hos adamat & Christus Sacerdos Summus, diciturque propter illos, seu in illis, Sacerdos æternus. Sacerdos ipse est *innocens impollutus, segregatus a peccatoribus*: segregat quoque quos vult a peccato & sæculi huius contagio, *Heb 7.* ut dignè sibi valeant ministrare. Dicere ergo possumus, quod sicut Iacob in symbolum specialis dilectionis providit Stolam polymitam Ioseph filio *Gen. 37.* suo: sic Christus providit electo suo Huberto in signum benevolentiæ particularis Stolam hanc gloriosam. Et sicut olim Rebecca Mater providit Iacob vestem optimam & fragrantissimam, ut bene-
Gen. 27. dictionem acciperet à Patre: Sic & MARIA Mater
B. M. V. Stolam S. Hub. & S. Ildefonſo Caſulam dedit. Stola S. Hub. miraculis gloriosa. benevolentissima providit filio suo Huberto hanc Stolam cœlestem, in qua sacris operans, sibi & populo benedictionem imperraret. Sic enim S. Ildefonsum donarit sacra Casula, & eius capiti eam propriis inseruit manibus, dicens: *Hac veſte filii mei meaque totius anni feſta celebrato.*

Sed eminentissima est sacra Huberti Stola, ideoque aptissime *Stolam gloriæ*, sive gloriosam nominaveris, ob tot miracula, quibus Ecclesiam illustrat, fidem confirmat, hæreses retundit, hereticos confundit. Hæc etenim dat salutem ægris, rabiem propulsat à læsis dæmones ejicit ab obsessis & energumenis. Ideo ad eam catervatim cõfluunt populi; si qui verò morsu animalis tabidi fuerint infecti, à veneno fiũt liberi. Et quod maximã parit admirationem, jam à septingentis & amplius annis præcisa, totq; millium hominum frontibus particulatim apposita & inserta, nõ deficit, sed in hodiernum usque diem integra miraculosè Perseverat. Non absimilis est hac ex parte Crucis dominicæ ligno, de quo S. Paulinus epist. 11. ad Severũ: *Crux in materia inſenſata vim vivam tenens, ita ex illo tempore innumeris penè quotidie hominum votis lignum ſuum commodat, ut detrimenta non ſentiat, & quaſi intacta permaneat, quotidie dividua ſumentibus, & ſemper tota venerantibus.* Idem de ea tradit S. Cyrillus Hierosolymitanus Episc. catechesi 4. In eo quoque quod minima particula confert sanitatem ægris, non absimilis est Sanctorum Reliquiis sacris, de quibus sic ait Theodoretus l. 8. de Martyribus: *Eorum corpora non ſingula ſingulis monumentis conduntur, ſed civitates, oppida, hæc inter ſe partiti ſunt, laboranſibuſque animis ac ægris corporibus ſalutares eos confiteri non ceſſant. Nihilo ſerius urbium cuſtodes, ac locorum præſides venerantur. Sectit ergo eorum corporibus, integra tamen vis & gratia perſeverat, tenueſque ac tantilla reliquia toti nullaſq; in partes diſſecto Martyri parem imbuit virtutem.* Hæc Theodoretus.

Propter hæc igitur omnia Stola gloriosa est, qua induit Dominus Hubertum quæ quotidie præcisa tamen perseverat integra, & ex qua tot profluunt remedia his quibus applicantur contra morsus venenosos animalium rabidorum. Ejus etiam contactu claves & cornua ferrea, argentea, vel aurea (mediante ad hoc peculiari benedictione) medendi vim concipiunt, igniq; applicata, læsis animalibus ad vivam carnem impressa, rabiem, venenumque dispellunt: aut, si adeò veneni vis venas præcordiaq; pervasit, ut via morti obstrui nequeat, ut aliis nocere non valeant, penitus coercent. Hinc etiam fit, ut numismata sacræ Stolæ contactu sacrata adversus rabidorũ animalium incursus ac dæmonum insultus, vim habere quotidiana apud nos probet experientia ut propterea Stola ista hoc Titulo honorifico decoretur. ADMIRABILE DIVINI MUNERIS PRIVILEGIUM.

Stola S. Hub. quotidie præciſa ſemper manet integra.

Ita verò varias Orbis partes fama huiusce privilegii pervasit, ut traditio sit in Monasterio S. Huberti, illuc accedisse filium Calvini, Hereſiarchæ Gallicam, à rabido cane læsum, ut remedium conlequeretur. Quod quidem hisce versibus memoriæ ibi mandatum est: *NB.*

Scis quid Calvinus Sanctorum fecerit oſſa,
A cane cum rabido ſiltus ictus erat?
Tentavit medicis illum ſanare venenis,
Qua Pedemontanus iuſſit Alexis emi.
Sed Deus hunc non eſt medicina paſſus abuti.
Ne quis ob hoc Divos temnevet hereticus.

Nam-

Namque opus invalidum Calvini reddidit, ut se
Per Sanctos cuivis ferre probaret opem.
Ille itaque in cassum sudans, est nocte coactus
Pignus in Ardennam mittere languidulum,
Immortalis ubi numen se pandit HUBERTI,
Talia qui Christi vulnera curat ope.
Venit eò proles scelerati manca parentis,
Et supplex aras procidit ante sacras.
Quodque precabatur Superos, erat, ut sibi vellant
E membris morbum pellere tabificum.
Neve sibi obiicerent male sani dogmata Patris.
Quæ modò per mundi climata nota forent.
Nam se cum stolido non consentire parenti,
Velle sed in veteri relligione mori.
Hæc ubi fatus erat, sacra cum veste Sacerdos
Prodit, illius vulnera dira vovens.
Nec multos mansisse dies narratur ibidem.
Quin fuerit dono sanus HUBERTE *tuo.*
Sparserat interea Calvinus in urbe Genevæ,
Saxonicas gnatum nuper adisse plagas.
Ille quidem dignus, non qui luat à carne talem
Vindictam, sed quem Cerberus ipse voret.

Stola gloria, vestis immortalitatis.

2. Cor. 5.

Dicamus ulterius, Stola gloriæ à Domino indutum fuisse S. Hubertũ, quando veste immortalitatis exutus, vestem accepit immortalis gloriæ, Corpus etenim, quod in morte exuimus, nonnisi vestis est lutea & terrena, quam exuere peroptant Sancti, ut super vestiantur veste cœlesti & incorrupta, *dum quod mortale est absorbetur à vita*, sicut loquitur Apostolus. Hanc verò supervestiuntur, quicunque nudi non inveniuntur, ut ibidem dicit Apostolus, sive ut explicat S. Paulinus ep. 8. ad Severum Sulpitium: *Si despoliatus à corpore, non inveniar nudus ab opere.* Propterea dicebat S. Gregorius Nazianzenus, agens de corpore hoc terrestri, ponderoso, ærumnoso: *Aufer à me, Domine, tunicam hanc ita gravem, sed da mihi leviorem, quia nolumus expoliari.* Respiciebat ad vestem gloriæ, quam cupiebat superindui. Similiter S. Chrysostomus in cap. 5. ad Hebr. illuc quoque respiciens dicit: *Eadem facilitate debemus corpus exuere qua vestem, uti Joseph pallium reliquit Ægyptia.*

Hoc probè intellexit magnus Angliæ Cardinalis Polus, quem facto schismate Henricus Octavus, Rex Angliæ, persequebatur, ejusque caput quinquaginta aureorum millibus proscripserat. Cum enim Leodium se recepisset, invitatus à Cardinale & Episcopo Grosbeeckio & ei illa ingentia promissa, his qui ipsum traderent facta, insinuarentur, animo tranquillo & sereno vultu dixit: *Miror hominis amentiam, quia pridem tædio vitæ affectus, mortem & ad meliorem vitam transitum opto proinde cum Henricus tanta cure tantique impensis hoc meum desiderium adjuvare conetur, nihil aliud facit quam si quis dormitum ire cupienti vestes exuere velit.* Vestis itaque est hoc corpus, sed onerosa & ærumnosa. Eam cum Sancti exuunt, vestem aliam reperiunt gloriosam, animæ enim gloria immortali circumamiciuntur à Domino. Propterea igitur

Sanderus & alii in hist. Ang.

veste dicemus de S. Huberto: *Amavit eum Dominus & ornavit eum*, non solum in hac vita, sed etiã in altera, dum *Stola gloriæ* mox à morte *induit eum & ad portas Paradisi coronavit eum.* Mors ei nõn aliud fuit, quam porta paradisi, & janua vitæ, in qua post Coronam & Stolam justitiæ recepit Stolam & Coronam gloriæ.

Stola gloria, integrum ruptio corporis S. Huberti.

Dicamus & hoc postremo pro conclusione, per *Vestem & Stolam gloriæ* non insulse posse hic designari corpus S. Huberti, quod à morte donatum est quadam incorruptione: nam adhuc modò fertur in Andaino Monasterio Arduennæ (quod S. Huberti monasterium nuncupatur) quiescere integrum & illæsum, non solum ossibus constans, sed etiam carne vivida & capillis, ita ut solo corporis sopore detineri diceres. Hoc certo scimus, decimo septimo anno post ejus obitum, cum trãslatio prima facta est corporis, illud integrum omnino & vividum absque ulla putredine vel cinerulenta resolutione, repertum fuisse. Cum enim divino instinctu intelligeret appropinquare diem resolutionis suæ assiduis precibus, jejuniisque exitum suum munire satagens, (quasi calcaneum contra serpentis venenatum morsum) per singulas basilicas Sanctorum imploraret auxilium. Cumque semel diutissime ante altare S. Albini, in Basilica S. Petri Leodii ad radices publici montis à se dicata, prostratus in oratione perstitisset, protensis tandem brachiis locum sepulturæ est dimensus, dicens: *Hæc defossa humo locus paretur sepulchro, & destituto animæ præsidio corpori sit receptaculo.* Quod factum fuit. Anno autem post mortem decimo septimo, cum crebris miraculis corpus effulgeret, ad altare S. Petri translatum est, ut honorificentius veneretur. Atque tunc repertum est. Illabatum, de quo sic scripsit quidam ejus familiaris & discipulus: *Introspicentu gloriosum eius corpus, nulla detrimenta passum illæsumque à putredine reperierunt, quinimo mirifico odore refertum. Caput perlustrantes, vident vultum eius sudore perfusum, & velut noctis opaca rosciduli perfusum gutulis: coronam vero capillorum alienam prorsus ab omni læsione, casariemque auctam & prolixitate & pulchritudine; neque enim candore senili albebat, sed colore & visione sui, tuvenis caput repromittebat.* Ita ille apud Surium 3. Novemb.

Multis post annis rursus facta est ejusdem corporis translatio, à Basilica Principis Apostolorum Leodii ad Andainum in Arduenna Monasterium quia ipsius & ope Arduenna ad fidem conversa erat. Facta est autem hæc translatio per Walcandum Episcopum Leodiensem; atque etiam tunc corpus repertum fuit ab omni prorsus tabo & corruptione alienum. Exinde Monasterium istud patroni nomine est insignitum, cujus adhuc modò corpus incorruptum seconservare glorietur, post nongentos annos & amplius.

Sanctorum nonnunquam

Nec id ideo incredibile est, cum pernotum sit, idipsum privilegii à Deo nonnullis Sanctis con-

cessum

lorum corpora multis annis à morte incorrupta inventa.

S Cæcilia.

S. Francisci,

cessum fuisse. Sic corpus S Cæciliæ à Clemente Octavo integrum repertum est nostro sæculo, post nongentos & amplius annos. Sic & de corpore S. Francisci memoriæ proditum est, state illud nullis humanæ industriæ fulcris subnixum, supplicantis in modum oculis ac manibus in cœlum intuentis. Sic quoque S Claudii corpus incorruptum peregrinis monstrari solidum, legimus in vita ejus apud Sur. 6. Iunii c. ult.

Sed, ut de antiquis sileamus, dignum est memoratu, quod paucis ab hinc annis in Belgio inventum est, & publicis tabulis testatum à R. Episcopo Iprensi, de corpore B. Idesbaldi, Abbatis tertii Dunensis, Ordinis Cisterciensis. Hic migravit à sæculo anno Domini millesimo centesimo sexagesimo septimo, anno autem millesimo sexcentesimo vigesimo quarto incorruptum planè repertum est, ut his verbis testantur literæ Episcopi dicti: *Erat corpus istud vestitum veste religiosa, alba inferiori, & nigra superiori, adhuc prorsus firmis & integris: Erat caput integrum adhuc munitum capillis, inter quos eminebat corona religionis: frons integra, oculi suis tecti palpebris, & ornati superciliis. Gena integræ, labia integra lividi aliquantum coloris, os parum patens, ita ut duo aut tres dentes aliqua sui parte videri possent: Barba valde copiosa quam quis ab octo diebus rasam judicasset, ita tamen firma ut præsentibus nobis fortiter pili ejus a Chirurgo tracti, evelli non possent. Tota vultus constitutio quasi dormientis in sinistrum latus versa, collum adhuc ductile & prorsus integrum. Si & brachia, & humeri, & pectus, venter, genua, planè integra cum pedibus. Tibialia etiam omnino integra, ita ut etiam sutura omnes dignoscerentur.* Hæc ibi, & plura, quæ brevitatis causa prætereo.

B. Idesbaldi Abbatis.

Hoc igitur, tum S. Huberto, tum aliis Sanctis nonnullis concessum est, ut vestis animæ caro scilicet, jam ab anima separata, ipse ad alteram vitam transeunte, in corruptionem quandam indueret, licet adhuc jacens in pulvere: ut hoc ipsum jam acciperent tanquam initium quoddam & pignus gloriæ corporis & futuræ in corruptionis post re-

1. Cor. 15. surrectionem, quando illud Apostoli perfectè adimplebitur: *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute.* Vbi alludit ad granum, quod reconditur sub terram, ut resurgat cum fructu: sic & corpora nostra in terra conduntur, quasi ignobilia & corruptioni obnoxia: sed postmodum surgent planè illustria & gloriosa, ineorruptione que & immortalitate donata: atque tunc trunt perfectissimè *Stola gloriæ*, quam rursus animæ induent, ut consummatè beatificentur.

***

Vitis floriger.

IN FESTO S. CAROLI BORROMÆI.

Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum & animam meam faciet, & ædificabo ei domum fidelem &c. 1. Reg. 2.

4. Nov. LECT. 6. tripart.

ÆTerna Dei Providentia & Sapientia de malis novit elicere bona: ideoque illa quando quæque permittit. Quasi apis de venenatis plantis novit mel exsugere, de petra oleum, de beneficio beneficium, de peccato gratiam. Ipsa est quæ de tenebris jubet lucem splendescere, & ubi abundavit delictum facit gratiam super abundare, admirabili sanè dispositione. Sic permisit Adæ lapsum, ut Filii Dei ea occasione incarnatio foret, in medelam ejus ordinata. Sic & permisit Ioseph à fratribus venditionem & carcerem, ut ejus exinde promoveret regnum & exaltationem, quæ in totius Israelticæ plebis vergeret salutem.

PARS I. *S. Car. suique scitamus ut alios suscitaret. Deus ex malis bona elicit.*

Atque ut propius ad propositum accedamus, divina providentia & sapientia ideo præcedenti sæculo tot hæresibus & erroribus quaqua versum permisit Ecclesiam suam concuti, ut veræ doctrinæ illustrationem, & ipsius Ecclesiæ exaltationem inde propalaret, illudque de ipsa verum esse, ubiq; notum fieret: *In petra exaltavit me, & nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.* De erroribus & corruptelis undique inundantibus, Ecclesiæ reformationem, quasi de tenebris lucem voluit splendescere, ac velut de veneno theriacam saluberrimam conficere. Psal. 26.

Certè dum hæreses aditum sibi fecerunt, regnabat dissolutio in clero, proculcata Ecclesiasticæ disciplinæ serie. Dominabatur in plebe & Principibus libido, gula, effrænis voluptas, in Prælatis ambitio & cupiditas, in Religionibus & Claustris libertas: atque hæc omnia januam aperuerunt variis delictis & erroribus. At ubi licentia & hæresis aperta fronte & erecta cervice sese ostentavit, aperuit Deus oculos nonnullis, *per quos salus debebat fieri in Israel* & suscitavit viros præclaros, qui & religiosos Ordines splendori restituerunt. & Ecclesiasticam disciplinam reformarent, & in populis emortuam pietatem ac fidem vitæ restituerent. *Hæresis vitiorum genitrix.* 3. Mach. 5.

Post Calvini & Lutheri viros caligino saque dogmata, mox tantæ tenebræ eruperunt, ut admireri videretur. Prophetæ de apertione putei abyssi, ex quo terrimus exivit fumus, obscurans Solem & Lunam, hoc est Christum & Ecclesiam; ac deinde egressum est agmen locustarum de eodem fumo, in perniciem hominum nō habentium signum Dei in frontibus suis, hoc est, vivam certamque fidei divinę professionem. Sed divina nec tunc defuit Sapientia & Providentia: de his enim tenebris alibi educi voluit lucem novam, quia paulo post innovum orbem induxit fidei splendorem & ardorem infidelitatis tenebras & frigus dissipantem. Si ergo Apoc. 9.

aliqui reperti sunt, à quibus meritò auferretur regnum Dei, & doctrina fidei, substituit eis gentem, qui illud regnum illaque veritatis doctrina daretur ad faciendum fructum Mox quoque, ut hinc inde vitiorum errorumque caligo dissiparetur, plerique Religiosi Ordines reformationem susceperè, vel novæ pietatis fundamina jecere. Tunc namque Ordo S. Francisci ad observantiam strictiorem se recollegit. Tunc Capucinorum Congregatio in pœnitentiæ exemplum sese Orbi prodidit. Tunc Societatis Jesu Militia, contra vitia & errores fortiter dimicari cœpit. Tunc Carmelo novi quasi incolæ per S. Teresam suscitati sunt, disciplinæ sanctæ studiosi cultores & instauratores. Tunc & Minimi à S. Francisco de Paula dati sunt in lucem Gentium.

Denique, tunc nonnulli de Clero cœperunt aperire oculos, ut agnoscerent se in sortem Domini vocatos; sicque opus esse vocationi dignè respondere, & vitiis ac erroribus pietate ac doctrina obviare. Quapropter eodem sæculo exortus est S. Philippus Nerius, qui Clero & Clericorum Congregationibus sapientiæ sanctitatisque luce præluceret, & S. CAROLUS BORROMÆUS, qui Canonicis, Pastoribus, Prælatis, normam rectè vivendi traderet, ac facem præferens inclamare posset: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* 1. Cor. 4.

Quæ igitur de illo mihi hodierna ejus festivitate disserendum est, assumpsi illud in propositione: *Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum & animam meam faciet: & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Christo meo cunctis diebus.* Quod quidem licet de Samuele, aut (ut multi volunt) de Sadoc Sacerdote, dictum haud ignorem; tamen apprimè etiam Sacerdoti huic nostro, sive Sacerdotum Patri sanctissimo CAROLO convenire, declarare intendo. Quid est igitur dicere: *Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem juxta cor meum?* Sanè idem est, ac si diceret Dominus: Emortua quodammodo jacet pietas, animarum zelus, fides & religio; aut certè sopore gravi oppressa languet: sed suscitabo virum secundum cor meum & animam meam, qui viva sua fide, zeloque ardenti & charitate torporem aliorum excutiet, novamque vitam eis reddet verbo & exemplo. Quid rursum est dicere: *Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem secundum cor meum?* nisi idem; ac si diceret: Suscitabo Sacerdotem verè Sacerdotem, Sacerdotum Ducem, Sacerdotum Lucem, Exemplar, Speculum, Normam; denique Sacerdotum Reformatorem, Pastorumque Pastorem, qui tanquam Columna Ignis illos per verum ducet iter. 2. Reg. 2. Elogia S. Car. Bor.

Perspicacis mentis oculo Ecclesiæ statum perlustrans, agnovit S. Carolus parum esse, si Religiosi Ordines in ordinem sese pietatis antiquæ redigerent, nisi & Clerus, Sacerdos, Pastores suum tenerent ordinem. In hoc igitur totus incubuit. Propterea omnem adhibuit solicitudinem, extremumque exseruit conatum, divini spiritus impulsu, ut coronidem adjicerent Concilio Tridentino Patres conscripti, ex omnibus Christianæ professionis Nationibus illuc convocati. Etenim in Concilii hujus constitutionibus medulla Cleri reformationem concernens continebatur, ipso institutionem hac de re exhibente, & multas eruditissimorum juxta ac pientissimorum virorum ad hunc effectum consultationes, cum Romæ, tum Mediolani procurante. Eundem obtinuit, demandata sibi à Pio, Quinto Pontifice cura, Catechismum ad Parochos convocatis Theologis peritissimis in lucem edi curavit, ubi Christianæ & Catholicæ doctrinæ Summa sanctorumque Patrum dogmata egregiè tradita sunt, & luculentè. Denique per totum est, quam multas Provinciales Synodos coëgerit ad morum reformationem, & disciplinæ Ecclesiasticæ restitutionem, quam multis decretis huic rei invigilarit, quam multis visitationibus & itineribus per totam suam Diœcesim susceptis ipsum promoverit. Meritò ergo de ipso illud verum esse asseruimus: *Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem.* *Cura S. Caroli ad reform. Ecclesiam.*

Diœcesis suæ loca aspera & montuosa, non equis vectus aut rhedis, sed propriis pedibus frequenter visere non est dedignatus: tum ut populis *aliquid impertiretur gratiæ spiritualis ad confirmandos eos*: tum ut Sacerdotes ibi vel ignaros instrueret, vel ignavos exstimularet ad id quod sacerdotalis officii erat. Atque in tantum profecit, ut plerique Sacerdotum instar Religiosorum vitam piam, castam, temperantem, exemplarem que ducerent, & admitationem sui plebem traducerent odore sancto. Hic nimirum erat scopus S. *Caroli*, per Sacerdotes bene moratos plebem ad Christum adducere. Sciebat quantum importaret Sacerdotum pietas, ad totius Ecclesiæ reformationem & frugem. Qui vult corpus languidum sanare, primum advigilat ut partes nobiliores sanæ sint, per quas alimentum, sanguis, vigorque in alias partes trajicitur. Sacerdotium nobilior pars est totius corporis Ecclesiæ, ab illo ergo sanitas & vigor in cætera membra debet derivari. Qui arborem marcidam vult purgare, incipiat necesse est à radice: *Si radix sancta* (teste Apostolo) *& rami*: si radix vivida, vigentes erunt & rami. *Si Ecclesiæ vinea floreat sanctimonia Sacerdotum jam flores fructus parturiunt per obedientiam populorum*, inquit S. bernardus lib. 3. de Consideratione. Vocatus fuit S. Carolus ad purgandam & excolendam vineam Domini, ideo nullum detrectavit laborem, sive circa radicem, sive circa florem, aut racemum, ut fructus sequeretur fœcundissimus. *Sacerdotes sanctimonia. Rom. VII.* *S. Car. vineam Domini purgavit.*

PARS II. *S. Car. Sacerdos fidelis secundum cor Dei.*

ULterius videamus, cur Sacerdos fidelis per excellentiam dici valeat, & quidem talis Sacerdos, qui *secundum cor Dei sit*, hoc enim dixit textus à nobis assumptus. Ac in primis is Fidelis servus, minister, dispensator dicitur, qui Domini sui in omnibus perfectè exequitur jussa, ejusque lucrum quærit & gloriam. Fidelis igitur Sacerdos & Minister Christi *Rom. X.* *Sacerdotis & Religiosi quomodo sese gesserit.*

Christi Carolus, qui *non quæsivit quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi.* Non enim quæsivit propriam gloriam aut honorem, nō opes aut commoditates sectatus est, non delicias aut voluptates; sed salutem

Zelator animarum. quæsivit animarum impensissime, ut ex inde gloria IESU CHRISTI Summi Sacerdotis resulgeret. Non proprium ambivit honorem is, quo nihil erat humilius, ita ut in ejus sepulchro HUMILITAS CORONATA cernatur & insculpta. Non delicias affectabat, qui sub purpura rude & villosum gestabat cilicium, quiq; in pane & aqua frequentissimè jejunabat, & nonnisi lupinis, sive ipsis amaris. Quadragesimam peragebat, ac super nudum stramen aut asserem somnum capiebat. Non opes sæculi venabatur, qui & eas, quas ex patrimonio habebat, in pauperes erogabat: ita ut uno die supra quadraginta millia scutorum ex principatu Vrirano divendito in gregem pauperum diviserit. O Fidelem Sacerdotem & dispensatorem, de quo meritò canere possumus: *Dispersit, dedit pauperibus justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Non ulli rei, quæ sub Sole est, affectu inhærebat, cum propter Christum nec rebus suis necessariis, nec vitæ parceret. Quod quidem evidentissimè patuit tempore acerbissimę pestilentiæ totam Mediolanensem Civitatem depascentis, quo quidem tempore in inopes omnia sua distraxit etiam libros, ac utensilia, usque ad ipsum lectulum, in quo quandoque decumbebat. Atque exinde nunquam amplius lecto usus est, sed super nudam humum, vel super nudum asserem in dormiebat, quando somnus necessarius urgebat. An non in his omnibus ejus patuit fidelitas erga Dominum Iesum, cui in pauperibus suis sic toto affectu inserviebat?

Pater pauperum.

Psal. 11.

Nec hic stetit ejus fidelitas, sed dicere potuit idem quod S. Paulinus; qui, cum laudaretur quod omnia sua dedisset pauperibus, sic respondet: *Quæ vobis eum non intulimus, nec poteramus auferre nobiscum, quasi mutuata reddidimus. Facilè hæc, tanquam pallium remittentibus excidunt; nec ut cutem à carne distraximus, sed ut vestem à corpore deposuimus. Nunc opus est, ut quæ verè nostra sunt, dependamus, hoc est, cor & animam & corpora nostra exhibeamus in hostiam vivam. Qua enim gratia, si in alieno tantum fideles fuerimus, nisi de proprio serviamus?* Hæc S. Paulinus epist. 2. Idem dicere potuit, immò dixit, & fecit S. Carolus, qui non contentus suam erogare substantiam inopibus, suam

Vitam pro Christo exposuit. exposuit etiam vitam pro Christo & pro grege suo, inter contagione infectos agens, ac illis propriis manibus Sacramenta ministrans, proprio ore solatium impendens. Potuit itaque cum Apostolo pro-

2. Cor. 12. nunciare illud: *Ego lubentissimè impendam, & super impendar ipse pro animabus vestris.* Parum fuit S. Paulo nihil à Corinthiis accipere, parū omnia sua illis impendere hoc optabat, ut totus ipse pro illis impenderetur, & sese velut victimam exhiberet pro illis. In hoc enim fidelitatis & charitatis excellentia consistebat.

Itaque imitatus est S. Paulum Carolus, imitatus est & antiquos illos Ecclesiæ Sacerdotes, & Præsules, de quibus S. Bernardus lib. 4 de consider. ad Eugenium: *Fuerunt ante te qui se totos ovibus pascendis exponerent, Pastores opere & nomine gloriantes, nihil sibi reputantes indignum, nisi quod saluti ovium obviare putarent; non quærentes quæ sua sunt, sed impendentes. Impendere curam, impendere seipsos. Unde unus illorum ait: Super impendar pro animabus vestris.* Hæc ille. Certè S. Caroli, tanquam fidelis Pastoris zelus enituit in publica illa supplicatione, quam instituit ut iram & vindictam Dei manum amoliretur à suo grege. In illa funem, quasi reus, collo suo injecit, crucem in manibus detulit, pedibus nudis incessit, illos progrediendo per civitatis plateas ad saxa collidens cruentavit, ac seipsum Domino pro suis immolans, dicebat: *Ego sum, ego sum qui peccavi, tantum in me convertе manum tuam; ego totus gregis in me delicta recipio, & tanquam anathema devoveo meipsum tibi pro salute omnium.* O charitatem exemiam, omnibus sæculis prædicandam, omnibus Pastoribus in exemplum proponendam.

Seipsum pro suis immolat.

Augebatur porrò in ipso charitas persecutionibus, sicut ignis flabro & ventis: unde ut divinum beneplacitum adimpleret in Ecclesiæ suę reformatione, & depravatorum morū correctione; hominum etiam potentium contempsit & evicit persecutionem, & infestos eorum adversum se conatus. Hoc enim solum ei curæ erat, ut omnia peragere secundùm cor Dei & animam ejus, illique soli placeret, licet hominibus displicere per hoc deberet. Notum est ex gestis ejus posterorum memorię publicitus traditis, quot persecutiones, tum à Principibus Viris, tum à Religiosis & Ecclesiasticis passus fuerit, dum de pravatis moribus, tum in clero, tum in populo invalescentib⁹, obviare totis nititur viribus, & damnosā rescindere libertatem. Dissolutioris vitæ homines, tanquam ægri in phrenesim versi, insurgebant in Medicum, ipsis cataplasmata adhibere conantem, salutisq; eorum studiosissimū: ipse verò & eorum miseram sortem deplorabat, nec curare desistebat, quolibet suo periculo dilacerabant acerbo & spumante dente ejus famam & honorē: opprobriis & contumeliis eum onerabant apud plebem, ejus auctoritatem proculcabant, denique & vitæ ejus insidiabantur. Dicebat verò ipse cum Propheta: *Quoniam zelus domus tuæ comedit me, opprobria exprobrantiū tibi ceciderunt super me. Et operui in jejunio animam meam, & posui vestimentum meum cilicium. Adversum me loquebantur qui sedebant in porta, & in me psallebant qui bibebant vinum. Ego autem orationem meam ad te Domine, tempus beneplaciti Deus.* O Virum secundùm cor Dei & animam ejus, nihil nisi divinum beneplacitum per orationem exquirens, ac postmodum nec vitæ parcens, nec sanguini, ut illud adimpleret! O Virum secundum cor Dei & animam ejus, qui omnia sua consilia, cogitationes, resolutiones depromebat,

Multas persecutiones passus.

Forsis in me adversus.

Psal. 68.

De corde Iesu roborantur.

de corde IESU, tanquam de fonte Sapientiæ fortitudinis. Ex illo robur desumebat, quo adversis conatibus obsistere posset; & mansuetudinem inde admirabilem percipiebat, quâ contraria quævis sine strepitu & perturbatione diffringere poterat, solitus & pro malis bona reddere. Non desistebant triticum serere, licet spinas meteret. Quapropter rursus dicere poterat cum Propheta: *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam. Et posuerunt adversum me mala pro bonis, odium pro dilectione mea.*

Psal. 108.

Orās illius scelopeti petitur.

An non patuit id evidenter, dum per improbum & perditissimum Apostatam ictu scelopeti appetitus est, eo tempore quo vespertinæ vacabat contemplationi suo in Oratorio? Scuto bonæ voluntatis divinæ servum suum protegente, illæsus non sine miraculo evasit, defluente globo ad pedes: sed & imperterritus & sine perturbatione orans permansit præcepitque domesticis suis, ut nullus eorum se loco dimoveret, aut impium conspiratorem requireret, ei illo ipso tempore se offensam remittere protestatur. Rursum ergo hic repetere cogor: O Virum secundùm cor Dei & animam ejus, secundùm cor Christi & spiritum ejus, de quo verè dicere potest: *Ecce servus meus quem eligi, complacuit sibi in illo anima mea, posui super eum spiritum meum. Non clamabit, neque accipiet personam nec audietur vox ejus foris. Calamum quassatum non confringet & linum fumigans non extinguet. Non erit tristis, neque turbulentus.* Nonne hæc omnia in viro Dei CAROLO manifesta sunt.

Isai. 42.

PARS III.

Quomodo S. Carolo Deus fidelem domũ ædificarit.

SEd attendamus quod tandem in textu nostro pro conclusione sequitur. *Et ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Christo meo cunctis diebus.* Solet Deus servos suos fideles remunerari non solum gloria essentiali, quæ consistit in visione & fruitione divinæ faciei, sed etiã gloriã accidentali quæ in Sanctis augetur, ex eo quod nomen eorum apud populos celeberrimũ reddat, quod miraculis multis eos claros efficiat, quod multis speciali devotione & cultu eis sese addicant filios, eorum gloriam ubique promovere conantes, tum verbo & præconio tum in imitatione & exemplo. Certe S. CAROLVM Deus post varios labores coronavit coronâ aureâ essentialis gloriæ, sed & gloriã accidentalem ipsius adauxit innumeris miraculis. Vnde & ad ejus tumulum appensa fuere supra millia Tabellarum, aut aliorum Monimentorum sacrorũ, quibus sanitates miraculosæ per ejus intercessionem impetratæ, aliaque beneficia & dona indicabantur. Nomen quoque ejus non solum per Mediolanensem provinciam, aut per Italiam, sed per totum orbem mox celeberrimum factum est, ad ejus Sepulchrum concurrentibus ex variis Regnis magno confluxu magnaque cum pietate viris eximijs.

Denique, Oratoria, Collegia, Sodalitia, ejus nomini specialiter fuêre erecta & inscripta, Atque in

Ædificare domum quid sit. Exod. 1.

in his completum est illud à Domino: *Ædificabo ei domum fidelem.* Ædificare domum, sacris in litteris idem est, quòd familiam parare numerosam & felicem. Quapropter dicitur, Deus Obstetricibus ædificasse domos; eo quod masculos Hebræorum conservassent, nec juxta regium edictum enecassent in partu. Vult autem indicare hac phrasi sacer textus, quod eis Deus dederit in compensam prolem numerosam & prosperam. Itaque quod S. CAROLO à Deo ædificatam domum fidelem dicimus, familiam omnem sacram quæ sub nomine ejus congregatur, vel aggregatur, designamus. Qui se sub nomine ejus congregant, ei se in filios vovent, & ab eo spiritum vocationi suæ congruum haurire contendunt, ejusque virtutes paternas sibi ad emulandum proponunt, denique & regulas sectantur ab ipso spiritu Dei dictatas. Sic Mediolani Congregatio primitus ab ipso instituta fuit; & certis constitutionibus erecta & directa, in quâ quandoque reperire fuit doctissimos pientissimosq; Sacerdotes ultra sexaginta in Theologia aut Iurisprudentia graduatos, quorum utebatur subsidio ad sacras & sublimes functiones curam Archiepiscopalem concernentes. Vltra hanc Congregationem collegialiter conviventum in Vrbis meditullio, in domo scilicet quondam vocata sanctiSepulchri Domini, quatuor foraneas congregationes Sacerdotum instituerat per Diœcesim, quas & ipse fovebat spiritu suo, monitis, instructione paternâ quasi familiæ suæ proles fœtumque suum sacrum.

Quasit domus fidelis.

Hoc itaque est quod nostro themati accommodè dicimus, *Dominum ei ædificasse domum fidelem*, quæ adhuc cernitur in variis Congregationibus Sacerdotum, ac aliorum, nomini ejus devotis. Est nim domus fidelis omnis congregatio ipsius sanctas constitutiones exactè observans. Est domus fidelis omnis congregatio, ejus virtutes studiosè imitans. Est domus fidelis omnis congregatio, ministeria sacra ad ejus exemplum piè & sanctè obiens. Est domus fidelis, omnis Sodalitas divinam gloriam animarumque salutem sicut ipse exquirens.

1. Reg. 2.

Atque quicunque se de hac domo fideli dicere volunt, ejusque familiæ sese asscribunt, debent coram Christo semper ambulare, sicut & de ipso ac ejus domo subditur: *Et ambulabit coram Christo meo cunctis diebus.* Quid est aliud ambulare quàm progredi, & ad perfectionem tendere, nunquam retrogredi, sed semper ad ulteriora enitiac dicere cum Apostolo: *Quæ retrò sunt obliviscens, ad anteriora me extendo, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis.* Aut certè necesse est nos esse similes his qui ex aquis enatare nituntur, de quibus *S.* Paulinus ep. 2. sic ait *Natator amnem interpositum supernaturus exuitur, nec tamen adhuc transnatabit, nisi toto corporis nisu, & omnium scita mobilitate membrorum, & propulsu pedum, & remigio brachiorum, & lateris illapsu torrentis impe-*

Philip. 3.

sum

tum scindat, & laborem multum natando exhauriat. Itaque hoc seculum quandoque flumini vel mari assimilatur, quod oportet magno labore transnatare, quandoque & viæ, in qua non oportet desidem esse, sed oportet semper ambulare. Et quidem ambulare oportet coram Domino, hoc est, in præsentia ejus semper decet esse, illi se jungere, illi per omnia obsequi, cum eo colloqui & progredi ejus opem implorare, ab eo ex toto pendere, illi se committere, illi omnia referre.

Quid sit ambulare coram Deo.

Felices, qui semper coram Deo stant, vel ambulant, tanquam servi coram Domino suo, tanquam discipuli coram Magistro, tanquam milites coram Duce tanquam Filii coram Patre, tanquam ministri coram summo Principe, aut summo sacerdote, in illum unicè figentes intuitū. Sic fecit S. Carolus, sic & alios facere docuit. Vnde à quodam interrogatus, ut brevem perfectionis semitam ipsum edoceret, tria tantum dedit documenta 1. Vt quotidie existimaret se inchoare, ut eo scil. fervore Deo quotidie serviret, ac si primum eo die inchoaret. 2. Vt coram Deo semper ambularet, cogitans se in ejus esse præsentia 3. Vt advigilaret, ut omnia opera sua in Deum tenderent. Dicebat, verò animi generosi esse in vita spiritui semper progredi, & majora aggredi. *Sic mercatores quotidiè aliquid lucro adiicere nituntur, hortulani quotidiè agrum, pictores quotidiè imaginem magis poliunt & perficiunt, quantò magis debent virtuti quotidiè aliquid adiicere, qui ejus sunt studiosi,* inquiebat ipse? Propterea & ipse nulli labori parcebat, nulli austeritati nulli afflictioni carnis: gloriæ ducebat & lucro talibus immori. Quapropter paucis, ante mortem diebus in Varallum conscendens montem, ubi in diversis Capellis Stationes & Mysteria Dominicæ Passionis depicta visuntur, post varias corporis afflictiones octo horis orationi continuæ vacasse deprehensus est; in qua absque dubio inspiratione divinâ se se ad mortem disponebat. Sic & in quadam epistola ad Archiepiscopum Valentinum monentem ut sibi parceret, nec nimiis laboribus ac pœnitentiis vitam sibi abbreviaret responsum hoc ei dedit: *Quod si etiam dum Ecclesia pro qua Christus acerbissimam mortem pertulit opera navatur, virtum, quas debilitari, vita quam interire necesse est, jactura fiat: id verò maximi lucri ac emolumenti loco ponendum est: Nimis delicati hominis, nedum Episcopi est, à muneris sui, quo nullum amplius, nullum præstantius est, administratione & cura, aut valetudinis studio vel tardari, aut mortis formidine deterreri.* Hæc ipse, ut refertur c. 21. vitæ ejus c. 8.

Perfectionis semita.

Auctor vitæ l. 8. c. 18, & 21.

Quis igitur ex his non luce meridianâ clarius videat, qualis fuerit Sacerdos S. Carolus, divina cum suscitante gratiâ ævo nostro, ut cæteros & ipse excitaret? Quis non agnoscat, quàm fidelis fuerit Domino suo, quàm dignè ambulans coram Christo corde perfecto, *in sanctitate & justitia serviens coram ipso omnibus diebus vitæ suæ,* & inconformitate admirabili cum voluntate divinâ, in adversis & prosperis, in juventute & matura ætate, in vita & in morte? Certè potuit dicere cum Christo Patri æterno: *Quæ tibi placita sunt, facio semper.* In postremo suo morbo, lamentantibus ejus decessum his quibus præluxerat luce eximia sanctitatis, totus licet fractus laboribus toto Sacerdotii sui decursu exanthlatis, tamen adhuc dicebat cum S. Martino: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem: fiat voluntas tua.* Quid certè aliud poterat dicere *Vir secundùm cor Dei,* ad extremum usque spiritum omnes ejus voluntates exquirens? Sed tandem ab illo ex hoc corporis ærumnoso carcere evocatus, sanctum suum spiritum in cor Iesu transmisit, adspiciens fixissimè in piam agoniæ ejus imaginem, lectuli sui pedibus appensam.

Luc. 1.

Ioan. 8.

O Domine Iesu Christe, Summe Sacerdos, Sacerdotumque & Pastorum Moderator & Pastor, suscita omni tempore in Ecclesia tua Sacerdotes & Pastores fideles, qui juxta cor tuum & animam tuam facient, qui coram te ambulent dignè vocatione suâ. Suscita Sacerdotes & Pastores, qui Carolum imitentur opere & veritate, quie jus vestigiis inhæreant sincerâ cordis devotione, cum zelo salutis animarum, quas tuo redemisti sanguine, & cum zelo ardenti gloriæ tuæ ubique propagandæ. Effice, ut illi qui sub ejus nomine, directione, protectione, congregantur, sint ei domus fidelis, sintque Filii haud degenere, ut possint dignè populo tuo præfici, gregemque tuum præcedere, ante illum ingredi & egredi, tandemque in locum à te præparatum introducere. Hoc nobis concedas qui es benedictus in sæcula, Amen.

IN FESTO S. MARTINI.

11. Nov. Lect. 68. tripart.

Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ. 2. Tim. 4.

VItam hominis Militiæ nomine crebrò in sacris litteris designari, pernotum est. Sic disertis verbis expressit Iob in veteri Testamento: *Militia est vita hominis super terram.* Et rursus: *Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Vocabis me, ego respondebo tibi.* Conformiter Propheta: *Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem & contemplabor, ut videam quid dicatur mihi, & quid respondeā ad arguentem me.* In novo quoque Testamento S. Paulus frequenter de hac militia agit in suis epistolis, declarans panopliam quâ debet esse adornatus miles Christianus. Habeat ergo Spem, Galeam salutis, Scutum fidei, Loricam justitiæ, Baltheum veritatis Ocreas & Calceos militares, præparationem Evangelii pacis, Gladiū spiritus; His omnibus poterit esse tutus contra hostem, ignita ejus jacula haud verebitur, laureamque emerebitur. Propterea hortatur Timoth. *Labora sicut bonus miles* 2. Tim. 2.

Hominis vita & Militia Iob. 7. Iob. 14. Abac. 2.

Christi Iesu. Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat cui se probavit. Nam & qui certat in agone, non coronabitur; nisi legitimè certaverit. Quia fortia pati Christianum est, & à seculi illectamentis & involucris secernere se; ideo hortatur Timotheum Militem & Ducem, ad fortia & dura patiendum, & ad sic se gerendum, ut Imperatori qui eum delegit placere valeat, sicque ab eo
1. Tim. 6 coronam accipere mereatur. Antea ei dixerat, ad idem exhortans: *Tu verò fectare justitiam pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. Certa certamen fidei, apprehende vitam æternam.* Præmittit arma lucis, quibus contra tenebrarum Principes dimicatur; & ostendit lauream vitæ, ad quam certando ad spirandum est. Hoc verò certamen omnes Christianos concernit, quos Christus Dux supremus in suam militiam sub crucis vexillo evocavit, cruceque signavit & auctoravit, ut fortiter certent usque ad mortem, vitæ tunc æternæ bravium adepturi. Quapropter dicebat S. Chrysostomus: *Quandoquidem semper Christiani exercitus diabolum Deo armati debellent. Tu Christiane desicatus es miles: si putas te posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare. Exere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio isto concerta. Considera pactum; conditionem attende, malitiam nosce. Pactum quod spopondisti, conditionem quâ accessisti, militiam cui nomen dedisti.* Ita ipse ser. de Martyr. tom. 2.

Denique & ipse Apostolus Paulus militem se hujus militiæ agnoscens, in fine agonis approximantem cernens suo vertici coronam, dicit: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.*
2. Tim 4. *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi in illa die justus Iudex.* Quæ quidem magnanima verba optimè conveniunt S. Martino ejusdem cum Apostolo Paulo militiæ Duci. Et hæc pro themate proposuimus, quia ipse militis instar cathaphracti ubique depingi solet, qui postquam miles fuisset sæculi, factus est miles cœli. Videamus ergo particulariùs, quomodo bonum certamen certaverit, quos hostes superaverit, qualiter cursum consummaverit, & coronam adeptus fuerit.

Tres hostes nobis jugiter adversantur, & continuus nobis adversus eos esse debet conflictus; in quo quidem conflictu non de victoria agitur ad tempus perduratura, sed de æternitatis gloria aut pœna. Tres isti hostes vulgati sunt & agnati, in perniciem nostram conspirantes: Caro, Mundus Dæmon; de quibus S. Martinus gloriosè triumphavit jam ab inuente ætate. Hoc explicemus particulariùs.

PARS I. *Quomodo S. Martinus contra carnem certarit.*

Primus est *Caro*, & quidem semper hostis periculosissimus; quia domesticus hostis, non extraneus; quia hostis quem semper circumducimus nobiscum, & ab illo separari non licet; quia hostis qui sub specie amicitiæ fallit, & sub blandimentis insidias tegit; quia hostis qui semper pugnat, nisi repugnes; & rarò pugnat sine influcto nobis vulnere aut nocumento. Ideo in hac pugna tremit Apostolus & ingemiscit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Quid faciet gregarius miles si militum Dux ita ad hanc pugnam inhorrescit? Quid est, ô Apostole Christi, quod ita exclamas, qui animo infracto bellum indicere ausus es omni creaturæ asservans quòd nec cœlum, nec terra, nec infernus, nec alia creatura, nec gladius, nec mors, aut angustia te poterit superare, aut à Dei charitate separare? Quid ergo nunc talem tibi valet gemitum excutere, ut dicas: *Infelix ego homo!* Quid persentiscis? Quid vereris? *Sentio in membris meis,* inquit ipse, *aliam legem, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.* O durum! ô mirum! ô periculosum prælium! in aliis prælii unus est qui offendit, alter qui defendit: at in hoc adversatur homo sibi ipsi, homo interior exteriori. Quis poterit cavere à se ipso? à seipso quis poterit liberare? In aliis prælii quandoque cessatio est, quandoque dantur induciæ: at caro & spiritus semper sunt in acie, semper sibi adversantur, nec licet recedere. in aliis prælii certamen est de honore aut possessione sæculi: hic autem jacitur alea æternitatis, & conflictus est pro regno Dei, à quo in æternum oportet separari, si succumbas. Et quidem periculum grande est quia hostis fortis & efficacissime dimicans.

Quam fortis sit & periculosus, hostis, jam nos docuit in gemiscens Apostolus, qui & alibi animos resumere suo docet exemplo, dum dicit: *Sic pugno non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.* Patet quoque efficacia hujus pugnæ in S. Benedicto se per spinas & urticas volutante, ne superetur à carne; in S. Francisco Benedictum imitante, per nives se volutando frigidissimo tempore; in S. Hyeronimo noctes & dies in oratione perseverante, & à pectoris tunsione non cessante. Propterea etiam dixit S. Augustinus: *Inter prælia Christianorum sola dura sunt prælia castitatis, ubi continua est pugna, & rara victoria.* Satis etiam ostendunt suo exemplo, inter fortes Samson, inter sapientes Salomon, inter sanctos Reges David, quàm hic periculosum sit prælium. Ideo omnes horum exemplo commonet S. Hieronymus de evitandis occasionibus, & illecebris quæ hic succumbere faciunt, ajens: *Nec Samsone fortior, nec Davide sanctior, nec Salomone potes esse sapientior.*

Hunc portrò hostem superavit S. Martinus, jam ab adolescentiâ. Sed quod magis mirum est, superavit hunc hostem agens in militari vita, quæ vesania libidinis licentiosæ facilè voluptati carnis laxat fræna. Duo certè incentiva sunt Veneris, Adolescentia & Militia, quia cum militia affinitatem habent. De adolescentia quidem testatur S. Ambrosius lib. de viduis sic pronuncians: *Vicina est lapsibus adolescentia; quia variarum cupiditatum æstus fervore calentis inflammatur ætatis.* De Militia autem sic loquitur Valerius Maximus l. 2. *Aspero castigationis*

Rom. 7. Periculosi. simus hostis. Duo incentiva Veneris, Militia. Exempla contrariorum.

thonis genere disciplina eget militaris, quia vires armis constant, quæ ubi à recto itinere desciverunt, oppressura sunt, nisi opprimantur. Nimis experientia notum est, quomodo inter milites vigeat & nihili pendantur non solum liberæ fornicationes, sed etiam violenta stupra & adulteria virginum & maritarum corrupteiæ. Quia apud eos impunitas fit insolentiæ mater, radix impudentiæ, trãgressionis nutrix; militarisque libertas in satanicam degenerat libertatem, qua non solum pietas & castitas sed sacra omnino omnia concutiantur, & profanantur inauditis sacrilegiis: Expertus loquor, quia dum hæc scribo, cum mœrore reminisci cogor recentium sacrilegiorum in sacras personas, ac in ipsam sacratissimam Eucharistiam inaudita impudentia patratorum à milite per Leodicam nostrã ditionem pertranseunte. Equidem à milite pertranseunte, sed vestigia luctus, non solum in agris, at etiam in locis sactis relinquente, & quidem in oculis Ducum & Tribunorum fidem Catholicam
1. Reg. 13. proficentium. In libro Regum dicitur: *Egressi sunt ad præliandum tres cunei Philistinorum.* Alia lectio habet: *Egressi sunt ad prædandum.* Textus autem Græcus & Hebræa Paraphrasis sonat; *Egressi sunt ad violandum & corrumpendum.* Quid aliud diversa hæc lectio nobis insinuat, nisi quod plerique è militibus & prælatoribus fiunt latrones & prædones violatores & corruptores? Vinam hoc verum non foret, de his qui militiæ adscribuntur sub Ducibus Catholicis! Sed eheu! Non tanta flagitia dedecora olim designabantur à milite infideli sub ducibus ethnicis, militari tunc disciplinã intra limites rationis milites coarctante & dirigente, quam modo ab his qui fidem profitentur.

Miles ergo fuit S. Martinus, sed miles innocẽtiæ adornatus baltheo, & præcinctus castitatis cingulo. Ne autem militia Cæsaris (cui occasione Tribunitiæ potestatis Patri suo delatæ adscriptus fuerat) tandem eum in pericula peccati perttraheret, & pellieret in occasiones carnis: deseruit eam, ut nomen daret altiori militiæ, inferioi optavit statui clericali sub disciplina & directione S. Hilarij Pictaviẽsis Episcopi, ut perfectius militare disceret sub vexillo Christi, Regis Crucifixi. Quantum tali Directore & Duce profecerit, effectus declaravit. Hostem autem hunc, quem primo loco collocandum & nominandum censuimus, hoc est Carnem ut à juventute expugnaret & sibi subjugaret, cæpit domare jejunijs, vigilijs crebris, cachamcunia, sive humi cubatione omnigenaque austeritate. Et in hoc quidem rigore perseveravit ad senectam usq; & finem vitæ; nam & mori voluit in cilicio & cinere. Dicebat ipse moriens: *Non decet Christianũ nisi in cinere & cilicio mori.* Quẽ imitatus S. Carolus Borromæus sini proximus, voluit sibi indui cilicium sacro cinere conspersum. Ad tantam autem castimoniæ pertigit perfectionem hac carnis macerationc & vitæ austeritate, ut summa quædã puritas
Sulpit. in eius vita.
post mortem in carne ejus refulgeret, lucí aut gẽmæ similis; adeo ut cerneretur specimen & initiũ quoddam futuræ resurrectionis dote claritatis. Nemo judicasset corpus illud sordidounquam obtectum fuisse cilicio. Testis est Sulpitius in vita ejus.

Ob hanc castitatem meruit eius anima innocẽs mox à morte ab Angelis suavissimo concẽtu deduci, pro ut audivit S. Severinus Colonien sis Episcopus, in oratione Coloniæ agens, dum Martinus Turonis ex hoc emigraret sæculo. Quod & aliis revelatum fuit eadem ipsa hora. Propter singularem igitur pugnam & victoriam contra carnem spiritui insidiantem, non dubitamus illum accensere his *Apoc. 14.* *qui cum mulieribus non sunt coinquinati, & quia Virgines sunt, sequuntur Agnum quocunque ierit,* cum speciali gloria cantantes canticum novum. O utinam in hoc belli genere imitentur multi virum hunc sactissimum quem sibi nominant Patronum Vtinam fugiant ejus exemplo ab adolescentia occasiones lubricatis, cogitationes impuras, verba impudicã, tactus salaces, quibus Satã primẽvã implicans ætatem, tandem perducit ad pernicie; quia de plerique verum est illud: *Ossa ejus implebuntur vitijs adolescentiæ eius, & cum eo in pulvere dormiẽt.* Bonum itaque certamen Martinus contra hũc hostem periculosissimum certavit, sive existens adhuc in militia sæculi; sive agens in militia Dei; & id quidem ab ætate tenera, ut nemo cujusvis status prætexat sibi impossibilem castitatem.

PARS III. *Quomodo S. Martinus contra mundum certavit.*

SEcundus hostis est *Mundus*, qui etiam variè pugnat contra electos. Conatur enim eos detinere in tenebris ignorantiæ & infidelitatis, aut in caligine variæ cupiditatis, & perversæ mansuetudinis. Genitus erat Martinus in infidelitate, & parẽtibus infidelibus sed divinæ luminis radio illucescente simul cum ætate cum decimum annum attigisset invitis parentibus ad Ecclesiam confugiens, in Catechumenorum numerum adscribi voluit; ac tandem decem & octo annos natus baptismo lustratus est. Idem de S. Martino dicere possumus, quod S. Ambros. dicebat de nonnullis catecumenis sese ad Martyriũ offerẽtibus: *Inter Religionis principia sunt consummati & nondum sibi Dei legibus plenè manifestatis jam erant Deopleni. Atq; ita perventura ad cœlos turris meruerunt prius elevare fastigiũ quam disponerent fundamentum. Nondum sacramentorum conscij, in sacrificium sunt electi.* Ita Ambros. serm. de S. Nazario; Idem convenit S. Martino, quem adhuc catechumenum laudat Dominus, quasi militem perfectum. Nihil ergo hic Mundus contra eum potuit, nihil parentes reluctantes: non enim acquievit carni & sanguini, sed divinæ vocationi. Vocante Oriente, non attendit ad Occidentem, sed renuncians Mundo & eius operibus immundis, Christo adhæsit, eiusque fidem firmissimè est amplexus. Quapropter in ipso verum *1. Ioan. 2.* esse cernimus illud: *Omne quod natum est ex Deo vincit.*

vincit mundum, hæc est victoria quæ vincit mundum; fides nostra. Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit mundum IESVS est filius Dei? Si scilicet fide viva credat, iam mundum contemnit & mundana, omniaque superat salutis impedimenta à quibuscunque objecta, etiam à parentibus qui cum mundo genuerunt & sæculo, qui ad illum solum attendit qui eum genuit cœlo. Sic poterat dicere S. Martinus quod olim Celsus puer ad Martyrium procedens dicebat, reluctantibus & fluentibus parentibus suis infidelibus: *De spinis rosæ nascuntur, nec rosa nata de spinis odorem suavissimum, nec frutex spinosus, qui rosas odorantes genuit, amittit acu eum. Vos ergo parentes mei spinæ estis, vestrum est pungere; pergite ut consuevistis, me autem rosæ odorem permitte credentibus exhalare. vobis obediant qui perire parati sunt; me imitentur qui de tenebris ad lucem venire contendunt. Ego pro Christo vos parentes abnego; non possum in vos pius esse, & in me crudelis.*

Surius 3 Iun.

Postmodum Martinus parentum miserandam deplorans sortem, & infidelitatis cœcitatem quâ detinebatur, adiit Panoniam, ut verbo & zelo, si fieri posset, eos ad Christi lucem & fidem traduceret. Nec ex toto irritus fuit ejus conatus, aut sine fructu arreptum iter Martem ex ignito exhortationis sanctæ eloquio perduxit ad veritatis agnitionem, & Christi amorem. Pater vero rebellis lumini, suasque adamãs tenebras, in infidelitate permãsit obstinatus. Mirum sane, quod vir sanctissimus & à Deo tot miraculis decoratus totq; animarum conversione Orbi illustris, non potuerit proprium parentẽ à perditionis via re vocare. Vnde hic possumus meritò cum Apostolo exlamare: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* possumus & illud Domini Iobo olim propositum remorare, & hic rursus proponere: *Indica mihi, si nosti omnia, in qua via lux habitet, & tenebrarum quis locus sit: ut duras unumquodq; ad terminos suos, & intelligas semitas domus ejus.* Ecce filius in luce agit, & lucis eiusdem matrẽ facit participem. Ecce pater in tenebris hæret, & per tenebras; per interiores animi, ad æternas ruit Erebi. Die mihi, cur potius Mater lucem adspicit, quam Pater, cum eadem lucis via utrique proponatur? O admirabile judiciũ Dei! Filius æternæ gloriæ gaudiis perfruitur, æternaque laude Deum suum exaltat: Pater æternum Deo maledicit in flammis, maledicit & creaturis. O investigabiles viæ Domini, & incomprehensibiles semitæ domus ejus, dum hunc reprobat, illum prædestinat, & unumquemque ducit ad terminos suos secundum merita, vel demerita!

Rom. 11.

Iob 38.

Neque verò eatenus duntaxat dicitur vicisse S. Martinus per fidem mundum, quatenus ejus vicit infidelitatem, sed etiam quia evicit omnem illius cupiditatem, sive illã quæ consistit in concupiscẽtia carnis, ut jam ostendimus, sive illã quæ cõsistit in cõcupiscẽtia oculorum, sive illam quæ consistit in superbia vitæ. Hę sunt tres sagittæ, quas mundus solet figere in corda eorum quos superat. Vincit enim cor per voluptates, divitias, honores, hoc est, per horum concupiscentiam. At Martinus bonum & hic certamen certavit, fidemque Deo servavit, sive dum adhuc ageret in militia sæculi, sive dum secutus est militiam cœli. Vtrobique enim divitiis contempsit, earũque cupiditatem animo suo dominari haud permisit. In militia enim sæculi, neminẽ concutiebat, nemini calũniã inferebat quod rarissimum est viris militaribus: sed suo contentus stipendio; etiam illud solum retinebat quod victui necessarium videbatur, reliquum in pauperes animo libero & liberali erogabat. Notum est quod ei contigit Ambiani, Christo in specie pauperis abeo stipem petente. Merito de eo canimus: *Dispersit dedit paupertibus, justitia eius manet in sæculũ sæculi.* Sed si à Domino laudatus est ob misericordiã, cũ adhuc recenter sacris Christianis initiatus foret necdum baptizatus, sed adhuc Catechumenus: certè postmodum nõ defecit, quia tota ejus vita liberalitatis effulsit exemplis. Hęc quantum ad divitias, & eorum cupiditates subjugatas.

S. Martinus omnẽ concupiscentiam vicit

Psal. 111.

Quod attinet ad honores, nec eas sectatus est in sæculo, aut in clero sed tota mentis humilitate & animi demissione servitutẽ coram Deo & hominibus jugiter est professus. Non potuerunt bonorum retia ejus pedes vel alas implicare, quo minus in cœlũ vel curreret, vel volaret. Si Episcopalẽ dignitatem adeptus est, non quæsivit, ad eam à Deo vocatus est, & à clero ac populo renitens assumptus. Sciebat illud Apostoli: *Nemo sibi sumit honorem, sed qui à Deo vocatur tanquam Aaron.* Vita ejus instar Virgæ Aaronicæ effulsit fronde, flore, fructu virtutis, & hoc indicio à Deo tanquam idoneus ad põtificiam dignitatem est designatus. Non ipse per seipsum illuc ascendit, sed ille posuit eum super Candelabrum, qui ipsum ut lucernam accẽdit. Nõ dicebat ut lateret sub modio: positus est in medio ut luceret omnibus qui in domo sunt, imo & illis qui extra domum sunt, ut ad domum venirẽt, hoc est infidelibus, ut ad Ecclesiam properarent talis lucernæ invitati fulgore.

Humilitatis & fugiendi honores.

Hebr. 5.

Luc. 11.

Sed licet in medio positus foret à Domino ad lucendũ in Candelabro, ãgulos tamen requirebat, ut in humilitate lateret & cinere. In nidulo suo, in statu tranquillo vivere & mori peroptabat, ut quasi Phœnix è cinere in novam vitam exsurgeret, & multiplicaret dies suos in æternitate. Propterea locum rigoris & humilitatis eligẽs in monasterio ædificato in solitudine frequenter commorabatur cum octuaginta Religiosis agens, qui animas suas Deo ibidem devoverant, relicto mundo & eius tumultu, ac inquietis amarisque fluctibus. poterat idem dicere quod S. Anselmus, olim Abbas Bejensis, postmodum Archiepiscopus Cantuariensis. *Sic ut Bubo dum in caverna sua cũ pullis est & letatur, & quodammodo sibi bene est; dum verò inter cor vos-*

corniculas seu alias aves est, incursatur & dilaniatur, & sibi malè est, quia rostro hic percutit, illa unguibus discerpsit: ita & mihi. Quando cum Monachis, meis scilicet filiolis, conversari queo, mihi bene est, & consolatio non deest, quando verò inter sæculares versor, hinc inde variè incursor & dilaceror, & meæ quæ non amo sæcularia negotia vexant, animæque meæ dispendium pertimesco. Ita ipse.

In hoc quoque S. Martinus perfectè mundum vincit, quod vanam eius gloriam penitus contempsit & conculcavit. Etiam miraculis insidiantem vanitatem & gloriam diligentissimè cavit. Propterea catechumenum quemdam mortuum suscitaturus; jubet omnes egredi, instar Elisæi super cubili collocato puero incubuit, & halitum vitalem ei rursus inspiravit. *Vide in eius vita apud Ribadeneiram, & alios plura.*

Lib. similit. c. 187.

PARS III.

Quomodo contra diabolum certarit & vicerit.

TErtius Hostis est *Dæmon*. Ipse semper vigilans in perniciem hominis (quia in ejus locum homo ad gloriam à Deo est electus) omnes artes impendit, ut eum impediat à beatitudine consequenda. Hostile ergo odium quod in Deum primitus concepit, quia ab ipso è cœlo exturbatus in abyssum est relegatus, in hominem effundit, ut sic de Deo quodammodò se vindicet. eum in sua lædens creatura & imagine. De hoc hostili odio Dæmonis in hominem, multa alibi fusè à nobis dicta sunt, ideo supersedeo, brevitati consulens.

Dæmon tertio hominem durante vitâ sentat.

Hoc solum hic cum S. Gregorius libr. 24. moral. advertendum, Dæmonem hominem maximè invadere tertiò durante vitâ; in initio scilicet conversionis, in medio probationis, in termino consummationis. *Primò* quidem in conversionis initio omnia objicit impedimenta quæ potest, ut deterreat hominem à via veritatis & pietatis. Propterea monebat Sapiens: *Fili accedens ad servitutem Dei sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Quisquis in melius vitam mutare resolvit, Satanæ hostilitatem violentiùs experiatur necesse est. Sic fortiùs Pharao persequitur Israelem, cum videt se deseri; & Laban Jacob, cùm videt domum suam relinqui. In filiis Israel notissimum est, quod obstacula reperirent, dum Ægypto egredi volunt. Non solùm Pharao insequitur, sed etiam mare, sitis, egestas, serpentes, & mille aliæ difficultates sese opponunt. Sic his qui volunt piè vivere, multiplicem molitur Satan persecutionem, tum per se ipsum, tum per carnem & mundum, subsidiarios suos milites. Ab hac persecutione exemptus non fuit S. Martinus, cui jam viam servitutis Dei ambulanti in fortitudine & fervore animi, multa Satan objicit impedimenta; cumque animos ei infringere non valeret, quodam die occurrit, & dixit: *Quocumque jeris, ego tibi adversabor.* Quid verò respondit Martinus? Invictum exserens animum, dixit fidenter & fortiter: *Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos.* Sic fregit audaciam hostis malignè insidiantis; & diffidentiam vel desperationem eum adducere molientis. Subtiliter Hugo Cardinalis explicans illud: *Stabat Satan à dextris eius, ut adversaretur ei*, sic ait: *Diabolus est à sinistris, illis quos persequitur in temporalibus; à dextris, quos in spiritualibus ante faciem qui versutias ejus cavent; à tergo qui non prævident: Supra quos conculcat; infra & sub pedibus, qui eum conculcant.* Sic S. Martino sub pedibus fuit.

Zach. 3.

Secundò tentare dicitur hominem in medio probationis; quia non solùm inchoantes bonum sed etiam proficientes divexat & perfectos. Illos quidem ad teporem conatur traducere, fastidio que obruere, vel etiam indiscreto fervore ad ea quæ vires superant extimulare. Hos autem multis agitat modis, ut pacem & tranquillitatem conscientiæ perturbet; aut etiam transfigurat se in Angelum lucis, ut in errorem inducat. Variis id exemplis alibi à nobis ostensum est. Contigit verò idipsum S. Martino, cui cum omnes, aliæ insidiæ Sataniceæ haud nocerent, fraude antiqua eum conatus est decipere. Aparuit nimirum ei in figura Christi IESV tanquam Regis purpurati & corona radiante redimiti, ut sic ab eo adoraretur, & pravis irretiretur consiliis. Sed agnovit mox Vir Sanctus fraudem antiqui veteratoris, sub specie lucis tenebras regentis, sub specie boni animas decipientis, & ad malum illectantis. Audi igitur, quid respondent: *Dominus Iesus Christus non purpuratum, aut diademate gemmisq; retinentem, venturum se prædixit: ideoq; Christum non agnosco, nisi & agnoscam stigmata corpori eius pro me inflicta, spineamq; coronam, quà mihi gloriosam voluit comparare.* His auditis, confusus illusor disparuit, & in fumum abiit, sed tali furore & fœtore in orantis cellula relicto, ut facilè agnosci posset quis ille fuisset, quem regia tegebat purpura fraudulenter, quidve prætenderet. Sperabat nimirum sic Martinum decipere, quomodo olim Valentem Monachum, fingens enim Christum, apparuit ei cinctus mille Angelis lampades & totam igneam circumferentibus. Cui unus ex illis: *Christus dilexit tuam vivendi libertatem & confidentiam, ideo venit ad te, ut videat te, egredere, adoraeum.* Egressus est, & pro Christo Dæmonem adoravit, factusque est adeo emoræmentis, ut ingressus Ecclesiam diceret: *Ego non habeo opus communione, Christum ego vidi hodie.* Quare Patres vinxerunt eum, & in compedes injecerunt. Hoc est dæmonium meridianum, quod justos quandoque infestat. Contra illud hanc doctrinam tradebant Seniores in eremo: *Licet Angelus in veritate tibi appareat, non facilè suscipias, sed humiliate, dicens*

2. In medio probatione

Quomodo Diabolus S. Martino apparuerit

Palla. c. 21. hist. Lauf.

Lib. doct. Pat. de hum. c. 45.

Non sum dignus Angelum videre vivens in peccatis. Sic in libro doctrinæ Patrum legimus, cuidam apparuisse Dæmonem instar Angeli, & dixisse: *Ego sum Angelus Gabriel missus ad te.* Ipse verò respondit: *Vide ne ad alium missus sis; ego enim non sum dignus ad quem Angelus mittatur.* Hac humilitate victus Diabolus, mox disparuit. Rursus cuidam alteri apparens cum gloria dicebat: *Ego sum Christus.* Ille verò oculos claudebat: Interrogatus est, *Cur Christo oculos claudis?* Respondit: *Ego Christum nolo videre in hac vita, sed in alia.* Sic illusus fuit illusor, & abscessit in gloria.

3. *In termino vitæ.*

Tertiò hominem maximè aggreditur in termino consummationis, sive in fine vitæ, viresque omnes exerit in isto postremo certamine, in quo agitur de victoria finali, & de æternitate.

Apoc.12. Tunc verum est illud: *Væ, quia descendit Diabolus, magnam iram habens, sciens quia modicum tempus habet.* Cum enim ultima hora sit, in qua de irrevocabili animæ salute vel perditione agitur, totam effundit, iram & violentiam, ut in errorem vel peccatum inducat, *quia modicum tempus habet.* Ideo multi, qui generosè aliàs decertarant, hic succumbunt. Nec unicus solum Dæmon tunc impugnat, seu multi concurrere solent, ut tanto fortior sit pugna, & certior victoria.

Psal.117. Tunc potest anima dicere cum Propheta: *Circumdederunt me sicut apes*; quia multi Dæmones tunc animam premunt, & velut apes aculeatæ, unusquisque per suggestionem peccati aculeum conatur infigere.

Hoc certamen non defuit S. Martino, quamvis inane fuerit, & sine viribus, ob animæ eius innocentiam. Hac fretus innocentiâ, cum jam instante morte hunc humani generis hostem juxta se intueretur, sic eum contemptim est allocutus: *Quid hic adstas cruenta bestia? Nihil in me funestè reperies.* Atque ea in voce, unum & octoginta annos natus, animam Deo reddidit

Psal.126. inter manus Angelorum divinas laudes decantantium. Sic de eo verificatum est illud: *Non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.* O virum intactum & securum, sive in vita, sive in morte! O virum ineffabilem, nec labore victum, nec mortale vincendum, qui nec mori timuit, nec vivere recusavit! Illud enim consideratione dignum est, quod tanta securitate hostem in illa hora aggreditur, in qua plerique trepidant. Illud quoque non minus, quod in mortali vita diutius permanere paratus sit patiendo & laborando is qui certus erat de appropinquante vertici suo corona glorioſ. Cum enim discipuli lectulum moribundi cingentes cum lachrymis dicerent: *Cur nos Pater deseris, aut cui nos desolatos relinquis? Invadent enim gregem tuum lupi rapaces;* ipse manibus, voce, oculis in cœlum intentus, invictum ab oratione spiritum non relaxans, dicebat Domino: *Si adhuc populo tuo sum necessarius: non recuso laborem, fiat voluntas tua.* O inæstimabilem charitatem, ô sanctissimam animam! Acerbam hic vitam ducebat, in siti, frigore, nuditate, curis & angustiis; acerbam tamen vitam istam prolongare paratus est. Quis mercator navem habens multarum mercium copia refertam, cum liceat jam ad portum appellere, & quiescere cum securitate, adhuc in mari navigare, & fluctibus amaris agitari cupit? Quis miles cupit ultra cum sudoribus & periculis confligere, cum jam coronari datur, & in regia aula cum ipso Rege trophæa celebrare? Propterea de hoc Martini zelo infatigabili, & charitate singulari agens S. Bernardus, sic eum alloquitur: *Dum dicis, Non recuso laborem, obtulisti planè Isaac unicum quem diligis: immolasti singulare gaudium tuum pia devotione, paratus iterum redire in periculo, innovare certamina, sustinere tribulationem, prolongare tentationem, differri ab illa felici societate tam desiderata beatorum spirituum, & in hujus mortalitatis ærumnas ab ipso invoicu gloriæ revocari, &, quod maximum à Christo tuo peregrinari se voluisset.* Dicere itaque poterat Martinus cum Psalte: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum*, sive manere in carne, sive dissolvi, & esse cum Christo, quod ipsum didicerat ab Apostolo. Magna certa hic resignatio, charitas, & obedientia magna. Quam ulterius amplificans S. Bernardus, sic de eâ re alloquitur SS. Angelos: *Magna obedientia vestra, o Angeli sancti, sed quod dicere audeam pace vestra, nescio an inveniatur in vobis quisquam paratus in hoc tale aliquando ministerium mitti, in quo non videat faciem Patris Magnum est, ô Petre, quod secutus Dominum omnia reliquisti, sed audivi te in monte transfigurationis dicentem: Domine, bonum est nos hic esse; faciamus hic tria tabernacula. Non est hoc. Si adhuc populo sum necessarius, non recuso laborem.* Hæc S. Bern.

Ber serm. de S. Martino.

Psal.56.

S. Gregor. Turon. l. 2. hist. Fr.

De S. Salvio Abbate legimus, post peractam in magna austeritate vitam, ad aliam emigrasse, relicto in animis Monachorum suorum magno sui desiderio. Mane igitur præparato funeris officio corpus moveri cœpit in feretro, & ecce quasi de somno gravi suscitatus excutitur, apertisque oculis, & manibus in cœlum sublatis, ait: *O Domine misericors, quid feciste mihi, ut in hunc tenebrosum humanæ habitationis locum redire permitteres, cum mihi melior esset in cœlo tua misericordia, quam sæculi vita nequissima.* Stupentibus omnibus surgit de feretro, & triduo postquam sine cibo & potu permansisset, convocat suos, & exponit quid in cœlo viderit, & quam suavitatem perceperit in societate Angelorum, Martyrum & Confessorum; & quomodo gloriæ delicias gustando, agnoverit quam verum sit illud Salomonis: *Omnia vanitas.* Interim addebat se audivisse vocem dicentem: *Revertatur hic in sæculum, quoniam necessarius est Ecclesiæ nostræ.* Et ego, inquit, prostratus cum fletu dicebam: *Hem, hem Domine, cum mihi hæc ostendi-*

ostendisti, si fraudandus eram? Ecce ejicis me à facie tua, ut revertar ad sæculum fragile; deprecor ut permittas me hic habitare, ne illic peream; nec auferas misericordiam tuam à me. Tunc vox, quæ antea loquebatur, dixit: *Vade in pace; ego enim sum custos tuus, donec huc reducam te.* Hæc S. Salvius.

At S. Martinus ulterò se offert ad permanendum in sæculo, non disputat de periculo, *sciens cui credidit, & quomodo potens est depositum suum servare in illum diem justus & misericors Dominus.* Deponit ergo animam suam & salutem in manu Domini perfecta resignatione, certus quod hæc resignatio facta ad eius gloriam, non possit fraudari eius divina bonitate.

Ex dictis igitur satis elucescit, quomodo S. Martinus bonum certamen certarit, cursum consummarit, fidem servarit, & coronam justitiæ meritò adeptus sit, sive pro certamine contra carnem & concupiscentiam, sive pro pugna contra mundum & eius vanitatem, sive pro conflictu contra hostem communem, quem toties superavit ejiciens è humanis corporibus. Atque ejus vita nonnisi continuus fuit cum vigili hoste conflictus, quem in fine pessumdedit, & nunc æternum de eo trophæa referet, nobis exemplum præbens certandi, si cum eo volumus coronari.

Conclusio. IMpertire nobis Domine, hanc gratiam meritis & intercessione S. Martini, ut valeamus decertare feliciter sub vexillo crucis tuæ, contra carnem & sanguinem, contra mundum & errorem, contra peccatum & dæmonem, ut lorica justitiæ, baltheo veritatis & castitatis, galea salutis induti, possimus illum contemnere & calcare; tandemque in agone ultimo ita vincere, ut ad justitiæ coronam, cursu consummato, fide conservata, perseverantiaque infracta valeamus pertingere.

Appendix HISTORIA MEMORATV DIGNA, QVA sanctitatem S. Martini, circa Alpes & Sabaudiæ Ducatum, Deus voluit illustrem fieri.

S. Martinus cum paucis comitibus Roma veniens optabat orare in loco, in quo multa Martyrum millia, Duce Mauritio, sanguinem preciosum fuderant. Ideo Agaunum venit, & oratione completa, à Monachis qui tunc locum possidebant, aliquid de reliquiis horum Martyrum, sibi donari devotè petiit. Hi illum non agnoscentes, renuerunt dare; non fortè charitatis fonte in eis exhausto, sed ne homini incognito tanti thesauri partem dantes, offensam incurrerent. Maximè autem Deo hanc repulsam permittente ut Solem istum, paupertatis amictum cilicio, revelaret, atque ejus radios per regionis istius spacia diffunderet, quantusque foret Martinus, ibidem illucesceret. Ipse igitur patientiam hac in repulsa amplectens, ad divinum more suo se contulit præsidium, & ab incolis locum saltem roseo hoc cruore purpuratum sibi ostendi obtinuit. Vbi flexis corde & genibus, Dominatorem terræ & mortis oravit, ut qui in die novissimo totam hominis reparaturus est substantiam, ita ut nec capillus pereat, aliquid ex sanguine militum suorum pro nominis sui gloria illic effuso & absorpto, de abyssis terræ dignaretur ad suum & Martyrum suorum honore refundere. Deinde una manu cultello, altera virentis graminis coma apprehensa, mox in gyro in modum coronæ cespitem incidit. Mirum dictu. Densus ab ipso cespite copiosi sanguinis imber distillare cœpit. De quo S. Martinus, quantum divina largitas contulit, magna veneratione & gratiarum actione suscipiens, per vascula ad hoc disposita dispertivit, & redicum cum lætitia maturans, cum suis iter arripuit. Sed ut electus Dei Pontifex appareret occulta quadam vi prohibitus progredi non potuit, donec inspiratione secreta voluntatem Dei intelligens, Agaunum reversus est, & quod gestum fuerat, retulit, Monachisque aperuit quis foret ipse, redarguens eos ob illiberalitatem & repulsam. Data ergo eis parte sanguinis cœlitus adepti & relicto ibidem cultello quo cespitem præciderat, eos participes effecit tantæ benedictionis. Eis igitur eremefactis, & culpam fatentibus, omniaque ei sua in partem proponentibus, valedixit, dicens sibi sufficere quod à Deo donatum erat. Sic ad Vrbem Turonensem rediit, ubi maximo Clerici & Civium applausu cum processione susceptus, ipsum quem deferebat sanguinem per vascula divisum locis quibus judicavit congruum, devotè impertiit. Non solum Metropolitanam suam Ecclesiam, sed etiam Andegavensem, tanti pignoris parte nobilitans, in honorem Mauritii, & sociorum consecravit. Huius susceptionis memoria solemniter quotannis agitur 4. Idus Maii. In tantum autem dictorum Thebæorum sanguinem veneratus est S. Martinus ut ampullam illius secum perenniter retineret, & in locum requietionis suæ post mortem reponi præciperet. Hæc ex epistola Decani, & Canonicorum Castri novi in Galliis, ad Archiepiscopum Colonien sem Philippum.

Agaunum locus Sabaudiæ.

Surius 22. Septemb.

IN FESTO PRÆSENTAT. B.M.V.

Adducentur Regi Virgines post eam, in lætitia & exaltatione, &c. Psal. 44.

21. Nov. LECT. 69. tripartita. PARS I. *An M. V. prima virginitatem voverit, & quando.*

IN quæstionem venit apud Theologos, An B. Virgo prima fuerit, quæ virginitatem servarit? Ratio dubitandi, aut id inquirendi est, quia in veteri Lege fœcunditas in honore erat, & felicitas in fœcunditate constituebatur. Hinc generationi liberorum omnes studebant, Deoque chari censebantur, qui prolibus copiosi erant. *Vxor tua sicut vitis abundans filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ. Beatus es, & bene tibi erit.* Præterea dictum fuit. *Non erit apud te sterilis utriusque sexus.* Quibus quidem verbis non est præceptum de coniugio, est tamen felicitatis cuiusdam in liberorum procreatione promissio. Ac propterea passim appetebatur coniugium, & sterilitas deplorabatur. Hæc est enim causa fletus filiæ Iephte, deplorantis virginitatē suā duobus mensi-

Psal. 127. Deut. 17.

Iudic. 11.

bus cum consodalibus suis antequam immolaretur à patre.

Eapropter nonnulli ex SS. Patribus asserere videntur, B. MARIAM primam fuisse quæ virginitatem coluerit. Hoc insinuat S. Bernardus, *Tu Virgo, non dicam præceptum virginitatis, sed nec consilium, nec exemplum habebas, nisi quod unctio docebat te de omnibus, ac sermo Dei vivus prius tibi est Magister, quam filius.* Hom. 3. super Missus. Sic loquitur & S. Antoninus in summo Theolog. tit. 15 cap. 20. *Beata Virgo est Mater omnium in virginitate, quia prima sine præcepto, consilio, vel exemplo, virginitatis munus Deo obtulit. Et per virginitatis votum opprobrium virginitatis abstulit, & eum in se consecravit, & sic omnes virgines per imitationem sui genuit.* Simili modo loquuntur nonnulli ex antiquis Theologis, inter quos Beda Luc. 1. Albertus Magnus super Missus cap. 28. & alii.

B. Virgo prima est quæ perpetuam virginitatem coluit.

Dicamus *primo*, ad elucidationem huius quæstionis, non posse colligi ex sacris Literis, mulierem aliquam in veteri Lege coluisse perpetuam virginitatem; atque ita primam dici MARIAM, quia prima est de qua id constat, estque Princeps cæterarum Virginum, atque exemplar. Non negamus fuisse apud Hebræos mulieres nonnullas, quæ divino cultui se traderent, & spreta mundi vanitate, orationi & Dei præceptis specialiter vacarent, juxta templum habitationem suam habentes. Nam hoc satis indicat illud: *Fecit Beseleel labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi.* Exod. 38. Vbi LXX. legunt, *quæ jejunabant*, Chaldæa, *quæ orabant*, Hebræa, *quæ militabant in ostio tabernaculi.* Offerebant igitur hæ ex devotione ornamenta sua, & vitrea specula, quæ serviebant vitreæ carnis pulchritudini, ut illa quæ antea mundo servierant, Deo jam servirent; in illisque sese intuerentur Sacerdotes juxta lavatorium, an fortè maculis aliquibus aspersi forent. His speculis Deo oblatis, mulieres illæ arma spiritualia assumebant, orationem, jejunium, castimoniam, quibus Dei obsequio militarent, & excubarent contra hostes animæ. Atque inter illas fuisse aliquas Virgines, dicit S. Ambrosius l. 1. de Virginib. colligi; potest ex illo: *Accinctæ mulieres ciliciis pectus, per plateas constuebant, sed & virgines quæ concluſæ erant, procurrebant ad Oniam summum Sacerdotem.* 2. Mac. 3. Erant ergo hæ typus quidam & umbra Religiosarum, quæ militant Deo in Cœnobiis. Attamen hæ Virgines, postquam habitassent aliquo tempore in habitatione constructa circa templum cum piis mulieribus, nuptui tradi solebant, quapropter nec de earum Virginitate perpetua constat.

B. Virgo prima est quæ virginitatem vovit.

Dicamus *secundo*. Licet virginitas olim ab aliquibus fuerit servata, Virgo tamen prima legitur virginitatem voto consecrasse, Elias, Elisæus, Ieremias, Daniel, & nonnulli alii Prophetæ virginitatem coluisse putantur, non tamen per votum perpetuum sese obstrinxisse. Hoc ergo Virgini Deiparæ servabatur, ut admirando modo virginitatis vexillum, tanquam Virgo virginum, tanquam Princeps & Regina cæterarum, tanquam Mater & prima Abbatissa, in sublime extigeret, & ad se suaque castra convocaret. Voluit nimirum Dominus familiam Virginum habere in terris, à quibus coleretur, sicut ab Angelis in cœlis. Matrem autem suam voluit matrem esse, & hanc primam elegit, quæ virginitatem voveret, chorumque duceret Virginei sodalitii.

Probabile est B. Virginem virginitatis votum fuisse conceptione sua.

Dicamus *tertio*, non est improbabile hoc virginitatis votum in sua conceptione MARIAM nuncupasse. Et hæc virorum contemplativorum pia opinio, teste Iacobo Christopolitano Episcopo in Canticum Virginis, ad illa verba, *Fecit mihi magna, qui potens est.* Nec vana videri debet hæc contemplatio, quandoquidem non pauci Theologi doceant B. Virginem à primo instanti conceptionis rationis usu & luce donatam fuisse, amoreque divino voluntatem ejus flagrasse. Ita docet S. Bernardinus, & confirmat Dionysius Carthusianus hac ratione: *Si Ioannes adhuc in utero matris Christum agnovit, & exultavit, usu rationis miraculose præventus, cur nō credatur amantissima Dei, quæ superat universos, ex supernaturali illuminatione ante solitum tempus usu rationis præventa.* Exat & apud illum revelatio S. Brigittæ, ubi in hæc verba ei Virgo loquitur: *Cum anima mea sanctificabatur, & corpori jungebatur, tanta ei advenit lætitia, ut effatu sit impossibile.* Non fuit inferior Angelis MARIA, qui in instanti creationis lucem divinam & intelligendi usum participarunt. Vnde de ea piè dici potest, quod Deus, *in ea simul erat condens naturam, & largiens gratiam*, prout de Angelis dicit S. August. lib. 12. Civit. Dei, c. 9. Igitur tanquam Aquila per nobilis mox in Solem divinum oculos intellectus & voluntatis per contemplationem & amorem extendit, & voto singulari se illi consecravit: ita ut nullum fuerit tempus in quo virginitas apud eam certo propositio & voto stabilita non sit & illustrata: sicut nullum tempus fuit in quo non ut Sponsa Sponso Christo placuerit, imò ut Mater purissima Filio. Mox ergo à conceptione & sanctificatione sua potuit dicere ex ardenti amore: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies & inclinentur umbræ.* Cant. 2. Quasi diceret eo temporis puncto: Deus meus erit mihi Sponsus, & ego Sponsa; & quia pascitur, & delectatur inter virginitatis lilia, illam amplector, in illa me ipsi confirmo usque ad vesperam mortis, quando inclinantur umbræ occidente Sole.

Seb. Barn. l. 6. c. 3.

PARS II.

De Virginibus post partum.

DIcamus ulterius, si Virgo in utero emisit votum, illud confirmasse in die Præsentationis suæ. Imò plerisq; placet, quod tunc primum virginitatis votum nuncuparit. De hac re sic loquitur Chri-

B.M.V. se Deo præsentantibus Christoph. in Cant. Magnif.

Christopolitanus Episcopus: *Dicunt viri quidam contemplativi, quod Virgo illico post sanctificationem fecit votum perpetuæ virginitatis in utero Matris, quod postea per successionem temporis ostendit. Nam statim tertio anno tamquam Virgo se ad Dei famulatum dedicavit, ad serviendum in templo Domini.* In hac igitur Præsentatione votum virginitatis emittens vel renovans & confirmans, Ducem se aliis exhibuit. Vox Turturis tunc primum audita est in terra nostra Vinea florentissima dedit odorem suum virgineum, quam castissimę Turturis vocem, floremque virgineum imitatæ sunt (simile nuncupantes votum, quod prius à sæculo nunquam personuerat) millenæ Virgines, quæ tanquam sacræ Turtures nidum sibi quæsierunt in solitudine religionis, ibi exprimentes vocem castitatis, ibi fi-

Psal. 44. gentes radicem, quæ in florem & fructum exurgeret odoriferum sanctitatis Deo & hominibus gratissimæ.

Propterea igitur hodie illud proponimus: *Adducentur Regi Virgines post eam; afferentur in lætitia & exultatione, adducentur in templum Regi Domino.* Adducentur tanquam victimæ preciosæ & speciosæ, & quidem cum lætitia & exultatione: quia spontaneæ & læta voluntate seipsas desiderabunt Domino immolare, Non venient cum tædio

Psal. 121. aut contradictione, cum gemitu aut dolore, sed ca-

Psal. 107. nent cum jubilatione: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Et rursus à Deo vocatæ, à Spiritu Sancto inspiratæ & illustratæ occinent: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo & psalmum dicam.*

Adducentur post eam Thecla, Agnes, Lucia, Basilissa, Dorothea, Catharina, Barbara, Agatha, &

Psal. 118. innumeræ aliæ sub vexillo eius militaturæ, virgineumque candorem sanguinis sui purpura decoraturæ; Adducentur autem in lætitia & exultatione, cum Cæcilia decantantes: *Fiat Domine cor & corpus meum immaculatum, ut non confundar.* An non hæ omnes tanquam pedissequę sequuntur Agnum castum, & Agni Matrem?

Adducentur post eam Visula & Sodales eius: undecim millia Virginum. Hi sunt flores, qui apparuerunt in terra nostra, dum tempus putationis

Psal 95. advenit. Hic est grex columbarum purissimarum, immolatus Domino, cum exultatione decantans: *Afferte Domino gloriam & honorem, afferte gloriam nomini eius Tollite hostias, & introite in atria eius.*

Adducetur post eam chorus Sanctimonialium decantantium eius laudem, quia imitatæ sunt & vocem, ac secutæ tramitem. Adducetur Virgo Clara cum suis filiabus, Catharina de Senis cum sequacibus, Iohanna cum Virginibus Annunciationis, Theresa cum Carmelitissis excalceatis, Coleta cum Clarissis. Quæ omnes præsentatæ sunt post eam Regi Domino, & dilectissimo castissimoque Sponso, decantantes cum lætitia & exultatione: *O quam pulchra est casta generatio cum claritate!* *Sap. 4.*

Cum S. Dunstanus, Archiepiscopus Cantuariensis, Deiparæ Virginis & virginitatis amator, quadam nocte in silentio oraret, & cor suum effunderet coram Domino in Oratorio dicato Beatissimæ Virginum Reginæ, subito cœlesti luce circumfusus vidit Deiparam ibi apparentem, circumstipatam copioso Virginum choro, simulque audivit has Virgines illud cum lætitia & exultatione decantantes melodis vocibus: *Surius in eius vita.*

Cantemus sociæ, Domino cantemus honorem:
Dulcis amor Christi personet ore pio.
Primus adima ruit magna de luce superbus:
Sic homo cum tumuit, primus adima ruit.

Ex Sedul. hi versus deprompti.

Nempe cantica depromunt in lætitia & exultatione Virgines, quæ Mariæ & virginitatem & humilitatem sunt secutæ, ac sic de sæculo, carne, dæmone triumpharunt. Præcentrix autem est Virgo Maria, quæ eas præcessit, ac præluxit voto & exemplo: Sicut transmisso mari rubro Maria soror Moysis sumpsit tympanum, egressæque sunt mulieres post eam in tympanis & choris, ipsa præcinente: *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equũ & ascensorem projecit in mare;* sic Maria *Exod. 15.* Deipara, postquam auxilio fuit Virginib⁹ ad transeundum mare huius sæculi sicco pede, salvaq; virginitate, cœlesti assumpto tympano Dux fit & Præcentrix ad cantandum Domino, incitans ad id chorum virgineum. Ita enim loquitur S. Ambrosius l. 2. de Virginib. *Tunc Maria tympanum sumens, choros virginales excitabit, cantantes Domino quod per mare sæculi sine sæcularibus fluctibus transierunt.* Planè admirabile est inter fluctus sine fluctibus transire, inter aquas sicco vestigio permeare: hoc tamen Virginis Mariæ exemplo & patrocinio nonnullis conceditur, & ideo cum ea meritò possunt Deũ glorificare. De his ergo dicimus: *Adducẽtur Regi Virgines post eam in lætitia & exultatione.*

Adducentur verò post eam non solum virgines plebeiæ, sed etiam illustrissimæ Heroinæ advenient, immò & filiæ Regum sese præsentabunt, ut fiant eius Domicellæ honorariæ. Ideo illi convenit illud: *Delectaverunt te filiæ Regum in honore tuo.* Attende in Belgio nostro Gertrudem, Raineldem, Aldegondem, Pharaildem Gudulam, Madelbertã, Aldetrudem: nonne ex regali progenie ortum ducunt? Nonne sunt Nymphæ honorariæ adductæ in obsequium Virginis & Filii eius, templo præsentatæ ad perpetuam virginitatem colendam? Attende Iphigeniam Regis Æthyopum filiam; Attende Elisabetham & Margaretham Hungaricas, Cunegundem Imperatricem, Constantiam filiam Constantini, Pulcheriam filiam Arcadii Imper. Omnes hæ fuêre filiæ Regum, quæ adducendæ erant post Mariam, ut in ejus sequela forent

Virgines ex regali progenie secutæ M. V.

Virgines honorariæ, eius vestigia sectantes cum exultatione.

Hoc porrò advertendum hic, quod multæ ad templum Domini Virgines adductæ sint & præsentatæ, & in finem usque sæculi adducentur ac præsentabuntur; sed omnes post eam; quia cæterarum ipsa est Princeps, omnesque longè præcellit puritate & sanctitate. Nulla attinget umquam ad ejus castitatem & puritatem, quæ Angelicam etiam exsuperat. Ipsa est inter castas castissima; inter puras purissima, inter sanctas sanctissima; nulla sub Deo maior sanctitas aut puritas potest intelligi. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, ipsa supergressa est universas.* Speciosæ sunt filiæ & opulentissimæ omnes illæ, de quibus hactenus actum est: sed nec earum opulentia, aut nobilitas, aut species potest comparari cum donis Virginis nostræ, de qua verum est illud: *Una est columba mea, perfecta mea.* Cæteræ etiam columbæ sunt argenteæ & aureæ, ad Solis splendorem volitantes, & pennas suas in sublime expandentes: sed hæc celsius volat, perfectius resplendet; unica est, unicè perfecta, unicè electa, de qua hodie possumus canere: *Elegit eam Deus, & præelegit eam in tabernaculo suo habitare fecit eam;* postmodum in eius sacrato tabernaculo novem mensium spacio habitaturus. Rursus de ea possumus hodierna die dicere: *Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicaverunt, & Reginæ laudaverunt eam.* Laudant enim ipsam non solum Angeli in sua Præsentatione, sed & filiæ Sion, & Reginæ, sive animæ piæ, & ad perfectionem tendentes: Omnes virgines, quæ se divino addicunt obsequio, sive in sæculo demorantes, sive religionis institutum sectantes, currunt pro modulo suo juxta mensuram gratiæ cœlitus sibi datæ, aliæ quidem citius, aliæ paulo tardius: illa tamen omnes præcurrit, & palmam obtinet. Imò omnes quæ currunt, in odorem unguentorum eius currunt, dicentes ei: *Trahe me post te, curremus.* Nisi trahas, & manum, O Virgo virginum, porrigas, nemo currit, nemo ad perfectionem contendit; sed qui cæpit, cursum sistat necesse est. Nisi odorem unguentorum tuorum animis nostris inhalare pergas, deficimus, & in fœcibus ac fœtore peccatorum defixi vestigia non promovemus. At ubi adspirat odor virtutum tuarum, quasi odor aromatum, suaviter allicimur, & trahimur ad sequendum & currendum. Certè sicut dixit Filius tuus, *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum;* sic & dicere potuit: *Nemo venit ad me, nisi Mater mea traxerit eum.* Omnis enim gratia, quæ hominibus communicatur, per tuam intercessionem communicatur. Sic per te trahuntur, quicumque trahuntur, & quæcumque adducuntur, & præsentantur, Virgines in templo Domini, per te adducuntur, & post te adducuntur:

Omnium Virginum Princeps M. V.
Prov. 31.
Cant. 6.
Ibid.
Cant. 1.
Per M. V. omnes reliquæ attrahuntur.

PARS III. *A quibus*

Deceodum postremò, à quibus, & quomodo Virgo Beatissima in templo fuerit præsentata.

SS. Patrum communis est traditio, à parentibus & suis, Ioachimo & Anna, MARIAM in templum adductam fuisse. Cum enim B. Anna eam Domino vovisset, votum suum mox studuit adimplere, idque cum lætitia & solemnitate suscipiente eam Zacharia Sacerdote Ioannis Baptistæ Patre comitantibusque Virginibus, & aliis consanguineis. Quapropter inter antiquos Germanus Archiepiscopus Constantinopolitanus sic introducit S. Annam cum Zacharia Sacerdote loquentem: *Vota mea reddo Domino, quæ distinxerunt labia mea, & ideo Virginum cateruas coëgi cum lampadibus, & convocavi Sacerdotes, congregavi cognatos meos, omnibus dicens: Congratulamini mihi, quod hodie Mater effecta sum, non terreno Regi meam offerens filiam, sed Deo cœli.*

quomodò
do M. V. in templo
præsentata.
Niceph.
Nyssenus
Damasc.
Germ. ser. de Præsen.

Meritò certè S. Anna offert hunc fructum suum Domino, quem singulari gratia ab ipso impetrarat. Nec minor in illa devotio, nec minus forsan meritum, quam dum Abraham filium suum voluit offerre; quia & Anna suorum viscerum facta est immolatrix, & rem longè preciosiorem obtulit. Quia in tantum excellit eius donum Abrahæ munus quantum MARIA Isaac in sanctitate excedit Passim autem Sacri Scriptores Annam MARIÆ Matrem cum Anna matre Samuelis conferunt. Nec exigua est inter utramque convenientia.

Comparatio Annæ matris M. V. cum Anna matre Samuelis.

1. Vtraque nupta erat, sed simul sterilis.
2. Vtraque ob sterilitatem afflicta.
3. Vtraque in templo frequens, ideoque devota.
4. Vtraque Deum pro prole supplex orabat.
5. Vtraque fiduciam habebat impetrandi.
6. Vtraque prolem promittit Deo.
7. Vtraque desiderio potitur, & infeliciter prolem enititur.
8. Vtraque eam confecrat Deo triennem.

Moralitas prolis educandæ.

Vtraque suo exemplo matres instruit, ut à tenera ætate prolium curam gerant, ad Dei timorē & pietatem eas exhortando & informando. Multi eas à primis annis erudiunt ad vanitatem, chorizationē, ornatum, gratiamque sæculi fallacem & ambitiosam; de pietate & moribus conscientiam concernentibus, de rebusq; divinis postrema eis cura est: *Desiderant eas valere in hoc sæculo, non curant quid passuræ sint in futuro*, inquit Chrysostomus. De his dixit Regius Vates: *Quorum filii sicut novellæ plantationes in juventute sua Filiæ eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi.* Externum tantummodo sectantur splēdorem, negligunt interiorem; suntque instar imaginum templi, quæ exterius speciosæ, intus corrosæ araneisque ac sordibus refertæ cernuntur.

psal. 143.

Exemplo quoque S. Annæ monentur Matres ac Parentes, non impedire vota prolium, concernentia vel castitatem, vel religionem, vel Dei servitutem: *Bonum est, si Virginis studia parentum quasi flabra pudorem adspirent*, inquit S. Ambrosius l. 2. de Virginib. S. Anna offert filiam, & quidem talē filiam, divino obsequio. At parentes huius sæculi, si

S. Anna vitam filiæ offert.

quan-

quandoque aliquam ex prolibus volunt offerre Deo & Religioni, hebetiorem dare volunt, vel defectu aliquo laborantem, non absimiles Caino, qui non obtulit de primitiis, & melioribus frugibus terræ, sed de deterioribus. Certè tum olim mandasset sibi offerri primogenita, noluit Asinum, sed de illo dixit: *Asinum mutabis ove*. Non vult insipientes, & stolidos, aut recalcitrantes; sed mansuetos, & ductu faciles, ac candidos. Hos ut Deo offerant Parentes exemplo S. Annæ, monet S. Gregorius Nazian. in præceptis ad Virgines carmine expressis, ubi ait:

Deus asinos sibi offerri non vult. Exod. 13.

Si cor divino Pater immortalis amore
Implevit, Christo ne sit grave sistere Nympham.
Aut puerum, ut quondam gremio quem fuderat Anna.
Quo nullum semen sacratius, Hostia viva,
Primogenis cunctis præstantior.

Imitatæ sunt S. Annam præsentantem filiam suam triennem nonnullæ Matres, quæ etiam ad Martyrium Deo præsentaverunt proles suas tenellas trium annorum. Audi duo exempla de hac re commemoratione digna, ex Sanctorum historiis deprompta.

Exemplum matrum proles Deo offerentiũ.

Ad S. Nazarium illustris quædam accessit mulier, adducens filium nomine Celsum, jam tres annos natum, illumque ei obtulit, & dixit: *Sequetur te hic puer in omni via, donec dignus quoque ipse evaserit qui sistatur ante thronum D. Iesu Christi.* Nazarius lubens puerum suscepit, & mox Deo per Baptismum consecravit, circumduxitq; per Gallias. Vbi à Præside Dinabao de religione interrogatus est tcumq; agnovisset esse Christianos, abstraxit à Nazario puerum, intolerãdisq; plagis affecit, nulla tantulæ ætatis motus misericordia. At puer, jam non puer, sed canus prudentia, lubenter suscepit plagas, hoc solum balbutiente lingua dicens: *Deus, cui servio, ipse te judicabit, O judex!* Sic irritabat puer Præsidem ob fidem Christi, sicut olim chorus puerorum Iudæos, dum laudes Iesu decãtant. Ita apud Surium ex Metaphraste 19. Iunii.

Audi & de S. Iulitâ. Hæc vocata ad Tyrannum, secum duxit filium suum Quirinum, trium annorum, unigenitum suum, quem facilè poterat occultare. Sed cum esset filia Abrahæ, & illius imitaretur fidem & sacrificium, contendebat illum offerre, & sacrificare ei qui dederat eum. Sicut Anna Samuelem, ablactatum obtulit aræ cum Ephod Lineo, aut sicut nostra Anna MARIAM: ita etiam hæc Mater filiũ propriis manibus tradidit in holocaustum, ablactatum jam & triennem; nec filium solum, sed & seipsam, Iudex infantem ab eius ulnis abstrahi mandat, ut blanditiis mulceret. Promittit se eum adoptaturum, osculis & verbis conatur allicere, spondet hæredẽ fore omnis suæ possessionis. At puer corpore imperfectus, perfectus autem spiritu: specie infans, senex intellectu; sermone balbutiens, corde & mente sapiens, nihil exhorret Tyrannum. Exhorret oscula ab impiis labris, avertit se, contemnit promissa, pedibus manibusque resistit, profitetur se Christianum, contendit ad Matrem loris alligatam, nervisque boum fœdè cæsam. Quasi crudivoræ feræ manibus interceptus, aut quasi avis laqueo præpeditus, alas movet quas potest, ut evadat, manibus lacerat vultum Tyranni, pedibus percutit latus; ita ut ille tandem amorem vertens in iram terribilem, cum ex alto tribunali jaciens in lapideos gradus, unà cum sacro capite totum corpusculum contriverit. Sic victrix anima, liberata ut passer de laqueo venantium, per manus Angelorum in sacrificium odoriferum Domino est oblata. Cum vero Mater tamquam turtur castissima pullum suum, id est, filium, ad sacrificium permisisset, cum voce exultationis seipsam quoque obtulit; nam toto lacera corpore, tandem gladio consummatur. Ita apud Surium 16. Iunii.

Cæterum rursus repeto: nunquam tale donum templo oblatum est, quale obtulit Anna, dum MARIAM præsentavit. Considerate, O Sacerdotes templa, quæ sit ista, quæ venit ad vos. Nunquam enim talis hostia oblata est. Nolite eam suscipere quasi gregariam puellam, sed eius considerate eminentiam & dignitatem. An vobis ignota est? Audite titulos eius honorificos.

S. Anna. M. V. offerendo omnes offerentes & hostias superat.

Tituli B. Virginis

1. Ipsa est Templum vivum, nobilius templo in quo suscipitur.
2. Ipsa Sanctuarium Spiritus Sancti, omnibus ejus donis illustris.
3. Ipsa Arca fœderis, quam tantopere tangere veremini.
4. Ipsa Vas aurum mannæ, quo cœlum & terra pascitur.
5. Ipsa Sanctum Sanctorum, non dans aditum nisi supremo Sacerdoti.
6. Ipsa Porta Ezechielis semper clausa, soli patens Principi.
7. Ipsa Hortus conclusus, Fons signatus, deliciæ Paradisi.
8. Ipsa Vellus Gedeonis, Rubus Moysis, Scala Israelis.
9. Ipsa Iris Noe, Lampas Abrahæ, Virga Aaronis.

Advertunt quoq; ex antiquis nonnulli, MARIAM in templo præsentatam mox proprio motu conscendisse quindecim gradus in templo, quibus ad locum mulierum ascendebatur. Id verò puella trimula tanta perfecit gratia sine cujuspiam subsidio, ut hoc miraculo tribuatur, & specialimotioni Spiritus Sancti, auxilioque Angelico, Ascendebat quasi *Virgula fumi*, odorifera coram Deo & SS. Trinitate. Ascendebat quasi *Scalam Iacob* Angelico ministerio, donec susciperetur ab illo, qui est innixus scalæ. Et jam præsignabatur, quomodo erat dispositura ascensionis in corde suo usque ad Dominum Majestatis, qui per eam tamquam scalam erat ad nos descensurus. Hic dicere licebat: *quam pulchri sunt gressus tui in calceamẽtis, O filia*

Cant. 3.

Cant. 7.

o filia Principis ! Quindecim sunt Beatorum gradus. Novem enim sunt chori Angelorum, deinde Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines. Præsignificabatur ascensura MARIA super omnes hos gradus, quia Virgines castitate, Confessores innocentia vitæ, Martyres constantia & virtute, Apostolos sapientia & charitate, Patriarchas ac Prophetas lumine ac fide, Angelos omnes puritate, immò & ipsos Seraphicos spiritus ardore erat supergressura. Rursus ergo repeto: *quam pulchri sunt gressus tui, ô filia Principis!*

MV. quid in templo egerit & postularit

Quod si queras, quid postmodum egerit, in templo MARIA? Certum est divinam & cœlestem ibi vitam egisse, & continuò dispositisse ascensiones in corde suo, ac descensiones in mystica scala. Ascensiones quidem, per actus contemplationis, per actus devotionis, per actus sublimis amoris, quibus continuò profecit. Descensiones verò, per actus profundissimæ adorationis, perfectissimæ humiliationis, abjectionis, abnegationis sui, exinanitionis: quibus gradibus quo magis anima coram se descendit, eo magis coram Deo ascendit. S. Bonaventura dicit Virginem præ cuidam mulieri revelasse; in templo quotidie se septem postulasse dona 1. Gratiam uberrimam, qua cum ex toto corde diligeret. 2. Gratiam amandi proximum, & omnia quæ à Deo amanantur. 3. Gratiam odiendi omnia quæ Deus odit. 4. Vt daret sibi humilitatem, patientiam, & virtutes alias, quibus gratior semper fieret in oculis Dei. 5. Vt favorem ei impertiretur videndi Virginem Deum parituram. 6. Vt daret promptam obedientiam erga Pontificem & Sacerdotes. 7. Vt conservaret templum, ministros, omnemque populum. Quicquid sit ea de re, certum est eam specialiter illuminatam fuisse, donoque orationis & contemplationis excelluisse ac de Angelicis apparitionibus solatium accepisse: Immò per Angelos cibum accepisse, antiqui Patres tradunt. Inter quos Georgius Episcopus Nicomediæ sic fatur. *Tu, O homo, admirabilem in templo vivendi rationem audiens Virginis, noli dubitare, noli examinare ratione ea, quæ non potest capere cogitatio. Vides Dei Verbum ineffabili modo habitasse in eius utero, & contendens fuerit, ne alimentum materiale, aut materiæ expers, quo vesceretur? Vides paterno consilio Spiritus adumbrationem, & de ministerio Angelorum dubitas? Ex magnalibus Virginis, nihil est, quod non sit conveniens. Oportebat divinum tabernaculum augeri talib⁹ ascensionibus, talib⁹ cibis Agnam immaculatã vesci.*

Bonav. opusc. de vita Christi c. 3.

Germanus Constant. Bonav. And. Cretensis. Georg. Hom. ob. Virg.

IN FESTO S. CAECILIAE.

Fiat, Domine, cor meum immaculatum, ut non confundar. Psal. 118.

Lec. 70. bipartita.

PARS I. *Quàm*

NOtum est experientiâ illud: *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Hic fit ut sit divisa, sive distracta per varias sollicitudines & curas, ita ut uni Domino vacare non possit. Nemo certè ignorat quantæ distractiones sequantur coniugium, dum variis est intendendum. Ibi enim quodammodo animus est patiendus in virum, in proles, in famulos & ancillas, in totam denique familiam, eiusque administrationem. Hinc multæ cogitationes, & sollicitudines, de negotiis, de lucro, de opibus, de conservatione vel augmento bonorum temporalium, de emendis fundis, de domibus struendis, de providendo filiis aut filiabus. Quæ certè omnia terræ animi immergunt, cœloque avocant, vel dispergunt. Sequuntur & aliæ *Tribulationis carnis*, in conceptu prolis, in gestatione uteri, in partu, in infantium educatione & anxia cura, ita ut vix matres die nocteque, circa aliud possint occupari, quàm circa proles, idq; sæpissimè cum magna animi & corporis inquietudine, & cum impedimento orationis & salutis. Propterea dixit Apostolus: *Si nupserit virgo, non peccavit, tribulationes tamen carnis habebunt huiusmodi!* Quid ita? *Quia aperiunt sibi coniugii copulam dolorum officinam*, inquit S. Basilius l. de S. Virginit. In eandem sententiam dixit S. Gregor. *Bonum est coniugium, sed mala sunt quæ circa illud ex huius mundi cura succrescunt. Sicut sæpe iter rectum est & mundum, quod pergimus & tamen ortis iuxta viam vepribus per vestimenta retinemur, & à latere nascitur, quo pungamur.* Itaque hoc ferè contingit: *Quæ nupta est, cogitat quæ sunt mundi.*

sollicitudo.

Greg. l. 21. moral.

Coniugium animæ hominis distrahit.

E contra status cœlebs dat occasionem ut animus sese colligat in Deum & divina: dat otium & gustum ad cœlestia, iter præparat ad æterna, ministrat facultatem serviendi *Patri spirituum*, eiusque gratiam oratione, & aliis piis operibus promerendi, puritatemque ac pacem conciliandi simul cum corporis munditie & quietudine: *Virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu*, h. e. in hoc incumbit, ut pura sit & immaculata, tam mente, quam carne in Domino: *Virgo corpore sancta est propter castitatem: spiritu autem sancta est, propter familiaritatem cum Deo, & Spiritus S. inhabitationem*, inquit Oecumenus, hunc interpretans locum.

Celebs animus se colligat in Deum & divina.

Deum ministrat facultatem serviendi.

Virgo cogitat quæ Domini sunt.

Hæc considerantes nonnulli ex Sanctis, vel matrimonium penitus detrectarunt, vel illo initio, ex mutuo consensu, castitatem illibatam conservarunt.

Side Ammone juvene sanctissimo, qui tempore S. Antonii vixit, antiquę tradunt historiæ, quod amore castitatis à nuptiis planè foret alienus: attamen propinquorum importunis precib. tandem morem gerens, uxorem duxit. Sed prima nuptiarum nocte in conclave secretum cum sponsa ingressus, producens librum Epistolarum S. Pauli cœpit prælegere suæ uxori Caput septimum ad Corinthios, & illi exponere quæ ibi de nuptiarum

Divus Sanctus matrimonio castitatem elegerunt.

rum incommodis tradit Apostolus; onera conceptus, partus, educationis, diserto recensendo sermone, cum impedimentis salutis. Deinde de Virginitatis cõmodis, quamq; sit pura & læta cælebs vita, prosecutus est. Quo quidem sermone sic commota est sponsa, ut ultrò castitatem amplecteretur: & ita in solitudinem se conferentes, illibatè vixerunt per multos annos, nihil aliud cogitantes, quàm ut *Sancti essent corpore & spiritu.*

S. Alexius. Sic & S. Alexius Romanorum nobilissimus, divino instinctu sponsam intactam relinquens, sanctæ amicitiæ multis ei pignoribus datis, abiit quò divina ducebat voluntas, non aliud cogitans, quam ut *Sanctus esset corpore & spiritu.*

S. Elzear. Sic Elzearius & Delphina Dei consilio conjuncti fuêre, & casti ad conjugium accedentes, Virginitatis florem IESU florido & Nazareno consecrarunt, in hoc unicum totâ vitâ incumbentes, ut Deo placerent, & casti ac *sancti forent corpore & spiritu.*

S. Cæcilia Deniq́ue, ut propiùs ad propositum accedamus, hac in re excelluit S. Cæcilia, qua præter voluntatem à Parentibus desponsata pernobili Sponso Valeriano, cùm virginitatis ardentissimo zelo flagraret, non aliud cordi habebat, quàm ut permaneret *sancta corpore & spiritu.* Ut hoc obtineret, quid non egit? Attende singillatim.

Pro Sanctitate corporis & spiritus multa ferit.

1. Primo, appropinquante nuptiali festivitate, triduanis sese confecit jejuniis, carnem macerans, ut immaculata caro foret, sicut & spiritus.

2. Secundò, sub veste serica & byssina, quæ ejus conditionem decebat, cilicio aspera membra domabat, ut hâc austeritate sibi conciliaret castimoniam & puritatem.

3. Tertiò ad hunc effectum *Virgo hæc gloriosa semper Evangelium Christi gerebat in pectore.* Sciebat in hoc Evangelio consilium castitatis à IESU Christo commendatum specialissimâ; & promissa præmia his qui se castrant ob regnum cœlorum. *Cogitabat ergo quæ Domini sunt*, & ad illa præmia adspirabat.

4. Quartò, cantantibus organis & instrumentis musicis, quæ ad lætitiam serviunt nuptialem & profanam, ipsa non aliud decantabat in corde suo: *Fiat Domine cor & corpus meum immaculatum, ut non confundar.*

5. Denique, nec noctibus, nec diebus à divino cessabat alloquiis & oratione: idem scilic. frequentissimè & enixissime obsecrans à Domino, ut corde & corpore sancta & immaculata posset permanere. Sciebat enim illud Sapientis: *Et, ut scivi, quoniam aliter non posse continens, nisi Deus det, & hoc erat sapientia scire cujus esset hoc donum: adii Dominum, & deprecatus sum illũ ex totis præcordiis meis.* *Sap. 8.*

6. Quinimò & comprecatores ac intercessores de cœlis ac cersebat, Angelos, Apostolos, Martyres, Virgines, & horum omnium Reginam MARIAM, ut voto potiretur suo, semper repetens & cordi illud habens: *Fiat cor & corpus meum immaculatum, ut non confundar.*

Vitis floriger.

Sic se omnibus Virginibus, omnibus puritatis amatoribus, omnibus Christianis, pœnitentiæ & mortificationis jejunii & austeritatis, orationis devotæ, assiduæq́ue meditationis exemplar præbebat, quod meritò imitari debent, quando Deo placere contendunt, & ab eo quippiam impetrare: Cogitent ferventer & frequenter quæ Domini sunt, & Dominus de illis vicissim cogitabit. Sic promittebat Dominus B. Catharinæ Senensi: *Filia esto sollicita mei, & tui sollicitus ac memor ero.* Quapropter B. Bonaventura explicans illud quod Ecclesia de B. Cæcilia canit: *Semper Evangelium Christi gerebat in pectore sui*, sic canit: *Inter alia virtutum & laudum præconia de Sanctissima Virgine Cæcilia hoc cantur. Quod sic intelligere debemus, quod ipsa de vita Domini IESV Christi in sacro Evangelio tradita quadam sibi devotiora prælegerat, in quibus meditabatur die ac nocte corde puro & integro, ac intentione præcipuâ & ferventi. Et completâ circulatione, incipiens iterum, dulcique ac suavi gustu eadem quodam certo ordine ruminans, ea quæ in arcano pectoris sui prudenti consilio collocarat, sedula revolvebat.* Hæc ille. Exemplum nempe dabat hâc ratione sanctæ meditationis sanctis Virginibus, sive in sæculo agant, sive in Monasterio: exemplum quoque præbebat sanctarum aspirationum; quas orationes jaculatorias vocant, dum crebrò hanc ex imo cordis in cœlum, imò in cor IESU, jaculatur vocem: *Fiat cor & corpus meum immaculatum, ut non confundar.* *Frequenter cogitanda quæ Domini sunt.*

Neque verò Deus patitur suos frustrari votis quæ ad ejus gloriam ordinantur: sed statim adest, quasi ad vocem oviculæ Pastor, ad clamorem pulli Gallina, ad gemitum prolis Mater, ut sublevet, consoletur, protegat, & omne congruum impendat subsidium. Sic non est passus afflictam Cæciliam, metu perdendæ virginitatis, diu cum turbidis cogitationibus conflictari, sed suggessit ei salubre consilium, quo & posset matrimonium inire, & virginitatem conservare: sicq́ue factum est, ut permaneret cor & corpus ejus immaculatum sine ulla confusione. Infudit enim per Angelum cordi ejus magnam fiduciam, per quam nocte nuptiali in cubiculo separato nacta quietem & silentium. Sic Sponsum allocatâ est: *O dilectissime Valeriane, secretum grande & arcanum mihi est, quod tibi lubens aperuero, si jurejurando istud te celaturum affirmes.* Iuravit ipse. Tuncilla: *Volo te scire, me Angelum Dei habere amatorem, qui summo zelo custodit corpus meum: quod si attingere conatus fueris iram protinus in te accendet suam, & perdet te. Sin autem agnoverit, quod simplici & immaculato amore mei tuearis, virginitatem meam custodiens, te sicut me diliget, & gratiam suam ostendet.* *Cordi S. Cæciliæ per Angelum infusa fiducia.*

Nempe Angelus specialiter à Deo Cæciliæ assignatus eam ad virginitatis & castitatis zelum instigarat, & in omnibus dirigebat, *amulans Dei amulatione Virginem hanc sponsam castam exhibere Christo.* Virginum scil. Tutores sunt & Instructores *Angelus specialiter illi assignatus.*

Angeli. Tutantur eas tamquam templum & domicilium spirituale Spiritus S. instruunt & instigant eas, ut imitentur Angelicam vitam & incorruptionem, ut & postea specialem coronam adipiscantur. Quo circa D. Athanasius: *O Virginitas, opulentia indeficiens, corona immarcessibilis, templũ Dei, domicilĩ Spiritus S. margarita pretiosa, morti & inferni profligatrix, Angelorũ vita, corona Sanctorum, &c.* Propterea etiam Angelus apparens Anatoliæ Virgini, jam desponsatæ Tito Aurelio, dicebat: *O Virginitas, non in operibus tenebrarum, sed semper in lumine versaris! Virginitas purpura regalis est, quam qui induit, reliquis sit eminentior. Virginitas gẽma est pretiosa. Virginitas thesaurus est regia immensus. Huic fures insidias tendunt. Hanc tu evigilans sollicite custodi, quantumque te plus habere cognoscis, instantiùs custodi, ne perdas.* Quibus verbis mire ipsa in Christo confirmata, sponso nuntium remisit, & sororem suam, similiter desponsatam Eugenio, ad castitatem perpetuo servandam induxit, pro qua sanguinem fuderunt, illas accusantibus suis sponsis in vindictam. Ita Ado Episc. Treviris in Martyrol. 23. Decemb.

Lib. de Virginit.

PARS II. *Quanto zelo sponsum suum ad immaculatum cor & corpus induxerit.*

SIc non sine effectu fuit S. Cæciliæ sermo, & cum Valeriano colloquium. Ille enim salubri quodam illicò correptus timore, dicit se optare videre illum Angelum, & ita se crediturum his quæ proponebat Cæcilia. Respondet ipsa, cæcis & immundis oculis non posse conspici tantum fulgorem, sed opus esse sacro prius lavacro, quo animæ oculi illuminentur, & sordes omnes tegantur. Incensus igitur desiderio videndi hunc Angelum, hortatu Cæciliæ adit Vrbanum Pontificem in cryptis Martyrum latitantem, instruiturque ab eo de fide, immò & instruitur cœlitus libello ad eum misso, in quo aureis scriptum erat litteris: *VNVS DEVS, VNA FIDES, VNVM BAPTISMA.* Denique sacræ regenerationis lavacro summa cum pietate tingitur, postea propria tingendus sanguine.

O quanto exilivit gaudio cor sancti Senis, dum videt Valerianum antea infidelem & ferocem, Christianique nomis osorem, tamquam agnellum mitissimum venire ad fontem, ut immergatur, & inde emergat cum candore & puritate, eum lætitiâ & exultatione, quasi vellere candidissimo Agni sine macula coopertus, de positâ veste Pardi & varietatibus ejus, depositis exuviis conspersis veteris peccati vanis maculis. Ideo manibus in cœlum extensis, humique genibus flexis, abundè fluentibus lacrymis, dicebat: *Domine IESV Christe. Pastor bone, Seminator casti consilii, suscipe seminum fructus, quos in Cæcilia seminasti. Ecce Cæcilia famula tua, quasi apis tibi argumentosa deservit. Nam sponsum, quem quasi leonem accepit ferocem, ad te quasi agnum mansuetissimum destinavit. Aperi ergo ostium cordis ejus verbis tuis, ut te agnoscens Dominũ suum, renuncier Diabolo, & omnibus operibus, pompis ac dolis ejus.*

Attende hic, quod Cæcilia meritò *Apis argumentosa* dicitur, sive sedula & industria. Nempè Virgines caste Deo pieque servientes, & aliorum saluti operam suam & exemplum impendentes, rectè apibus comparantur. Quapropter Sapiens postquam ad formicam pigrum remisisset, etiam ad apes eum remittit, ut considerando earum vias & opera, discat sapientiam. Sic enim habent ibi septuaginta Interpretes, secundùm lectionem S. Hieronymi in c. 3. Ezechielis: *Vade ad apem, & disce quomodo operatrix sit, & opus suum castum faciat, cujus laboribus Reges & imperiti pro salute utuntur. Et quamvis viribus imbecilla sit, apud omnes tamen inclyta est, & apprimè grata, utpote ad sapientiam commendandam in lucem edita.* Nempe apis & sibi & aliis laborat, ejusque operatio casta est, & innocens, ac religiosa, venerandaque: quia apes castæ sunt & virgines, nesciuntque concubitum, & tamen maximum examen filiorum producunt: ex rore quoque cœlesti conficiunt mel & ceram, quibus cereos Deo accendimus. Audi S. Ambrosium lib. 1. de Virgin. *Digna est Virginitas quæ apibus comparetur, sic laboriosa, sic pudica, sic continens. Rore pascitur apis, mella componit, & cùm sit robore infirma, valida est vigore sapientiæ.* An non tibi apis gloriosa & argumentosa videtur Cæcilia: Nónne illa instar apis, castitatem corporis mire adamavit, & commendavit? Nónne plena fuit melle amoris & pietatis erga Dominum? Nonne mel suave divini eloquii, & favem cibumque cœlestem Valeriano, Tiburtio, aliisque propinavit? Nónne aculeo verborum minacium punxit & terruit Sponsum suum, ut eum ad meliora impelleret? Nónne ex spinis gentilitatis & infidelitatis flores eduxit perfectæ fidei & amoris divini, dum tot animas convertit? Certè vivebat ipsa rore cœlesti instar apis, ceramque conficiebat, ex qua cereos novos divino dedicaret Altari. Tot novi Christiani, tot sunt cerei illuminati & accensi, illuminati fidei, accensi perfectâ charitate in gloriam Dei. Imò tot novi Christiani, per ejus eloquium suave ad Christum adducti, examen conficiunt novellum, examen pium, Deo ex integro oblatum, cœloque mox recondendum. O verè Apis argumentosa Cæcilia, infirma quidem robore corporis, sed valida vigore sapientiæ & amore virtutis; cujus operatio fuit admiranda, & omnibus sæculis illustris erit & gloriosa! Ad hanc ergo Apem vade, & considera, ac imitare vias ejus quisquis amas virtutem & sapientiam, & adimpleas monitum Sapientis.

Prov. 6.

Sed ad Valerianum revertamur. Ille factis Fidei fundamentis per institutionem S. Vrbani, sacroque lavacro lustratus, veste candida indu-

indutus secundùm antiquum Ecclesiæ morem, purgatisque oculis interioribus cordis, redit ad sponsam suam, & eam invenit in cubiculo orantem, & Angelum Domini prope eam stantem, fulgentem pennis flammeis, & scintillante specie, duas coronas manibus gestantem, rosis & liliis splendentes. Quarum unam quidem dedit Cæciliæ, alteram verò Valeriano, dicens: *Has coronas corde immaculato & puro corpore custodite, eas enim ex Paradiso Dei ad vos attuli. Hoc autem erit vobis signum. Nunquam marcescent, neque unquam perdent suavitatem odoris, neque unquam poterunt ab aliis adspici, nisi ab illis quibus sic placebit castitas, quomodo probatum est eam vobis placere.* Quia lilium candore suo Castitatis est symbolum, rosa verò purpureo suo colore indicat Martyrium; ideo ad utrumque Angelus, invitans hos conjuges, coronam ex liliis rosisque contextam eis exhibet, pignus coronæ æternæ & immarcessibilis, quam per castitatem & martyrii certamen erant propediem adepturi.

Corona ex rosis & liliis S. Caciliæ & ejus conjugi per angelum data.

Sic & olim B. Agatha, ut confortaret ad martyrium virginem quandam adolescentulam; merito & nomine *Dignam*, per somnum apparuit ei, rosas & lilia manu gestans, dixitque: *Ego sum Agatha, olim propter Christum diris attrita, supplicüs, & nunc veni partem tibi purpurei muneris hujus conferre: accipe libens donarium, & viriliter age, nam reliquias rosarum & liliorum, quas in manu servo, post te ex hoc loco datura sum migraturis.* Tali virgo visione & munere illustrata, è dexteta colloquentis Rosam suscepit, & exinde miro martyrii amore flagrabat. Vnde cùm tunc Sacraceni sævirent in Ecclesiam Dordubensem, ad martyrium ultroneè sese præsentavit. Erat autem ipsa de Clausiro Cordubensi summâ humilitate atque obedientiâ inter convirginales ultimam se judicans' unde nunquam se appellari *Dignam* patiebatur, sed dicebat cum lachrymis: *Nolite me dignam vocare, sed magis indignam, quia cujus meriti sum, etiam nomine debeo insigniri.* Digna interim fuit, quæ pro Christo sanguinem funderet, & tanquam Rosa cœlestis sui cruoris profusione purpurata, in Paradisum transferretur manu divinâ & angelicâ.

S. Digna à S Agatha ostensis rosis & liliis ad martyrum armata.

Eulogius l. 3 c. 7. ex illo Baron. tom. 10. an. 853.

Notum est & de SS. Iuliano & Basilissa, qui cum die prima nuptiarum, instar Valeriani & Cæciliæ mutuo consensu vovissent perpetuam castitatem, Angelico ministerio rosarum & liliorum cœlestium in suo conclavi fuerunt odore mirabiliter profusi hyemali tempore. Vnde etiam ad martyrium vocati sunt, postquam multos ad Christum convertissent. De his alibi à nobis fusius dictum est.

SS. Iulia. & Basilissa eadem acceperunt gratiam.

Quid ergo aliud censebatur dicere Angelus cum coronis suis liliatis & roseis, præparatis Valeriano & Cæciliæ, quam illud: *Obaudite me divini fructus, & quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate. Florete flores quasi lilium, & date odorem, & collaudate canticum.* Vtique collaudarunt canticum usque ad mortem, canticum fidei, & canticum Agni. Et ad canticum fidei decantandum, supra quadringentos ad duxit Cæcilia præcentrix & hortatrix, quos & adduxit ad martyrium, tanquam rosas candidas & rubicundas, eas offerens dilecto suo candido & rubicundo, tanquam cereos & filios lucis offerens Patri luminum: unde quæ antea cantantibus organis ad choreas ducendas, in nuptiali nocte cecinerat in corde suo: *Fiat Domine cor & corpus meum immaculatum.* In altera nocte, dum aurora finem daret, præcinebat & inclamabat novellis Christianis: *Ejamilites Christi, abjicite opera tenebrarum, & induimini arma lucis.* Præmisit ergo ipsa, tum Valerianum sponsum, tum Triburtium ejus fratrem, tum Maximum Imperatoris cubicularium, & quadringentos alios; præmisit, inquam, omnes hos ad martyrium & immolationem pro Christo; novissimè autem & ipsa post illos, tanquam principalis hostia immolata est, & consummata glorioso. Cujus certamen illustre cum Almachio Præfecto notissimum est, & decantatissimum ex sacris Historiis. Vnde illud hic prætereo.

Ecel. 39.

Rom. 13.

Discamus interim hic, frequenter à Domino postulare, ut cor nostrum sit immaculatum; quia ipse solus potest illud vel maculosum purgare, vel à macula protegere. Quantumlibet Moyses aspergillum accipiat cum hyssopo & filo coccineo, immergens illud in sanguinem victimæ: quantumlibet aspergat altare, tabernaculum, librum, populum; nullam tamen in his omnibus sanctificationem aùt purgationem efficere potest, nisi in virtute IESV Christi, & Sanguinis ejus, qui se in victimam, & Sanguinis sui conspersionem, & animarum ordinavit sanctificationem & purgationem. Hic est ergo, qui potest cor immaculatum reddere, illudque ab omni labe protegere, ita ut nullam inveniat confusionem, quisquis ab eo toto corde exquisiverit puritatem. Propterea ad eum inclamamus: *Fiat, Domine, cor meum immaculatum, ut non confundar.* Etrursus post peccati labem ad eum ingemiscimus: *Amplius lava me ab iniquitate mea. Asperges me hyssopo, & mundabor lavabis me, & super nivem dealbabor. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis.*

Postulandum à Domino, ut cor immaculatum conservet.

Exod. 24.

Psal. 50.

Ita, Domine IESU Christe, cordis nostri Creator, Auctor & Amator, illud everte scopis perfectæ contritionis & compunctionis, ut ab omnibus sit purum sordibus; quandoquidem illud in habitaculum tuum elegeris, nihil in eo sit, quod oculos offendat tuæ Majestatis. Imò Sanctuarium & templum tuum est & altare, & sacrum Taber-

naculum; ideo aſperge illud aqua gratiæ tuæ divinæ, purifica cruoris tui immaculati conſperſione, ſanctifica oleiſancti unctione, & thymiamatis odoriferi concremationè & oblatione, ut nihil confuſionis ultra in eo remanere valeat, nihil niſi acceptiſſimum Tibi in odorem ſuavitatis in eo reperiatur.

Lect. 72. tripart.

DE EODEM FESTO.

Cantantibus organis, Cæcilia decantabat in corde ſuo, &c.

De organis ingratiam muſicorum.

SOlent Muſici S. Cæciliam ut Patronam ſibi ſpecialem eligere, ejuſque diem feſtivo concentu celebrare, eo quod de illa Officium Eccleſiaſticum habeat: *Cantantibus organis, Cæcilia in corde ſuo decantabat* &c. Hinc etiam depingi ſolet S. Cæcilia organis ludens. An tamen muſices ipſa perita fuerit, & organa, ſive inſtrumenta muſica, propriis pulſarit digitis, non eſt exploratum. Hoc enim tantum ſignificat, quod ex Eccleſiaſtico Officio adducitur, prophanam lætitiam (ad quam excitabat muſicus organorum concentu in nuptiis ſuis cum Valeriano) à ſe rejeciſſe, deprecando in corde ſuo Dominum, ut auxilio ſibi foret ad conſervandam virginitatem intemeratam cordis & corporis. Recte tamen ei organa attribuuntur, & ea pulſans depingitur, quia ſic orans corde confidenti & in cœlum erecto, adimplebat illud: *Laudate eum in chordis & organo, laudate eum in cymbalis bene ſonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis.* Extentæ erant cordis ejus chordæ, & bene ſonabant, & reſultabat ſonus in cor Chriſti, jubilabatque ſpiritus ejus per confidentiam & charitatem Dei. Et hic eſt ſcopus & finis omnis cantus, omniſque muſices, quæ in Eccleſia adhibetur, ſive fiat per voces, ſive per inſtrumenta & organa. Hinc illud monitum Apoſtoli: *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria; ſed implemini Spiritu ſancto, loquentes vobismetipſis in Pſalmis, & Hymnis, & Canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino, gratias agentes ſemper pro omnibus in nomine D. N. I. Chriſti Deo & Patri.*

Pſal. 150.

Epheſ. 5.

Organum varie ſumitur.

Neque carent myſtica ſignificatione inſtrumenta varia ad concentum exhibita. Ac inprimis, ſi loquamur de Organis occaſione Sanct. Cæciliæ, ſciendum quod organum eſt quandoque nomen generale, ita ut ſignificet omnia vaſa & inſtrumenta muſica. Quandoque ſpecialiter accipitur pro inſtrumento muſico, quod multas habet fiſtulas ſibi invicem ordinatas & flatu follium ſonat. Quid vero myſtice ſignificat, niſi Eccleſiam, quæ multas complectitur perſonas diverſis gradibus virtutum ſibi invicem ordinatas, quæ follibus inflatæ ſonum emittunt? Quid enim per folles ventum & ſpiritum immittentes inſiſtulas, niſi Sacramenta Eccleſiæ, quibus gratia effunditur in Eccleſiæ membra; accipimus? Advertе quoque, quod fiſtula quanto eſt exiguior, tanto acutiorem ſonum reddit: quia quodlibet Eccleſiæ membrum, quanto humilius eſt, tanto acutiorem & gratiorem ſonum in Dei aures mittit. Quid eſt ergo laudare Deum in organo, niſi Deum laudare per diverſos Eccleſiæ gradus? Alium modum laudis habere debet Prælatus, alium ſubditus, alium clericus, alium ſæcularis, alium conjugatis, alium caſtus. Et ſic de ſingulis. Ita Incognitus explicans Pſalmum ultimum.

Organi ad aptatio.

Item Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 136. per organa intelligit prædicationem verbi divini, & myſteriorum ſacræ Scripturæ. Explicans enim illud: *In ſalicibus, in medio ejus, ſuſpendimus organa noſtra, ſic ait*: Habent organa ſua cives Ieruſalem, ſ*cilicet*, Scripturam ſacram, promiſſa Dei, præcepta Dei, meditationem quandam futuri ſeculi. Sed cum agunt in medio Babyloniæ, organa ſua in ſalicibus ejus ſuſpendunt. Salices ligna ſunt infructuoſa, & hoc loco ita poſita, ut non poſſit aliquid boni intelligi de ſalicibus, alibi forſitan poteſt. Intellige ergo hic ligna ſterilia naſci ſuper flumina Babylonis, nullum fructum ferentia. Sic ſunt homines avari, cupidi, ſteriles in omni opere bono, qui ita ſunt cives Babyloniæ, ut etiam ligna ſint illius regionis, quia ex iſtis voluptatibus rerum tranſeuntium paſcuntur, tanquam rigata fluminibus Babyloniæ. Quæris fructum, & nuſquam invenies. Quando tales videmus, & tam eos ſteriles invenimus, ut difficile appareat in eis aliquid, unde poſſint duci ad fidem rectam, vel ad bona opera, vel ad ſpem futuri ſæculi, vel ad concupiſcentiam liberationis à captivitate mortalitatis, avertimus faciem: & licet ſcripturas novimus; eis tamen non dicimus eas, quia nullum fructum invenimus in eis, unde incipiamus. Tunc ergo dicimus: Adhuc iſti non ſapiunt, quia quidquid dixerimus, ſiniſtrum & adverſum habebunt. Ergo differendo circa eos ſcripturas, ſuſpendimus organa noſtra in ſalicibus. Non enim dignos habemus, qui organa noſtra pondent. Non ergo eis organa noſtra inferendo alligamus: ſed differendo ſuſpendimus Hæc S. Auguſtinus.

Verbi divini.

Salices.

Secutus eſt S. Auguſtinum S. Gregorius lib. 33. Moral. cap. 6. ubi eundem verſum Pſalmiſtæ explicat in hoc eodem myſtico & morali ſenſu. Audi ejus verba: Infructuoſæ quidem ſunt arbores ſalicum; ſed tamen tantæ viriditatis ſunt, ut areſcere, vel abſciſſæ radicitus & projectæ, vix poſſint. Unde in ſacro eloquio ſalicum nomine aliquando pro viriditate boni, aliquando pro ſterilitate reprobi deſignantur: niſi enim electorum vitam pro conſtantia ſuæ viriditatis exprimerent, nequaquam de Eccleſiæ filiis Propheta dixiſſet: *Germinabunt inter herbas ſicut ſalices juxta aquas.* Sanctæ enim Eccleſiæ Filii inter herbas ſicut ſalices germinant, dum inter areſcentem

Salices.

Iſaiæ 44.

centem vitam carnalium hominum, multiplici numerositate, & perpetua mentis viriditate perdurant. Qui bene juxta aquas germinare perhibentur, quia unusquisque eorum ubertatem fructuum percipit ex doctrina sacri eloquii, quæ temporaliter percurrit. Et rursum, nisi per sterilitatem salicum vita peccantium signaretur, nequaquam ex voce prædicantium contra Babyloniam diceretur: *In salicibus, in medio ejus, suspendimus organa nostra.* Babylonis in medio salices esse dicuntur, quia infructuosi quique atque ab amore cœlestis patriæ alieni, totis visceribus cordis in hac sæculari confusione radicantur. Unde & Prædicatores sancti in istis salicibus non exercent organa, sed suspendunt; quia cum infructuosas mentes ac reprobas aspiciunt, vim prædicationis suæ non exhibent, sed potius lugentes silent. Hæc S. Gregorius conformiter S. Augustino.

Lib. 33. Moral. c. 6.

Porro sicut Organum, sic & Cithara recte posset attribui S. Cæciliæ, quia vox Virginum dicitur similis. *Voci Citharœdorum citharizantium in citharis suis.* Dicitur autem similis sono citharæ. Primo, quia suavissima est in choro cœlesti vox Virginum cantantium canticum novum: & instar citharæ dulcisonæ cantu suo demulcent Deum, Angelos & Sanctos. Secundo, quia sonus citharæ significat virtutum omnium in virginibus consonantiam, inquit S. Hieronymus in cap. 16. Isai. v. 11. Virginitas enim circumcincta est aliis omnibus virtutibus, humilitate, charitate, prudentia, fortitudine, & aliis; & quasi in medio chori est in medio cæterarum virtutum. Tertio, *Citharæ significant pectora Fidelium, inquibus per fidem musica cœlestis inhabitat*, inquit Rupertus. Fides ergo comparatur citharæ, & quia sola fides non sufficit ad salutem, hinc extendi debent in ea chordæ mandatorum Dei, eæque tractari & pulsari manibus, id est, operando & exequendo perfici & impleri, ut integra fiat harmonia. Denique, chordarum in cithara distensio & sonus significat distensionem & mortificationem carnis, quæ mater & nutrix est virginitatis, ideoque suavissime sonat in auribus Dei. Audi Sanct. Gregorium lib. 2. Moral. cap. 31. explicantem illud. *Versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium.* Quærit Sanct. Gregorius ibi, quæ sit distinctio in mystica significatione Organi & Citharæ? Respondet autem his verbis: *Quia organum per fistulas, & cithara per chordas sonat, potest per citharam recta operatio, per organum vero sancta prædicatio designari. Per fistulas quippe ora prædicantium, per chordas vero citharæ intentionem rectæ vivendi non incongruenter accipimus. Quæ dum ad vitam aliam per afflictionem carnis tenditur, quasi extenuata chorda in cithara per intimum admirationem sonat. Siccatur enim chorda, ut congruum in cithara sonum reddat, quia & sancti Viri castigant & jejuniis exsiccant corpus suum, & servituti subiiciunt, atq; ab infimis ad superiora tendunt.* Ita S. Gregor. loc. cit.

Apoc. 14. Vox Virginum similis sono citharæ.

1. 2. 3. 4.

Iob. 30.

Quæ distinctio organi & citharæ.

An non hæc omnia S. Cæciliæ apte conveniunt? An non ipsa cum cantu suavissimo sequitur Agnum decantans canticum novum? An non in cimbalis bene sonantibus, in cimbalis jubilationis, cum, dum in hac vita ageret, laudavit, & nunc jugiter laudat cum Angelis? An non virtutum omnium in ipsa reperitur & consonantia & harmonia? An non studuit semper carnis mortificationi & distensioni per cilicium & jejunium, ut sic suave castumque melos Deo & Christo suo decantaret? Utique gerebat cilicium in carne, & dum cantantibus foris organis, ipsa intus in corde suo decantaret: *Fiat, Domine, corpus & cor meum immaculatum, ut non confundar*, lungebat ergo sonum interioris suæ citharæ cum sono exterioris organi, & musicam cœlestem componebat & depromebat, Deo & Angelis gratissimam, suavissimamque.

Utinam eam imitentur omnes Musici, omnesque Cantores, dum in choro congregantur ad laudes divinas decantandas. Utinam inquam, non solum voce, aut instrumentis, sed etiam, & maxime, corde canere inveniantur immaculato. Utinam bene attendant illud: *Cantate ei canticum novum, bene psallite ei in vociferatione.* Canticum novum apud Hebræos idem est quod canticum jucundum & suave. Utinam in auribus Dei jucundus sit cantus Ecclesiasticorum, bene ei psallendo, & vocem efferendo, non solum corporis, sed & cordis: *Non clamor, sed amor pulsat in aure Dei* Sed multi reperiuntur vociferantes corpore, tacentes corde & mente. Audi monitum Hugonis de abus. Claustri. In Ecclesia, cum ad Officium Dei cantandum ventum fuerit, humilitatis honestas diligentius observetur, cum in Ecclesia in conspectum Dei venimus, deteriores efficiamur. Sunt enim quidam, qui mente vagi, oculis attoniti, habitu dissoluti, plana parietum prospicientes perlustrant; aliud cantant, aliud cogitant: in choro sunt corpore, sed in foro mente. Sunt etiam alii cantores voce dissoluti, qui vocis suæ modulatione gloriantur, aliud cantant, quam libri habeant Ecclesiastici, forsitan ut magis placeant populo, quam Deo. Qui sic cantant, non cantant in choro cū Maria sorore Moysēs, sed in Palatio cum Herodiade, ut placeant discumbentibus & Herodi, Delectantur in altitudine vocis, sed nemo altius cantat eo, quem Dominus audire consuevit de monte sancto suo. Nemo dulcius cantat eo, cui Dominus inclinat aurem suam. Esto igitur cantando in valle humilitatis, ut in monte sancto audiri mereatis. Si sic cantas, ut ab aliis laudem quæras, vocem tuam vendis, & facis eam non tuam, sed aliorum. Habes cantando in potestate vocem tuam, habeto etiam animum tuum. Frangis vocem tuam, frange & voluntatem. Servas consonantium vocum, serva & concordiam morum, ut per exemplum concordes proximo, per voluntatem Deo, per obedientiam Magistro. *Hæc Hugo.*

Psal. 32.

Ad cantum divini officii quid observandum.

Cantus Ecclesiæ ad quid inventus.

Itaquâ hic dicendum, quod cantus Ecclesiasticus ad hoc primo inventus & ordinatus fuerit, ut voce sonorâ laus Dei exprimeretur, & qui audiunt, ad eandem laudem cum devotione excitarentur. Et hoc verũ est, sive loquamur de cantu choralí, sive de figurali. Choralem vocamus, qui uniformiter suas notulas profert & mensurat, qui & alio nomine vocatur Gregorianus, planus & antiquus cantus à Gregorio & Ambrosio & veteribus excultus. Quapropter & hi Cantorum Patroni vocari debent, & ab his coli. Figuralem vocamus eum, qui mensuram & notarum quantitatem variat, pro signorum ac figurarum inæqualitate, cum decremento & incremento prolationis. Ideo & alio nomine mensuralis cantus dicitur, varias mensuras ac figuras admittens. Est vero utriusque usus, tam in mutis per se instrumentis, quam in viva hominis voce. Atque etiam hunc excoluit Pontifex Leo II. de quo sic legimus: *Leo II. Pontifex Maximus, Siculus, humanis & divinis litteris Græce & Latine doctus, Musicis etiam eruditus fuit. Ipse enim sacros Hymnos & Psalmos in Ecclesia ad meliorem concentum reduxit.* Ita Breviarium Romanum 28. Iunii. Potest ergo & ipse, non minus quam Sanct. Cæcilia, invocari & coli ut Patronus Musicorum & Cantorum. Ipse laudavit Deum in Hymnis & Canticis, & alios idem facere docuit. Laudare autem Deum, est, gratias agere de acceptis beneficiis, tam in universali redemptione, quam in particulari sanctificatione nostra & justificatione tendente ad glorificationem, in qua innumera continentur beneficia. Quapropter hic dicere convenit illud: *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.* Quoties ergo tentatio superatur, vitium subjugatur, aut imminens periculum declinatur, aut laqueus insidiandis deprehenditur, aut vitiosa & inveterata animæ passio, perfectè sanatur, aut multum cupita & petita virtus tandem Dei munere obtinetur, toties personat gratiarum actio & vox laudis benedicatũrque Deus in singulis donis suis. Ingratus, alioqui est, qui non potest tunc Deo dicere: *Cantabiles mihi erant justitiæ tuæ, in loco peregrinationis meæ.* Hæc omnia ad justificationem animæ ordinantur, & id incrementum justitiæ Christianæ, & præceptorum observationem integram, propter quam dictum est à Propheta: *In Psalterio decachordo psallam tibi.* Quod enim Psalterium decachordum, nisi observatio decem Præceptorum?

Cantus duplex: Choralis & figuralis.

Patroni Musicorum & Cantorum S. Leo & S. Cæcilia.

Psal. 118.

Psal. 143.

Addamus, quod & Musica, sive voce humana, sive instrumentis resonans, non solum ad demulcendas aures, sed & ad effectus erigendos, & ad harmoniam animi efficiendam aptissima sit. Quapropter omni ætate Musicæ usus fuit in Sacris, non ut inutilis voluptas & ludus, sed ut cantu animi redderentur tranquilliores, excitarentur ad cogitandam harmoniâ divinæ gubernationis flecterentur ad motus aptos doctrinæ cælestis, denique ut ipsæ sententiæ efficacius moverent animos, cum accederet cantus.

Usus Musicæ semper in Sacris fuit.

Notum est, quod cum Prophetæ spiritum in seipsis excitare volebant, psallendi peritum jubebant psallere, ut suavi invitata dulcedine spiritualis infunderetur gratia. Sic de Elisæo dicitur, quod cum in seipso spiritum propheticum excitare vellet, dixerit: *Adducite mihi Psaltem.* Cumque caneret Psaltes. *facta est super eam manus Domini, & prophetavit.* 4. Reg. 4.

Notandum quoque est, melodia fugari solitum spiritum malignum à Saule per Davidem. Sic enim habemus: *Quandoque Spiritus malignus arripiebat Saulem, & tollebat David citharam, & percutiebat manu sua, & Saul levius habebat, & recedebat ab eo Spiritus malus.* Sane magnam vim ad sedandas passiones, tam animi, quam corporis, in esse concentui musico multis exemplis posse probari. Consequenter etiam valet ad compescendum agitationem, qui passionibus istis & humorum commotionibus se ingerit. Dicendum tamen hic, quandam specialem vim Deum indidisse Canticis Davidis psallentis & pulsantis citharam, tum ex materia laudis divinæ, quam ejus resonabant Cantica, tum ex eo quod votis & precibus sacris intercederet David pro Saule. Immo Eucherius hac de re sic dicit: *Iste puer in cithara suaviter canens, malignum spiritum compescuit, non quod citharæ illius tanta virtus inerat, sed quod figura foret Crucis Christi, quæ de ligno & extensione membrorum mystice gerebatur, ipsaque Passio cantabatur, & illa jam tunc Dæmonis spiritus opprimebatur.* Vide de hac cithara fuse Incognitum in in Psal. 32. Vide quoque de multitudine Cantorum & Musicorum in antiquo Templo, 1. Paralip. cap. 25. & ibi Interpretes, ac specialiter Barradium in Evangelia, Tomo 2. lib. 4. cap. 54. 1. Reg. 16.

PRO FESTO S. CATHARINÆ MARtyris & Virginis. Lect. 7. bipartita.

Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te. Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem, Psal. 90.

Introductio.

MOs increbuit in Israel, ut quotannis filiæ Israel convenirent in unum, & plangerent filiam Iephte, Ducis populi: Quia cum Pater ex voto illam immolaturus esset Domino, petierat ipsa, ut duobus mensibus posset montes circumire cum sodalibus suis, & plangere virginitatem suam. Quod & ei concessum fuit à Patre; *Expletisque duobus mensibus, reversa est ad Patrem suum, & fecit ei sicut voverat.* Iudic. 11.

Mos non absimilie invaluit in populo Christiano, qui Israel est secundum fidem, ut Virgines quotannis conveniant cum pietate in sacris feriis Vir-

Virginis Catharinæ. Id vero fit, non ut ejus plangant virginitatem, aut immolationem; sed potius ut illi congratulentur, & congaudeant festivis animis & conjunctis votis, ad ejusque imitationem sese accendant: quia hæc post Virginem Deiparam, quasi primicæria est & speculum Virginum, præmicans eximia castitate, sapientia, zelo, charitate, fortitudine. In hodierno igitur Virginum, populique pro confluxu, aliquid nobis de ejus laudibus proponendum est, & è multis pauca delibanda.

Tria igitur potissimum declarabimus ex Themate proposito.

PARS I.

Quo Angeli S. Catharinam à pueritia custodierint.

PEr notum est ex fide Christiana, Angelos à Deo mandatum accepisse de custodia hominum, durante curriculo vitæ ac viæ ejus insuetuosæ ac insidiis plenæ, qua ad patriam tendimus. Nempe hac opus est continua custodia, quia superbi spiritus *in via hac qua ambulamus, absconderunt laqueos* nobis, & juxta iter scandalum posuerunt, cogitantes supplantare gressus nostros. *Psal. 139.* Latet in hac via coluber, in hac semita cerastes, sive cornutus serpens, *mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro.* Insidiatur draco antiquus calcaneo nostro, & recte ambulantes in præcipitia trahere secum conatur; ita ut necessaria sit protectio *à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio per ambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano.* *Psal. 90.* Hanc protectionem nobis ex speciali beneficentia dignatur Deus impendere per cælestes suos ministros, ita ut hic possimus dicere S. Bern. *Quid est homo, quia magnificas eum? Aut quid apponis erga eum cor tuum? Miram enim geris erga eum sollicitudinem. Mittis unguentum, immittis Spiritum sanctum, promittis vultum tuum. Et, ne quid in cœlestibus vacet ab opera sollicitudinis nostræ, beatos illos spiritus propter nos mittis in ministerium: custodiæ deputas nostræ, nostros jubes fieri pædagogos.* *Bern. in Psal. 90.*

Angeli Virginum speciales tutores, &c.

Sed licet generaliter verum sit, quod omni homini custodia & auxilium exhibeatur ab Angelis: scimus tamen, quod specialia omnino beneficia Angeli exhibeant Virginibus, & his qui castitatem singularem profitentur. Est enim Angelis affinis & cognata virginitatis, tanquam imitatio quædam vitæ & puritatis Angelicæ, ut docent & crebro inculcant SS. Patres. Quapropter S. Hieronymus asserit: *Virgines esse familiam quasi novam Angelorum, quam Christus in terra instituit, ut haberet Angelos in terris, qui ab Angelis adorabatur in cœlis.* Ita ipse epist. 22. ad Eustochium. Cui conformiter ait S. Ambrosius lib. 1. de Virginibus: *Quis neget hanc vitam fluxisse de cœlo, quam nõ facile inventimus in terris, nisi postquam Deus in hac terreni corporis mẽbra descendit? Nemo igitur miretur, si Angelis comparentur, quæ Angelorum Domino copulantur.* Atque propterea Angeli tanquam Virginum speciales Tutores & Paranymphi specialem directionem, familiaritatem, communicationem eis exhibent; & quidem *in omnibus viis*, hoc est, ab adolescentia infinem usque viæ & vitæ hujus mortalis.

Hoc cum de pluribus Virginibus demonstrare facile sit, maxime tamen elucescit in B. Catharina Virgine & Martyre, in qua hæc promissio Domini perfecte adimpleta est: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te &c.*

Primo quidem, dum adhuc in tenera ætate ageret, dignatus est eam Dominus desponsare speciali cæremonia in medio Angelorum aggratulantium. Rem sic referunt graves Auctores: Naturali venustate corporis mentisque pollebat S. Catharina adolescentulâ, sed nec dum Baptismum susceperat, quo supernaturalis decor adiicitur, labe peccati extersa. Apparuit autem ei Virgo Deipara in nocturno quodam somnio, vel revelatione, gestans puerum suum IESUM candidum & rubicundum ulnis suis maternis, è cujus facie mirus splendor promicabat, Catharinam mire afficiens, Igitur Deipara Filio suo offerebat Catharinam, at ille repellebat, & faciem ab ea avertebat, dicens haudquaquam sibi placere, eo quod non foret Baptismo ablata; ideoque deformitatem in ei in esse, quæ non nisi lavacro aquæ in verbo vitæ tolli posset. Admirata est Catharina, & intellexit quid sibi deesset: ut ergo se dignam tanto splendore faciei IESU redderet, ad Baptismum properavit & se Christianam effecit. Paulo post ei rursus Christus apparuit, & annulo speciali eam sibi desponsit in præsentia Matris suæ, & multorum Angelorum. Cumque illam somnium esse existimaret, experrecta reperit annulũ, quem tanquam sacri pignus amoris omnibus diebus vitæ suæ adservavit sanctissime. Hinc S. Catharina à nonnullis pingitur apud Deiparam in ulnis IESUM gestantem; digitoque Catharinæ annulum inferentem.

Pet. de Natalis ex eo Ribad in vita S. Cath.

Christus speciali annulo S. Catharinæ sibi desponsavit.

Nec tibi hoc parum credibile videatur, cum nonnullis in symbolum virginitatis & puritatis animæ, quæ in spirituali cum Christo connubio reperitur, annulos etiam materiales cœlitus datos non ignoremus. Notum est de annulo Catharinæ Senensis, quæ & Catharinæ nomen ab hac nostra Virgine & Martyre sortita est, quo eam Christus desponsavit, dum vacaret pœnitentiæ in Bachanalibus, quando mundani vacant luxuriæ. Tuncque ei dixit: *Ego Salvator tuus te mihi desponso in fide, quæ perdurabit ex hac hora immutabilis, donec in nuptiis æternis me facie ad faciem perfruaris.* Adhuc hodie servatur annulus iste in Monasterio Virginum S. Dominici, dicto, Magnanapoli, Romæ.

Diversis SS. annuli cœlitus dati.

Sic Coloniæ apud PP. Augustinianos exhibetur visendus & honorandus annulus S. Agnetis, quem putant à Christo Sponso accepisse; ideoque merito potuisse canere: *Annulo suo subarrhavit me Dominus,*

Sic

Videejus vitam.

Sic & notum est de Annulo S. Edmundi, quem Virginitatem vovens coram altari & imagine B. Virginis digito imaginis inseruit: insculptum autem gerebat, Ave Maria. Qui quidem annulus post mortem ei cælitus est redditus, & digito ejus insertus, de quo alibi dixi.

Raissus in Auctario Sept. 8.

Sic denique & annulum accepit à B. Virgine Maria compositum ex cinciniis capitis ejusdem Deiparæ, B. Alanus à Rupe Ord. S. Dominici, ut hoc haberet symbolum specialis affectus, symbolumque quo moneretur Virginis gloriam per Rosarium toto affectu promovere

Porro annulum hunc, de quo agimus, voluit Dominus S. Catharinæ coram Angelica multitudine tradere, quia hi sunt Paranymphi nuptiarum illarum, quæ vel per Baptismum, vel specialius per virginitatis votum cum Christo contrahuntur. Ipsi sunt amici Sponsi; Sponsæque custodes & ductores, qui hanc debent sibi commissam non solum custodire, sed etiam adorare, ac tandem in æternum thalamum introducere. Iam ex tunc igitur potuit de S. Catharina dici: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Ex eorum directione & instinctu factum est, ut vitam Angelicam à prima ætate duceret, ad tantam pertingeret sapientiam, tam in divinis, quam humanis litteris, ut quoslibet hujus sæculi sapientes superare posset & convincere. Cum ardore enim fidei studia litterarum miro fœdere copulavit, & cum esset nobilissimi & perspicacissimi ingenii, illud humanis divinisque litteris tanto magis nobilitavit, ac eloquentiæ luce decoravit. De hac re generaliter Nobiles, quorum aliqui nescio quo stulto fastu scientiam & eruditionem aspernantur, sic admonet B. Ennodius Orat. 3. *Reddite vos studendo origini, reddite natalibus lectione. Naturæ lucem jubar dictionibus ostendat. Multiplicate sufflatu scientiæ Parentum titulos, ornate eruditione decora Majorum. Fulvi nobilitatem metalli nisi ad unguem manus ducat artificis, maternis pene hebetatur in tenebris. Et si non magistra politione venustetur, nihil ei prodest sublimitas, quam vena conceperit. Adjuvatur Doctoris industria dotibus sanguinis: & nisi limita non rutilant illa, quæ se erigunt prærogativa nascendi.* Hæc ille eleganter.

S. Cath. à prima ætate angelicam vitam duxit &c.

An deceat sexum fœm. doctrinæ incumbere.

Neque hic quispiam dixerit, non decere infirmiorem sexum fœmineum doctrinæ incumbere, ad quem non spectat docere, sed potius linum lanamque tractare, & humiliter in silentio, quæ necessaria sunt ad salutem & instructionem ex ore docentis excipere. Licet enim hoc verum sit communiter loquendo, dicente Apostolo: *Mulier in silentio discat cum omni subjectione; docere autem mulieri non permitto.* Quia scilicet in Ecclesia & cœtu publico mulier docere non debet, nec etiam privatim, quasi ex officio & auctoritate. Attamen quasdam mulieres aut virgines elegit Deus, ut forent instrumenta conversionis aliorum: ideoque eas & spiritu sapientiæ replevit, & humanæ doctrinæ expertes esse noluit. Hinc etiam voluit quasdam prophetiæ dono celebres esse, ut notum est, tum ex veteri, cum ex novo Testamento, atque etiam ex Historiis Ecclesiasticis. Quapropter sic de hac re loquitur Origenes in cap. 4. & 5. Iudicum: *Præstat non minimam consolationem mulierum sexui, provocat eas ne pro infirmitate sexus desperent, etiam prophetia gratia se capaces fieri posse: sed intelligant & credant; quod meretur hanc gratiam puritas mentis, non diversitas sexus. Delbora quippe, quæ Apes interpretatur, in prophetia forma versatur. Certum namque est, quod omnis prophetia suaves cœlestis doctrinæ favos, & dulcia divini eloquii mella componat, ut dicit David: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua!* Hæc ille.

1. Tim. 2.

CVm itaque Deus elegisset B. Catharinam, tanquam instrumentum sibi gloriosum ad conversionem multorum, & ad confusionem infidelium, voluit eam repleri non solum scientia humana per speciale studium, sed etiam divina per angelicum ministerium. Ideoque Angelis mandavit, non solum ut custodirent, eam sed etiam ut dicerent & illuminarent eam, ad concipiendum spiritum sapientiæ & intellectus. Qui nimo eloquentiæ admirabilis dono eam conspicuam reddidit, & ad persuadendum efficacem. An non donum istud manifeste patuit multoties, ejusque efficaciam senserunt permulti, *non valentes resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur* in ea, & per eam? Audi in particulari.

Pars II. Quo Angelis Cat. in adolescentia dirigat. rint.

Act. 6.

Primo quidem eam expertus est Imperator Maximinus, ad quem idolis in templo immolantem, & cunctum populum suo edicto exemplo ad idem cogentem, vel ad supplicia immania renitentes condemnantem, accessit libero gressu liberaque voce, stultitiam, quæ in idolorum falsorumque Deorum cultu inerat, eruditissimis rationib. eloquentissime demonstrans; Christumq; verum Deum, ac fidem ejus esse necessariam ad salutem, efficaci adeo argumentatione comprobaris, ut attonitus staret Imperator, ad ejus sapientiam & eloquentiam. O quam vere potest ipsa dicere illud: *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar.* Adimplebatur nempe in ea illud Evangelicum: *Ante Reges & Præsides ducemini propter me, in testimonium illis & gentibus:* hoc est, ad illorum salutem, si credere voluerint doctrinæ à vobis traditæ; vel ad confusionem, si testimonium vestrum repudiarint; quod proprio obsignare sanguine non renuitis. Neque vero exspectavit orta regio de sanguine Catharina, (Christianum tamen sanguine pluris existimans) ut ad Reges & Præsides duceretur, sed sponte eos accessit zelo zelata pro Domino Deo exercitum, licet sibi capitis imminere sciret periculum. Nempe nihil urgentius charitate Dei, quæ efficis,

Sapientiam S. Cathar. experta est in tenitentes condemnantem, accessit libero gressu tor.

Psal. 118. Matth. 10.

efficit, ut sine ullius metu qui corde credunt ad justitiam, ore confiteantur ad salutem, aberrantesque à vera confessione libera increpent mente & voce.

2. *Oratores & Philosophi sapientiam S. Cathar. agnoverunt.*

Secundo experti sunt Oratores & Philosophi ab Imperatore convocati Virginis Catharinæ sapientiam, & spiritus eius efficaciam. Quia tandem post multas ultro citroque allatas, publico in confessu rationes, se victos fassi sunt, & intellectum corque suum captivum tradiderunt in obsequium Christi, Christianæque fidei. Atque hic etiam illud manifeste claruit de Catharina: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*: Nam paulo prius quam è custodia educeretur, ut in conspectum Regis & Oratorum eius adduceretur, affuit ei Angelus, & dixit: *Noli timere, Dei puella, nam præter tuam sapientiam, dabitur tibi sapientia cælitus, & his & multis aliis persuadebis, eosque ad Deum adduces. Deinde tu quoque eru redemita corona Martyrii.* Via nempe ista, quam ingrediebatur Catharina, videri poterat periculosa, disputare scil. cum Eximiis & Philosophis & Oratoribus adolescentulam, quæ variis eorum tricis, & subtilitatibus poterat implicari & succumbere, seque fidemque suam ludibrio exponere. Sed non veretur in hanc arenam descendere, secuta de Palma & victoria Angeli præmonitione, eiusque fulta auxilio. O felix victoria non solum vincenti, sed maxime ipsismet victis, qui subito facti sunt Christi discipuli & Theodidacti, imò effecti sunt Christi Athletæ fortes, & eximii Martyres, O providentia Dei admirabilis! O prædestinatio efficax & suavis! O misericordia grandis! Illi enim una hora rapuerunt regnum cœlorum, cum nos tota vita laboremus, & adhuc dubii hæreamus, an illud lucraturi simus. Illi una hora certantes coronam nacti sunt, & cito pervenerunt ad triumphum nos in stadio multis annis permanentes, ignoramus quis finis futurus sit certaminis. Igni etenim ab Imperatore furente ad dicti, in proprio sanguine baptizati, lauream Martyrii adepti sunt. Sic de illis dicere possumus, quod de nonnullis Catechumenis ad Martyrium raptis dicebat S. Ambrosius: *Inter religionis principia sunt consummati, & nondum Dei legibus sibi, plene manifestatis, iam erant Deo pleni. Atque ita perveniunt ad cælos turris meruerunt prius elevare fastigum, quam dissonerent fundamentum. Nondum Sacramentorum conscii, in sacrificium sunt electi.* Hæc S. Ambrosius, serm. de S. Nazario. Electionis porro eorum symbolum fuit, quod licet igne interempti forent, eorum tamen corpora integra à fidelibus reperta fuerint. Adeo, ut nec pilus quidem eorum à flamma consumptus fuerit, nec vestimenta aliqualiter adusta. Sic voluit Deus, ut in ignem missi animas redderent cœlo, corpora autem integra & illæsa relinquerent terræ, ad admirationem & conversionem infidelium, ad confirmationem vero fidelium.

Ita Meth. in vita S. Cathar.

Itaque sicut devoravit virga Aaronis virgas Sa-

Vitis floriger.

pientum & Magorum Ægypti adversus Moysen disceptantium, præsente Pharone: Ira Virga Christi, hoc est doctrina eius, proposita per Catharinam, devoravit doctrinam Sapientum & Oratorum præsente Imperatore, & adimpletum est illud Prophetæ: *Perdam sapientiam Sapientum, & Prudentum prudentiam reprobabo.* Illud quoque ex parte S. Catharinæ adimpletum cernimus: *Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo. Super omnes docentes me intellexi: Super senes intellexi. Denique & illud: Spiritu principali confirma me, docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur.* Quapropter non solum Philosophiæ Studiosi, sed & illi qui aliorum incumbunt conversioni, & quibus certamen est & disceptatio cum infidelibus aut hæreticis, B. Catharinæ, Virginis zelosissimæ & sapientissimæ, solent patrocinium implorare, ac spiritum.

Isai. 29. & 1. Cor. 1.

Pf. 118.

Psal. 50.

3. *Imperatrix & Porphirius cum suis sapientiam S. Catharinæ experiuntur.*

Tertiò experti sunt Catharinæ per efficacem sapientiam, & dicendi gratiam, Imperatrix uxor Maximini, & Porphyrius Dux belli. Cum enim Imperatrix audito rumore de Catharinæ præclaris dotibus, cum naturæ, tum animi & ingenii, flagraret desiderio eam videndi & audiendi, à Porphyrio Duce comitantibus ducentis militibus ad eam in carcere fuit introducta; statimque rapta est Imperatrix, divina quæ in Virgine effulgebat gratia. Audiens igitur ex ore eius mellifluo veritatem fidei Christianæ, ad pedes eius procidit cum lachrymis lætitiæ. Tunc quoque ei Catharina dixit: *Beata es, ô Imperatrix, quia in Angelorum manibus intueor coronam tui capitis in altum elatum, quæ post tertiũ diem redimita proficiscēris per Martyrium ad verum Regem perpetuò regnatura.* Ergo & hic rursus elucescit, quem fuerit Angelis S. Catharina familiaris, continuò ab illis custodita in omnibus viis, hoc est, in omni opere suo & progressu ab illisque adjuta ad aliorum conversionem: quia Deo cooperari in animarum conversione angelicum opus est, ut dixit S. Dionysius. Quapropter Catharinæ adhæsit, & eius fidem amplexa est, cooperantibus Angelis, non solum Imperatrix, sed etiam Porphyrius Dux belli cum ducentis suis militibus: qui omnes paulò post fortiter pro vera fide gladio caput subjecerunt & Martyrio coronati sunt. Ecce, *ubi Deus magister est, quàm citò discitur quod docetur!* Verè *digitus Dei est hic; hæc mutatio dextræ excelsi*, quam subitò efficere potuit per vocem humilis ancillæ suæ. Benedictus Deus, qui per manum fœminæ hanc dedit victoriam super tot feros animos ad Christum conversos, tantaque cum constantia pro ipsius gloria decertantes. Sic patet hic quam verum sit illud: *Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit, quia* Iesus *Christus est Filius Dei? Hic est qui venit per aquam & sanguinem; non in aqua solum, sed in aqua & sanguine*: quia, Interprete S. Hieronymo epist. 83. & S. Augustino l. 2. de symb. c. 6. duplicem attulit Baptismum, unum fluminis, alterum sanguinis.

S. Leo hom. de Pent.

1. Ioan. 5.

Quocirca si milites per fidem vincentes & in IESUM Filium Dei credentes non potuere per aquam ablui, in sanguine suo sunt abluti, sicut & Philosophi de quibus antea dictum est. Si omnes illi vicerunt mundum & sæculum, & transierunt ad regnum æternum: fueruntque tamquam Avantguardia, sive tamquam acies præcedens Catharinam Ducem statim secuturam ad triumphum, post plenam de hoste victoriam, quam Angelis pro se dimicantibus reportatura mox erat. Quare sic Catharinam loquentem introducit Poëta:

Ite triumphales animæ superare Tyrannum.
Ite alacres, hodie vobis reserantur Olympi
Limina. Momentum mors est. Vbi transiit, æther
Panditur, & liber petit igneas spiritus astra;
Ite domos cœli, sanctosque intrate Penates.
Ite, sequar. Nec vos sacri iactura lavacri,
Terreat, abrodet scelus omne salutifer ignis.

PARS III. *Quomodo S. Catharina super aspidem & basiliscum ambulaverit.*

HÆc est victoria de qua rectè intellexeris illud quod in Themate nostro subsequitur: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* An non hic repræsentatur aptè Maximinus, & in eo Dæmon superatus & conculcatus per ancillam Christi Catharinam? Audi specialius:

Maximinus aspis veneno plenus.

1. Aspicis fuit Maximinus serpens veneno plenus; multosque inficiens per idololatriæ virus, in caverna morabatur infidelitatis & impietatis. Accessit ad eum Catharina, tamquam sapiens incantatrix, ut eius cor immutaret verbo prædicationis & è caverna evocaret, in lucemque eum adduceret sapientissimis fidei rationibus. Verum nihil profecit, ipso obturante aures cordis, ne illuc pertingeret vox verbi cœlestis. Vidit hanc vocem immutasse corda Oratorum, cor Imperatricis, cor Porphyrii Ducis, ac militum eius; furorem concepit, insanivit, & tantò se magis obfirmavit, aures obturans suas pulvere terrenæ potestatis, & cauda pessimæ voluntatis, ut in Catharinam sapienter ad omnium corda loquentem sæviret, & in omnes qui eius vocem & fidem sectarentur. Quapropter apprimè ei illud Psalmographi convenit: *Furor illi secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas: Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* *Psal. 57.*

Maximin. fuit Basiliscus.

2. Basiliscus quoque fuit Maximinus, qui & Regulus dicitur, quasi Rex serpentium. Gerit enim serpens ille caput, quasi alba corona lineatum. Adeo verò noxius est, ut & visu solo, & afflatu seu sibilo valeat inficere & interficere, teste Plinio, Solino, & aliis. Gerebat caput corona redimitum Maximinus, quæ licet speciosa videretur, nonnisi tamen venenum spirabat. Catharinam minis & a spectu ubi non potuit terrere, huiusce coronæ participatione voluit allicere, promittens cum illa Imperium dividere, & in regiam suam recipere: sic virus suum spargebat Basiliscus, quo fidem in ea veram afflatu & sibilo pestilenti interimeret. Ac illa? *Depone ô Imperator fictionem, nec imiteris dolum vulpis, & malitiam serpentis. Ego dixi semel me Christianam, & veni ut essem Sponsa Christi, & habeo eum solum Sponsum & ornamentum virginitatis meæ, stolamque Martyrii præfero cui vis coronæ & purpuræ Regiæ.* An non hoc erat ambulare super aspidem & basiliscum, & omne eius venenum conterere & proculcare?

Maximinus ut leo rugiit.

3. In Leonis formam tandem se transtulit furore rugiens, qui blanditiis nihil potuerat. Quare primum eam bonum nervis toto crudelissimè corpore cædi jussit, ita ut sanguis rivi profluerent, dolorque intolerabilis cieretur. Quem cum ipsa constanter & fortiter perpessa esset, in custodiam detruditur per duodecim dies, sine cibi ullius ministerio. Neque tamen eam deseruit Deus, sed per Angelos eam visitavit, & solatium ac fortitudinem ei impertivit; ac per columbam ei cibum quotidie ministravit, qui per corvum olim sustentavit Prophetam. Ergo & hic rursus videmus adimpletum illud: *Angelis suis mandavit de te &c.* Dum homines desunt, adsunt Angeli ministrantes; adsunt & irrationabiles, si opus fuerit, creaturæ obsequium impendentes. Et nonne aptè Columba ad animam hanc columbinâ, candidam & castam, mansuetam & felle carentem destinatur, ut & cibum suppediret, & lauream promittat, ac olivæ ramum afferat, quo mox coronanda est evolans ex hac arca corporis ad locum pacis?

S. Catharina adivitur.

Interim vide quomodo sese effundat furor Leonis nostri rugientis & sævientis in columbam vel agnellam. Crudeli namque subtilitate, & subtili crudelitate expeditur rota crebris & acutis præfixa gladiis, ut Virginis corpus quaqua versum sævissimè dilaceretur. Sic nova semper in Martyres excogitabat tormenta ingeniosa crudelitas, ut ad corpus unum torquendum sæpe plura adessent supplicia, quam membra. Sed plerumque aliter disponente de suis Martyribus divina Providentia, meditati sunt inania. Sic hîc contigit. Nam feralis illa machina ad quam alligabatur Virgo castissima, mox ipsa orante, & Angelo adventante confracta est. Martyr ergo nostra soluta fuit à ferro, & totis, & vinculis partesque rotæ, nonnullos ex infidelibus interemerunt ibi præsentes. Ita factum est, ut multi hoc miraculo fidem amplecterentur. Agnosce, ô Maximine, quomodo Angelis suis Deus mandavit, ut custodiant eam. Agnosce quod frustra tamquam Leo fremas, & ingenium tuum torqueas excogitando nova crudelitatis instrumenta. Tibi destinata est Rota, non illi: quia de te & tui similibus scriptum esse scimus: *Pone eos ut rotam ante faciem venti.* Postquam sursum, deorsum, per superbiam, impatientiam, crudelitatem roratus fueris, & de peccatis in peccata volutatus & præcipatus, Rotæ æternæ affigêris, & à vento divinæ justitiæ æternum perdurante, voluraberis de pœna in pœnam, de tormento in tormentum, de supplicio

Sap. c. 14. ex Met.

Psal. 82.

plicio in supplicium. O infelix revolutio fæculorum super te!

Maximinus Draco fuit. Apoc. 12.

4. Concludamus, & dicamus etiam Draconem fuisse Maximinum Tyrannum, quia membrum præcipuum fuit illius Draconis qui dicitur *traxisse cauda sua tertiam partem stellarum in terram*, sive illius qui stans in littore maris bellabat contra mulierem, & semen eius, *quia misit ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi à volumine*. Nonne ex ore suo aquam misit in mulierem Maximinus Tyrannus, dum edicta promulgavit contra Ecclesiam sponsam Christi, eiusque semen sacrum, hoc est, eos qui habent testimonium IESU Christi. De hoc semine erat Catharina, quam perdere quaquâ viâ fategit. Quid est aliud flumen aquæ quod evomuit contra mulierem & semen eius, quam persecutio continua qua fidem absorbere visus est? Quid rursus aliud est, è cœlo trahere cauda sua partem stellarum, quam prava doctrina & suggestione illos qui cœlestes erant, & velut stellæ in firmamento Ecclesiæ effulgebant, ad idololatriam & terrenos errores de solvere, & huius sæculi flagitiis velut aquis profundis velle mergere? Sed nihil potuit Draco iste in mulierem, nec in semen eius sacrum, quia ei promiserat Dominus: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Ecce Catharina conculcat hunc sævissimum draconem, & in æternum conculcabit: in aquis stygiis demergetur eum, sententiam cum judice æterno adversus ipsum pronunciatura. Quapropter depingi solet cum gladio in manu, & rota à latere, & capite Imperatoris sub pedibus. Quibus quidem significatur eius victoria, quam per gladium quo decollata fuit, & per rotam quam confregit, de Tyranno reportavit æternum victrix.

LECTIO II.

De morte S. Catharinæ, ac miraculis subsecutis.

Mors S. Catharinæ tribus modis illustrata.

MORS S. Catharinæ tribus specialiter miraculis legitur illustrata. Primum est, quòd Angeli, mox ubi reddidit spiritum, eius corpus in montem Sinai detulerunt, & ibi sepelierunt eam.

1. Angeli corpus eius sepelierunt

Exaudierat enim eius orationem Dominus, quam paulò ante mortem in loco Martyrii obtulerat. Sublato namque in cœlum animo, oculisque ac manibus, sic orasse legitur: *Domine* IESU *Christe, ago tibi gratias, quod statuisti supra petram pedes meos, & direxisti gressus meos; & nunc exinde palmas quæ pro me in Cruce fuerunt fauciatæ, & suscipe animam, quam sacrificavi pro te & tua confessione; Memento quod sumus caro & sanguis, & quæ per ignorantiam deliqui, ne ante tuum terribile tribunal repræsentari permittas; sed in sanguine quem pro te fudi, maculas meas ablue. Da autem ut hoc corpus, quod pro te fuit concissum, non possit adspici ab iis qui quærunt. Aspice etiam ad populum hunc, & deduc eos in lumine tuæ agnitionis. Da quoque eis qui per me invocant nomen sanctum tuum petitiones eis conducibiles, ut per omnia laudentur tua magnalia nunc & in sæcula.* Exaudivit igitur Deus & qui per Angelos in omnibus eam viis custodierat, in morte quoque per eos voluit eam honorare, dum ad sepulchrum adeo sublime & nobile angelico defertur obsequio, angelicisque hymnodiis eius exequiæ celebrantur. Non potest dubium esse, quin sublimi loco in cœlis eius animam collocarint, qui in terris illustri & excelso ad eo loco corpus composuerunt in sepulchro. Equidem & Angelico credimus ministerio corpus Moysis sepultum à Domino, sed ignoro, nec tam nobili loco. Illum ergo montem, quem suâ Dominus præsentia in igne & fulgure legem promulgans honorarat, cuique tunc accessum prohibuerat, ad radicem montis hærente & horrente populo; Virginis huius & Martyris corpore ac præsentia voluit exornare, quæ legis divinæ non solum observatrix, sed & Doctrix exiterat eximia, à totis sæculis celebranda: *Sic honorabitur, quem Rex voluerit honorari.*

Corpora Sanctorum etiam brutaquandoque usus est ad eorum custodiam, ut sepultura sacra postmodum condecorarentur à Fidelib. ta sunt.

Certè corpora Sanctorum vult honorari Deus, & honorificè sepeliri, qui non solum Angelorum, sed etiam animalium irrationabilium ministerio

Sic corpus S. Eadmundi Regis Anglorum & Martyris custodivit lupus à feris, cum impii illud post interemptionem in loco horrido sentibus occultassent, ut ibi putresceret.

Surius 20. Nov.

Sic corpus S. Stanislai per agros sparsum custodivere Aquilæ advolantes, donec adventarent Canonici Cracovienses.

Sic corvus corpus S. Vincentii Martyris mirabiliter prorexit, quasi excubias ei impendens, ne læderetur è cæteris belluis.

Sic corpus S. Alexandri Martyris in flumen projectum quatuor canes eduxerunt, & linguis suis illud lambentes custodiverunt, donec mater advenit, cui quidem advenienti occurrerunt canes isti, & deduxerunt eam ad corpus filii via directa. Quod quidem cum aromatibus unxit & sepelivit: cumque in sepultura ista Psalmos caneret, Angeli multi auditi sunt eos cum ea decantare.

Surius 3. Maii.

Notum est de S. Clemente, quomodo ei ædiculam marmoream in templi forma, & arcam lapideam fabricarint Angeli, cum in mare deiectum fuisset anchoræ alligatum, mare autem ad tria milliaria quotannis recedebat septem diebus, ut Christiani ad hanc possent accedere ædiculam, Martyrem honoraturi.

Denique Angeli sepulturam S. Agathæ, & eius monumentum Epitaphio ei adpenso condecorasse leguntur. Ergo hic rursum repetimus: *Sic honorabitur, quem Rex voluerit honorari.* Sublimem certè honorem debemus S. Catharinæ, quam sic Deus honoravit, ut non solum in monte Sinai voluerit sepeliri, sed ut Ecclesia canit, *in summitate montis Sinai.* Hic locus ei debebatur, quæ ad summitatem & verticem perfectionis pertigerat,

2. *Lac pro sanguine capite plexâ dedit.*

Alterum miraculum in morte S. Catharinæ elucens est, quòd dum ei gladius caput amputavit, ipsa pro sanguine & cruore lac dedit, sicut & de S. Paulo tradunt sacræ historiæ, Quid verò candor ille lactis, loco cruoris profusus, aliud quam copiam sapientiæ, quo repleta fuerat, designabat, candoremque puritatis & castitatis, quam usque ad extremum spiritum conservarat? Verè de ea possumus dicere illud Cantici Canticorum: *Mel & lac sub lingua eius.* Mel & lac sacræ doctrinæ per linguam eruditam & suavisonam infirmis in fide administrarat, ut eos confirmaret, ut patuit in Imperatrice, Porphirio Duce, ducentis militibus, quos ad fidem adduxerat & lactarat, fecerat; ut essent *quasi columbæ lotæ quæ residunt iuxta fluenta plenissima.* At vide nunc quomodo non solum supra linguam lac gestet omnibus propinandum: sed & lingua lacte abundet, cum & collum ipsum illo refertum sit; quod quidem gladius detegit & reserat, dum illud resecat. O suave & admirabile lac, illius lactis symbolum, de quo S. Petrus: *Quasi modo geniti infantes, sine dolo, lac concupiscite!* O verè fœcundam Christianorum novellorum matrem Catharinam! Nam fœcunditatis & maternitatis eius lac istud certum dat testimonium.

Cant. 4.

Cant. 5.

1. Pet. 2.

3. *Ex sepulchro S. Catharinæ liquor infirmitates sanans emanat.*

Denique, & istud miraculum sepulchrum S. Catharinæ exornavit, quòd ex illo loquor dulcis diu emanarit, qui infirmitati omni medelam exhibebat. Hinc Iustinus Imperator in memoriam horum omnium mirabilium, & in honorem S. Martyris ac Virginis, in monte Sina extrui iussit insignem Ecclesiam & Monasterium, ubi divinas laudes decantarent cum Angelis Viri Religiosi, quasi custodes tam admirabilis sepulchri, & participes divinę unctionis, quâ Virgo Catharina plena fuit, per illam edoctus de omnibus ad salutem spectantibus. Atque huius sanctę unctionis, quâ præ participibus suis unxit eam Dominus, symbolum etiam fuit liquor ille oleatus & salubris, qui è loco sepulchri eius profluebat.

Ordines religiosi specialiter S. Catharinam colunt. 1.

Multi Religiosi Ordines, ut unctionis & sapientiæ cœlestis fiant consortes, speciali devotione S. Catharinam colunt; & per eam multa beneficia impetrant. Huic Virgini & Martyri addictus est inter cæteros Ordo S. Dominici. Quia & initio Ordinis, dum S. Dominicus nocte in contemplatione & oratione ageret, Ordinem suum & Fratres novellos commendans: vidit Beatiss. Virginem cum S. Catharina & Cæcilia circumeuntem totum Dormitorium Fratrum, & singulos Fratres benedicentem, aquaque lustrali aspergentem. Precebatur autem & deferebat, vas aquę benedictę S. Catharina à dextris; aspergillum verò exhibebat Virgini Deiparę Cęcilia à sinistris. Sic post Virginem Deiparam erga has Virgines devotionem singularem cœpit S. Dominicus, ut earum patrocinio posset feliciter Ordinis sui munia obire & stabilire, quę sunt, *Laudare, benedicere, & prædicare.* Deum laudare docuit S. Cęcilia eiusque prœconia decantare, dum cantantibus organis decantabat in corde suo: *Fiat, Domine, cor & corpus meum immaculatum, ut non confundar.* Eum quoque benedicere & prædicare eximiè docuit S. Catharina, eius fidem publicè & constanter prędicans, & eamquam *Ancilla sapientiæ ad arcem civitatis*, hoc est, ad Ecclesiam, convocans omnes, tam magnos, quam pusillos. Hanc ergo imitantur Fratres Ordinis Prędicatorii, Hinc & B. Reginaldos, S. Dominici illustri discipulo, cum gravissimè ęgrotaret, vigilanti de nocte apparuit Regina cęli, rursus his comitata Virginibus, & eius oculos, aures, manus, unguento quod attulerat, linivit, denique & *pedes in præparationem Evangelii pacis*, ut ipsa dicebat. Respondebant autem Virgines hæ *Amen*, ad singulas unctiones, & illis unctionibus cooperabantur.

Prov. 9.

Sic & in Chronicis Carthusianorum legimus de quodam Laurentio Muschesełio, Viro pientissimo & Priore prope Angiam, B. Catharinę Virgini & Martyri tenerrimè fuisse addictum. Quapropter per eam multas habuit revelationes & consolationes; frequenterque ei apparebat B. Catharina, & cum eo colloquebatur familiariter. Imò & quadam vice Rosam Paradisi pulcherrimam ab ea accepisse traditur.

V. Arnol. Raisse in Auctario 3. Decemb.

O Beata Catharina, cœli purpurea Rosa, candidumque Lilium, Sponsa Christi, Disciplina cœlestis Magistri, Sapientię Ancilla, Sapientum terrę Doctrix & Magistra, quę tot Oratores convertisti, fortiterque superasti omnia Satanę tormenta, impetra nobis veram lucem, veramque sapientiam, ut tua sectantes vestigia; perfecta à fide & charitate Deum valeamus æternum tecum laudare; benedicere, & prędicare.

Concilio.

OPUS-